161
G
4.
BIB. NAZ. NAPOLI

BIBL. NAZ.
161
G
4

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

# SACROSANCTA
# CONCILIA
# ŒCUMENICA
## COMMENTARIIS ILLUSTRATA
*AD SANCTISSIMUM PATREM*
# BENEDICTUM XIV.
## PONTIFICEM MAXIMUM
## TOMUS IV.

*Reliquas Oecumenicas Synodos comprehendens, nempe, Lugdunenſes I. & II. Viennenſem, Florentinam, Lateranenſem V. & denique Tridentinam. Adjunctis Piſana, Conſtantienſi, Senenſi, Baſileenſi, ac Piſana altera.*

AUCTORE JOSEPHO CATALANO PRESBYTERO
ORATORII S. HIERONYMI CHARITATIS.



ROMÆ, MDCCXLIX.
Ex Typographia Antonii de Rubeis apud Pantheon in via Seminarii Romani.
SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

# BENEDICTO XIV.
## PONTIFICI MAXIMO

*SALUTEM IN DOMINO, ET FELICITATEM PLURIMAM*
JOSEPHUS CATALANUS.

E*A tandem qua potui celeritate*, BEATISSIME PATER, *abſolvi hoc Tomo* IV. *incœptum a me Opus, & a nullo, quod ſciam, adhuc peractum, enarrationem ſcilicet Conciliorum omnium Generalium, quæ ad profligandas hæreſes, abuſuſque extirpandos, atque ad Eccleſiaſticam Diſciplinam pro temporum ratione primævæ ſuæ puritati reſtituendam in Oriente primum, ac deinde in Occidente Prædeceſſorum tuorum juſſu præſentiave celebrata fuerunt. Fateor equidem, Binium, Longum, Cabaſſutium, ac præ ceteris eruditiſſimum Lupum operam ſuam navaſse enarrationi ipſi Conciliorum: ſed fateri æque oportet, clariſſimos hoſce Auctores nec omnia Concilia Oecumenica, neque Canones omnes, ſed unum, vel alterum explicuiſse, ſive potius Notis quibuſdam illuſtraſse. Lupus ipſe,*



Digitized by Google

*qui ceteros ea in re Scriptores ſuperavit, octo priora dumtaxat ex Oecumenicis in Oriente habita enarravit, in iiſque Canones non modo complures omiſit, ſed alios quoque multos breviſſimo potius Scholio exornavit, quam enodavit. Arduam profecto ego provinciam ſubii, ubi Concilia omnia Oecumenica, eorumque Canones omnes, alioſque pene innumeros Conciliorum præſertim antiquorum particularium, quibus illi magis magiſque explicarentur, conatus ſum perpetuis Commentariis illuſtrare, ac publici juris facere. Res,* Beatissime Pater, *ita a principio ſe habuit. Juvandæ juventutis gratia, quæ Eccleſiaſticæ Diſciplinæ, & Canonum cupida ad me confluebat, ut rerum Eccleſiaſticarum notitiam, origineſque addiſceret, in meo primum cubiculo Conciliorum Academiam inſtitui; auctoque adoleſcentum numero, Palæſtræ locum feci nominatiſſimum illud primum, atque inſigne Oratorium, ubi S. Philippus Nerius anno* MDLVIII. *pios ad populum eo confluentem Sermones habere cœpit, & ubi, ut alios omittam pietate, doctrina, ac dignitate conſpicuos, qui locum illum eximium Divini Verbi prædicatione, ac præſentia decorarunt, doctiſſimus æque ac Religioſiſſimus S. R. E. Cardinalis Baronius ejuſdem Philippi juſſu Annales ſuos Eccleſiaſticos ſepties repetiit. Ergo in laudatum Oratorium ob adoleſcentum multitudinem e cubiculo Academiam tranſtuli, & quidem tanto eorum progreſſu, ut eruditiſſimi Viri complures, adoleſcentes ipſos de Conciliis, Cano-*

*nibuſ-*

Digitized by Google

*nibuſque ſolide diſſerentes admirarentur, & quammaxime commendarent. Inde orta mihi occaſio eſt edendi primum Conciliorum Tomum, quem Prædeceſſori tuo ſanctæ memoriæ Clementi XII. non ſine elogio nominando dedicavi. Is autem pro innata ſua in bona ſtudia munificentia non modo conſilium meum juvandæ juventutis laudavit ſummopere, ſed & Librum, quem ei exhibui, adeo gratanter accepit, ut illico juſſerit, me nihil habentem proventibus Eccleſiaſticis remunerari, tum præſertim, quod Julio menſe æſtuante, laudatiſſimi Pontificis imperio obſequutus longum iter in Calabriam ſuſceperim, ut novo Collegio, quod ibidem pro Italo-Græcis in Oppidulo S. Benedicti erexerat, aliquam vivendi formam, & ſtudiorum præberem, ſcriptoque Libro audaciam, atque perfidiam impii hominis repreſſerim, qui peſtifero libello ſuo laicos Principes incitabat, ut Apoſtolicæ Sedis jura, & Eccleſiaſticam juriſdictionem convellerent. Poſt hæc tenax ego propoſiti mei, ut ſtudia mea Romæ peragerem, recuſata, ut par erat, quod me noſcerem tanto muneri imparem, Apoſtolica in Cocincinam Legatione, quam mihi Oraculo Pontificis injunxerant, ut Miſſionariorum res diverſa ſentientium juxta Apoſtolicæ Sedis mandata componerem, nullis laboribus, vigiliiſque, nullis peperci ſumtibus, ut Opus in quatuor Tomos diſtributum ad finem perducerem. Neque enim decebat, ut imperfectum illud relinquerem, & illam Evangelii reprehenſionem ſuſtinerem:* Hic

ho-

homo cœpit ædificare, & non potuit conſummare. *Non enim deſunt noſtro hoc ævo qui Auctores carpunt, qui etſi longa mercede ad unum Opus conficiendum conducti, ad alia manus extendunt, nihilque perficiunt. Odi profecto ſemper & hoc hominum genus, ideoque conatus ſum meo labore, mea impenſa, opera mea ſola Opus abſolvere, Tibique uni Mæcenatum omnium Principi dedicare. Abſurdum enim putavi, ac reprehenſione dignum, ut in longinquis Terris Patronum quærerem, quum Te in Urbe ceterarum omnium principe Principem habeam ſuper omnes Reges, ac Principes Terræ a Deo conſtitutum. Principem, inquam, adeo munificentiſſimum, ut vel erga me homunculum beneficentiam ſuam eximiam effuderit; ubi ſcilicet iterum atque iterum juſſit, ut mihi omnium minimo nihil unquam petenti merentique Sacerdotia conferrentur. Eximia hæc tua munificentia, ac tua comitas illa ſingularis, qua non ſemel mea ſtudia commendaſti, mihique animum feciſti, ut & incœptos labores perſequerer, alioſque longe majores ſuſciperem, effecit tandem, ut abſolutis jam tot Operibus meis magna ex parte* Sanctitati Tuæ *dedicatis, ætate jam provecta, & laboribus, ac vigiliis, aliiſque incommodis feſſa, ſub ejuſdem* Sanctitatis Tuæ *auſpiciis Opus aliud immenſi laboris adgrederer, editionem ſcilicet Conciliorum omnium Italiæ cum Notis. Scio,* Beatissime Pater, *debuiſſe hoc Opus ab aliis peragi, qui & ingenio præ-*

*valent,*

*valent, & viribus ſummis ſumtibus ſuſtinendis: ſed quum omnium ora, & calamos diu altiori premi ſilentio vidiſſem, malui demum ego & huic ponderi ſuccumbere, quam tanti rem momenti penitus præteriri. Neque enim decebat, ut ubi ceteræ pene omnes Nationes ſuorum jam adornarunt Collectiones Conciliorum, ſola Italia, quæ eſt ceterarum omnium caput, atque magiſtra, eo ornamento careret. Hoc quippe unum noſtræ Italiæ deerat, poſtquam ſcilicet inter alios Italicarum Rerum Scriptores, ſummo labore, ac ſtudio eruditiſſimus Ferdinandus Ughellus Italiæ Eccleſias, Epiſcopoſque illuſtravit, & profundæ doctrinæ Auctor præſtantiſſimus, & eximiæ pietatis Sacerdos, de Chriſtiana, & Catholica Religione optime meritus, Ludovicus Antonius Muratorius non ſine Litterariæ Reipublicæ ſtupore, incredibili diligentia, innumera pene antiqua Italiæ monumenta diu ſepulta e tenebris eruit, collegit, digeſſit, Notiſque aureis, ac Diſſertationibus omnigena eruditione refertis auxit. Spero,* Beatissime Pater, *Te bonorum ſtudiorum opere, & veritate amatorem, meum hoc conſilium probaturum, confidoque in Deum, me quantocius ſub auſpiciis* Sanctitatis Tuæ *editurum Tomum primum, quo Romana omnia Concilia continentur, Notiſque illuſtrantur. Interim vero Te oro, ut hunc* IV. *Tomum in reliqua Concilia Oecumenica benigne excipias, & ne diutius Te morer, precor Deum Optimum Maximum, ut quamdiutiſſime* Sanctitatem Tuam *ſervet incolumem.*

IM-

*IMPRIMATUR,*

Si videbitur Rev. P. Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

*F. M. De Rubeis Archiep. Tarſen. Viceſg.*

## *APPROBATIONES CENSORUM.*

### PRIMA.

TOmum hunc quartum, ac ultimum Commentariorum in Concilia Oecumenica Auctore Viro Clariſſimo Joſepho Catalano Presbytero Oratorii S. Hieronymi Charitatis juſſu Reverendiſſimi P. Sacri Apoſtolici Palatii Magiſtri a me lectum, ad magnum Eccleſiæ univerſalis, Sedis Apoſtolicæ, & Reipublicæ litterariæ bonum, & ad noſtrarum quoque Regionum gloriam typis edendum cenſeo. Datum Romæ in Ædibus S. Andreæ de Valle xiv. Februarii MDCCXLIX.

*D. Joſeph Caraſa C. R.*

## *APPROBATIO ALTERA.*

VOlumen quartum, quo Vir Cl. Joſeph Catalanus ſuum ad Oecumenicas Synodos perpetuum ampliſſimumque Commentarium abſolvit, cum Rmi P. F. Nicolai Ridolfi S. P. A. Magiſtri juſſu legerim: in eoque omnia, & ſingula pro Religionis, & Sacrorum Canonum dignitate, pro priſtina Eccleſiæ diſciplina, ſanctiſque moribus inſtaurandis, pereruditè, graviter, eleganterque digeſta repererim; illud non prælo tantum, quod minus certe mihi eſt, ſed & Auctore ſuo, tot vulgatis optimis Operibus aliiſque nominibus de Eccleſia plurimum merito, vere dignum cenſeo. Romæ ad S. M. ſuper Minervam III. Kal. Martii MDCCXLIX.

*F. Pius Thomas Schiara Ord. Prædic.*
*Caſanat. Bibl. Præf.*

*IMPRIMATUR.*

Fr. Nicolaus Ridolfi Ord. Præd. Sac. Pal. Apoſt. Mag.

HI-




# HISTORIA
## CONCILII XIII. OECUMENICI LUGDUNENSIS I.

I. DIu agitatam fuiſſe Eccleſiam non modo ab Ethnicis, ſed & ab ipſis Chriſtianis Imperatoribus, teſtantur paſſim Sacræ Hiſtoriæ, ac Vitæ Romanorum Pontificum, in quos iidem potiſſimum ſævierunt. Fatale autem illud quodammodo fuit, ſi ita loqui Chriſtiano homini licet, ut quemadmodum trium Henricorum Imperatorum, Secundi ſcilicet, Tertii, & Quarti perfidia Eccleſiam, ejuſque Summos Præſules Sæculo XI. & XII. vexavit, & cogendo Lateranenſi I. Generali Concilio cauſam potiſſimam dedit: ita & duorum Imperatorum Fridericorum impietas adeo ſequioris ævi Pontifices exagitarit, ut alter anno MCLXXIX. Alexandro III. occaſionem præbuerit Generali III. Lateranenſi Concilio celebrando, uti jam noſtro Tomo III. Conciliorum oſtenſum fuit: alter vero Innocentium IV. impulit, ut anno MCCXLV. Lugdunenſe hoc primum univerſale Concilium ad coercendam ejus inſolentiam, impietatem, & pertinaciam cogeret.

II. Sed ut ordine procedamus, res ipſa poſtulat, ut ſimultates, quas ipſe Fridericus II. cum laudato Innocentio IV. atque cum aliis ejus Prædeceſſoribus geſſit, bellique acerbiſſimi, quod eiſdem intulit, initia, & cauſas, ea, qua fieri brevitate poterit, explicemus. Hic igitur Fridericus Henrici V. filius, & Friderici I. nepos ampliſſimis ab Apoſtolica Sede beneficiis affectus eſt; conſtitutus quippe fuit a Cæleſtino III. Pontifice Maximo Siciliæ Rex, poſtquam ſcilicet Imperatrix Conſtantia ejus mater, teſte Hovedeno in poſteriori parte Hiſtoriæ Anglicanæ, *juravit tactis ſacroſanctis Evangeliis, quod prædictus Fridericus natus fuit de legitimo matrimonio prædicti Henrici Imperatoris, & ipſius*, Conſtantiæ nempe, cujus juramentum jure exegit Cæleſtinus, quod ſuſpiciones increbuiſſent, Fridericum fuiſſe partum ſuppoſitum. Porro obiit Henricus Friderici pater in Sicilia apud Meſſanam anno MCXCVII. die XXVIII. Septembris, ut tradit inter alios Hovedenus, conditoque teſtamento juſſerat, non ſolum per filium ſuum Richardo Angliæ Regi reſtituendum, quod ab eo extorſerat, & niſi faceret, per Sedem Apoſtolicam cogeretur, uti conſtat ex Innocentio III. in Epiſtola CCXXX. Lib. I. ad eumdem Richardum Regem data; ſed etiam Eccleſiæ Romanæ jura omnia exhiberi mandaverat, quæ a Regibus Siciliæ eidem reddi conſueviſſent; & ut, ſi filius ſine hærede decederet, eadem Sicilia ad Romanam Eccleſiam deveniret, uti habetur in Actis Vitæ laudati Innocentii Papæ III. antiquitus ſcriptis, & memoratis a Cardinale Baronio ad annum MCLXXIX. inſuperque alia plura eidem Eccleſiæ Romanæ reſtitui ordinaverat. Quamobrem Hovedenus tradit, Henrico defuncto, magnam Tuſciæ partem, quam is Imperator, & prædeceſſores ejus abſtulerant, redditam eſſe Cæleſtino Papæ III. itemque Siciliam, Calabriam, Apuliam, & omnes Terras, quæ fuerant Regis Siciliæ, ſicut proprium Patrimonium S. Petri, eaque ei exhibitas eſſe: ſed Cæleſtinum Papam in eis conſtituiſſe Regem Fridericum ipſum Henrici, & Conſtantiæ filium.

III. Parente Henrico orbatus Fridericus tutorem habuit Innocentium III. qui anno MCXCVIII. in Cæleſtini Papæ III. locum eodem anno defuncti ſuffectus eſt, ejuſdemque Innocentii Papæ opera ad Imperii faſtigium anno MCCXI. aſcendit, annum ipſe agens decimum ſeptimum, excommunicato, atque ab Imperii jure dejecto Othone IV.

qui ſæpe ab Innocentio monitus, ut ceſſaret ab uſurpatione, & invaſione bonorum Eccleſiæ Romanæ, & Regni Friderici Siciliæ Regis, contumax ſemper, & rebellis perſtiterat, viaſque omnes, quæ Romam ducerent, latrociniis infeſtabat, nequis eo vel Religionis cauſa accedere poſſet. Friderici electionem ita inter alios narrat Auctor Chronici Foſſæ Novæ: *Omnes Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Duces, Principes, Comites, & omnes Barones Alemanniæ elegerunt Fridericum Regem Siciliæ in Imperatorem, & mandaverunt in Siciliam Nuncios, qui conducerent prædictum Fridericum ſalvum, & incolumem ad recipiendum Imperium in Alemanniam*. Idem ſcribit Rigordus in Philippo Auguſto de Friderico memorato anno MCCXI. in Germania Imperatore electo. Fridericus in Germaniam profecturus, Romam primo venit, non quidem ipſo anno MCCXI. ut ex Rigordo, qui electionem ejus, & diſceſſum ex Sicilia uno tenore recitat, Spondanus ſcribit, ſed anno ſequenti MCCXII. ut diſerte aſſerit prædictus Auctor Chronici Foſſæ Novæ, & ex eo Pagius in Vita Innocentii Papæ III. Num. LXIX. Tradit autem & illud Rigordus, Fridericum in Germaniam profecturum, honorifice fuiſſe Romæ ab Innocentio III. & a Romanis ſuſceptum: *Idem itaque Fridericus de conſilio Regis Francorum vocatus a Baronibus navigio venit Romam, & honorifice receptus eſt a Summo Pontifice, & a Romanis*. Friderici electionem in Imperatorem confirmatam fuiſſe ab eodem Papa Innocentio in Concilio IV. Œcumenico Lateranenſi anni MCCXV. ex Richardo a S. Germano, tradit Raynaldus ad ipſum annum MCCXV.

IV. Sublato e vivis anno MCCXVI. Innocentio III. electus mox fuit Honorius III. ad eumque una cum ſua uxore Conſtantia venit Fridericus Romam anno MCCXX. ut ab ipſo Imperii Coronam reciperet. Præmiſſis Legatis, qui Honorii Papæ conſenſum rogarent, eo accepto, Urbem cum magno apparatu ingreſſus eſt, proximaque Dominica ante Domini Adventum, nempe die XXII. Novembris, in Baſilica S. Petri poſt juramentum ſcilicet de more præſtitum, de Eccleſiæ Romanæ juribus illæſis conſervandis, ab ipſo Honorio Coronam Imperii ſuſcepit; non vero ab Hugolino Cardinale Epiſcopo Oſtienſi, ut plerique ſcribunt; nam præterquamquod nullus hucuſque Imperator dictus eſt, antequam ab ipſo Romano Pontifice Maximo ſacram inunctionem, & Coronam Imperialem ſuſceperit, Ipſemet Honorius Papa in Epiſtola ſua, quam de hac re ſcripſit, quæ extat apud Raynaldum ad annum MCCXX. ita inquit: *Clariſſimus in Chriſto Filius noſter Fridericus Romanorum Imperator illuſtris, & Rex Siciliæ nuper in Dominica, quæ præcedit Dominicam de Adventu, in omni pace, & tranquillitate ſuſcipiens de manibus noſtris Imperii Diadema &c.* Data eſt Epiſtola *Laterani V. Kal. Decemb. Pontificatus anno V.* ideoque die VI. poſt Friderici coronationem. Conſtantiam quoque Reginam una cum Friderico eodem die, *in Feſto* videlicet *B. Ceciliæ Imperii Diademate inſignitam* etiam memoratus Richardus de Sancto Germano in Chronico ſuo aſſerit.

V. Tum Fridericus vota votis accumulans de manu Hugolini Cardinalis Oſtienſis Epiſcopi, qui fuit poſtea Romanus Pontifex Maximus Gregorius IX. Crucem accepit ad transfetandum illico in Ægyptum adverſus Saracenos ex pacto etiam collati ſibi Diadematis Imperialis: verum cauſatus difficultatem navigationis hiberno tempore inducias ad aliquot menſes obtinuit ab Honorio Pontifice, quas & ſubinde variis prætextibus prorogari petiit, & aliquando etiam impetravit. Cum vero fidem iterum, atque iterum fefelliſſet, & negligentia, cunctationeque ipſius, Chriſtianorum res peſſum irent in Syria, a laudato Honorio monitis, precibus, minis ad implenda promiſſa fruſtra excitatus; a Gregorio IX. qui anno MCCXXVII. Honorio ſucceſſit, monetur primum, ut in Terram Sanctam pergeret; ac deinde per Gualonem Religioſum Ordinis Prædicatorum Legatum ad ipſum Imperatorem miſſum, Litteriſque aliis ſub anathematis pœna jubetur, ut primo quoque tempore ad recuperandam a Saracenis Hieroſolymam cum Exercitu pergeret; uti rem narrat, Litteras ipſas Pontificis memorans Raynaldus ad annum Chriſti MCCXXVII.

VI. At vero cum Fridericus ægritudinem ſimularet, imo fama ferret, eum immani flagitio Ludovicum Landgravium Thuringiæ, qui cum parte Cruceſignatorum jam Hydruntum pervenerat, veneno intercmiſſe, Gregorius Pontifex de Friderici ludificatione, doloris acerbitate tactus apud Anagniam exiſtens, *penultimo menſis Septembris die, in Feſto dedicationis Archangeli* Michaelis, *pronunciavit Imperatorem in latam dudum apud S. Germanum excommunicationis ſententiam incidiſſe*, ut ſcribit Richardus de Sancto Germano in ſuo Chronico. Rem fuſe explicat Auctor Vitæ Ipſius Gregorii Papæ IX. his verbis: *Feſto S. Michaelis Archangeli, in majori Eccleſia, Pontificalibus de more indutus, aſſiſtentibus Venerabilibus Fratribus Cardinalibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliarum Eccleſiarum Prælatis .... Fridericum Imperatorem frequenti monitione præmiſſa votum exequi recuſantem*, pergendi ſcilicet Hieroſolymam, *excommunicatum publice nunciavit. Qui ſententiam excommunicationis a felicis memoriæ Honorio Papa III. latam, cui publice* (legendum forte, *ſponte*) *ſe ſubjerit, incurrerat pro eo quod voluntarie ſigno Crucis aſſumpto &c.*

VII. Gregorius itaque Fridericum in execrationes illas, quas ipſi, niſi paruiſſet, Honorius intentarat, & ipſe in ſe receperat, incidiſſe pronunciavit, & excommunicatum publice denunciavit, mandans, ab omnibus arctius evitari, contra ipſum, ſi contumacia ejus exigeret, gravius proceſſurus: eamque ſententiam miſſis ad omnes Principes, & Antiſtites de his quæ hactenus cum Illo circa Expeditionem Syriacam tractata fuerant, Litteris promulgavit: quarum exemplar ad Archiepiſcopum Cantuarienſem miſſum recitat Matthæus Pariſius ad annum Chriſti MCCXXVIII. & maximam earum partem Raynaldus ad annum MCCXXVII. apud quem dicuntur datæ *Anagniæ VI. Idus Octobris, Pontificatus anno primo*; & apud Pariſium, *Laterani Pontificatus anno ſecundo*; ſed mendoſe, uti obſervat. Pagius in ipſius Gregorii Papæ IX. Vita, Num. VII. nam cum ſententia lata ſit Anagniæ die XXIX. Septembris anni MCCXXVII. & annus ſecundus Pontificatus Gregorii inchoetur die tantum XIX. Martii ſequentis anni MCCXXVIII. probabile non videtur, Gregorium tandiu diſtuliſſe eam ſententiam in Angliam mittere.

VIII. Quic-

VIII. Quicqnid ſit, Gregorio Anagnla Romam reverſo, Fridericus ad ſolitas artes confugiens, Oratores ad Pontificem miſit, qui ſactum excuſarent: ſed illorum ſucoa deſpexit Pontiſex, nulloque Imperialis indignationia, & potentiæ terrore ſrangi ſe paſſus, paternis monitia ad officium revocare Frideeicum conatus eſt; ipſum Epiſtola ſua CLXV. Libri primi relata a Raynaldo ad annum MCCXXVII. Num. XLI. adhortans, ut citiſſime ad Eccleſiæ ſinnm rediret, tandemque funeſta illa vincula abrumperet, quibus non ſine incredibili ſuo dolore teneretur. Hinc Fridericus ad omnea Principes, & Prælatos ſcribena, cauſam omiſſi officii in adverſam ſuam valetudinem retnlit; tum non modo Gregorinm ipſum acriter increpavit, ſed & in omnes Romanoa Pontificea graviſſime, atqne atrociſſime intonnit; ardenteſque, & aculeatas Litteras multis calumniis, contumeliiſque refertas ſpargere, ac diſſeminare cœpit, qnaeum plures extant apnd Petrum de Vineis, qui Friderico a ſeeretis ſuit, ae nonnullæ a Pariſio afferuntur, qui licet Romania Pontificibus infenſus, hæc tamen de ſacra Expeditione a Friderico turpiter deſerta ſcribit: *Quod factum Imperatoris damnoſe nimis redundavit in dedecus, & in præjudicium totius negotii Crucifixi. Ob hanc ergo caaſam juxta multorum opinionem aſtendit ſe, ut prædictum eſt, mundi Salvator in Cruce clavis confixum, & cruore conſperſum Populo Chriſtiano, quaſi ſingulis, ac univerſis ſuper injuria ſibi ab Imperatore illata quereretur.*

IX. Animadverſa Gregorius Friderici pertinacia, Epiſcoporum Concilium anno MCCXXVIII. Romæ adverſua ipſum coegit, cujna meminit Anctor Vitæ Gregorii ſic inquiens: *Tum Prælatorum Lombardiæ, Tuſciæ, totius Patrimonii, ac Apuliæ, & aliorum, qui pro ſuarum proſequtione cauſarum ad Curiam venerant, convocata ad Concilium multitudine, poſt hujus profundi ſermonis decurſum*: Quis mihi tribuet adjutorem &c. *reſpondentibus ſingulis vota ſua, qualiter contra dictum Imperatorem procederet, ordinavit.* Fridericum de ejua Concilii ſeatentia in die Cœnæ Domini, quæ eo anno cum die vigeſimatertia Martii concurrebat, anathemate fuiſſe percnlſum, docent Gregorii IX. Litteræ ad Apnloa Præſulea miſſæ, quæ extant apud Raynaldum ad annum MCCXXVIII. Num. II. quibua poſtqnam Pontifex inſeruit, quantam operam, diligentiamque Sedes Apoſtolica adhibuiſſet, ut enm ad officium adduceret, ita deinde ſubjungit: *Ne videremur deferre homini contra Deum, ecce juſtitiam in judicium convertentes, in proximo præterito Feſto Cœnæ Dominicæ, in prædictum Imperatorem excommunicationis ſententiam ſolemniter duximus promulgandam, tum pro eo quod, ut præmiſſum eſt, non transfetavit in ſubſidium Terræ Sanctæ.... tum quia venerabilem Fratrem noſtrum Tarentinum Archiepiſcopum ad Sedem propriam accedere non permittens, eum Populum ſuum non patitur viſitare.* Ait deinde, ſtatuiſſe quoque in Concilio, ut loca quælibet, ad quæ ipſe perveniſſet, Eccleſiaſtico ſubjacerent Interdicto, ut quandiu præſena fuiſſet, ibidem nulla Officia celebrarentur. In ipſia denique Litteris minatur Pontifex, Fridericum ipſum Regnn Siciliæ jure exutum iri, *ſi non ceſſaverit*, inquit, *ab oppreſſione Populorum, Orphanorum, & Viduarum, ſeu Nobilium, & aliorum hominum Regni, vel ejus deſtructione, quod ad Romanam Eccleſiam ſpecialiter noſcitur pertinere, pro quo etiam Prædeceſſoribus noſtris, & Eccleſiæ Romanæ juramentum fidelitatis exhibait, & homagium præſtitit, merito poterit formidare, ſe jure Feudi privandum.*

X. Obſirmatus magia magiſque in priſtino ſuo ſcelere Fridericus, adſcivit mox in ſuam communionem nobiles quoſdam Romanos, & inter eos Francipanea, ut inter alioa tradit Abbas Urſpergenſis in ſuo Chronico, qui Gregorium dum in ſolemnitate Paſchali Sacrum faceret, ſibilia appetiere, & Urbe expulerunt: *Populus Romanus*, inquit Pariſius, *in Papam Gregorium ſeditionem excitavit, & in ſolemnitate Paſchali illum ejecerunt ab Urbe, inſequentes eum uſque Viterbium Caſtellum ſuum; abi fortiter invaleſcentes fugaverunt uſque Peruſium.* Diem notat Auctor Vitæ ipſius Gregorii, ſecundum nempe ſolemnitatia Paſchalis diem, ſic inquiens: *Inter ejuſdem Pontificis jam anni ſecundi primordia, Feria ſecunda Reſurrectionis Dominicæ ad Beati Petri Baſilicam effrænata rabie properantes, dictum Patrem, & Præſulem ſuper Corpus Apoſtoli devotione ſolita Miſſarum ſolemnia celebrantem clamore, vel lat. at potius, adjectis comminationibus impetebant.* Idem ſcribunt Albertua Stadenſis in Chronico, & Richardus de S. Germano, qui aſſerit, Gregorium poſt tertiam Paſchatis diem Urbe exiſſe; fugatam autem fuiſſe uſque Peruſium una cum Pariſio ſuperius laudato, tradit etiam memoratus Urſpergenſia hia verbis: *Cum Papa rurſus excommunicaret Imperatorem, fecerunt, ut a Populo pelleretur turpiter extra Civitatem; unde apud Peruſium eo anno, & ſequenti permanſit.*

XI. Interea Fridericus menſe Auguſto ejuſdem anni MCCXXVIII. ſibi timens a Joanne Briennio ſocero Hieroſolymorum Rege, cujus filiam Jolantam, mortua prima ſua conjuge Conſtantia, in uxorem duxerat anno MCCXXV. & quem Regno ab ipſo Friderico ſpoliatum Gregorius Papa Romandiolæ, & Marchiæ tuendæ præfecerat; itemque ſe futilem haberi, & multis odium eſſe conſpiciena idem Fridericus, Amicorum denique precibus, & diris Gregorii Pontificis preſſua, Syriam verſus contendit, maxima copiarum parte in Regno Siciliæ ad Eccleſias convellendaa Raynaldo Spoletani Ducis filio relicta. Id autem ut Gregoriua audivit, multo vehementius in Fridericum ira accenſus, quod neglecta abſolutionis gratia, & ſatisfactionia remedio, ad Sacrum Bellum veluti per ludibrium, & contemtum proceſſiſſet, prædictum Joannem adverſus Raynaldum immiſit, ceteraa vero Provincias per alios Ducea defeodere inſtitit, Lombardis non ſolum auxiliantibua, verum etiam amicas Friderici Civitates bello adorientibus, ut Godefridua in Annalibus, Sanutus Lib. III. Parte XI. Cap. XI. Nauclerus Generatione XLI. & Sigonius ſcribunt, ex eiſque Raynaldus in continuatione Annalium Baronii, Spondanus, Pagius, aliique paſſim Scriptorea. Porro, ut præter alios Æmilius, & Sigoniua obſervant, ab eo tempore in duas partea diſtracta Italia fuit, aliis Imperii ſub nuncupatione *Gibellinorum*, aliis Eccleſiæ auctoritatem *Guelforum* nomine ſequentibus. Quæ duæ factionea deſumtæ ſunt ex vetere Germaniæ diſſenſione familiarum Bavaricæ, & Suevicæ, quarum illa *Welfa*, ſeu *Guelfa*,



Digitized by Google

dicta a Welfone Duce, quem Regerius Rex Siciliæ, Innocentii II. Papæ Beneficiarius, ejuſdem Pontificis nomine miſit adverſus Conradum Imperatorem; iſta *Gibellina* nuncupata a loco nativitatis, ſive educationis ejuſdem Conradi Imperatoris. Cum autem ſub Friderico Ænobarbo hujus Friderici II. avo Italiam primo occupaſſent; iſtæ duæ factiones non omnino ſub Henrico Ænobarbi filio obliteratæ, ſub ipſo demum Friderico II. effuſius erumpentes, ingentes diu ſtrages in Italia edidere, ſumto, ut plerique volunt, apud Piſtorienſes initio. Ita Spondanus, qui tamen fatetur, plures harum duarum factionum initium poſt decennium memorare.

XII. Sed ut noſtræ Hiſtoriæ ſeriem perſequamur, appulſus in Cyprum Fridericus, præmiſit in Syriam Magiſtrum Militiæ, qui ſecreto de pace cum Sultano Babyloniæ ageret, deinde Ptolemaidem navigavit. Japhamque, ſeu Joppen munire velle præſeferens, cum ſane tempus opportunum urgeret, non ſolum Regnum Hieroſolymitanum recuperandi, ſed etiam Saracenos tota Syria pellendi, quod ipſimet barbari perſpiciebant, timebantque; ipſe nihilominus Baliſnum Dominum Tyri, & Thomam Comitem ad Sultanum cum amplis muneribus miſit, qui ſignificarent, ſe non belligerandi animo, aut dominium dilatandi adveniſſe, ſed ſanctorum locorum gratia, & Regni Hieroſolymæ, quod filio ſuo hæreditario jure debebatur, & cum eodem Sultano, Hoſpitalariorum, atque Templariorum Magiſtris minime reclamantibus, turpe atque exitioſum Chriſtianæ rei fœdus iniit, cujus capita in Epiſtola Geroldi Patriarchæ Hieroſolymitani ad Gregorium Papam IX. & in Epiſtola ipſius Gregorii ad Auſtriæ Ducem, quæ utraque extat apud Raynaldum ad annum MCCXXIX. legere eſt; quibus conſtat, Fridericum gladium ex Altari B. Petri ſumtum Sultano tradidiſſe: Templum Saracenica ſuperſtitione inquinari permiſiſſe: Orientalium Chriſtianorum Terras furori Paganorum expoſuiſſe: Hieroſolymam nullis propugnaculis muniiſſe, ſanctamque Civitatem Sultani Damaſceni, cum quo nullas pepigerat inducias, expoſitam incurſionibus, & vaſtitati reliquiſſe. Clam ex Urbe Hieroſolyma auſugiſſe Fridericum die prima Maji anni MCCXXIX. docet Gregorius Papa in citata Epiſtola ad Auſtriæ Ducem, quæ eſt XXXVIII. Libri III. dataque eſt XV. Kal. Auguſti, anno III. Pontificatus. De his ergo edoctus Pontifex etiam ante receptas Litteras Patriarchæ VII. Kal. Martii datas, ſuas promulgavit ad Archiepiſcopum Mediolanenſem, & Suffraganeos ejus datas, aliaſque circulares ad Principes, quibus opprobrium rei Chriſtianæ aperuit, eique eluendo novam ſuſcipere in Syriam Expeditionem hortatus eſt.

XIII. Redux ab Oriente in Italiam Fridericus, extremo menſe Majo, evocatis e Germania novis copiis hoſtes paulatim ex Apulia ejecit, & qui ultro ad eos tranſierant, ſuppliciis affecit. Timens autem, nequid ſibi deterius contingeret, cœpit agere cum Gregorio Papa IX. de pace, ac primo quidem per Archiepiſcopum Meſſanenſem, & Magiſtrum Teutonicorum, ut Gregorii Vitæ Auctor ſcribit, vel per Archiepiſcopum Reginum, & Barenſem, ut Richardus de Sancto Germano in Chronico ait: tum per Patriarcham Aquileenſem, Archiepiſcopum Saltzburgenſem, Epiſcopum Ratiſponenſem, & Lupoldum Auſtriæ Ducem, ut tradit Urſpergenſis in ſuo Chronico, quod abſolvit, antequam pax confecta eſſet, quæ inita eſt tantum menſe Auguſto anni MCCXXX. uti ex Auctore Anonymo probat Pagius in Vita Gregorii IX. Num. XXII. Sane Auctor ille, ubi ſcripſit, Fridericum ex Oriente rediiſſe in Italiam, & ad Gregorium Papam Legatos Archiepiſcopum Meſſanenſem, & Hermannum Magiſtrum Theutonicum ad exorsnpam pacem miſiſſe, ita adjicit: *Quod tandem Summus Pontifex multorum inſtantia devictus, aſſumit per Venerabilium Patrum Cardinalium obſequium ſtudioſum compoſitione firmata, & ſigillo Imperialis teſtimonii communita: Terram demum tot acquiſitam laboribus, eidem quaſi nova infeudatione concedit in ſignum Dominii: quibuſcumque ſibi munitionibus reſervatis, quas eidem poſtmodum adjectis conditionibus commendavit, nec ipſius vulnere ſolidato rancoris.*

XIV. Sed hæc ex Regeſto Pontificio, atque ex Raynaldo, Spondano, Pagio, aliiſque Scriptoribus paulo fuſius explicanda. Miſſi a Pontifice Joannes Epiſcopus Sabinenſis, & Thomas Preſbyter S. Sabinæ, Cardinales Legati, ita cum Bertholdo Patriarcha Aquileenſi, Eberardo Archiepiſcopo Saltzburgenſi, Siffrido Epiſcopo Ratiſponenſi, & quibuſdam Germaniæ Ducibus apud Sanctum Germanum in finibus Campaniæ convenerunt: ut ante omnia Fridericus promitteret, ſtare præciſe, & abſque ulla conditione mandatis Eccleſiæ pro omnibus, ob quæ excommunicatus fuerat. Hocque ab illo, eodem loco exiſtente, aurea Bulla firmato, eidem injunxerunt, ut quæcumque Eccleſiæ Romanæ, aliiſque Eccleſiis, ac Monaſteriis, Lociſque, ac Perſonis ſacris, cunctiſque, qui Eccleſiæ, ac Pontificis partibus adhæſiſſent, per ſe, ſuoſque eripuiſſet, omnino reſtitueret, Epiſcopos pulſos revocaret, jura, & privilegia Eccleſiæ Romanæ, aliarumque in Regno Siciliæ integra conſervaret, pro damnis Sedi Apoſtolicæ illatis centum millia unciarum auri perſolveret, & ad Pontificem Anagniam ſupplex accederet. Peruſio jam diſceſſerat Pontifex evocatus in Urbem a Romanis divinæ vindictæ terrore perſuſis ob ingentem Tyberis inundationem, quæ jam ineunte menſe Februario anni MCCXXX. magno Urbis detrimento contigerat, ut teſtes ſunt Auctor Vitæ Gregorii, & Richardus de Sancto Germano, qui etiam poſt relatam Friderici cum Legatis Papæ concordiam ita ſubjicit: *Imperator in Caſtris ante Ceperanum in Capella S. Juſtæ die mercurii in Feſto B. Auguſtini per Sabinenſem eſt Epiſcopum ab excommunicationis vinculo abſolutus, ſimiliter & omnes ſui.*

XV. Ex eodem Gregorii Regeſto tradunt & illud Scriptores, Fridericum Imperatorem Anagniam exeunte menſe Auguſto venientem, poſt pedum Papæ oſcula fuiſſe non modo ab ipſo anathemate ſolutum, ſed & omnibus Imperii, ac Regnorum ſuorum juribus reſtitutum, & ad convivium, eandemque menſam cum ipſo Gregorio Pontifice adhibitum: *Inter Autumni primordia*, inquit Auctor Geſtorum Gregorii, *præfatus Imperator ex inſperato pervenit circa ſalam ſalientis aquæ fontem irriguum caſtramentatus magnifice, cum honorabili comitiva. In craſtino autem aſcendens Anagniam ad pedes venerandi Pontificis, rejecto pallio veneranter acceſſit, & oſculo dato, aliquandiu moratus ibidem, in Palatio*

Digitized by Google

*latio majoris Eccleſiæ noctis ſpatium pertranſivit. Sequenti vero die in ejuſdem Patris paterno Palatio ſimul uterque Princeps in una menſa diſcubuit, Principum, & Magnatum ibidem Militia magnifice conveſcente: quo die per longos tractus, & publicos, per ſecreta familiaritatis alloquia votive decurſo, Cæſar ad tentoria rediens, properavit in Regnum.* Tempus ſuo more præciſe deſignat Richardus de Sancto Germano in toties laudato Chronico ſuo ad annum MCCXXX. *Prima die Septembris*, inquit, *Cæſar invitatus a Papa, cum eſſet in Caſtris in pede Anagnia magnifice comitatus a Cardinalibus, & Nobilioribus Civitatis intravit Anagniam, & eo die cum Papa ſedit in menſa, & ſolus cum ſolo, Magiſtro tamen Theutonicorum præſente, in Papali Camera conſilio longo ſe tenuere diu; ac die Lunæ ſequenti*, nempe ſecunda Septembris, *cum gratia Papæ, & Cardinalium in Caſtra reverſus eſt.* Poſt hæc Gregorius S. Ludovicum IX. Francorum Regem Litteris ſuis optatæ pacis certiorem fecit, ut in illum pariter communis gaudii partem derivaret. Ad alios quoque Principes Litteras ſcripſit, quibus initam concordiam ſumma gratulatione ſignificavit. His autem menſe Septembri Anagniæ peractis, Pontifex tandem Novembri menſe Romam perveniens ingenti Populi Romani lætitia exceptus eſt, teſte Auctore illius Vitæ, & inter alios in ſuo Chronico Richardo de Sancto Germano.

XVI. Vix pauci elapſi anni fuerant, cum Romani ipſi anno MCCXXXIV. novam in Gregorium Papam conflarunt ſeditionem, eumque Urbe exire coegerunt. Egreſſus autem, ac primum in Reatinam Civitatem, inde Spoletum, & tandem Peruſium profectus, propriis copiis, ac Friderici Imperatoris auxiliis uſus, villas Romanorum, qui quædam ejus ædificia diruerant, evertit. Illi cum ingenti numero Militum erumpentes Viterbium invaſerunt, verum a Pontificiis excepti Militibus, & ſummo prælio decertare compulſi, ingenti clade accepta, ab incepto deſtiterunt, pacemque cum Pontifice anno ſequenti MCCXXXV. confirmarunt, cujus conditiones refert ad eundem annum Raynaldus ex Auctore Anonymo Vitæ Gregorii; ex quo & illud conſtat, Fridericum Imperatorem, ubi decertandum fuit, Militibus ſuis ab Exercitu Pontificio ſe ſubtrahere juſſiſſe, ipſumque cum hoſtibus Eccleſiæ fœdus pepigiſſe, ut ipſo inde, certo die recedente, illi ad arma conſurgerent, & B. Petri Patrimonium occuparent: Gregorium vero poſt Friderici receſſum magnis præmiis Germanos Milites ad ſe allexiſſe, ſuaque omnia recuperaſſe, ac deinde demum, uti dictum eſt, anno MCCXXXV. conſtitutam pacem fuiſſe.

XVII. Quamquam vero admirabilis eſſet Gregorii Pontificis manſuetudo erga Fridericum, is nihilominus inſolentiſſime ſe agebat non modo adverſus Pontificem, ſed & contra Chriſtianam Religionem; magna ſiquidem contentione anno MCCXXXVI. deſudatum eſt ab ipſo Pontifice, ut Regis Tuneti in Africa nepotem nuper per Fratres Prædicatores in Fide Chriſtiana inſtructum, dum Romam properaret ad ſuſcipiendum a Pontifice Baptiſmum, ſpoliatum, & in cuſtodia poſitum liberaret: qua de re graves Gregorius ad Imperatorem Fridericum, & ad Siculos Litteras dedit Interamnæ IX. Kal Julii, ut libertati reſtitueretur. Carpit Fridericum ob eam detentionem Auctor Vitæ Gregorii his aculeatis verbis: *Nuper Regis Tuneti Fratrem* (legendum, *nepotem*, uti docent Gregorii Epiſtolæ) *ad Sedem Apoſtolicam accedentem Sacramentum Baptiſmatis recepturum detentione jam longa probibuit, in voto perſequutus alterius, quod in ſuo factus apoſtata deteſtatur.* Fridericus enim, ut Saraceni Principis gratiam ſibi conciliaret, hunc Tuneti Regis nepotem ſubornatum fuiſſe dicere non eſt verius, unde Pontifex alia Epiſtola data Reate X. Kal. Novembris Pontificatus anno X. querelas haſce ingeminat: *Quia indigne ſeductus aſſeritur, qui ad notitiam veræ Fidei, aliquo inducente, vel Deo potius inſpirante, vocatur; quin potius quantum probationes, quod præter offenſam Regis ejuſdem, & non circumventus ad nos accederet, recepturus Baptimatis Sacramentum, expoſtulas, aperte colligitur, & idem clara multorum voce utinam non dicatur, quod Apoſtolus, & Diſcipulos veritatis non ſine Magiſtri injuria manifeſta innuis ſeductores, qui inimicos Crucis Chriſti ad agnitionem lucis æternæ monitis invitarunt ſalutaribus, & invitant. Et ex eo tacite aſſeris, non debere Deo contra hominem obediri, quod dictum nepotem credis debuiſſe præfati Regis licentiam præſtolari; cum tibi non liceat ignorare, quod tantus eſt favor Baptiſmatis, ut etiam ſervos, ſicut a jugo criminis, ſic invitis Dominis infidelibus, & eos converti nolentibus, a catena eximat ſervitutis &c.* Legenda integra Epiſtola apud Raynaldum ad annum MCCXXXVI. Numero XXIII.

XVIII. Poſt multorum annorum abſentiam rediit tandem anno MCCXXXVII. in Urbem Gregorius Pontifex ingenti Romanorum exultatione, accitus per nobilem, ac præpotentem Virum Jacobum Capacium, fruſtra obnitentibus Petro Frangipane, Friderici Imperatoris fautore, & Joanne Cincio Senatore Urbis ab eodem Friderico pecuniis corrupto, ut Pontificis reditum impediret. Teſtatur id quidem Auctor Vitæ Gregorii IX. cujus verba hæc ſunt: *Ipſe ingratitudinis filius*, nempe Fridericus, *non matris ſauciatus anguſtiis, eam a patrio lare proſcribere cogitans, Joannem Cincii tunc Urbis corruptibilem Senatorem corrumpit, juramento recepto, ut regreſſum Summi Pontificis impediret, qui Eccleſiæ Principem, per quem de ruſticano tugurio Prætorium Senatoris aſcenderat, & Chriſti Vicarium pecuniæ mercede commutans, ne Petri Urbem Petri Succeſſor intraret, portus Urbis, & muros curabat, quibus poterat conatibus cuſtodire. Sed devoti filii Patris ſuſpirantes adventum, proditoris eliſa verſutia, Capitolium potenter adgreſſi, propulſis exinde turpiter hoſtibus, nobilem Virum Jacobum Capacium, & alios potentiores Urbis ad reducendum eorum Patrem, & Præſulem diſtinarunt.* Suſceptum a Romanis Gregorium magna pompa, ac lætitiæ ſignificatione ſcribit inter alios Richardus de Sancto Germano in ſuo Chronico. Perveniſſe autem Romam ante diem ſecundam menſis Novembris prædicti anni MCCXXXVII. docet Pagius in Vita ipſius Gregorii, Num. XL. quia ſcilicet die ipſa II. menſis Novembris Epiſtolam CCLXXXIV. Libri XI. dedit ad Fridericum Imperatorem *Laterani* IV. *Nonas Novembr.* ann. XI. quæ extat apud Raynaldum ad ipſum annum MCCXXXVII. Num. LXXX.

XIX. Se-

XIX. Sequenti anno qui fuit MCCXXXVIII. cum circa menſem Julium Anagniam properaſſet Gregorius, ut ſalubriorem per æſtatem auram efflaret, concitavit mox Fridericus adverſus Pontificem Romanos quoſdam rebelles, quos tamen ille brevi repreſſit, teſte laudato Vitæ Gregorii Auctore. At vero cum ipſo anno Chriſti MCCXXXVIII. Fridericus partem Sardiniæ Inſulæ, quæ ab antiquo juris Eccleſiæ Romanæ fuerat, occupaſſet, velut ad Imperium, cujus jura recuperare juraſſet, pertinentem, ad eumque Henricum, ſive Entium filium ſuum ex concubina natum, ut eam Sardiniæ partem Regis titulo contra Edicta Pontificia retineret, miſiſſet; Gregorius Pontifex hac de cauſa, multiſque aliis offenſis, quas diu prudenter diſſimulaverat, exulceratus, eundem Fridericum non ſolum de iis ſatisfacere renuentem, ſed & Eccleſiaſticas minas ita ſpernentem, ut nulla amplius reſipiſcentiæ ejus, atque emendationis ſpes ſupereſſet, publice, ac ſolemniter anno ſequenti MCCXXXIX. præſentibus Cardinalibus, anathematis mucrone feriit die xx. Martii, ſeu in die Palmarum, ut ſcribit Pariſius, omneſque juriſjurandi religione ſolvit, qua Imperii, Regnique ratione tenerentur ei quomodolibet adſtricti, ac loca omnia, in quibus ageret, Interdicto ſubjecit, ut Geſtorum ipſius Auctor teſtatur. Lata fuit ſententia in Baſilica Lateranenſi die quidem Dominica Palmarum, & die Cœnæ Domini renovata, uti ex Epiſtola vel ipſius Friderici addiſcimus, quam de ea re anno ipſo MCCXXXIX. dedit ad Richardum Cornubiæ Comitem, relegique poteſt apud Pariſium: *In nos ſupremum Chriſtianorum Principem*, inquit Fridericus, *die Dominica Palmarum contra ſolemnem morem ſacroſanctæ matris Eccleſiæ, & in Cœna Domini poſtmodum præcipitavit ſententiam*. Imo Stero excommunicationem promulgatam ait non modo in Dominica Palmarum, & die Cœnæ Domini, ſed & in Paſchate; quamobrem inepte quidam ſuppoſuere, anticipatam eſſe a Gregorio ſententiam die Dominica Palmarum, ne Legati Imperatoris eam impedirent. Sane poſt aliquot dies ipſam ſententiam univerſis Chriſtiani Orbis Præſulibus ſignificavit Gregorius, juſſitque Encyclicis Litteris, ut eam ſingulis diebus Dominicis, & feſtivis in ſuarum Diœceſeon Eccleſiis ſolemni ritu promulgari curarent.

XX. Pontificiam ſententiam Gregorii Regeſtum, Albertus Stadenſis, & Matthæus Pariſius referunt, eandemque Annalibus ſuis Raynaldus inſeruit, & Natalis Alexander Diſſertatione v. in Hiſtoriam Eccleſiaſticam Seculi XIII. Cauſæ in ſententia expreſſæ hæ ſunt. I. *Quod contra Romanam Eccleſiam ſeditionem movit in Urbe, Pontificem, & Fratres a ſua ſede repellere intendens*. II. *Quod Præneſtinum Epiſcopum Sedis Apoſtolicæ Legatum, ne in ſua Legatione procederet, quam in Albigenſium partibus pro corroboratione Catholicæ Fidei ipſi Pontifex commiſerat, per quoſdam fideles ſuos impediri mandavit*. III. *Quod quaſdam Cathedrales, & alias vacantes Eccleſias in Regno Siciliæ reparari non permiſerit*; atque ibidem Clerici *capiantur, incarcerentur, proſcribantur, occidantur*. IV. *Quod Eccleſias in Regno deſtrui, ac profanari ſineret: nec ſoranas permitteret reparari*. V. *Quod nepotem Regis Tuniſi venientem ad Romanam Eccleſiam pro ſuſcipiendo Baptiſmatis Sacramento detineret: ac Petrum Saracenum Civem Romanum ex parte Regis Angliæ ad Sedem Apoſtolicam venientem carceri mancipaſſet*. VI. *Quod Terras Eccleſiæ occupaſſet contra ſacramentum*; & inter alias, Ferrariam, Sardiniam, ac Malſam, ut idem Pontifex queritur in ſua Apologia contra perfidum Imperatorem Libro XIII. Regeſti. VII. *Quod Terras quorundam Nobilium de Regno, quas Eccleſia tenebat, occupaverit, ac devaſtarit: & Eccleſias quaſdam, ac Monaſteria fere bonis omnibus ſpoliarit*. VIII. *Quod Templarios, & Hoſpitalarios in Regno mobilibus, & immobilibus ſpoliatos, juxta tenorem pacis integre non reſtituerit. Quod exactiones ab Eccleſiis, & Monaſteriis extorſerit. Quod Prælatos Eccleſiarum, & Abbates Ciſtercienſes, & aliorum Ordinum compulerit dare ſummam pecuniæ per ſingulos menſes pro conſtructione Caſtrorum*. IX. *Quod contra tenorem pacis eos, qui adhæſerant Eccleſiæ, bonis omnibus ſpoliatos exulare cogeret*. X. *Quod negotium Terræ Sanctæ impediiſſet*. Fuſius hæc Friderici crimina Auctor Vitæ Gregorii commemorat.

XXI. Ubi ſententia Gregorii Papæ tertia die Paſchæ Friderico Patavii tunc exiſtenti innotuit, dum ab Eccleſia magna pompa rediret, facie ad ſimulatam animi quietem compoſita, concionem in Palatium advocans, poſtquam multa de ſua ipſius juſtitia, deque rei indignitate diſſeruit, pro Tribunali ſedens, Petrum de Vineis ſuarum Magiſtrum Epiſtolarum, magna, ut illa ætas ferebat, facundia Virum, de eiſdem prolixiorem ſermonem habere juſſit, qui orationem habuit, laudibus Friderici, ejuſque erga Romanam Eccleſiam, atque Romanos Pontifices meritis, horumque in ipſum injuſtitia redundantem. Idemque poſt hæc Fridericus Tarviſium profectus die xx. Aprilis ſcripſit ad Romanos, graviter expoſtulans, quod ſe innocentem in Urbe ſua publice condemnari paſſi eſſent. Litteras quoque ſcripſit calumniis, probris, minis refertas, objectaque ſibi diluere crimina conatus eſt. Has apud Petrum de Vineis, qui Friderico a ſecretis, & Epiſtolis erat, legere eſt. Nonnullas etiam deſcripſit in Anglicana Hiſtoria ſua Pariſius; hoſque etiam impios verſiculos ſparſiſſe Imperatorem, & in cubiculum Pontificis immitti curaſſe teſtatur.

*Fata docent, ſtellæque monent, aviumque volatus,*
*Totius mundi malleus unus erit.*
*Roma diu titubans, variis erroribus uncta,*
*Totius mundi deſinet eſſe caput.*

Pontificem vero repoſuiſſe Imperatori affirmat his verſibus.

*Fama refert, Scriptura docet, peccata loquuntur,*
*Quod tua vita brevis, pœna perennis erit.*

XXII. Cum Fridericus ad omnes Principes Litteras eodem ferme exemplo miſiſſet, quibus ſemetipſum purgans, variis Pontificem maledictis adſpergebat, & accuſationibus impetebat, quas pariter refert Pariſius, ſicut & Apologeticas illas, quas pro Imperatore ad ipſum Gregorium IX. Pontificem ſcripſere Herbipolenſis, Wormatienſis, Vercellenſis, & Parmenſis Epiſcopi: Gregorius, ſpretis Friderici commentis, frivoliſque excuſationibus, atque mendaciis, encyclicas ad Prælatos, & Principes totius Chriſtiani Orbis Litteras dedit, quibus ſententiæ probavit æquitatem, publicatis Friderici criminibus, & hæreticis blaſphemiis, quas certis probatas

batas documentis ſibi eſſe ſignificavit, juſſitque ſpeciatim Eccleſiarum Prælatis, ut eaſdem unacum excommunicationis ſententia in Fridericum prolatæ ubique publicarent: *Per dictas Litteras,* inquit, *ſuarum producit in lucem opera tenebrarum, in eis conſtanter proponens, quod per Nos tanquam Chriſti Vicarium vinculo excommunicationis adſtringi non potuit. Sicque affirmans, non eſſe apud Eccleſiam a Domino, B. Petro, & ejus Succeſſoribus ligandi, atque ſolvendi traditam poteſtatem.* Horrendum plane eſt, quod de ipſo Friderico paulo poſt ſubjicit Pontifex: *Iſte Rex peſtilentiæ a tribus Baratoribus, ut ejus verbis utar, ſcilicet Chriſto Jeſu, Moyſe, & Mahometo totum Mundum fuiſſe deceptum: & duobus eorum in gloria mortuis, ipſum Jeſum in lignum ſuſpenſum manifeſte proponens: inſuper dilucida voce affirmare, vel potius mentiri præſumit, quod omnes fatui ſunt, qui credunt naſci de Virgine Deum, qui creavit naturam, & omnia, potuiſſe: hanc hæreſim illo errore confirmans, quod nullus naſci potuit, cujus conceptum viri, & mulieris conjunctio non præceſſit: & homo debet nihil aliud credere, niſi quod poteſt vi, & ratione naturæ probare. Hæc, & alia multa, quibus, verbis, & factis Catholicam Fidem impugnavit, & impugnat, ſuo loco, & tempore, ſicut decet, & expedit, manifeſte poterunt comprobari.* Extant hæ Litteræ in Gregorii Regeſto, Libro XIII. & apud Pariſium, alioſque Scriptores complures.

XXIII. Blaſphemiam de tribus ſeductoribus ut calumnioſe ſibi objectam diluere conatus eſt Fridericus, publicis ſcriptis Litteris ad univerſos Prælatos, quæ extant Libro I. Epiſtolarum Petri de Vineis, ordine XXXI. ſed eam blaſphemiam revera prolatam fuiſſe a Friderico, diſerte aſſerit Auctor Compilationis Chronologicæ Francſurti anno MDLXXXIII. ex Bibliotheca Joannis Piſtorii editus, apud quem Pag. 743. ita de Friderico legitur: *Hic iniquitatem in excelſo loquutus eſt, ponens in Cælum os ſuum, dixit, audiente Henrico Landgravio. Tres ſeduxerunt omnem Mundum, videlicet, Moyſes Hebræos, Chriſtus Chriſtianos, Machometus Barbaros.* Idipſum pariter refert Albericus Monachus Triumfontium ad annum MCCXXXIX. in Chronico, ubi & de eodem Friderico ita addit: *Sed & die quadam fertur dixiſſe uni de ſuis, cum vidiſſet Sacerdotem Corpus Domini ad quendam infirmum deferentem: heu me, quandiu durabit truffa iſta?* Auctor vero compilationis Chronologicæ poſt recitatam ſuperius Friderici blaſphemiam de tribus Mundi ſeductoribus, ſubdit, dixiſſe & ipſum Fridericum: *Quamobrem ſi Principes hujus Imperii inſtitutioni meæ aſſentirent, ego utique meliorem modum credendi, & vivendi cunctis nationibus ordinare vellem.* Denique has blaſphemias a Friderico in Francfordienſi Conventu prolatas, non obſcure inter alios Scriptores indicat Auctor Hiſtoriæ Landgraviorum Thuringiæ Capite I. quæ extat eodem Tomo rerum Germanicarum Piſtorii.

XXIV. Exinde Fridericus in Pontificem bellum acerbiſſimum geſſit, eique adhærentes, quoſcumque potuit, exiliis, carceribus, tormentis, ferro, flamma, omnique cruciatus, atque crudelitatis genere perdidit: præcipue tamen in Prælatos ſæviit, ceteroſque Sacros homines, Templarios, Hoſpitalarios, & loca ſacra; adeo ut nec Epiſcopo Catanenſi, a quo ab infantia educatus fuerat, nec celeberrimo, ac religioſiſſimo S. Benedicti Caſinenſi Monaſterio pepercerit: illum enim ingratiſſime relegavit: iſtud vero vi, & conviciis ejectis Monachis, aureiſque, & argenteis vaſis in nummos redactis, ſatellitibus in habitationem, & ruinam tradidit. Hæc conſtant ex Auctore Anonymo Vitæ Gregorii, aliiſque Scriptoribus. Tunc maxime invaluerunt per univerſam Italiam factiones Guelforum, & Gibellinorum, quorum priores a Pontifice ſtantes, Friderico, ejuſque aſſeclis ſummo niſu obſtiterunt: poſteriores vero Friderici partes tenebant non modo, ſed & non ſine Chriſtianæ Religionis detrimento tutati ſunt. De utrorumque origine jam ſupra nos nonnihil diximus Num. XI. hujus hiſtoriæ.

XXV. Ne autem ſibi, & Eccleſiæ deeſſet Pontifex, Præneſtinum Epiſcopum ad Principes Occidentis, & præcipue ad S. Ludovicum IX. Francorum Regem Legatum miſit, ut ipſos ad arma contra Fridericum capeſſendum provocaret; quin etiam Roberto Comiti Attrebatenſi S. Regis fratri Imperium obtulit, auxiliumque ad Fridericum frangendum ſpopondit. Recuſaſſe S. Ludovicum Imperium fratri a Pontifice exhibitum, eidemque Pontifici adverſus Fridericum, quem licet ab Apoſtolica Sede exauthoratum, pro Imperatore nihilominus agnoſcebat, favere noluiſſe, pluribus probat Natalis Alexander Diſſertatione V. in Hiſtoriam Eccleſiaſticam Seculi XIII. Articulo I. Ut ut ea ſe res habuerit, præter Legatos, ac Nuncios ad varios Principes miſſos, ut contra Fridericum arma ſumerent, fœdus etiam iniit Pontifex cum Lombardis, Venetis, ac Genuenſibus, præfecitque Lombardiæ Legatum Gregorium de Montelongo Ferrarienſem, Protonotarium Apoſtolicum, Virum ſtrenuiſſimum, qui Populos armans, & animans, adeoque & Clericos adhibens adverſus Friderici perſequutionem, multum ejus conatibus obfuit, nec paucis eum, aut parvis cladibus affecit. Contra hunc Legatum acres ſunt apud Pariſium Friderici querelæ, qui his felicibus Montelongi in Lombardia ſucceſſibus exacerbatior redditus, in ipſam Romam, Pontificemque vindictam transferre decrevit, finitimiſque Oppidis in ſuam ditionem adductis, multum timoris, terroriſque Summo Pontifici, ac Populo Romano incuſſit.

XXVI. Depoſita omni ſpe humana Pontifex, ad divinam implorandam opem Clerum, Populumque advocans, Proceſſione ſolemni indicta, ſacra Apoſtolorum Petri & Pauli Capita deferens, præmiſſa Cruce, cui Ligni Salutiferi portio inerat, a Laterano in Vaticanum perrexit, ubi orationem ex ambone commiſeratione plenam habens, periculum, quod a Friderico Eccleſiæ inferretur, oſtendit; & Capita Apoſtolorum brachiis tenens, ſe non illa abſque Populi Romani virtute, cui ſe, & illa committebat, defendere poſſe uberibus lacrymis conteſtatus, commoto ad hæc Populo, Decretum promulgavit, quo præmia ſalutis æternæ omnibus pollicebatur, qui Crucem adverſus Fridericum ſumſiſſent, ac plurimos ad eam ſumendam accendit, non ſine miraculo divino, ut qui alias ſeditioſe, ſemel, ac iterum, & non multo ante a Romanis pulſus fuiſſet, in ea hoſtis potentiſſimi propinquitate, cujus largitione corruptos, atque etiam conjuratos eſſe Primos quoſque,

Po-

Potentioreſque conſtabat, eoſdem Romanos potuerit in ſuam defenſionem armare. Quare & factum eſt, ut cum Fridericus mox infeſta in Urbem ſigna ferens, Legiones Cruceſignatorum integras obviam adverſus ſe exiſſe vidiſſet, ad ejus rei aſpectum adeo territus fuit, adeoque in furorem, & veſaniam verſus, ut poſt graviſſimum certamen, quos vivos e Romanis Cruceſignatos habere potuit, inauditis ſuppliciis affecerit. Spem tamen Romæ potiundæ deſerens, tertio qua advenerat die mœrens, frendenſque abſceſſit, & quacumque tranſiit, obvia cuncta urens, diruenſque devaſtavit; quæ omnia prolixe enarrat Auctor Vitæ Gregorii, & ex eo Raynaldus, Spondanus, Natalis Alexander, & inter alios Pagius in Vita Gregorii Papæ IX. Numero L. ubi etiam obſervat, contigiſſe ea hucuſque narrata ſub finem anni MCCXXXIX. vel potius anno MCCXL. non multum provecto.

XXVII. Quum denique Friderici inſolentia, Guelphorumque, ac Gibellinorum factionibus mala in dies in Italia creſcerent, his ut aliquid remedii afferret Gregorius Papa IX. præſertim vero ut Friderici furore atque amentia cæci, qui neque cum Saracenis unquam bellum gerere, neque cum Chriſtianis, ac potiſſimum cum Summo Romano Pontifice pacem firmam habere voluiſſet, aut omnino, aut aliqua certe ex parte nefarios conatus reprimeret, & Chriſtianæ afflictæ Reipublicæ opem afferret, de Cardinalium conſilio Concilium Generale convocare decrevit anno ipſo MCCXL. Litteriſque ejus indictionis, quæ extant in ejus Regeſti anno XVI. primo quidem v. Idus Auguſti, tum inde Idibus Octobris ad Balduinum Imperatorem Conſtantinopolitanum, Regeſque Franciæ, Angliæ, Boemiæ, Scotiæ, Sveciæ, Norvegiæ, Portugalliæ, Aragoniæ, Caſtellæ, & Legionis, Hungariæque, ac Duces Poloniæ, Venetorum, Sclavoniæ, ac reliquos omnes, inprimiſque ad univerſos Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, ac Prælatos ſcriptis, præcepit, ut omnes ubique terrarum Antiſtites Romæ in diem Dominicæ Reſurrectionis anni MCCXLI. futurum adeſſent: Legatoſque in diverſa Regna, & Provincias recens deſtinatos, ac alios etiam qui jam in aliis variis occaſionibus antea miſſi reperiebantur, ſedulo monuit, ut quot omnino poſſent, ad Concilium ſecum adducerent.

XXVIII. At vero Fridericus, qui convocationi Concilii conſenſerat, ut Pariſius fatetur, imo qui ejus convocationem petierat, ut diſerte habet Innocentius Papa IV. poſt Cæleſtinum IV. Gregorii ſucceſſor, in ſententia depoſitionis Friderici: poſtea publicis Litteris promulgare non erubuit, revocare ſe omnino ſecuritatem, quam promiſerat adeundi Romam ad Concilium, ea prætexta excuſatione, quod præfuturus ei eſſet publicus hoſtis Imperii. Anno itaque MCCXLI. Prælati minacibus Litteris a Friderico prohibiti Romam accedere, & a Pontifice nihilominus properare moniti, Pontificiis mandatis parere æquius cenſentes, quamplurimi ex Gallia, Anglia, Italia, aliiſque Regnis, ac Provinciis Genuam una cum Jacobo Præneſtino, & Othone S. Nicolai Cardinalibus Legatis antea in Gallias, & Angliam miſſis, necnon Gregorio de Montelongo in Lombardia Legato convenerunt, & Genuenſium freti fiducia, Romam ſe eos claſſe incolumes ducturos pollicentium naves conſcendunt. At Fridericus Entium filium ſuum nothum, quem, uti ſuperius dictum eſt, Sardiniæ Regem dixerat, & mari præfecerat, monuit, ut eos adoriens manucaperet, vel ſubmergeret, vel alia ratione opprimeret. Entius rem impigre gerens, Piſanorum auxilio adjutus, die III. Maji juxta Inſulas, quæ vulgo vocantur Gilium, & Planoſa, ut ait Nicolaus de Curbio in Vita Innocentii IV. apud Baluzium Tomo VII. Miſcellaneorum, Cap. III. & apud Muratorium Tomo III. Rerum Italicarum; non, ut quidam ajunt, menſe Junio, navali certamine commiſſo, Genuenſes devicit, ac Legatos, Prælatos, & Nuncios Civitatum, paucis tantum elapſis, aut captivos fecit, aut mari ſubmerſit. Captivi autem a Friderico Neapolim miſſi quaſi viliſſima capita conſtricti vinculis, fame, ſiti, ſqualore fere omnes miſere perierunt; Ipſeque Fridericus tanquam de re præclare geſta ad omnes Principes Litteras ſcripſit a Pariſio ad annum MCCXLI. relatas, quibus Deum cauſæ ſuæ tanta conceſſa victoria ſuffragatum eſſe jactavit. Conſtant hæc ex Litteris Præſulum, qui e clade evaſerunt, ad Gregorium IX. & ex Conſolatoriis Gregorii ad ipſos, quas ex ejus Regeſti Libro XV. & ex laudato Pariſio deſcribit Raynaldus ad annum MCCXLI. Legenda & Gregorii Papæ Epiſtola XVII. ad Venetos apud Labbeum Tomo XIV. Conciliorum Venetæ editionis.

XXIX. Ea elatus victoria Fridericus Romam verſus copias promovet, Spoletum opprimit. Interamnam occupat, Fanneſium, Aſſiſinatum, Narnienſium, Reatinorum agros depopulatur, Tibur in poteſtatem redigit, flammis Albam delet, Burgum novum vaſtat, Cryptam-ferratam ſubigit, aliaque damna Romanæ Eccleſiæ infert, uti inter alios Richardus a Sancto Germano in Chronico ſuo commemorat. Tot tantiſque calamitatibus Pontifex Optimus Gregorius IX. feſſus paulo poſt ex hac vita migravit, die nempe duodecimo Kal. Septembris anni MCCXLI. poſtquam ſediſſet annos XIV. menſes V. dies II. Eum annos centum proxime attigiſſe, teſtatur in ſua Anglicana Hiſtoria Pariſius, ſepultumque fuiſſe ad Sanctum Petrum, affirmat Nicolaus de Curbia in Vita Innocentii IV. Cap. V. Gregorio ſucceſſit Cæleſtinus Papa IV. qui in Pontificatu vixit diebus dumtaxat XVII. obiitque antequam conſecraretur, teſte laudato Nicolao de Curbio, qui narrata ejus electione ita ſubjicit: *Morte præventus Pallium non ſuſcepit more Papali, munus conſecrationis non habuit, neque bullam, & infra XVII. dierum ſpatium obdormiens in Domino diem clauſit extremum*. Pariſius eum vix ſexdecim dies ſediſſe ſcribit, veneno que peremtum tradit: *Cum jam vix ſexdecim diebus ſediſſet, prænatura morte præventus, naturæ debitum perſolvens, utinam non, ut dicitur, potiatus: Sedem Papalem, imo univerſam Eccleſiam reliquit deſolatam*.

XXX. Poſt Cæleſtini Papæ IV. obitum, qui contigit menſe Novembri anni MCCXLI. Sedem Romanam vacaſſe uſque ad exeuntem menſem Junium anni MCCXLIII. inter omnes fere convenit. Quicquid ſit de cauſis diuturnæ hujus vacationis, quas late enarrant ad ipſum annum Raynaldus, & Spondanus, atque in Vita Innocentii IV. Ciaconius, Pagius, aliique, ſuffectus eſt in Cæleſtini locum Anagniæ die XXIV. Junii anni MCCXLIII. communibus ſuffragiis Sinibal-

Digitized by Google

nibaldus Cardinalis Presbyter Tituli S. Laurentii in Lucina, dictuſque eſt Innocentius IV. Vix creatus Pontiſex Maximns gratulatorias Friderici Litteras, & Legatos recepit, delinituſque hunc in modum antequam Romam ſe conſerret, miſit & Innocentius ad Fridericum Legatos ſuos, Petrum Archiepiſcopum Rotomagenſem, Willelmum olim Epiſcopum Mutinenſem, atque Willelmum S. Fecundi Abbatem, quem Ferdinandus Caſtellæ & Legionis Rex an. MCCXXXIX. ad tentandam concordiam inter Gregorium IX. Papam, & Fridericum Imperatorem Romam miſerat, nt hi nempe de reconciliatione cum ipſo Imperatore tractarent: petens in primis, ut omnes Prælatos, Clericos, & Laicos, quos ſub Gregorio navali prælio captivos ſecerat, liberos dimitteret: deinde proponens, paratum ſe eſſe ad pacem Eccleſiæ eum recipere, ſi crimina illa purgaret, quorum damnatus a Gregorio fuiſſet; ac viceverſa, ſi eum Eccleſia in aliquo contra debitum læſiſſet, ſatisſacere eidem, judicio, atque arbitrio Regum, Prælatorum, ac Principum, tam Eccleſiaſticorum, quam Secularium in aliquem tutum locum ad id in Concilium vocandorum. Conſtant hæc ex Commonitorio Legatis dato, ſeu ex Epiſtola LXXXIV. Libri I. apud Raynaldum ad annum MCCXLIII. Num. XIV. itemque ex Sententia Depoſitionis in Fridericum in hoc Concilio I. Lugdunenſi lata, quæ integra reperitur apud Pariſium, & in Bullario Romano, atque apud Labbeum Tomo XIV. Conciliorum Venetæ editionis, & apud alios.

XXXI. Juxta Pontificis monita, miſſi a Friderico ad Apoſtolicam Sedem Oratores de pace tractaturi, Raymundus Toloſanus Comes, Petrus de Vineis, & Thadæus de Sueſſa Imperialis Curiæ Judices, Friderici nomine, præſente Balduino Imperatore Conſtantinopolitano, Cardinalibus, multiſque aliis Prælatis, Senatoribus Romanis, ac Populo, ſolemniter Innocentio Papæ tunc Romæ exiſtenti (ad Urbem enim ſe contulerat labente Octobri anni MCCXLIII.) in die Cœnæ Domini anni MCCXLIV. quæ cum die ultima Martii eo anno concurrebat, jurarunt, Fridericum ſtaturum Judicio Pontificis ſuper omnibus articulis, injuriis, damnis, & offenſis, ante, & poſt excommunicationis Sententiam, qua a Gregorio IX. Papa adſtrictus ſuerat, Eccleſiis, ac Perſonis Eccleſiaſticis illatis, ut conſtat ex Epiſtola DCLXV. Libri I. Regeſti Innocentii apud Raynaldum annum MCCXLIV. Num. XXI. dataque eſt *Laterani II. Kal. Maji anno* I. & directa *Nobili Viro Landgravio Thuringiæ*. Matthæus Pariſius has concordiæ Leges propoſitas reſert. I. ut Fridericus Terras omnes reſtitueret, quæ ante diſſidium Pontificiæ Ditionis ſuerant, tum etiam quas Eccleſiæ ſœderatis eripuerat. II. ad Principes Chriſtianos ſcriberet, ſe Eccleſiæ auctoritatem, & Sententiam a Gregorio IX. in ſe latam non ſpreviſſe; ſed cum ſibi denunciata non fuiſſet, conſilio Prælatorum, & Principum Germaniæ, & Italiæ, cenſuiſſe, ad eam ſervandam ſe non teneri, donec ſignificata eſſet: cæterum Summum Pontificem tam in ſe, quam in omnes Chriſtianos, Reges, & Principes, Clericos, & Laicos in ſpiritualibus plenitudinem poteſtatis habere profiteretur. III. eleemoſynis, jejuniis, aliiſque pietatis operibus crimina expiaret; Sententiam excommunicationis, ad abſolutionis uſque diem, nihilominus humiliter ſervaturum. IV. captis Præſulibus, aliiſque erepta reſtitueret omnia; Eccleſias, & Xenodochia excitaret; Pontificiiſque ſe pariturum juraret mandatis, ſalvis Imperii, Regnorumque juribus, & honoribus. V. omnia Edicta in ſœderatos Eccleſiæ lata revocaret; de injuriis autem ante diſſidium Sacerdotii, & Imperii acceptis in Pontificis, atque Cardinalium ſententia acquieſceret: captivis omnibus libertatem, exulibus patriam, ſpoliatis ob Pontificiarum partium deſenſionem bona reſtitueret.

XXXII. Teſte eodem Pariſio, ſuperbum, infidum, verſipellem, inconſtantemque Imperatorum promiſſorum, pactorumque brevi pœnituit. Innocentius nihilominus ad Civitatem Caſtellanam cum Cardinalibus acceſſit, ut propius de pace cum Friderico, qui Interamnam ſe contulerat, tractaret: *Et ſeptimo die Junii ſubſequentis*, inquit in Vita Innocentii Nicolaus de Curbio, *egrediens Urbem, ad Civitatem Caſtellanam illico eſt profectus. Ubi dictus Imperator, qui apud Interamnam tunc erat, dicto Pontifici, & Fratribus occultas tendens inſidias, ipſoſque capere machinans, in ipſo Civitatis egreſſu, adjecit iterum pacis ſimulare tractatum, ſolemnes tranſmittens Nuncios, Magiſtrum videlicet Petrum de Vineis, Gualterium de Sora, qui eum ſub ſpecie tractatus pacis ſecurum redderent, & incautum*. Structas a Friderico inſidias fugiens Pontiſex, Januam pergit, indeque in Galliam ſolitum, ac tutiſſimum aſylum Romanorum Pontificum. Lugdunum cum ineunte Decembri ejuſdem anni MCCXLIV. appuliſſet, Concilium Generale in eadem Urbe celebrandum conſtituit, ideoque Feſto Nativitatis Dominicæ celebrato, dum in Feſto B. Joannis Evangeliſtæ Miſſam in Lugdunenſi Eccleſia celebraret, ac prædicaret Populo Verbum Dei, ibidem publice Concilium Generale indixit, in Feſto S. Joannis Baptiſtæ proxime futuro anno MCCXLV. inchoandum. In ea concione citavit ipſe Innocentius Fridericum, ut ſuturo Concilio per ſe, vel per idoneos Procuratores adeſſet, teſte Nicolao de Curbio in Vita ejuſdem Pontificis, Cap. XVIII. Encyclicas pro convocatione Concilii Litteras, quæ incipiunt his verbis, *Dei virtus, & Dei ſapientia*, extantque apud Labbeum Tomo XIV. Conciliorum editionis Venetæ, dedit Pontiſex *Lugduni* III. *Nonas Januarii, anno II.* Pontificatus ſui, eaque de re Balduinum Imperatorem Conſtantinopolitanum in Occidente tunc exiſtentem, Regeſque Galliæ, Hiſpaniarum, Angliæ, alioſque certiores fecit, ſimulque univerſos, & ſingulos obſecravit, ut vel coram intereſſent, vel Oratores ad Synodum mitterent.

XXXIII. In Encyclicis pro Concilii convocatione Litteris hæc inter alia habentur, quæ ejus celebrationis cauſas exprimunt: *Hinc eſt, quod Nos, ut ipſa Eccleſia per Fidelium ſalubre conſilium, & auxilium fructuoſum ſtatus debiti poſſit habere decorem, & deplorando Terræ Sanctæ diſcrimini, & afflicto Romano Imperio proprie valeat ſubveniri, ac inveniri remedium contra Tartaros, & alios contemtores Fidei, ac perſequutores Populi Chriſtiani: necnon pro negotio, quod inter Eccleſiam, & Principem vertitur, Reges Terræ, Prælatos Eccleſiarum, ac alios Mundi Principes duximus advocandos*. Quinque fuiſſe præcipuas cauſas, ob quas convocavit Innocentius IV. Generale hoc Lugdunenſe

nenſe Concilium, docet idem Pontifex, ubi in prima Concilii Seſſione, quæ, uti docent Acta Vaticana, habita fuit *in Vigilia Petri Apoſtoli*, ſcilicet die xxviii. Junii, *in Majori Eccleſia*, Monachorum nempe S. Juſti, celebrata Miſſa, factaque invocatione Spiritus Sancti, ac Litaniis recitatis, Sermonem inchoavit pro Themate utens Pſalmo xciii. *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes &c.* dixit, *quod multiplex erat dolor ſuus, quia quinque dolores circumdederunt eum. Primus erat de difformitate Prælatorum, & ſubditorum. Secundus erat de inſolentia Saracinorum. Tertius de Schiſmate Græcorum. Quartus de ſævitia Tartarorum. Quintus de perſequutione Friderici Imperatoris*. Ita plane docet libellus apud Labbeum, & apud alios Scriptores inſcriptus, *Brevis Nota eorum, quæ in primo Concilio Lugdunenſi Generali geſta ſunt*.

XXXIV. Concilio interfuerunt una cum Summo Pontifice Innocentio IV. præter Cardinales, Patriarchæ tres, Conſtantinopolitanus, Antiochenus, & Aquilejenſis, Archiepiſcopi, & Epiſcopi centum quadraginta ex Galliis, Hiſpania, Italia, Anglia, Scotia, Hibernia. Interfuerunt inſuper plures abſentium Procuratores, Abbates, & Priores; & ex ſecularibus Principibus Balduinus Imperator Conſtantinopolitanus, Raymundus Comes Toloſanus, Raymundus Berengarii Comes Provinciæ, & quidam alii, una cum Friderici Imperatoris, Francorumque, Angliæ, atque ceterorum Regum, Principumque Legatis. Ex Germania paucos acceſſiſſe Prælatos ob turbas a Friderico excitatas, nullumque ex Hungaria ob vaſtationem Tartarorum, recte Pariſius tradit; ſicuti neque de Terra Sancta præter Waleranum Epiſcopum Beritenſem, qui adſuit occaſione Legationis pro implorando ſubſidio, anno ſuperiori MCCXLIV. ſuſceptæ. Sane ceteris fuſius Concilii hujus Acta exponit in ſua Hiſtoria Anglicana ad annum MCCXLV. Pariſius; qui tamen in multis errat, præſertim circa locum, ubi fuit celebratum Concilium; ait enim habitum, fuiſſe *in Refectorio Religioſorum Sancti Juſti*; cum ceteroqui Acta Vaticana diſerte doceant, fuiſſe celebratum *in Majori Eccleſia*. Et quidem quis unquam audivit, Concilia præſertim Generalia in Refectoriis Religioſorum celebrata, cum omnia ſuperioribus ſeculis in Eccleſiis haberi conſueverint; uti jam fuſe oſtendimus noſtro Tomo I. Conciliorum in Prolegomenis, Cap. xvii.

XXXV. Quod ritum ſedendi ſpectat, enarrat memoratus Libellus, ſic inquiens: *Dominus Papa, Miſſa celebrata, locum eminentiorem aſcendit. Imperator vero Conſtantinopolitanus ſedet ad dexteram, & quidam alii Principes Laici ſederunt ad ſiniſtram, & Diaconus Cardinalis Vicecancellarius Magiſter Martinus Neapolitanus cum Notariis, Auditore, & Correctore, Capellanis, Subdiaconis, & quibuſdam aliis: inferius vero ſic Prælati ſederunt. Ex oppoſito tres Patriarchæ ordinati fuerant, videlicet Conſtantinopolitanus ad dexteram, Antiochenus, Aquilejenſis tertio; de quo ſcandalum eſt exortum ex eo quod, ut alii Patriarchæ dicebant, ſedere non debebat juxta eos, cum non eſſet de quatuor Patriarchis, & deſtructa eſt ſedes ejus. Et tandem, ut vitaretur ſcandalum, de voluntate Domini Papæ, ut creditur, eſt refecta. In navi vero Eccleſiæ ad dexteram, & in eminentioribus locis ſederunt Epiſcopi Cardinales, ex altera vero Presbyteri Cardinales; Archiepiſcopi, Epiſcopi poſt eos: in ſedibus autem conſtitutis in navi Eccleſiæ ſederunt aliqui Epiſcopi, Abbates, Procuratores Capitulorum, Nuncii Regum, & Imperatoris Friderici, & multi alii erant ibi*. Fuſe de ratione tum priſca, tum recentiori conſeſſus Epiſcoporum in Synodis diximus Tomo noſtro I. Conciliorum in Prolegomenis, Cap. xxiii. ſicut & de aliis multis ſcitu dignis quæ ad Conciliorum celebrationem pertinent, uti in laudatis Prolegomenis videre eſt. Porro ex recitato Libello, ſive Notitia eorum quæ in primo Concilio Lugdunenſi Generali geſta ſunt, quam Notitiam ſub nomine Actorum Vaticanorum aliquando etiam citamus, Pariſius refellitur, qui Conſtantinopolitanum Patriarcham ſupponit fuiſſe etiam Patriarcham Antiochenum; cum ex laudata Notitia aperte conſtet, Patriarcham Conſtantinopolitanum fuiſſe diverſum ab Antiocheno; tres enim ait Patriarchas Concilio adfuiſſe, Conſtantinopolitanum nempe, Antiochenum, & Aquilejenſem.

XXXVI Ad Concilii Acta quod attinet, fecit in prima Seſſione Pontifex legi juramentum fidelitatis, quod Fridericus cum eſſet Rex Siciliæ, & Angliæ, Honorio Papæ III. præſtiterat, quo inter alia fatebatur Fridericus, Regnum ipſum Siciliæ, & Apuliæ, ſpeciale patrimonium eſſe B. Petri, illudque ab Eccleſia tenere in Feudum; *& concedebat, ac quietabat, ſi aliquod jus habuiſſet in electionibus Eccleſiarum Regni prædicti, & faciebat eaſdem Eccleſias liberas, francas, & immunes ab omni præſtatione. Item fecit legi plura alia privilegia aurea Bulla munita, Eccleſiæ, dum eſſet Rex, & poſtea Imperator, conceſſa, in quibus habebatur, quod ipſe quietabat, donabat, & concedebat, & confirmabat totam Terram a Caſtro Radicoſani, uſque ad Caſtrum Ceprani, Marchiam Anconitanam, Ducatum Spoleti, Exarchatum Ravennæ, Pentapolim, Comitatum Romandiolæ, & Terram Comitiſſæ Mathildis, & multa alia erant ibi*. Ita Acta Vaticana, ex quibus etiam habemus, quod iis privilegiis recitatis, *Thadæus unus de Nunciis Imperatoris ſurrexit, & fere reſpondit ad ſingula, quæ dixerat Dominus Papa, & mirabiliter videbatur Imperatorem excuſare, & aſſeruit multa, quæ feciſſe, & procuraſſe dicebat Eccleſiam contra eum, & oſtendit ibi plurima ex contentis Litterarum; & multis reſponſio ejus fuit grata. Sed Dominus Papa reſpondit ad ſingula bene, ac ſi prævidiſſet, ſe & Eccleſiam excuſando. Et ſic illius diei Seſſio fuit terminata*.

XXXVII. Teſte Pariſio, multa ſtatim in ipſo Concilii limine, & in prima Seſſione Summo Pontifici ſpopondit Friderici Imperatoris nomine ejus Orator Thadæus, Vir belli, Juriſque peritiſſimus, & eloquentiæ vehementis, ut Eccleſiæ gratiam magnificis promiſſis ipſi conciliaret: ipſum ſcilicet Græcorum Imperium ad Romanæ Eccleſiæ obedientiam revocaturum: Tartaros, Chorasminos, Saracenos, adornata propriis ſumtibus expeditione petiturum: profligatas Terræ Sanctæ res priſtino ſplendori reſtituturum: ereptas Eccleſiæ Romanæ Ditiones redditurum, & pro illatis damnis, irrogatiſque injuriis ſatisfacturum. Tam ſplendida promiſſa

miſſa fieri a Friderico, ut Eccleſiæ illuderet, ſubodoratus Pontifex, unam ſupereſſe viam pœnas a Synodo infligendas evadendi, reſpondit, ſi nimirum juratæ jam olim pacis capita religioſe adimpleret: *Pacem*, inquit, *nuper in anima ſua juratam, ſecundum formam præſtiti ſacramenti teneat, & acquieſco*. Ejus promiſſis, qui toties fefellerat, ſtare ſe non poſſe. Reges Francorum, & Anglorum obſides pro Domino ſuo Thadæus obtulit. Conditionem reſpuit Innocentius, tum quia Thadæus id in mandatis non habebat; tum ne fidejuſſio imprudenter accepta Eccleſiam cum aliis duobus potentiſſimis Principibus committeret: *Nolumus*, inquit, *quia ſi pacta commutaſſet, vel penitus infirmaſſet, oportet nos animadvertere in eoſdem; & tunc haberet Eccleſia tres, quibus non ſunt in ſeculari potentia majores, imo nec pares, inimicos*. Atque hæc in priori Seſſione geſta ſunt, uti notat Natalis Alexander Diſſertatione v. in Hiſtoriam Eccleſiaſticam Seculi XIII. Articulo III.

XXXVIII. Seſſionem alteram ait Pariſius habitam fuiſſe die XXVIII. Junii, die ſcilicet Mercurii poſt Feſtum S. Joannis Baptiſtæ; ſed audienda potius laudata ſuperius Acta Vaticana, quæ ita ſubdunt: *Secunda ſeſſio fuit ad octo dies poſtea*, ideſt die Mercurii ſequenti, quinta ſcilicet menſis Julii, prima enim, uti dictum jam fuit, celebrata eſt die XXVIII. Junii. Quoad Seſſionem, & officia, idem actum fuiſſe, quod & in prima, docent nos ipſa Acta Vaticana, illiſque peractis, ſubdunt mox, ſurrexiſſe Epiſcopum Calmenſem, *Ciſtercienſis Ordinis de Apulia, qui exul erat, & mirabiliter deſcripſit vitam malam, & ignominioſam, & progreſſum dicti Imperatoris a pueritia ſua, & quæ erat ſua intentio, quia ad hoc intendebat præcipue, ut Prælati, & Clerus ad illam reverterentur paupertatem, in qua fuerant tempore Eccleſiæ primitivæ: quod maxime petebat per Litteras, quas per Mundum contra Eccleſiam tranſmittebat*. Ajunt præterea Acta ipſa, ſurrexiſſe poſtmodum Archiepiſcopum de Hiſpania, *qui multum Dominum Papam animovit ad procedendum contra Imperatorem, referendo plurima, quæ contra Eccleſiam fecerat, & quomodo tota ſua fuit intentio, ut deprimeret Eccleſiam juxta poſſe, promittens, quod ipſe, & alii Prælati Hiſpaniæ, qui multum magnifice, & generaliter, plusquam aliqua alia Natio ad Concilium venerant, Domino Papæ aſſiſterent in perſonis, & in rebus, juxta ſuæ voluntatis beneplacitum*. Hæc eadem promiſiſſe plures alios Prælatos, qui Concilio aderant, memorata etiam Vaticana Acta teſtantur.

XXXIX. Auditis accuſationibus adverſus Fridericum, *ſurrexit prædictus Judex Thadæus*, uti eadem Acta inquiunt, *& multa gravia propoſuit contra dictum Epiſcopum Calmenſem, quod non zelo juſtitiæ, ſed ex malevolentia, ex eo quod ipſum, & ſuos pro manifeſtis exceſſibus punierat, talia contra Imperatorem proponere curavit, & ſic in prædicta Seſſione nihil aliud actum fuit. Verumtamen dictus Judex Thadæus ſupplicabat inſtanter, ut prorogaretur Tertia Seſſio pro eo, quod Imperatorem expectabat, prout ipſe per certos habebat Nuncios, ac ipſe ad eum plures alios, qui in Civitate Taurinenſi fuerant, miſerat, quod iter arripuerat ad Concilium veniendi. Et quia dictus Papa hæc quamplurimum affectabat, ut poſſet inter eos pacis fœdera reformare, uſque ad diem Lunæ poſt octavam Seſſionis ſecundæ, quæ fuerat in die Mercurii, contra multorum Prælatorum voluntatem prorogavit Tertiam Seſſionem*; ideſt, uſque ad diem decimam ſeptimam menſis Julii, cum ſecunda Seſſio celebrata ſit die Mercurii, quinta ejuſdem menſis. Pariſius, qui ſecundam Seſſionem habitam dixit Feria IV. poſt Feſtum S. Joannis Baptiſtæ, ideoque die XXVIII. Junii, ait, conceſſas eſſe inducias Thadæo fere duarum hebdomadarum, quod idem eſt, ac dicere, conceſſas eſſe duodecim dierum inducias. Eam induciarum conceſſionem, & Seſſionis Tertiæ prorogationem ſubdunt laudata ipſa Vaticana, non fuiſſe *ſine tædio multorum Prælatorum, & aliorum Templariorum, & Hoſpitalariorum, qui multos armatos ad cuſtodiam Domini Papæ, & Concilii ſtuduerant deſtinare, & propter preſſuram hominum, & dubitationem, quæ in ipſa Civitate*, Lugdunenſi, *quæ cuſtodiebatur per armatos plurimos die ac nocte, fortiter aſſiſtebat*.

XL. Induciis elapſis, monituſque Imperator, ut ad Concilium accederet, teſte Pariſio, Pontificem, atque Concilium, ut hoſtile agmen execratus eſt, Judiceſque recuſavit, illata de inimicitiis calumnia: *Nec ſacrum*, inquit, *decet Imperium maxime adverſanti judicio ſiſti Synodali*. Perlato ad Concilium reſponſi contumacis nuncio, multi, qui hactenus Friderico favebant, ab ejus partibus receſſere. Adverſus ipſum accuſationes auditæ; præſertimque de Prælatorum detentione ad Synodum a Gregorio IX. convocatam euntium diſceptatum eſt, Thadæo Domini ſui partes agente, qui cum eloquentia, qua plurimum poterat, nihil in mala cauſa promoveret, *appellavit ab eo ad Concilium proxime futurum Generalius*. Cui Pontifex: *Satis eſt Concilium Generale multorum, qui Domini tui humilitatem inutiliter non ſine gravamine expectarunt, Patriarcharum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & aliorum de diverſis Mundi partibus Nobilium, vel eorum Procuratorum: & qui abſunt, laqueis Domini tui impediuntur irretiti. Unde propter hoc indignum eſt, ut Sententia Depoſitionis in ipſum ferenda retardetur, ne ex malitia ſua commodum videatur reportare, cum non debeat alicui fraus patrocinari*. Ita laudatus Pariſius. Acta autem Vaticana ajunt, quod cum nec Fridericus compareret, nec novi pro eo Legati ad Concilium venirent, die Lunæ XVI. Kal. Auguſti Pontifex *conſtituit Tertiam Seſſionem, & peractis Officiis, ut in prima, poſt multa dicta hinc inde, & audita, antequam ad Feſtum accederetur Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis glorioſæ, ordinavit Octavam, Sacro Concilio approbante*.

XLI. Ex recitato Actorum Vaticanorum loco Oldoinus in Additionibus ad Ciaconium ſcribit, Cardinales Sede vacante poſt Cæleſtini IV. mortem voto ſe obſtrinxiſſe celebrandi per Orbem Octavam Nativitatis Virginis Mariæ, ſi eis daretur, ut concordes procederent ad electionem Romani Pontificis; ideoque Innocentium inſtituiſſe celebrari Feſtum Nativitatis Beatæ Mariæ die octava menſis Septembris, & ut diceretur Antiphona illa: *Nativitas tua Dei Genitrix Virgo gaudium annunciavit univerſo Mundo*. Verum quoad Feſtum Nativitatis Deiparæ, illud jam Seculo VII. fuiſſe celebratum conſtat

ex eo, quod Sergius I. Pontifex Maximus, ut in ejus Vita refert Anaſtaſius, & ex eo Pagius ibidem, Num. xxv. ſtatutum fecit, quo in Nativitate B. Mariæ Virginis Litaniam ab ejus Eccleſia ad S. Hadrianum fieri inſtituit. Idem Feſtum, uti laudatus Pagius obſervat in Vita Innocentii IV. Num. xviii. recenſetur in Martyrologio Bedæ, in Statutis S. Bonifacii, quæ extant in Specilegii Dacheriani Tomo IX. itemque in Statutis S. Adalardi Abbatis Corbejenſis Libro II. Cap. iii. Tomo iv. ejuſdem Spicilegii relatis, & alibi. Quæ ſufficiunt ad probandum, non modo Innocentium IV. non inſtituiſſe Feſtivitatem Nativitatis Deiparæ, ſed & eam ante Seculum IX. inſtitutam; contra quod male contendit Thomaſſinus Vir alioqui doctiſſimus in ſuo celebri Opuſculo, *De dierum Feſtorum celebratione*, Lib. II. Cap. xx. ubi ait, originem ejus Feſti referendam eſſe ad Seculum x. primumque fuiſſe S. Fulbertum Carnotenſem Antiſtitem, qui eam celebritatem commemoraverit anno Chriſti milleſimo.

XLII. Quod ſpectat ejuſdem Feſti Octavam, ejus originem ita narrat in ſuo Rationali Divinorum Officiorum Lib. vii. Cap. xxviii. Durandus: *Olim etiam non habuit Octavam, ſed Innocentius Papa IV. eam inſtituit. Vacante enim Romana Eccleſia per abitum Gregorii Papæ,* ſcilicet ix. *novis Cardinalibus concordare nequeuntibus, Romani poſt plures dies eis incluſis multiplices moleſtias inferebant: propter quod Cardinales Reginæ Cæli voverunt, quod ſi ejus meritis concordarent, & abire libere poſſent, Octavam ſuæ Nativitatis diu neglectam celebrandam de cetera ſtatuerunt; ſicque ad Cæleſtinum Papam,* ideſt, iv. *convenerunt, & liberati ſunt: ſed quia idem Cæleſtinus vixit ſolum* xviii. *diebus, non potuit votum implere, quod poſtmodum dictus Innocentius ejus Succeſſor implevit.* Eſt & ejus ſententiæ inter alios Scriptores memoratus Thomaſſinus, additam fuiſſe Feſto ipſi Nativitatis Deiparæ Octavam *ab Innocentio IV. ob vota nuncupata a Cardinalibus antequam renunciaretur Pontifex*. Verum nec ea ſententia ſubſiſtit, nam Innocentius in noſtro hoc Concilio Lugdunenſi non quidem Octavam primus inſtituit, ſed tantum *conſtituit, ut Octava Beatæ Virginis Mariæ ab omnibus Clericis, & Religioſis annuatim ſolemniter celebraretur*, ut ait Auctor compilationis Chronologicæ Joannis Piſtorii. Longe enim ante, ut citato loco inter alios idem Pagius obſervat, in aliis quibuſdam Eccleſiis celebrabatur. Gaufredus ſiquidem Prior Voſienſis, qui circa annum MCLXXX. florebat, in ſuo Chronico loquens de Pontio quondam Abbate Cluniacenſi, & de Petro Venerabili ejuſdem Monaſterii Abbate Romam ab Innocentio II. evocatis, diſerte ait, tunc Octavam Nativitatis Beatæ Mariæ in Monaſterio Voſienſi in Diœceſi Lemovicenſi ſito inſtitutam eſſe. Illud itaque ſolum inſtituit Innocentius, *Sacro Concilio approbante*, ut Octava ejuſdem Nativitatis a Clero, & Religioſis Viris ſolemni ritu celebraretur in tota Eccleſia. Porro Vigiliam cum jejunio eidem feſtivitati fuiſſe additam a Gregorio XI. docet poſt alios Pagius in illius Pontificis Vita.

XLIII. In eadem Seſſione, ut Acta Vaticana referunt, *Dominus Papa quaſdam Conſtitutiones, quæ pro recuperatione Terræ Sanctæ, ac alias, quæ pro ſubſidiis Romani Imperii, & etiam alias, quæ contra Tartaros factæ fuerant, fecit legi*. De ſubſidio Terræ Sanctæ multa pie prudenterque decrevit quidem Innocentius in hoc Concilio, edita Conſtitutione, *Afflicti corde pro deplorandis Terræ Sanctæ periculis*, uti infra legere eſt Can. xvii. qua omnia illa renovavit, quæ olim in Concilio Generali Lateranenſi iv. fuerant ab Innocentio III. ſtatuta, uti ibidem noſtro Tomo iii. Conciliorum videre eſt, Pag. 387. & ſeq. Statuit autem inter cætera Innocentius Papa IV. in citata Conſtitutione, ſeu Canone xvii. hujus Lugdunenſis Concilii, ut omnes Eccleſiaſtici tam ſubditi, quam Prælati vigeſimam Eccleſiaſticorum proventuum ad triennium conferrent, exceptis, præter nonnullos Religioſos, iis, qui ſumta Cruce cum expeditione proficiſcerentur; ipſe autem Pontifex, & Cardinales decimam omnino perſolverent. Plura alia in laudato Canone præſcripſit ipſe Innocentius IV. quæ nos in Commentario ad ipſum Canonem ſuo loco dicemus.

XLIV. De Conſtantinopolitani Imperii ſubſidio ut aliquid dicamus, ſciendum eſt, quod cum Latinorum res penè profligatæ eſſent a Bataccio, ſeu Vatacio, ſive Vattavio Græcorum Imperatore, ne Græci Schiſmatici Latinos obruerent, Innocentio IV. Patribuſque hujus Concilii viſum eſt, e re Eccleſiæ eſſe Balduino II. Conſtantinopolitano Imperatori ſubſidium decernere, edita eam in rem Conſtitutione, quæ incipit, *Arduis mens noſtra occupata negotiis*, eſtque Canon xiv. hujus Concilii. Modus vero ſubventionis *ex communi Concilii approbatione*, ita conſtitutus fuit, ut nimirum medietas omnium proventuum, tam Dignitatum, & Perſonatuum, quam Præbendarum, aliorumque Beneficiorum Eccleſiaſticorum, in quibus per ſex menſes ad minus Beneficiarii non reſident, ſive unum habeant, ſive plura, in ſubſidium Imperii Conſtantinopolitani conferatur, ab hoc onere abſolutis Clericis Romani Pontificis, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, & ſuorum Prælatorum obſequio deputatis; tum etiam iis, qui ratione peregrinationis legitimæ, vel ſtudiorum, vel procurationis negotiorum ſuæ Eccleſiæ ſpeciatim ſibi demandatæ, a reſidentia excuſantur: exceptis quoque Crucceſignatis, & qui in dicti ſuccurſum Imperii proficiſcerentur. Siqui vero ex his, quos ab hujuſmodi contributione Synodus excipit, præter Cruceſignatos, & ad ſuccurrendum nutanti Imperio convolantes, de reditibus Eccleſiaſticis ultra valorem centum marcarum argenti percipiunt annuatim: tertiam partem reſidui ejuſdem Imperii ſubſidio Pontifex, & Patres ad triennium deputant, per eos colligendam, quos ad id munus Apoſtolica Sedes deſtinaverit. In Beneficiarios, qui fraudem fecerint, excommunicatio diſtringitur. De obventionibus autem Eccleſiæ Romanæ, deducta prius Decima in ſubſidium Terræ Sanctæ conferenda, Decimam alteram pro ſubventione nutantis Imperii Summus Pontifex pollicetur. Omnes denique illi ſuccurrentes iiſdem donat Indulgentiis, ac Privilegiis, quibus ſuccurrentes Terræ Sanctæ donati ſunt. Decretum hoc multis precibus a Pontifice, & Patribus impetravit quidem qui Concilio huic aderat Balduinus II. Imperator, in quo Latinorum in Oriente Imperium inchoatum anno MCCIV. a Balduino I. deſiit tandem anno MCCLXI. quemadmodum auſpicatum

a Con-

Digitized by Google

a Conſtantino Magno Conſtantinopolis Imperium deſiit in Conſtantino Palæologo, a quo ad Turcas devolutum eſt.

XLV. Conſilium denique de Tartarorum comprimendo in Chriſtianis impetu, in eadem Tertia Seſſione hujus Concilii initum eſt, ac decretum, ut ad illorum cohibendos incurſus, Chriſtianorum Terræ diligenter munirentur, ac de illorum motibus Apoſtolica Sedes certior fieret, quæ ſubſidium adverſus Tartaros ipſos procurare, imperare, ac deſtinare poſſet. Pontifex autem promiſit, ſe de ſuo ample collaturum, cæteroſque Chriſtianos ad idem præſtandum hortaturum, edita eam in rem Conſtitutione, quæ incipit, *Chriſtianæ Religionis cultum*, legiturque ſicut prior pro ſubſidio Imperii Conſtantinopolitani apud Labbeum Tomo XIV. Conciliorum Venetæ editionis, eſtque Canon XVI. hujus Concilii. Sane Tartari, qui olim Scythæ Aſiatici nominabantur, paulo ante noſtram hanc Synodum Regiones ſuas quas incolebant, egreſſi, & multas Aſiæ Provincias depopulati, Europæ tandem bellum intulerant, magnæque illius parti calamitates incredibiles importarant, in primis vero Pannoniæ inferiori, quæ nunc Hungaria dicitur, quam cæde, & incendiis vaſtarant, & in ſuam poteſtatem redegerant.

XLVI. Præter hæc Decreta, confirmata ſunt & in noſtro hoc Lugdunenſi Concilio Privilegia Eccleſiæ Romanæ, uti nos docent ſuperius toties laudata Acta Vaticana his verbis: *Item poſtmodum Dominus Papa dixit, quod omnia Privilegia, quæ Romana Eccleſia a Principibus Mundi, tam ab Imperatoribus, quam a Regibus conceſſa fuerant, eidem exemplari fecerit, & in eis apponi fecit omnium qui aderant Prælatorum ſigilla, & volebat, quod vigorem haberent, ſicut ipſa originalia, quæ ibi lecta erant.* Teſte Pariſio, miſſi ab Henrico III. Angliæ Rege ad hoc ipſum Concilium Oratores, Regis, totiuſque Regni nomine conqueſti ſunt de gravaminibus a Martino Legato Apoſtolico illatis, cum ingentis extorſione pecuniæ, tum collatione Beneficiorum paſſim Italis facta, aliorumque reſervatione Sedi Apoſtolicæ, violatis Patronorum juribus, Clericiſque Regnicolis poſthabitis. Anglorum Litteras in Synodo lectas exhibet memoratus Pariſius, incipiuntque his verbis: *Matrem noſtram Romanam Eccleſiam totis viſceribus diligimus.* Graviſſime queruntur de Beneficiis Eccleſiaſticis a Legato Extraneis collatis, qui nec Eccleſiis perſonaliter deſerviunt, nec hoſpitalitatem, & alia opera miſericordiæ exercent, ſed reditus duntaxat percipere norunt, & extra Regnum exportare. Martinum Legatum addunt poteſtate abuti tum in collatione Beneficiorum, fraudatis Patronorum juribus, tum in Penſionum a Viris Religioſis immodica exactione, Excommunicationis, & Interdicti ſententiis in eos qui ſolvendo ſatis non ſunt, cum magno animarum periculo prolatis; illumque ajunt nova quotidie Mandata, & plane inaudita exhibere. Pontificem precantur his malis remedium adhibeat, addideruntque Oratores querimoniam de formula, *Non obſtante*, quæ Pontificiis Diplomatibus frequenter inſerta, gravaminibus inſolitis viam aperiebat. Rem deliberatione indigere Pontifex reſpondit, ſeque ipſis facturum ſatis, ut primum graviora finita negotia fuiſſent. Ita refert Pariſius in Hiſtoria Anglicana in Henrico III. ad annum MCCXLV. Nihil de ea re factum eſſe in Concilio conſtat ex eo, quod anno ſequenti idem Rex Angliæ, omneſque Regni Ordines novis querimoniis aures Pontificis pulſarunt, ut idem Pariſius tradit.

XLVII. Cum vero ob diutina bella, factiones, & ſchiſmata, mores hominum longe a Majorum diſciplina deflexiſſent, quotidieque in vitia graviora dilaberentur, Innocentius Pontifex ceteris doloribus, quibus ſe nimium initio Concilii afflictatum eſſe dixerat, mederi ſtudens, una cum Concilii Patribus varias Conſtitutiones, ſeu Canones edidit pro reformatione Judiciorum Eccleſiaſticorum, deque Reſcriptis, Electionibus, Appellationibus, ſententia excommunicationis, uſuris, & aliis hujuſmodi, qui inſerti reperiuntur diverſis Libri ſexti Decretalium Titulis, inferiuſque referentur a nobis Commentariis illuſtrati. Ceterum cum celebrandi hujus Concilii cauſa præcipua fuerit Friderici inſolentia, ejuſque obſtinata perverſitas, coactus eſt denique Innocentius Papa IV. in eadem Tertia Concilii Seſſione, ut poſtquam multa dixiſſet de antiqua ſua in Fridericum dilectione, & indulgentia poſt initum Pontificatum, proferret ore tenus Sententiam, qua eum omni honore, & Imperio, aliiſque Regnis ſuis privavit, eandemque mox ex ſcripto coram univerſa Synodo recitari fecit, uti conſtat ex Actis Vaticanis, ſeu ex veteri illa hujus Concilii Lugdunenſis I. Notitia, cujus hæc ſunt verba: *Et ſtatim incœpit*, nempe Innocentius IV. Pontifex, *recitare, quantum eum dilexerat, antequam eſſet in Papam aſſumtus, & quantum ſibi dimiſerat poſtmodum, & etiam poſtquam fuerat Concilium ordinatum, eum ſemper verbis mirabiliter honorando, ita quod vix credebatur ab aliquibus, quod aliquam deberet ferri facere Sententiam contra eum; & ſtatim incœpit omnia promere ore tenus, & ferre Sententiam contra eum, privans ipſum omni honore, & Imperio, & aliis Regnis ſuis, & poſtmodum Sententia in ſcriptis in ipſa Synodo lecta fuit. Qua lecta, Dominus Papa ſurrexit, & incœpit*, Te Deum laudamus; *quo Hymno decantato, per omnes fuit Concilium abſolutum.*

XLVIII. Poſtrema itaque res in hoc Concilio peracta, fuit Sententia excommunicationis, & privationis ab Imperio aliiſque Regnis contra Fridericum Imperatorem lata, XVI. *Kal. Auguſti, anno tertio*, ſeu die XVII. Julii anni III. Pontificatus Innocentii. Inſerta eſt Sententia Sexto Decretalium, ad Titulum, *De ſententia, & re judicata*, ejuſque initium eſt: *Ad Apoſtolicæ dignitatis apicem.* In ea Sententia quatuor maxime criminum reus pronunciatur Fridericus. Primum, perjurii multiplicis, & violatæ pacis Eccleſiam inter & Imperium quondam ſancitæ. Secundo, vehementis, ac pene evidentis de hæreſi ſuſpicionis. Tertio, ſacrilegii in captione, & violenta detentione Cardinalium, & aliorum Antiſtitum perpetrati, qui ad Concilium a Gregorio Papa IX. indictum proficiſcebantur. Quarto, læſæ Pontificiæ Majeſtatis, famoſis, ac petulantibus Epiſtolis adverſus laudatum Gregorium IX. ſcriptis, Ditionum Eccleſiaſticarum populis contra ipſum commotis, Urbibuſque, & Caſtris Patrimonii S. Petri violenter invaſis. Hæreſis ſuſpicio ex contemtu Cenſurarum Eccleſiaſticarum, & ex inito cum Saracenis fœdere probata eſt. Acceſſit accuſatio

de

Digitized by Google

de Eccleſiæ libertate in ſacris præſertim Electionibus oppreſſa, quo factum erat, ut undecim Archiepiſcopatus, & Epiſcopatus ejus culpa in ipſius Ditionibus vacarent: De Clericorum gravamine, quos non ſolum immanibus exactionibus affligebat, & non ſolum ad Secularia Tribunalia trahi permittebat, ſed etiam duella ſubire, & in carceres publicos detrudi jubebat. De tyrannide tandem in Siculos Romanæ Eccleſiæ Vaſſallos poſtulatus eſt, & de mille ſquiffatorum annua penſione pro Regno Siciliæ, quod a Romana Eccleſia Beneficiario Jure tenebat, eidem Eccleſiæ non ſoluta.

XLIX. Has ob cauſas, aliaſque in Sententia, atque a variis Auctoribus ſuſius explicatas Summus Pontifex Innocentius IV. Sententiam in Fridericum tulit hoc tenore: *Nos itaque ſuper præmiſſis, & compluribus aliis ejus nefandis exceſſibus cum Fratribus noſtris, & Sacro Concilio deliberatione præhabita diligenti, cum Jeſu Chriſti vices, licet immeriti teneamus in Terris; nobiſque in B. Petri Apoſtoli perſona ſit dictum:* Quodcumque ligaveris ſuper Terram &c. *memoratum Principem*, Fridericum ſcilicet, *qui ſe Imperio, & Regnis, omnique honore, & dignitate reddidit tam indignum; quique propter ſuas iniquitates, a Deo, ne regnet, vel imperet, eſt abjectus, ſuis ligatum peccatis, & abjectum, omnique honore, & dignitate privatum a Domino oſtendimus, denuntiamus, ac nihilominus ſententiando privamus.* Pergit Pontifex, eademque Sententia omnes, qui Friderico juramento fidelitatis quocumque modo tenebantur adſtricti, ab hujuſmodi juramenti obligatione perpetuo abſolvit; quique deinceps velut Imperatori, aut Regi conſilium, auxilium, vel favorem præſtarent, eo ipſo excommunicationis vinculo ſubjectos declaravit; illis vero, ad quos electio Imperatoris ſpectaret, Succeſſorem ei eligere poteſtatem fecit, de Regno Siciliæ proviſurus poſtea cum Cardinalium conſilio, ſicut melius expedire vidiſſet.

L. Fridericum Imperatorem tot criminum reum juſte excommunicatum fuiſſe ab Innocentio IV. juſteque Regno Siciliæ privatum, quod beneficiario jure ab Eccleſia Romana tenebat, præſertim cum poteſtate ſua contra eandem Eccleſiam abuteretur, nec debitam Sedi Apoſtolicæ ratione illius Regni penſionem ſolveret, Catholici omnes Scriptores docent. Nonnulli profecto exauthorationem illam ab Imperio improbant, quod Imperium Romanæ Eccleſiæ non ita obnoxium eſt. Tenet inter alios Auctores hanc opinionem, mordicuſque tuetur Natalis Alexander in Hiſtoriam Eccleſiaſticam Seculi XIII. Diſſertatione V. Articulo III. ubi inter alia ait, non Concilium, ſed Pontificem exauthoraſſe Imperatorem, conaturque ex eo probare, quod Innocentius in titulo Sententiæ, illam a ſe ferri dicat, *Sacro præſente Concilio*, non vero, *Sacro approbante Concilio*, ut in quibuſdam ejuſdem Concilii Canonibus legitur. Verum, ut ſcite obſervat Pagius in Vita Innocentii Papæ IV. Numero XXII. magna ſuſpicio eſt, eum Sententiæ titulum non eſſe ipſius Innocentii, ſed ab exſcriptoribus, ut in ſimilibus ſæpe accidit, additum. Cum enim antequam Friderici Depoſitionem pronunciet Pontifex, dicat: *Nos itaque ſuper præmiſſis, & compluribus aliis ejus nefandis exceſſibus, cum Fratribus noſtris, & Sacro Concilio deliberatione præhabita diligenti .... memoratum Principem .... omni honore, & dignitate privatum a Domino oſtendimus, denunciamus, ac nihilominus ſententiando privamus*: Quis non videt, hæc neceſſario involvere perſpicuam Concilii approbationem?

LI. Sunt, nec inficior, qui recitata hactenus Sententiæ verba ita eſſe interpretanda contendunt, ut per ea intelligi tantum debeat, quæſtionem de Friderici exceſſibus habitam, ut excommunicatione plecti poſſet. Sed audiendus eſt Pariſius, qui non obſcure tradit, non modo ipſum Fridericum fuiſſe ab univerſa Synodo ſolemni cæremonia excommunicatum, verum etiam Imperio privatum. Ait namque, Fridericum poſt Sententiæ pronunciationem Imperatorem non eſſe nominandum. Ejus verba hæc ſunt: *Dominus igitur Papa, & Prælati aſſiſtentes Concilio, candelis accenſis in dictum Imperatorem Fridericum, qui jamjam Imperator non eſt nominandus, terribiliter, & confuſis ejus Procuratoribus, fulgurarunt.* Eam autem fuiſſe revera Pariſii mentem, Fridericum nempe non ſolum ab Innocentio, ſed etiam ab omnibus Prælatis Concilii excommunicatum, atque exauctoratum, probat Pagius ex hoc alio Pariſii loco: *Hæc autem cum intellexiſſet Magiſter Thadæus, ab imo trahens ſuſpiria ait:* Intelligo, nullum remedium patere diſcrimini; *ejulanſque, & flens ſubintulit:* Vere dies iſta, dies iræ; *ſicut antea dixerat, cum ad Concilium plenum omnes Prælati candelas ſuas accenſas inclinarent, & extinguerent, excommunicatum Imperatorem Fridericum deponentes.* Pariſio itaque teſte, omnes Prælati Concilii Fridericum depoſuerunt, ideoque & Sententia ab Innocentio IV. lata fuit non ſolum præſente, ſed etiam approbante Sacro Concilio. Idipſum, ut alios antiquos Scriptores omittam, diſerte aſſerit Nicolaus de Curbio in Vita Innocentii, Cap. XIV. ubi poſtquam dixit, laudatum Pontificem depoſitionis Sententiam in Fridericum pronunciaſſe, ita ſubdit: *Quæ fuit ab univerſis Eccleſiarum Prælatis in eodem Concilio reſidentibus approbata, ſicut liquere poteſt omnibus tam præſentibus, quam futuris per ſubſcriptiones ipſorum, & eorundem ſigilla pendentia in eodem.* Sane quod Papæ liceat Imperatores deponere, ubi ſcilicet eam ſeveritatem illorum graviſſimi exceſſus merentur, ſtatuit in ſuo Dictatu S. Gregorius Papa VII. Can. XII. quem fuſe, ac perdocte exponit Lupus Tomo V. operum Venetæ editionis; eamque propoſitionem pluribus argumentis adverſus recentiores Scriptores noviſſime defendit eruditiſſimus Joannes Antonius Bianchi Ordinis Minorum, quos de Obſervantia appellant, alumnus, ac Theologus præſtantiſſimus in ſuo Opere contra Petrum Jannone.

LII. Duo tandem adhuc ſunt, quæ & in hoc I. Generali Concilio Lugdunenſi acta fuiſſe a nonnullis Auctoribus referuntur. Primum ſpectat mitigationem Regulæ Carmelitarum. Narrat ſiquidem Bernardus Guidonis in Speculo Sanctorali, ſeu Sanctorum, ex Tractatu Stephani de Salagnaco, De regulis diverſarum Religionum, veniſſe Lugdunum ad Innocentium IV. Papam tempore Concilii aliquos ex Patribus Carmelitanis pro difficultatibus Regulæ ſuæ, & Pontificem commiſiſſe eam rem Hugoni de Sancto Caro ex inclyto Ordine Prædicatorum Tituli

S. Sa-

S. Sabinæ Presbytern Cardinali, & Guillelmo Epiſcopo Antadarenſi ex eodem Ordine; a quibus nova, mitior, ac dilucidior data eſt eis Regulæ forma, quam Innocentius ipſe Conſtitutione, quæ extat Tomo I. Romani Bullarii ordine VI. confirmavit. Eam mitigationem Diplomate etiam Apoſtolico communivit Alexander Papa IV. uti ex ejus Epiſtola LXXV. Libri I. conſtat. Porro Opus illud Bernardi Guidonis, quod inſcribitur, *Speculum Sanctorale*, ſeu Sanctorum, in Bibliotheca Fratrum Prædicatorum Toloſatium ſe vidiſſe ms. dicit Spondanus ad annum MCCXLV. & Oudinus aſſerit, etiam extare in Bibliotheca eorundem Fratrum Prædicatorum Avenionenſium.

LIII. Alterum in hoc eodem I. Lugdunenſi Concilio Statutum ſpectat Galerum, ſeu Pileum, vel Capellum rubrum Cardinalium. Ajunt enim plerique, in ipſo Concilio ſtatuiſſe Innocentium, ut Cardinales Pileum rubrum deſerrent. Certe Robertus Gaguinus Lib. VII. Hiſtoriæ Francorum, loquens de Innocentio Lugduni Concilium celebrante, docet, ipſum ſtatuiſſe, non ſolum ut Cardinales equo vecti Pileo rubro uterentur, ſed etiam ut illum perpetuo deſerrent: *Cardinalibus*, inquit, *Inſigne dat, quod capite perpetuo deſerant, hoc eſt, rubrum Galerum; idque diligenter ſervatur. Quo Pontifex eos admonitos eſſe voluit, paratos omni tempore eſſe debere ſanguinem ſundere pro Chriſtiani Populi libertate tuenda*. Nicolaus de Curbio in Vita Innocentii Papæ IV. Cap. XXI. loquens de Colloquio, quod hic Pontifex Cluniaci habuit cum S. Ludovico IX. Francorum Rege anno Chriſti MCCXLVI. diſerte docet, ordinatum quidem fuiſſe in Concilio, ut Cardinales Capellis rubris uterentur, ſed iis tantum anno ſequenti uti cœpiſſe, in ipſo ſcilicet Colloquio: *Interim Pontifex poſt Concilium anno ſecundo* (quia ſcilicet, ut notat Pagius in Vita Innocentii IV. Num. XXXI. Concilium finitum eſt menſe Julio anni MCCXLV. & Cluniaci habitum eſt Colloquium menſe Novembri exeunte anni MCCXLVI. quo currebat annus ſecundus poſt Concilium) *Cluniacum ivit, cum Rege Franciæ, & ipſius Fratribus loquuturus; ubi Domini Cardinales Capellos rubeos receperunt, ſicut in in ipſo Concilio fuerat ordinatum.*

LIV. Porro in id conveniunt Auctores paſſim, datum fuiſſe primum ab Innocentio Papa IV. Pileum rubri coloris, ut nimirum ad amorem invitarentur fundendi ſanguinis pro Eccleſia, in quam dudum Imperatores, ac tum vel maxime ſæviebat Fridericus Imperator. Atque huc ſpectat formula, qua utitur Pontifex juxta antiquum Romanæ Eccleſiæ ritum, cujus meminit Patricius Lib. I. Sectione VIII. Cap. IV. in fine, cum novo Cardinali ante ipſum genuflexo imponit Galerum rubrum ſuper caput ejus, dicens: *Ad laudem Omnipotentis Dei, & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ ornamentum, accipe Galerum rubrum, Inſigne ſingulare Dignitatis Cardinalatus, per quod deſignatur, quod uſque ad mortem, & ſanguinis effuſionem incluſive, pro exaltatione Sanctæ Fidei, pace, & quiete populi Chriſtiani, augmento, & ſtatu Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ te intrepidum exhibere debeas: in Nomine Patris ✠, & Filii &c.* Videri autem poſſit hæc Regalis Chriſti Sacerdotii purpura cumulum adjeciſſe ſummæ Cardinalium amplitudini, quæ illos deinceps certiſſime ſupra Epiſcopos omnes erexit. Ut enim Pontifex Legatos a latere illa exornans purpura, provexerat eos ſupra omnes Orbis Epiſcopos, ita cum eadem honeſtati ſunt ceteri Cardinales omnes, ſupra Epiſopos, Archiepiſcopos, & Patriarchas aſſurrexere; uti obſervat Spondanus ad annum MCCXLIV. Numero IV. & poſt eum Thomaſſinus Parte I. *Diſciplinæ*, Lib. II. Cap. CXIII. Num. VII. ubi etiam recte advertit, in hoc eodem Lugdunenſi Concilio ad dextram, & ad lævam Pontificis ſediſſe ſacrum omne Collegium ſupra Archiepiſcopos omnes; idque ex Actis ejuſdem Concilii conſtat, ubi ita inquiunt: *Ad dexteram, & in eminentioribus locis ſederunt Epiſcopi Cardinales, ex altera vero Presbyteri Cardinales; Archiepiſcopi, & Epiſcopi poſt eos*. Teſte Raynaldo, ſederunt Cardinales in Concilio Lugdunenſi II. non ſolum ſupra Epiſcopos, Metropolitanos, & Primates omnes, ſed & ſupra ipſos Patriarchas Latinos, Conſtantinopolitanum, & Antiochenum. Quod uſum Pilei ſpectat, memorat & Victorellus in ſuis ad Ciaconium Additionibus, viſas eſſe a ſe metallicas icones Pauli Papæ II. in quibus eſſent Cardinales omnes in Conſiſtorio cum Galeris ſuis. Ex quo ille inſert, ſolitos tum eos in Conſiſtoriis uti Galeris illis eiſdem, quibus in ſolemnibus etiam nunc utuntur equitationibus. Id quod etiam tradit Macrus in ſuo Hierolexico verbo *Cardinalis*, Pag. 125. ubi etiam figuram expreſſit ex numiſmate metallico ejuſdem Pontificis, in quo ex una parte Judicium univerſale, ex altera Conſiſtorium publicum cœlatum eſt, ubi Cardinales ab utroque Pontificis latere ſedere cernuntur cooperti Pileis ſuis.

LV. Sed nec omittenda hoc loco conſuetudo mittendi Pilei ad abſentes Cardinalitia dignitate donatos. Non admodum ſane vetuſta ea dici poteſt, cum anno MCCCXVI. teſte Raynaldo, Num. XX. Joannes XXII. interpellatus a Galliæ Rege Philippo, ut recens creato Cardinali Gallo Pileum mitteret, recuſaverit, excuſaveritque priſcum morem, per quem id minus liceret: *Quia nec Prædeceſſores noſtri Romani Pontifices conſueverunt extra Curiam hujuſmodi Pileos mittere*; & a temporibus Beati Ludovici Pileum Cardinalitium non eſſe miſſum, niſi ad duos Angliæ Nuncios, quorum neceſſe eſſet Dignitatem exaggerari, ut hinc pondus, & authoritas accederet eorum Statutis. Clemens VI. uti notat Thomaſſinus Parte I. *Diſciplinæ*, Libro II. Cap. CXIV. Num. XIV. cum Sacro adſcripſiſſet Collegio Abbatem S. Dionyſii, Pileum miſit, concrediditque tribus Epiſcopis cum Epiſtola, qua ſignificabat, quamvis inoleviſſet mos, ut Romam proficiſcerentur, Pileo donandi a Papa: *Licet imitanda ſervarit antiquitas, ut ad honorem Cardinalatus evectus, non prius Capello rubeo uteretur, quam illum de manu Pontificis ſuſcepiſſet*. Miſſum tamen a ſe eſſe, quem a tribus acciperet Epiſcopis, quod certior factus eſſet, eſſe graviſſima negotia, propter quæ non poſſet tunc a Rege divelli: *Pro negotiis, in quibus Rex præſentia tua indigere ſe dixit diebus aliquibus in partibus ipſis de noſtra licentia remanere*. Ceterum ſoliti ſunt hodieque Romani Pontifices, ubi filios Regum, ac Magnorum Principum Cardinales creant, ad eoſdem mittere per aliquem Romanæ Aulæ Præſulem non modo Biretum, ſed & Pileum rubrum, ac Annulum una cum Titulo; idque, ut alios omittam,

no-

Digitized by Google

noviſſime factum eſt cum Joanne Theodoro Caroli VII. Imperatoris fratre germano Epiſcopo Leodienſi, quem Regnans Pontifex ſervatum, ut ajunt, in pectore Cardinalem creavit die IX. Septembris anni MDCCXLIII. publicavitque poſtea die XVII. Januarii anni MDCCXLVI. Ad eum enim poſt illius publicationem prædicta omnia inſignia miſit, una cum Titulo S. Laurentii in Pane & Perna per Lazarum Opitium Pallavicinum Abbreviatorem, ut vulgo vocant, de Parco majori.

LVI. Una cum Pileo rubro traditam fuiſſe Cardinalibus ab Innocentio Papa IV. in hoc I. Lugdunenſi Concilio & Purpuram, aſſerit Genebrardus Lib. IV. Ciaconius in Vita Bonifacii VIII. ſcribit, hunc Pontificem purpurei coloris veſtes Cardinalibus præbuiſſe, ejuſque opinioni aſſentiri videtur Victorellus in Notis ad ipſum Ciaconium, ubi Vitam Innocentii Papæ IV. enarrat, locum Franciſci Petrarchæ referens ex Epiſtola IV. Lib. XV. Epiſtolarum ſenilium, in qua, ut notat Victorellus, de Cardinalium Purpura loquutus eſt paulo poſt Bonifacii VIII. tempora. Varii Auctores relati a Macro in Hierolexico, verbo *Cardinalis*, Paulum II: Cardinalibus conceſſiſſe referunt, *Habitum Purpuræ*, *Mozzettam*, *Mitram ſericam albam*, *&* *Clavam argenteam ante ſe deferre*. Platina, qui in offenſionem incurrit hujus Pontificis, tradit, ab eo prohibitum fuiſſe, nequis præter Cardinales indumento purpureo caput tegeret. Additur & illud ab eodem Platina, permiſſos eſſe Cardinales ab eodem Pontifice purpureis etiam ephippiis equos, & mulas inſternere, dum equitarent. Ceterum hæc Cardinalitia Inſignia cum tantum Cardinalibus e Clero ſeculari aſſumtis eſſent data, Gregorius tandem XIV. Pileo rubro decoravit Cardinales variorum Ordinum Monaſticorum, qui hactenus uſi fuerant Pileis ejuſdem coloris cum veſte ſua Religioſa.

LVII. Poſt hæc Urbano VIII. Pontifice Maximo, decretum fuit, ut non jam *Illuſtriſſimi* vocarentur, prout hactenus, ſed *Eminentiſſimi*; huncque titulum non eſſe communicandum niſi ſolis Electoribus Eccleſiaſticis Imperii, ac magno Ordinis Hieroſolymitani Magiſtro, vetitumque eſt Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, aliiſque Prælatis ſub pœna anathematis titulum illum aſſumere. Confirmatum eſt denique ab Innocentio X. anno MDCXLV. Sacrorum Rituum Congregationis Decretum, quo præcipitur omnibus Cardinalibus etiam quacunque natalium, ſeu præcellentium aliarum Dignitatum prærogativa inſignitis, ut *ſolo nomine Cardinalis* contenti, non aliis titulis nuncupentur, nec uti inter eos poſſint, quam *Eminentiſſimi*, *ac Reverendiſſimi*, necnon *Eminentiæ Reverendiſſimæ*. Inſuper jubentur omnes Cardinales e propriis ſigillis, & ſignis quibuſcumque, vulgo *armis* nuncupatis, amovere *Coronas*, *ſigna*, *ac omnes notas ſeculares*, *præter eas*, *quibus intra ſcutum armorum*, *eorum ſamilia tanquam de eſſentia*, *&* *integritate eorundem armorum utuntur*; *&* *ut inpoſterum ab illorum uſu abſtineant*, *ſolo Pileo de pretioſo Chriſti Sanguine rubente inſigniti*, *ac decorati*; *ac ulterius ſanctiſſimus Dominus noſter inhibuit ſub excommunicationis latæ ſententiæ*, *ac aliis arbitrii ſui pœnis*, *Sculptoribus*, *Pictoribus*, *ac aliis quibuſcumque*, *ne prædictas notas ſeculares in ſigillis*, *&* *armis*, *aliiſque Inſignibus S.R.E. Cardinalium ſculpere*, *ac pingere*, *aut ſculpi*, *vel pingi mandare audeant*. Atque hæc non obſcure innuunt, Cardinalitiam dignitatem jam tanti faſtigii eſſe reputatam, ut reliquæ dignitates, tam ſeculares, quam Eccleſiaſticæ, illius ſplendore tanquam ad majus lumen offuſcari videantur.

LVIII. Porro ſoliti nihilominus fuere Summi Pontifices cum filiis Regum, ac Magnorum Principum Cardinales S. R. E. crearent, ea in re diſpenſare. Ut alios omittam, ubi Regnans Pontifex BENEDICTUS XIV. egregiæ indolis, ac pietatis adoleſcentem Jacobi III. Regis Angliæ filium Henricum Benedictum Eboracenſium Ducem, die III. Julii anni MDCCXLVII. Cardinalem S. R. E. declaravit, Pontificia ſua auctoritate voluit, ut & titulum Ducis Eboracenſium retineret una cum titulo Regiæ Celſitudinis Eminentiſſimæ.

# COMMENTARII IN CANONES

## CONCILII LUGDUNENSIS I.

### TITULI CANONUM.

I. *De Reſcriptis*.
II. *De eodem*.
III. *De electione*, *&* *electi poteſtate*.
IV. *De officio*, *&* *poteſtate Judicis delegati*.
V. *De Judiciis*.
VI. *De litis conteſtatione*.
VII. *De dolo*, *&* *contumacia*.
VIII. *De Reſcriptis*.
IX. *De eo qui mittitur in poſſeſſionem cauſa rei ſervandæ*.
X. *De confeſſis*.
XI. *De appellationibus*, *&* *recuſationibus*.
XII. *De ſententia excommunicationis*.
XIII. *De rebus Eccleſiæ in inventario deſcribendis*, *ac de ipſo inventario in Archivo ſervando*.
XIV. *De ſubſidio Imperii Conſtantinopolitani*.
XV. *Admonitio Prælatorum ad populum ſibi commiſſum*.
XVI. *De Tartaris*.
XVII. *Super Cruciata*.

CA-

# C A N O N I.

Cum in multis Juris articulis infinitas reprobetur, proinde duximus ſtatuendum, ut per illam generalem clauſulam, *quidam alii*, quæ frequenter in noſtris Litteris inſeritur, ultra tres, vel quatuor, in Judicium non trahantur, quorum nomina in primo Citatorio exprimat impetrator, ne fraudi locus forſitan relinquatur, ſi circa ea poſſit libere variare.

## C O M M E N T A R I U S.

I. EA in hoc Canone Regula traditur, ut nimirum per eam clauſulam generalem, *quidam alii*, ſolum tres, vel quatuor conveniri poſſint, quorum nomina in primo Citatorio ab impetratore Reſcripti exprimantur, *ne fraudi locus forſitan relinquatur, ſi circa ea poſſit libere variare*. Cauſam edendi hujus Canonis præmittit Pontifex, ita in ipſo Canonis limine inquiens: *Cum in multis Juris articulis infinitas reprobetur*. Plura in hanc rem exempla cum Juris Civilis, tum Canonici, in quibus infinitas reprobatur, afferunt Gloſſa, Archidiaconus, & alii in Capite II. *De Reſcriptis*, in VI. in quod hic noſter Canon relatus fuit. In multis enim valde Reipublicæ perniciosum eſt arbitrio hominum relinquere menſuram, & determinationem agendorum. Imo, uti in citato Capite II. obſervat præſtantiſsimus Theologus, & Canonici Juris Conſultus, atque Interpres Petrus Maria Paſſerinus, ad hoc eſt neceſſaria Lex poſitiva, ut Legis naturalis, aut divinæ determinationem ſtatuat, cum ſuavi gubernationi Mundi non convenerit, Deum hujuſmodi materias determinaſſe, quæ ex hominum, & rerum conditione vario modo, & non immutabili ſunt determinabiles.

II. Pro intellectu autem hujus Canonis præſupponendum eſt, quod docet Gloſſa loco citato, aliquando ſcilicet in Reſcripto Delegatorio, nempe in ejus narratione poni hæc verba: *Benedictus Episcopus ſervus ſervorum Dei &c. Conqueſtus eſt nobis talis, quod talis Titius, & quidam alii ſuper tali re ei injuriantur. Mandamus, quatenus vocatis vocandis, quod juſtum fuerit, decernas*. Aliquando poni eadem verba non ſolum in parte narrativa, ſed etiam in parte diſpoſitiva, hoc modo: *Conqueſtus eſt nobis talis, quod talis Titius, & quidam alii ſibi injuriantur &c. Mandamus, quatenus dictum Titium ad præſentiam tuam convoces, & alios quos dictus talis tibi duxerit nominandos*. Siquis itaque a Romana Sede Apoſtolica contra aliquem ſub prædicta forma Reſcriptum impetravit, non eſt dubium, quod virtute ipſius Reſcripti convenire illum poſſit coram Judice Delegato, & alios etiam comprehenſos ſub ea clauſula, *& quoſdam alios*. Provide autem ſtatuit Canon, ut ubi in Reſcripto addita eſt clauſula illa, *& quidam alii*, quæ cum ſit indefinita, ad infinitos ſe poſſet extendere, infinitatem auferens, quæ, uti dictum eſt, in multis Juris articulis reprobatur, ſtatuit, inquam, ut non ſe extendat *ultra tres, vel quatuor*. Tum præſertim, *quia*, uti inter alios Interpretes advertit Gloſſa, *per generalitatem iſtam derogabatur Juriſdictioni ordinariæ Epiſcoporum, cui per hanc Conſtitutionem providetur*. Quia nimirum quanto plures ex eorum ſubditis trahebantur ad Judicium Delegatorum Judicum, tanto minus poterant ipſi de ſubditorum ſuorum cauſis cognoſcere; ideoque Canon hic noſter non quidem Ordinarios comprehendit, ſed ſolum Delegatos; illi enim poſſunt citare, quot citandos eſſe judicant, ut inter alios docet Ubertus, *De Citatione*, Cap. IX.

III. Notanda ſunt nunc ea Canonis verba, *quæ frequenter in noſtris litteris inſeritur*; ex illis enim ea ſolvitur Quæſtio, an Regula noſtro hoc Canone tradita ſe etiam extendat ad Reſcripta data ab Epiſcopis, & Prælatis inferioribus. Et non extendi quidem ad ipſa Epiſcoporum Reſcripta, recte aſſerunt Doctores, quos citat ac ſequitur Paſſerinus. Cum enim expreſſe Innocentius Papa IV. noſtro hoc Canone loquatur de Litteris ſuis, non videtur poſſe ea Regula extendi ad aliorum litteras; nec eſt judicandum, dictionem illam *noſtris* poſitam caſu fuiſſe, ſed ex propoſito ad ſic reſtringendam Regulam ad Reſcripta ipſa Papalia. Nam cum etiam hæc Regula odioſa ſit tanquam continens præjudicium ordinariæ Juriſdictionis Epiſcoporum, ut notavit etiam Panormitanus in Cap. *Ad hæc, De Reſcriptis*, ſtricte debet interpretari, nec ad caſum non expreſſum extendi. Neque enim eſt eadem ratio de Pontifice, & Epiſcopis, tum quia Prælati inferiores non ita frequenter, ut Romani Pontifices Maximi, reſcribunt delegando cauſas; tum etiam quia, ſi delegant, hoc non eſt in præjudicium alicujus alterius Prælati inferioris habentis Juriſdictionem, cum iſti non dentur regulariter ſub Epiſcopis; tum demum, quia facilis eſt recurſus ad Epiſcopos, imo & ad Legatos exiſtentes in Provincia, ut ſi forſitan contingat fraus, obtineatur remedium. Varia in hunc noſtrum Canonem relatum in Cap. II. *De Reſcriptis*, in VI. egregie fuſeque explicat laudatus Paſſerinus loco citato, ubi inter alia notat varios caſus, in quibus Regula præſenti hoc Canone tradita non habet locum.

# C A N O N II.

Præſenti Decreto duximus ſtatuendum, ne a Sede Apoſtolica, vel Delegatis ipſius, Cauſæ aliquibus committantur, niſi Perſonis, quæ vel Dignitate ſunt

præditæ, vel in Eccleſiis Cathedralibus, ſeu aliis Collegiatis honorabilibus conſtitutæ, vel locis magnis, & inſignibus, ubi haberi valeat Juris copia peritorum, Cauſæ hujuſmodi agitentur. Judicibus vero, qui contra hoc Statutum ad alia loca alterutram partium citaverint, vel utramque, non pareatur impune, niſi citatio de communi utriuſque partis præceſſerit voluntate.

## COMMENTARIUS.

I. JUre Decretalium circa Judices a Sede Apoſtolica delegandos nullas ſpeciales qualitates reperiri expreſſas, ſed quoslibet etiam ſimplices Clericos Jure ipſo delegari potuiſſe, ſcitiſſime obſervat Vaneſpen, Parte III. *Juris Eccleſiaſtici univerſi*, Titulo v. Cap.II. plurima enim delegationum hujuſmodi exempla occurrunt. At vero cum id in depreſſionem Apoſtolicæ Sedis, & Ordinariorum, quibus delegati Judices ſuperiores ſe eſſe prætendebant, cederet, inde eſt, quod hic noſter Canon merito ſtatuit, *ne a Sede Apoſtolica, vel Delegatis ipſius, Cauſæ aliquibus committantur, niſi Perſonis, quæ vel Dignitate ſunt præditæ, vel in Eccleſiis Cathedralibus, ſeu aliis Collegiatis honorabil.bus conſtitutæ, vel locis magnis, & inſignibus, ubi haberi valeat Juris copia peritorum, Cauſæ hujuſmodi agitentur*. Huic Canoni novum robur addidit Bonifacius Papa VIII. ubi in Cap. *Statutum*, XI. *De reſcriptis*, in VI. diſerte ſancivit, *ut nullis, niſi Dignitate præditis, aut Perſonatum obtinentibus, ſeu Eccleſiarum Cathedralium Canonicis, Cauſæ auctoritate Literarum Sedis Apoſtolicæ, vel Legatorum ejus de cetero committantur; nec audiantur alibi, quam in Civitatibus, vel locis inſignibus, ubi poſſit commode copia peritorum haberi*.

II. Perſonatum, & Dignitatem in Jure Canonico nonnunquam accipi pro ſynonimis, noſcitur plane ex variis Decretalium Capitibus, & ex Romanum Pontificum Epiſtolis. Capite VIII. *De Conſtitutionibus*, Primiceriatus Tullenſis Eccleſiæ, nunc Perſonatus, nunc Dignitas, nunc etiam Officium appellatur. Rurſus Cap. VIII. *De reſcriptis*, Decani, Archidiaconi, & alii dicuntur ſupprimere nomen ſuæ Dignitatis, *tamquam non habeant aliquem Perſonatum*. Hoc Capite Perſonatu idem ſignificari, quod antea expreſſum erat nomine Dignitatis, ex contextu evidens eſt. Plures id genus Textus occurrunt ſæpe in Decretalium Titulis; notatque in ſua Summa Hoſtienſis ad Titulum, *De Præbendis*, quod Dignitas ſit quædam præeminentia in gradu, quæ aliquando vocatur Perſonatus. Ceterum non deſunt Textus in eodem Jure Canonico, qui Dignitatem a Perſonatu diſtinguere videntur. Conſtat id quidem ex Cap. *De multa*, *De Præbendis*, in quod relatus eſt Canon XXIX. Concilii Oecumenici IV. Lateranenſis a nobis jam Tomo III. explicatus. Cum enim dixiſſet Concilium, quod jampridem prohibitum fuerit, ut nullus diverſas Dignitates Eccleſiaſticas, vel plures Eccleſias Parochiales reciperet, contra præſcriptum Canonum, ita deinde ſubjicit: *Hoc idem in Perſonatibus decernimus obſervandum; addentes, ut in eadem Eccleſia, nullas plures Dignitates, aut Perſonatus habere præſumat*. Eadem diſtinctio non minus aperte occurrit in recitato ſuperius Cap. *Statutum*, *De reſcriptis*, in VI. ub. decernitur, Cauſas a Sede Apoſtolica non delegandas, niſi Dignitate præditis, aut Perſonatum obtinentibus, vel Canonicis Cathedralium Eccleſiarum.

III. Hiſque aliiſque allegatis locis concludit inter alios doctiſſimus Fagnanus in Cap. *Ad hæc*, XIII. *De Præbendis*, Num. XI. quod *neceſſe eſt fateri prædicta differre non ſolum nomine, ſed etiam re; & verum eſſe, quod dicunt Archidiaconus, & Joannes Andreas locis citatis, & Oldradus Conſilio* CL. *ubi ait: Si horum duorum vocabulorum virtus (ſcilicet Dignitatis, & Perſonatus) proprie ſumatur, neutrum eſt alterum; licet, ſi ſumantur large, & improprie, vel ſint ſynonima, vel convertibilia alterum in altero &c.* Fatetur quoque ibidem Fagnanus, quod ſecundum locorum conſuetudinem hæc nonnunquam accipiuntur tanquam ſynonima. Tradit autem & illud Vaneſpen, Parte II. *Juris Eccleſiaſtici*, Tit. XVIII. Cap. II. Num. X. rariores eſſe hodie in Belgio Perſonatus, & inter ſimplicia Beneficia reputari; ſubditque Parte III. Tit.V. Cap.II. Num.XXII. citans Zypæum, Conſultatione I. *De officio Judicis delegati*, Numero XIV. quoad habentes Perſonatum, derogaſſe conſuetudinem memoratæ Bonifacii Papæ VIII. Conſtitutioni. Quod Dignitatem ſpectat, ut ea talis reputetur, inſpicienda eſt non modo inſtitutio, ſed & potiſſimum Eccleſiarum conſuetudo; quædam enim in una Eccleſia pro ſimplici Officio, aut Beneficio, & in aliis pro Dignitate habentur; uti recte inter alios advertit Pinſonius, *De Beneficiis*, Cap. IV. §. XX. Num. VII. ſic inquiens: *Conſuetudinem cujuſque Eccleſiæ ita ſpectandam, ut eatenus quiſque dicatur habere Dignitatem, vel Officium, quatenus reputatur eſſe in Officio, vel Dignitate, ut in hoc vere dici poſſit, plus eſſe in opinione, quam in rei veritate, quod omnes Interpretes uno ſimul ore pronunciant auctoritate Capitis*, Cum olim, De conſuetudine.

IV. Explicatis hucuſque Dignitatis, & Perſonatus nominibus pro intelligentia non ſolum noſtri hujus II. Canonis Concilii I. Lugdunenſis, ſed & Canonis XXIX. Lateranenſis IV. Concilii, & Bonifacianæ Conſtitutionis: exponendum eſt nunc quid circa Judices a Sede Apoſtolica, ejuſve Legatis, aut Nuntiis delegandos, ſtatuit demum Synodus Tridentina Seſſione XXV. *De reformatione*, Cap. X. Sane conſiderans Synodus, quoniam ob malitioſam petentium ſuggeſtionem, & quandoque ob locorum longinquitatem, perſonarum notitia, quibus Cauſæ mandantur, uſque adeo haberi non poteſt; hincque interdum Judicibus non undequaque idoneis Cauſæ in partibus delegantur, ſtatuit ſancta ipſa Synodus, *in ſingulis Conciliis Provincialibus, aut Diœceſanis aliquot perſonas, quæ qualitates habeant juxta Conſtitutionem Bonifacii VIII. quæ incipit,* Sta-

Digitized by Google

Statutum, *& alioqain ad id aptas deſignari, ut præter Ordinarios locorum, iis etiam poſthac Cauſæ Eccleſiaſticæ, ac ſpirituales, & ad Forum Eccleſiaſticum pertinentes, in partibus delegandæ committantur. Et, ſi aliquem interim ex deſignatis mori contigerit, ſubſtituat Ordinarius loci cum conſilio Capituli alium in ejus locum uſque ad futuram Provincialem, aut Diœceſanam Synodum; itaut habeat quæque Diœceſis quatuor ſaltem, aut etiam plures probatas perſonas, ac ut ſupra qualificatas, quibus hujuſmodi cauſæ a quolibet Legato, vel Nuntio, atque etiam a Sede Apoſtolica committantur: alioquin poſt deſignationem factam, quam ſtatim Epiſcopi ad Summum Romanum Pontificem tranſmittant, delegationes quæcumque aliorum Judicum aliis, quam his factæ, ſubreptitiæ cenſeantur.* Hactenus Synodi Tridentinæ Decretum.

V. Vult ergo inprimis Synodus ipſa Œcumenica, ut Judices, quibus in partibus Cauſæ delegantur a Legatis, vel Nuntiis, atque etiam a Sede Apoſtolica, qualitates habeant in citata Conſtitutione Boniſacii VIII. expreſſas. Vult deinde & illud, ut ex perſonis illis, quæ memoratis qualitatibus ſunt præditæ, aliquæ nominatim deſignentur in Conciliis Provincialibus, aut Diœceſanis, quibus, & non aliis, poſthac Cauſæ Eccleſiaſticæ, & ad Forum Eccleſiaſticum pertinentes, in partibus delegandæ committantur. Unde juxta Decretum laudatæ Synodi non ſufficit, quod quis ſit in Dignitate conſtitutus, ut Cauſæ ei delegari queant; ſed opus eſt, ut ſit ad id officii ſpeciatim deſignatus, ſeu nominatus, in Synodis ſcilicet Provincialibus, ſeu Diœceſanis, in quibus perſonæ ipſæ ad hoc munus delectæ vocari hodieque ſolent Judices Synodales, quaſi a Synodo deſignatæ ſint in Judices. Porro cum hodie raro admodum Synodi Provinciales, vel Diœceſanæ celebrentur, paſſim uſu invaluit, ut juxta Concilii Tridentini Decretum Ordinarii de conſilio Capituli Judices Synodales conſtituant, quibus, & non aliis Cauſæ in partibus committantur. Ipſa neceſſitas ejus deſignationis peragendæ in Synodis, vel ab Ordinariis de conſilio Capituli, facit quidem, ut hodie ceſſet Alexandri III. Conſtitutio in Cap. *Quoniam Abbas*, XIV. *De officio, & poteſtate Judicis delegati*, qua deciditur, ſucceſſorem in Dignitate ſuccedere in delegatam juriſdictionem, quæ facta eſt ſub nomine Dignitatis, & non perſonæ nominatim expreſſæ. Non enim ſufficit, uti jam dictum eſt, ut quis Dignitatem habeat; ratione cujus prædeceſſor electus in Judicem Synodalem fuit, ſed neceſſaria & eſt ſpecialis deſignatio perſonæ.

VI. Certum autem, atque indubitatum illud eſt, quod poſt alios notat Stephanus Ureymſius Analyſi ad Conſtitutionem I. inter IV. Conſtitutiones per Concilium Tridentinum innovatas, ſiquis nempe conſtitutus in Dignitate, fuerit in Judicem Synodalem deſignatus, eique cauſa aliqua delegata, ſi poſtmodum eam Dignitatem reſignaverit, poſſe ipſum nihilominus in Cauſa illa pergere; & ratio eſt, quia proprie non eſt ipſa Dignitas, aut Canonicatus Eccleſiæ Cathedralis, quæ perſonam ad judicandum aptam reddit; ſed ideo requirit Synodus Tridentina eam qualitatem, quod magis de capacitate harum perſonarum ex Dignitate, quam obtinent, præſumatur: præſumtio autem nullatenus diminuitur, licet qualitas illa poſtmodum illis deſit; atque hoc caſu vere, & proprie accipi poſſunt ea Tridentini Decreti verba: *alioquin ad id aptas*; cum ſatis cenſeatur apta perſona, quæ ſemel apta fuit, nec aliquid, quod ad aptitudinem in judicando conducit, amiſit. Varias de hac re quæſtiones diſcutiunt Canoniſtæ ad Titulum, *De officio, & poteſtate Judicis delegati*, ubi etiam inter alia docent in Cap. *Cum in Jure*, Tituli citati, quod, ut quis poſſit jure ſpecialis delegationis procedere, debet ante omnia delegationem probare, neque fides adhibenda dicenti ſe delegatum, niſi probet ſe delegatum, Imo ſicut Mandatis Principum, quæ quis ſe habere aſſerit, credi non debet, niſi ſcriptis probaverit, ex Leg. I. Cod. *De Mandatis Principum*; ita nec Delegato credendum, niſi litteris ſuam probaverit delegationem, uti fuſe oſtendit Fagnanus in dicto Cap. *Cum in Jure*.

## C A N O N III.

In Electionibus, & Poſtulationibus, ac Scrutiniis, ex quibus jus oritur eligendi, Vota conditionalia, alternativa, & incerta, penitus reprobamus: ſtatuentes, ut, hujuſmodi Votis pro non adjectis habitis, ex puris conſenſibus celebretur electio, voce illorum, qui non pure conſenſerint, ea vice in alios recidente.

## C O M M E N T A R I U S.

I. TRiplicem Canonicæ electionis formam, per Scrutinium ſcilicet, Inſpirationem, & Compromiſſum, præſcripſit jam Lateranenſe IV. Generale Concilium Canone XXIV. quem nos Tomo noſtro III. Conciliorum ſuo loco explicuimus. Vult autem hic præſens Canon, ut vota eligentium exprimi debeant abſolute, & determinate, penituſque reprobat *Vota conditionalia, alternativa, & incerta*: & quidem *in Electionibus, & Poſtulationibus, ac Scrutiniis, ex quibus jus oritur eligendi*. Declarat tum etiam Lugdunenſis Canon, hujuſmodi vota habenda eſſe pro non adjectis; quod & procederet, licet etiam alio ex capite vota eſſent nulla, uti recte notat Barboſa Lib. I. *Juris Eccleſiaſtici*, Cap. XIX. Num. CC. ubi & ita ſcribit: *Si in ſcrutinio per ſchedulas celebrato reperiatur aliqua ſchedula alba, tunc ea rejecta, ac ſi non eſſet, cætera vota numerantur*. Votum in Electione, & Poſtulatione idem eſt ac ſuffragium. Introducta eſt autem Poſtulatio in ſubſidium electionis, ut is ſcilicet, qui per Canones eligi prohibetur, ſaltem per Poſtulationis ſubſidium juvetur: per hanc enim a Superiore pe-

titur gratia impedimenti Canonici remittendi, quod eligendo obſtat. Velnti ſi de Laico in Epiſcopum aſſumendo agatur, vel de eo qui illegitime natus, aut ætate minor eſt, uti docent paſſim Scriptores in Titulum, *De Poſtulatione Prælatorum*.

# C A N O N IV.

Statuimus, ut Conſervatores, quos plerumque concedimus, a manifeſtis injuriis, & violentiis defendere poſſint, quos eis committimus defendendos, nec ad alia, quæ ad judicialem indaginem exigunt, ſuam valeant extendere poteſtatem.

## C O M M E N T A R I U S.

I. INter alios exemtionis effectus qua ex Apoſtolicæ Sedia indulto donati ſunt Regulares, præcipnus plane ille eſt, quod abſoluti a juriſdictione Ordinarii, Sedi Apoſtolicæ immediate ſubjiciuntur, & per exemtionem Romanus Pontifex Maximus fit proximus Superior, & Ordinarius exemtorum, ne acephali ſcilicet maneant. Can. *Nulla ratione*, Diſtinctione XCIII. Can. *Abbatibus*, Cauſa XVIII. Quæſtione II. Cap. *Auctoritate*, *De privilegiis*, in VI. Hinc Monaſterium exemtum dictum eſt Allodium, ſeu Patrimonium francum, & liberum S. Petri, & Abbas Vindocinenſis, qui eſt exemtus, Allodiarius B. Petri, uti de ſeipſo Goffridus Abbas Vindocinenſis Lib. II. Epiſtola VII. ita ſcribit ad Ivonem Epiſcopum Carnotenſem: *Pro conſecratione profeſſionem, & pro profeſſione ab Allodiario Beati Petri ſubjectionem vobis vindicatis*. Perperam Epiſcopi eam ſibi a conſecratis Abbatibus profeſſionem ſubjectionis vindicabant; id enim paſſim Saeri Canones improbant, expreſſe volentes, ne Abbates exemti ſubjectionem ipſam Epiſcopo exhibeant. Cap. *Ne Dei Eccleſiam*, *De ſimonia*, Cap. *Sane*, *De exceſſibus Prælatorum*, Cap. *Cum olim*, *De privilegiis*. Atque inde eſt, quod cum Ivo Epiſcopus Carnotenſis a Goffrido Abbate Vindocinenſi exempto, cui benedictionis munus impertiit, profeſſionem obedientiæ extorſiſſet, Urbanus Papa II. profeſſionem illam irritam dixit, quaſi ſubreptam in fraudem Sedis Apoſtolicæ & exemtionis; de qua re legendus idem Goffridus Libro II. Epiſtola II. & VII.

II. Porro quod Epiſcopi, Regularium privilegiis ſtomachati, ea frequenter convellerent, manifeſtiſque injuriis, ac violentiis Regulares ipſos exemtos, & Apoſtolicæ Sedi immediate ſubjectos afficerent, conceſſum eiſdem & illud jam a pluribus ſeculis privilegium a Summis Pontificibus fuit, ut Privilegiorum ſuorum Conſervatores contra notorias injurias, & manifeſtas violentias Epiſcoporum haberent. Antiqui hujus moris meminit inter alias Herbipolenſis Synodus anni MCCLXXXVII. Canone XXXIX. his verbis: *Conſervatores, qui perſonis Religioſis, & Monaſteriis maxime dari conſueverunt exemtis per Summum Pontificem, aut Legatos ejus miſſos a latere &c.* Juxta noſtrum Canonem relatum in Cap. I. *De officio & poteſtate Judicis delegati*, in VI. dari poſſunt Conſervatores per ſolum Romanum Pontificem, uti ex illis verbis, *quos plerumque concedimus*, probat Joannes Andreas, confirmatque ex Cap. ultimo ejuſdem Tituli, ubi Bonifacius Papa VIII. agens de ipſis Conſervatoribus, ita ait: *qui aliquibus, ut a manifeſtis injuriis, & violentiis, tueantur eoſdem, plerumque a Sede Apoſtolica conceduntur*. Non ergo Legati Apoſtolicæ Sedis Conſervatores dare poſſunt, uti in ſua Summa notat Silveſter Prieras, verbo, *Conſervator*, §. II. ubi etiam ex laudato Joanne Andrea varias differentias deſcribit inter Conſervatorem ipſum, & Judicem delegatum.

III. Rurſus ex noſtro Canone addiſcimus, poſſe Conſervatorem ex officio ſuo de manifeſtis ſolum injuriis, & violentiis cognoſcere, notoriis ſcilicet, & ita patentibus, ut nulla probabili tergiverſatione celari poſſint, uti communiter Canonici Juris Interpretes docent; ſi autem de dubiis velit Conſervator injuriis cognoſcere, vel ad alia, quæ judicialem indaginem exigunt, ſuam extenderit poteſtatem, jam non modo totum id quod egit, irritum eſt, & inane, Capite, *Hac Conſtitutione*, XV. citati Tituli, *De officio, & poteſtate Judicis delegati*, in VI. verum eo ipſo per annum eſt ab officio ſuſpenſus, ut ibidem ſtatuitur, & ſecundum Gloſſam etiam a Beneficio, quod eſt officii ſequela. Pars vero quæ hoc fieri procuravit, ex præſcripto citati Capitis, ſententiam excommunicationis incurret, a qua non poteſt abſolvi, *niſi ei, quem ſic fatigavit indebite, primo ſatisfaciat integraliter de expenſis*. Varia de Conſervatore tradit quidem laudatus Bonifacius Papa VIII. in memorato Titulo, *De officio, & poteſtate Judicis delegati*, in VI. præſertim vero Cap. ultimo, ubi inter alia inquit, officium quorumcumque Conſervatorum ipſo jure quoad non cœpta negotia per obitum concedentis expirare. Circa munera vero, & expenſas, Aſſeſſores, ac Notarios, & Perſonas teſtimonii cauſa vocandas, illa præcipit in hujuſmodi Conſervatoribus per omnia obſervari, quæ in delegatis Judicibus, Conſtitutio ſuper his edita obſervanda decreverat.

IV. Illud autem convenit inter Apoſtolicum Delegatum, & Conſervatorem, quod tam ille, quam hic poteſt contra Epiſcopum rebellem, aut contumacem, vel manifeſtas injurias, & violentias Religioſis Ordinibus exemtis inferentem procedere etiam per Cenſuras Eccleſiaſticas, Cap. *Sane quia*, XI. *De officio, & poteſtate Judicis delegati*; & Cap. *Quia Pontificali*, II. eodem Titulo in VI. ſed ita tamen, ut in Cenſuris ipſis promulgandis Dignitati Pontificali reverentia deferatur, uti in citato Cap. II. diſerte ſtatuit Alexander Papa IV. ſic inquiens, *Quia Pontificali Dignitate præditis ob reverentiam ſacri officii, quod exercent, plurimum deferri convenit, & eos plus aliis honorari decet, ut cum a Judicibus, vel Conſervatoribus a Sede Apoſtolica*

*lica deputatis, contra eos ad coactiones aliquas, ſive pœnas fuerit procedendum, gradus, & modeſtia in hujuſmodi proceſſu ſervetur, ita quod eis quadam condigna reverentia ſupportatis, ingreſſus primo ipſis Eccleſiæ, vel Sacerdotale interdicatur miniſterium, ac deinde ab Officio ſuſpendantur, & ſubſequenter adgravetur Cenſura Eccleſiaſtica contra eos: niſi forte aliter fieri ſuaſerit nimia contumaciæ protervitas, ſive culpa*. Non eſt dubium, quin aſpera fuerit aliquando durities, ac perſequutio Epiſcoporum in Monachos; frequentes ſiquidem contra Epiſcopos fuerunt Abbatum, & Monachorum querelæ. Audiendus Petrus Abbas Cluniacenſis, qui Lib. I. Epiſtola II I. ita ſcribit: *Monachis Epiſcopi ſic infeſti ſunt, at non ſicut Paſtores gregem paſcere, ſed ſicut vere ſecundum Evangelium mercenarii, ad lanam tollendam, & lac emulgendum, toto anniſu intendere videantur*. Et Anſelmus, tum Abbas Beccenſis, & poſtea Archiepiſcopus Cantuarienſis Lib. II. Epiſt. XXXIII. ad Urbanum II. qua petebat privilegium pro Monaſterio Uticenſi, *Non enim*, inquit, *ignotum eſſe puto veſtræ Excellentiæ, quia plures Epiſcopi non tantum gaudent Monaſteria paterna pietate nutrire, & Epiſcopali cura erudire, quam auſtere quadam dominatione, & propria voluntate gravare*.

V. Compeſcendæ quorumdam Epiſcoporum licentiæ, atque inſolentiæ, Regularium Privilegia infringentium, occurrerunt quidem non ſemel Summi Romani Pontifices, ubi eiſdem Conſervatores conceſſere, qui eos tuerentur a manifeſtis injuriis, & violentiis juxta præſcriptum noſtri Canonis, & Capitis ultimi, *De officio, & poteſtate Judicis delegati*; ſed fateri oportet, Regulares ipſos ea Pontificia conceſſione abuſos venerabili Epiſcoporum dignitati frequentes, atque atrociſſimas injurias irrogaſſe. Ut alia exempla omittam, lubet hoc loco referre, quod narrat, docetque Fagnanus in Cap. *Sane quia*, XI. *De officio, & poteſtate Judicis delegati*, circa celebrem illam Venerabilis Servi Dei Joannis de Palafox Angelopolitani in Indiis Orientalibus Epiſcopi cum Societatis Jeſu Presbyteris controverſiam ſuper Confeſſionibus, Prædicatione, & Conſervatorum juriſdictione; multum enim confert ad noſtri hujus Canonis dilucidationem, quod eam in rem laudatus præſtantiſſimus Auctor ſcribit, qui diu a Secretis fuit Sacræ Congregationis negotiis Epiſcoporum, & Regularium præpoſitæ, & particulari Congregationi ab Innocentio Papa X. ad eam controverſiam dirimendam ſpecialiter deputatæ ſemel, atque iterum interfuit.

VI. Quum ergo anno Chriſti MDCXLVII. Epiſcopi Angelopolitani Proviſor publicis Edictis intimari mandaſſet Rectoribus Collegiorum S. Spiritus, & S. Ildefonſi ipſius Societatis in Civitate Angelopolitana, ut infra diem naturalem exhiberent Epiſcopo omnes licentias, quas habebant Religioſi commorantes in dictis Collegiis, audiendi Confeſſiones ſecularium, & verbum Dei prædicandi, interimque ab ipſis Confeſſionibus, & Prædicatione abſtinerent: Provincialis ejuſdem Societatis, qui tunc degebat in Civitate Mexicana, de his admonitus, prætendens plures injurias Societati ſuæ illatas fuiſſe in hujuſmodi Edictis: nominavit duos Conſervatores ex Ordine Prædicatorum, qui ſic nominati ſuis Edictis præceperunt Epiſcopo, & Proviſori, ut Decreta ab ipſis edita revocarent ſub pœna bis mille aureorum, quoad Epiſcopum, & excommunicationis quoad Proviſorem. Quam ob cauſam ab eodem Proviſore Conſervatores denunciati fuerunt incidiſſe in excommunicationem Bullæ Cœnæ Domini, & ipſi viciſſim Epiſcopum, ejuſque Proviſorem excommunicatos declararunt. Re ab Epiſcopo ad Summum Romanum Pontificem Innocentium X. delata, ac Proceſſu tranſmiſſo, mandavit mox ille, has controverſias in Congregatione dirimi ad hoc ſpecialiter deputata, quæ ſemel, atque iterum habita fuit, nempe die VI. & XVI. Aprilis anni MDCXLVIII. eique interfuerunt S. R. E. Cardinales, Spada, Sacchettus, Ginettus, Carpineus, Franciotus, & ex Prælatis Farneſius Archiepiſcopus Patracen, Maraldus, Paulutius, & Fagnanus, ut idem citato loco teſtatur, qui etiam ait, editas ab ipſa Congregatione fuiſſe quamplures Reſolutiones, confirmatus poſtea a laudato Innocentio Papa X. per Litteras in forma Brevis, quas infra referemus.

VII. Diſcordiarum origo inter memoratum Epiſcopum, & Jeſuitas fuit Edictum, quo Epiſcopus ipſe Angelopolitanus in exequutionem Decreti Synodi Moguntinæ relati in Can. *Siquis Laicus, vel Clericus*, Cauſa XVI. Quæſtione I. & Canone LIII. Concilii IV. Œcumenici Lateranenſis, relati in Cap. *In aliquibus*, *De Decimis*, præcepit Secularibus ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ut in alienationibus, quas facerent in Regulares exemtos, reſervarent Decimas Cathedrali Eccleſiæ. Hæc fuit petra ſcandali, ut Epiſcopus ſuis Litteris teſtatus eſt ad Summum Pontificem ſcriptis. Ceterum Canon, *Siquis Laicus &c.* non vetat, quin bona alienentur Regularibus exemtis, nec præcipit, ut in hujuſmodi alienationibus Decimæ reſerventur Eccleſiis, ſed tantum inhibet, ne prædia Decimalia alienentur ſub conditione, vel pacto de non ſolvendis Decimis, & ideo tenet alienatio, ſed conditio, vel pactum vitiatur, ut in eum Canonem notant Gloſſa, Archidiaconus, & Cardinalis Turrecremata. Canon quoque, *In aliquibus*, non prohibet, quin fiant alienationes in perſonas exemtas, ſed ſolum, ne prædia Decimalia locentur eis, qui Decimas non ſolvebant ſecundum ritus ſuos, & de more, ideſt, ex prava conſuetudine, ut ibidem inter alios notat Hoſtienſis. Jeſuitæ autem in ſua exemtione a Decimis prædialibus jam non pactis in alienatione appoſitis innitebantur, ſed ſuis Apoſtolicis privilegiis.

VIII. Quantum ad alia ejuſdem Angelopolitani Epiſcopi Edicta circa Sacramentum Pœnitentiæ, & Prædicationem Verbi Dei, manifeſtum profecto eſt, Regulares etiam Societatis Jeſu non poſſe audire Sacramentales Confeſſiones Secularium ſine approbatione Epiſcopi, ut diſerte ſtatuit Concilium Tridentinum, Seſſione XXIII. *De reformatione*, Cap. XV. edicitque inter alios Urbanus Papa VIII. in ſuo Brevi, *Cum ſicut accepimus*, edito ex Voto Sacræ Congregationis ſuper negotiis Epiſcoporum, & Regularium, quo revocantur Indulta omnia audiendi Secularium Confeſſiones abſque Ordinarii examine, & approbatione quibuſvis Regularibus conceſſa, etiam Societatis Jeſu. Similiter manifeſtum eſt ex iteratis ejuſdem Concilii Tridenti-

dentini Decretis, Regulares non poſſe prædicare in Eccleſiis ſui Ordinis non petita Epiſcopi benedictione, nec in aliis Eccleſiis ſine ipſius licentia, imo nec in Eccleſiis etiam Ordinis ſui, contradicente Epiſcopo, ut habetur in Cap. IV. Seſſionis XXIV. *De reformatione*, & decidit non ſemel Sacra ipſa Congregatio Tridentini Concilii Interpretum.

IX. Porro tametſi Auctores multi ejus ſint opinionis, non poſſe Epiſcopos in vim Tridentini Decreti per Cenſuras, & alias pœnas prohibere Regularibus adminiſtrationem alicujus Sacramenti, vel Prædicationem Verbi Dei non petita, vel habita prius ipſorum benedictione, aut eiſdem contradicentibus; quemadmodum delinquentes in ea re Regulares, non ab Epiſcopo, ſed utpote exemtos a ſuis Superioribus eſſe puniendos; fatentur tamen omnes, poſteriori Conſtitutione Gregorii Papæ XV. quæ incipit, *Inſcrutabili Dei providentia*, in Sacra Concilii Congregatione compoſita, editaque anno Chriſti MDCXXI. tribui quidem facultatem Epiſcopo tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegato coercendi, ac puniendi etiam per Cenſuras Eccleſiaſticas Regulares in adminiſtratione alicujus Sacramenti delinquentes, & Verbum Dei prædicantes, non petita, vel habita Epiſcopi benedictione, aut ipſo contradicente. Unde non videtur ambigendum, quin Epiſcopus Angelopolitanus in vim hujus recentioris Conſtitutionis potuerit ſub Cenſuris prohibere Patribus Jeſuitis, ne Confeſſiones Secularium audirent, aut Verbum Dei prædicarent, abſque ſua approbatione, & licentia. Non itaque Jeſuitis licuit ob eam cauſam Conſervatores eligere; nullam enim eis fecit Epiſcopus injuriam, quippe qui uſus eſt ea facultate ſibi in præcitata Gregorii XV. Conſtitutione attributa.

X. His accedit, quod ex duobus Conſervatoribus, quos Jeſuitæ adverſus Epiſcopum, quis crederet, e Prædicatorum Ordine elegerunt, alter fuit Prior Conventus S. Dominici; nam etſi, ubi non ſunt Judices Synodales, ut in Diœceſi Angelopolitana, poſſint eligi in Conſervatores ii qui habent Dignitatem in Collegiata Eccleſia ad præſcriptum Capitis ultimi, *De officio, & poteſtate Judicis delegati*, in VI. uti Sacra Congregatio Concilii declaravit; & Prior Conventualis dicatur habere Dignitatem in Eccleſia Collegiata, ideoque poſſit eſſe non modo Judex delegatus, ut eſt Textus in Clementina II. *De reſcriptis*, & notat poſt alios Felinus in Cap. *Cum olim*, *De majoritate*, *& obedientia*; ſed etiam Conſervator, ut in dicta Clementina II. firmant Gloſſa, Imola, ac alii: non deſunt tamen, qui oppoſitum, & forte melius ſentiant. Quærente ſiquidem Archiepiſcopo Turritano, an Regulares unius Conventus, Monaſterii, vel Domus, aliquem Priorem, ſeu Guardianum, vel quemvis alium quavis dignitate Regulari fulgentem, in ſuum Conſervatorem eligere, vel deputare poſſint: Sacra Congregatio ſuper negotiis Epiſcoporum, & Regularium non poſſe reſpondit die VI. Octobris anni MDCXVII. Sed quicquid ſit de Priore, alter in Conſervatorem electus, fuit Diffinitor Provinciæ pro Capitulo generali, qui nullam habet Dignitatem Eccleſiaſticam, ejuſque auctoritas ultra decem dies non extenditur, ex Conſtitutione Ordinis Prædicatorum; ideoque in Conſervatorem eligi non potuit,

XI. Præterea, tametſi iſti Conſervatores legitime electi fuerint, cum tamen ex Bonifacii Papæ VIII. Conſtitutione in citato Capite ultimo, *De officio, & poteſtate Judicis delegati*, ſtatutum ſit, ut Conſervatores ultra unam dietam aliquos a finibus Diœceſium eorum trahere non præſumant; jam iſti in Civitate Mexicana degentes perperam proceſſerunt contra Epiſcopum Angelopolitanum, cujus Diœceſis fines diſtare dicuntur a Mexico per duodecim leucas, & ſic ultra unam dietam. Et quamvis in ſuo Edicto aſſerant, ſe hoc feciſſe in vim Conſtitutionis Gregorii XIII. quæ extendit facultatem Conſervatorem ad tres dietas: ſublata eſt tamen hæc Conſtitutio per Conſtitutionem poſteriorem Gregorii Papæ XV. quæ eſt de Conſervatoribus, in qua idem Pontifex memoratam toties Bonifacii VIII. Conſtitutionem in omnibus innovat, quæ ſuæ Conſtitutioni non adverſantur, & contrariis privilegiis derogat. Ceterum exceſſerunt Dominicani iſti Conſervatores in ordine procedendi, quia etſi generaliter Conſervatores Regularium poſſint uti Cenſuris etiam contra Epiſcopos tam de jure communi, quam ex recentioribus Romanorum Pontificum Conſtitutionibus, ubi ſcilicet Epiſcopi notorias, & manifeſtas injurias Regularibus facerent; deferendum eſt nihilominus Dignitati Pontificali, & ſervandus ordo præſcriptus in recitato ſuperius Capite II. *De officio, & poteſtate Judicis delegati*: ipſi autem ab initio excommunicarunt Epiſcopum. Atque hæc eſt graviſſima controverſia, quam Innocentius Papa X. dirimi juſſit in particulari quorundam S. R. E. Cardinalium, & Prælatorum Congregatione ſemel atque iterum habita, nempe, uti jam alias dictum ſuperius fuit, die VI. & XVI. Aprilis anni MDCXLVIII. in qua editæ fuerunt quamplures Reſolutiones confirmatæ poſtea a laudato Pontifice per Litteras in forma Brevis, quarum tenorem licet a memorato Fagnano relatum in Cap. *Sane quia*, XI. *De officio, & poteſtate Judicis delegati*, operæ & ego pretium duxi ad communem utilitatem noſtro huic Commentario inſerere, cum ſint de rebus admodum gravibus, & exemplaribus.

INNOCENTIUS PAPA X.

*Ad futuram rei memoriam.*

CUm, ſicut accepimus, aliquæ fuerint ortæ differentiæ inter Venerab. Fratr. Joannem Epiſcopum Angelopolitanum, ſive Populi Sanctorum Angelorum in Indiis Occidentalibus ex una, & dilectos filios Clericos Regulares Societatis Jeſu in iis partibus ex altera, de & ſuper munere prædicationis Verbi Dei in propriis eorumdem Clericum Regularium, petita ſolum Epiſcopi benedictione ** quam in alienis Eccleſiis petita, & obtenta ab eodem Epiſcopo Diœceſano licentia exercendi, necnon ſuper Confeſſionibus laicorum audiendis prævio examine, ſive approbatione ejuſdem Epiſcopi Diœceſani, quæ dicti Clerici Regulares in vim privilegiorum prædictæ Societati Apoſtolica authoritate conceſſorum ſibi proprio jure licere prætendebant; & deſuper in partibus fuerit deventum ad plures actus judiciales, & pro parte Clericorum Regularium hujuſmodi ad electionem Conſervatorum privilegiorum hujuſmodi: Nobiſque tam dicti Joannis Epiſcopi, quam eorumdem Clericorum Regularium nomine pro ſopiendis differentiis hujuſmodi quædam Dubia deciſionem diffe-
rentia-

Digitized by Google

rentiarum præfatarum, necnon jurisdictionem Ordinariorum in exemptos, & ipſorum Clericorum Regularium exemptionem a juriſdictione Ordinarii concernentia fuerint propoſita, ad quæ ambæ partes reſponderi, & quid deſuper obſervandum ſit, authoritate noſtra Apoſtolica ſtatui, & ſtabiliri deſiderabant. Nos, qui omnium Fidelium, & præſertim Eccleſiaſticorum quieti libenter incumbimus, differentias prædictas, totumque negotium particulari Congregatione aliquorum Venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, & Dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum examini commiſimus, qui auditis ſæpius Procuratoribus prædicti Joannis Epiſcopi, necnon Procuratore Generali Societatis prædictæ, negotio mature diſcuſſo, omnibus Dubiis, & petitionibus hincinde propoſitis reſponderunt, prout ſequitur, videlicet.

Sacra Congregatio a Sanctiſſimo D. Noſtro deputata ſuper controverſiis vertentibus inter Epiſcopum Angelorum in Indiis Occidentalibus, & Religioſos Societatis Jeſu, ſæpius auditis Procuratoribus ab eodem Epiſcopo ad Urbem ablegatis, necnon ipſius Societatis Procuratore Generali, negotioque accurate diſcuſſo, cenſuit, prædictos Religioſos nequaquam poſſe in Civitate, & Diœceſi Angelopolitana perſonarum ſecularium Confeſſiones audire ſine approbatione Epiſcopi Diœceſani, nec Verbum Dei prædicare in Eccleſiis ſui Ordinis non petita ipſius benedictione, nec in aliis Eccleſiis ſine ejus licentia, nec in Eccleſiis etiam ſui Ordinis, ipſo contradicente, & contravenientes, ab Epiſcopo tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegato coerceri, & puniri poſſe etiam Cenſuris Eccleſiaſticis in vim Conſtitutionis ſanctæ memoriæ Gregorii XV. quæ incipit: *Inſcrutabili Dei Providentia*: ac proinde memoratis Religioſis, qui hujuſmodi approbationem, & licentiam ſe obtinuiſſe non docuerunt, potuiſſe Epiſcopum, ſeu ejus Generalem Vicarium præcipere ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ut a Confeſſionibus audiendis, & Verbi Dei prædicatione abſtinerent; nec ob eam cauſam licuiſſe dictis Religioſis quaſi a manifeſtis injuriis, & violentiis eligere Conſervatores, eoſque, ut præfertur, electos, in Epiſcopum, ejuſque Vicarium Generalem indebite, ac nulliter excommunicationem fulminaſſe. Ceterum Congregatio ſerio in Domino hortatur, ac monet Epiſcopum, ut Chriſtianæ manſuetudinis memor, ergo Societatem Jeſu, quæ laudabili ſuo Inſtituto in Eccleſia Dei tam fructuoſe laboravit, ac ſine intermiſſione laborat, paterno ſe gerat affectu, eamque in regimine Eccleſiæ ſuæ perutilem adjutricem agnoſcens, benigne foveat, ac priſtinæ ſuæ benevolentiæ reſtituat, quemadmodum S. Congregatio ipſum facturum confidit, ſibique certo pollicetur, cum ejus zelum, pietatem, ac Paſtoralem ſolicitudinem compertam habeat. Datum Romæ die 16. Aprilis 1648.

Et præmiſſorum occaſione pro parte prædicti Joannis Epiſcopi, necnon Religioſorum Societatis Jeſu, in eadem Congregatione propoſita fuerunt diverſa Dubia de mandato Sanctiſſimi reſolvenda, quæ quidem Sac. Congregatio ſæpius auditis Procuratoribus, ut in præmiſſis, ab eodem Epiſcopo ad Urbem miſſis, necnon Procuratore Generali ipſius Societatis, negotioque mature perpenſo, ad ſingula Dubia ab utraque parte propoſita reſpondit ordine quo ſequitur.

Primo, an in caſu, quo Epiſcopus præcipiat Decreta aliqua Concilii Tridentini a Regularibus obſervari, & executioni demandari, Regulares quicunque etiam Societatis Jeſu ſub prætextu, quod hujuſmodi præcepta infringant ſua privilegia, poſſint eligere Conſervatores: Congregatio reſpondit, ſi Epiſcopus præcipiat Regularibus etiam Societatis Jeſu, ut Decreta aliqua Concilii Tridentini obſervent, ac exequantur in illis caſibus, in quibus per ipſum Concilium, vel Conſtitutiones Apoſtolicas Regulares exempti ſubjiciuntur juriſdictioni, & correctioni Epiſcopi, minime licere ipſis Regularibus ob eam cauſam Conſervatores eligere.

Secundo, an quando Ordinarius procedit juris ordine ſervato adverſus Regulares exemptos in caſibus, in quibus per Concilium Tridentinum, vel Conſtitutiones Apoſtolicas ipſi ſubjiciuntur, poſſint Conſervatores judices aſſignare. Reſpondit, ut ad primum, non poſſe.

Tertio, an Regularibus etiam Societatis Jeſu aſſerentibus ſe habere privilegia, quominus obediant Epiſcopo in executione Decretorum juris communis, Concilii Tridentini, & Conſtitutionum Apoſtolicarum, Ordinarii debeant ipſis adhibere fidem abſque exhibitione hujuſmodi privilegiorum. Reſpondit, Ordinarios non debere hujuſmodi aſſertioni fidem adhibere abſque integrali privilegiorum exhibitione.

Quarto, an in caſu, quo Regulares quicunque etiam Societatis Jeſu exhibeant aliqua privilegia, & Ordinarii judicent ea non ſuffragari caſui, de quo agitur, & ad rem non facere, Regulares præfati poſſint, ac debeant provocare ad Summum Pontificem, vel in partibus Indiarum remotiſſimis ad Metropolitanum, ſive Ordinarium viciniorem, vel potius poſſint hoc caſu eligere Judices Conſervatores. Reſpondit, ſi verba privilegiorum ſunt obſcura, & ambigua, non licere recurrere ad Metropolitanum, vel viciniorem Epiſcopum, nec Conſervatores eligere, ſed ad Summum Pontificem pro interpretatione eſſe adeundum.

Quinto, utrum Conſtitutio felic. recordat. Greg. XV. circa Conſervatores Regularium publicata anno 1621. cum declarationibus Eminentiſſimorum S. Congregationis Concilii Interpretum deſuper editis, æque afficiat, & comprehendat Religioſos Societatis Jeſu, ac reliquos Regulares, itaut omnia alia præfatæ Societatis privilegia fuerint reducta ad terminos dictæ Conſtitutionis, & ſic in poſterum debeant ab iis eligi Conſervatores juxta formam, & tenorem præſcriptæ Conſtitutionis. Reſpondit hujuſmodi Conſtitutionem cum declarationibus, ut præfertur, editis, æque afficere Religioſos Societatis Jeſu, atque aliorum Ordinum, & Conſervatores ad illius præſcriptum eſſe eligendos, non obſtantibus quibuſvis privilegiis, quippe quæ omnia ſunt redacta ad terminos ipſius Conſtitutionis.

Sexto, an Regulares prædicti gravati ære alieno, vel ad ratiocinia, vel teſtamentorum executores poſſint conveniri coram Ordinario, ſi Conſervatores non nominaverint intra tempus habile ab Ordinario præſcriptum. Reſp. Regulares in cauſis præfatis coram Ordinario loci eſſe conveniendos, ſi ad præſcriptum Conſtitutionis ſanct. mem. Gregorii XV. Conſervatores non ele-

Digitized by Google

elegerint, ipſumque electionis documentum intra præfinitum tempus in actis Curiæ ipſius Ordinarii non exhibuerint, ac dimiſerint.

Septimo, an dicti Regulares Conſervatores ſive ad jura, ſive ad privilegia tuenda aſſumentes teneantur ante exercitium commiſſionis præſtare cautionem coram Ordinario, ſive alio Judice competente, de judicio ſiſti, & judicatum ſolvendo, caſu quo in lite, ſeu cauſa ſuccubuerint. Reſpondit, non teneri.

An quando Epiſcopi Jura, vel Decimas Cathedralium adverſus Regulares prædictos dote ſua ſpoliantes Eccleſias coram Judice competenti tuentur, Libroſque, Memorialia, & Allegationes producunt, jus Eccleſiarum Cathedralium exprimentes, & acquiſitiones Religioſorum, aliaque id genus adnumerantes, hujuſmodi ſcriptorum occaſione poſſint Regulares nominare Conſervatores, prætendentes injuriam ſibi inferri in referendo immoderatas acquiſitiones. Reſpondit, ſi Epiſcopi pro tuendis juribus Cathedralium Eccleſiarum coram Judice competenti hujuſmodi ſcripta producant, & Regnlarium immoderatas acquiſitiones veraciter, & modeſte referant, non licere ob eam cauſam ad Conſervatores recurrere.

Nono, utrum Regularis quicunque etiam Societatis Jeſu poſſit adminiſtrare Sacramentum Pœnitentiæ ſecularibus abſque licentia Epiſcopi Diœceſani, etiamſi in alia Diœceſi ab Epiſcopo approbatus ſit: Reſpondit, Regulares etiam Societatis Jeſu in una Diœceſi ab Epiſcopo approbatos ad Confeſſiones perſonarum ſecularium audiendas, nequaquam poſſe in alia Diœceſi hujuſmodi Confeſſiones audire ſine approbatione Epiſcopi Diœceſani.

Decimo, an Epiſcopus contra dictos Regulares audientes in ſua Diœceſi Confeſſiones ſecularium abſque approbatione, vel Concionatores abſque licentia Epiſcopi intra, & extra proprias Eccleſias, poſſit procedere, eos a talibus miniſteriis removendo, ſive præceptis, & aliis juris remediis coercendo: Reſpondit, eiſdem Regularibus, qui Confeſſiones perſonarum ſecularium audiunt ſine approbatione Epiſcopi loci, vel prædicant in Eccleſiis ſui Ordinis, non petita illius benedictione, aut in aliis Eccleſiis abſque ipſius licentia, vel in Eccleſiis etiam ſui Ordinis ipſo contradicente, poſſe Epiſcopum in vim Conſtitutionis felic. record. Gregorii XV. quæ incipit: *Inſcrutabili Dei Providentia*, tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegatum, adminiſtrationem Sacramenti Pœnitentiæ, ac munus Prædicationis interdicere, eoſque juris remediis coercere, & punire.

Undecimo, an quando Epiſcopo conſtat dictas licentias obtentas non fuiſſe, ipſe poſſit præcipere, ut donec licentiam intra præſcriptum tempus exhibeant, a tali miniſterio abſtineant; & an requirendus ſit per Epiſcopum pro his exhibendis Provincialis in alia Diœceſi vel longiſſime exiſtens, vel ipſi Regulares Confeſſarii, vel eorum Superiores ejuſdem Diœceſis, in qua prædicta exercentur: Reſpondit, poſſe Epiſcopum ſic præcipere, nec pro hujuſmodi licentiis requirendum eſſe Provincialem, ſed ſatis eſſe ipſos Religioſos requirere, aut eorum Superiores in Diœceſi Epiſcopi exiſtentes.

Duodecimo, an ſi contingat, ut aliquis prædictorum Regularium inſurgat contra Epiſcopum in propria Diœceſi maledictis, ſcripto, vel dicto, Populum ſcandalizando; poſſit ab Epiſcopo puniri, & qua animadverſione; & quid, ſi hujuſmodi delinquens tranſiverit ad aliam Diœceſim, hoc caſu ſervandum ſit; & qua pœna puniendus ſit Regularis, qui commorans in una Diœceſi; ſpargat famoſos libellos contra Ordinarium alterius Diœceſis: Reſpondit, ſi Regularis intra Clauſtra degens, extra ea in caſibus in Dubio expreſſis ita notorie deliquerit, ut Populo ſcandalo ſit, Epiſcopo inſtante, teneri Superiorem Regularem infra tempus ab eo præfigendum ſevere illum punire, ac de punitione Epiſcopum certiorem facere; alioquin ſic delinquentem ab Epiſcopo puniri poſſe ad præſcriptum Concilii Tridentini *Cap. 14. Seſſ. 25. De Regularibus*: quod ſi delinquens ad aliam Diœceſim migraverit, ſervandum eſſe quod præcipitur in Conſtitut. ſanct. mem. Clem. VIII. quæ incipit: *Suſcepti muneris ratio*.

Decimotertio, an Conſervatores nominati, & electi a Regularibus præſcriptis, ante exercitium ſuæ juriſdictionis teneantur electionis authenticum documentum exhibere coram Ordinario ſub pœna nullitatis actuum. Reſpondit, utique teneri.

Decimoquarto, an privilegia, quæ ſunt contra juriſdictionem Ordinarii, & quibus gaudent, & gaudere prætendunt Regulares præfati, debeant Epiſcopis notificari, ſeu inſinuari. Reſpondit, Regulares teneri hujuſmodi privilegia Epiſcopo exhibere, ſi eis uti voluerint.

Decimoquinto, an prædia ruſtica, metallorum ſodinæ, ſacchari opificinæ a Regularibus Societatis, vel aliis poſſeſſa, vel aliæ domus ſeculares, in quibus videlicet unus, vel duo Regulares tantum commorantur, gaudeant privilegio Collegiorum, ſeu Conventuum. Reſpondit, non gaudere.

Decimoſexto, utrum Regulares præſcripti apothecas quorumcunque mercium, macella, & ſimilia, præſertim prope Collegia, ſeu Conventus exercentes poſſint ab Ordinario ſub Cenſuris inhiberi, ne hujuſmodi exerceant. Reſpondit, non poſſe Epiſcopum hæc prohibere Regularibus exemptis; ſed ſi in præmiſſis ita notorie delinquant extra Clauſtra, ut Populo ſcandalo ſint, ſervandum eſſe quod dictum eſt ſupra in Reſponſione ad duodecimum.

Decimoſeptimo, utrum Regulares etiam Jeſuitæ in ſuis prædiis, opificinis, aliiſque ſuis domibus ſecularibus ſitis intra limites Parochialium ad ſe ſpectantium poſſint adminiſtrare Sacramenta Baptiſmatis ſolemnis, Matrimonii, Extremæ unctionis, & Euchariſtiæ in Feſto Paſchatis famulis mercenariis, ruſticis, ſive aliis id genus hominibus ſecularibus abſque Ordinarii, vel Parochi licentia. Reſpondit, non poſſe.

Decimoctavo, utrum Patres Societatis in Civitate, & Diœceſi Angelorum poſſint conſecrare Vaſa ſacra, Altaria, & ſimilia, in quibus unctio requiritur. Reſpondit, itidem non poſſe.

Pro parte vero Religioſorum Societatis Jeſu propoſita fuerunt infraſcripta Dubla.

Primo, an Epiſcopi in partibus Indiarum poſſint ex integro totum unum Monaſterium, vel Collegium ab audiendis Confeſſionibus ſuſpendere. Reſpondit, Epiſcopos Indiarum poſſe quidem omnibus ſimul unius Monaſterii, vel Collegii Confeſſariis adimere facultatem audiendi Confeſſio-

Digitized by Google

ſeſſiones perſonarum ſecularium etiam inconſulta Sacra Congregatione Epiſcoporum, & Regularium negotiis præpoſita, cum Decretum ab ea editum ſub die 20. Novembris 1615. ex intentionis defectu, & convenientia morali non extendatur ad regiones illas tam longe ab Urbe diſſitas. Verum ab hac generali ſuſpenſione, quæ vix ſine ſcandalo, & animarum pernicie contingere poteſt, abſtinendum eſſe Epiſcopia, niſi graviſſima ſubſiſtente cauſa; ſuper quo Sacra Congregatio illorum conſcientias graviter voluit eſſe oneratas.

Secundo, an Epiſcopus Regularem pro Confeſſionibus ſemel approbatum ſine nova cauſa ſuſpendere poſſit ab ipſis confeſſionibus audiendis: Reſpondit, Regulares alias libere ab Epiſcopo prævio examine approbatos ad audiendas confeſſiones perſonarum ſecularium, ab eodem Epiſcopo ſuſpendi non poſſe ſine nova cauſa, eaque ad confeſſiones ipſas pertinente.

Tertio, an Bulla S. Pii V. 34. *in ordine tom.*2. Bullarii, conceſſa inſtante, & ſupplicante Sereniſſimo Rege Catholico, non ad petitionem Regularium, ſit revocata in Bullis Summorum Pontificum, in quibus exemptiones Regularium mitigantur: Reſpondit, agendum cum Sanctiſſimo, an velit declarare Bullam non eſſe revocatam; illam tamen non ſuffragari, niſi in locis, ubi eſt defectus Parochorum.

Quarto, an Epiſcopus poſſit cum cenſuria procedere contra Regulares exemptos, ſi inobedientes fuerint in confeſſionibus audiendis, vel prædicatione Verbi Dei; & hoc an vigore Concilii Tridentini, vel per quem Canonem: Reſpondit, poſſe procedere, non quidem in vim Concilii Tridentini, ſed in vim Conſtitutionis Gregorii Papæ XV. quæ incipit, *Inſcrutabili Dei Providentia*.

Quinto, an licentia audiendi confeſſiones, & prædicandi ab Epiſcopo per literas miſſivaa, an ſolum per literas patentes Cancellariæ concedi poſſit: Reſpondit, poſſe concedi etiam per literas miſſivas, ſi ita Epiſcopo videbitur.

Sexto, an talia licentia oretenus ſine ſcripturis concedi poſſit: Reſpondit, ad proximum.

Septimo, an facultas eligendi Conſervatores conceſſa Societati a Greg. XIII. ſuffragetur illis in locis, in quibus non adſunt Judices Synodales: Reſpondit, privilegium Greg. XIII. ſuffragari quoad hoc, ut Societas non teneatur ex illis eligere Conſervatores, dummodo tamen in reliquis ſervetur forma Conſtitutionis Gregorii XV. hac de re editæ.

Octavo, an Conſervatores Societatis Vicarios Generales Epiſcoporum auctoritate Apoſtolica per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas compellere poſſint virtute Bullæ Gregorii XIII. incipien. *Æquum reputamus*, datum ultima Februarii 1573. Reſpondit, poſſe a manifeſtis injuriis, & violentiis eos compeſcere etiam cenſuris & pœnis Eccleſiaſticia. Datum Romæ die 16. Aprilis 1648.

Quapropter, ut præmiſſa firmius ſubſiſtant, & inviolabiliter obſerventur, Nobis pro parte Joannis Epiſcopi hujuſmodi fuit humiliter ſupplicatum, ut illa auctoritate Apoſtolica confirmare de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur dicti Joannis Epiſcopi votis hac in re annuere, illumque ſpecialibus ſavoribus, & gratiis proſequi volentes, & eundem Joannem Epiſcopum a quibusvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticia ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latia, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium duntaxat conſequen. harum ſerie abſolven. & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, præinſerta Reſponſa, ſeu Reſolutiones auctoritate prædicta tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illiſque Apoſtolicæ firmitatis vim, & robur adjicimus, & inviolabiliter obſervari mandamus, ſalva tamen ſemper in præmiſſia auctoritate dictæ Congregationis, decernentes ſic, & non aliter in præmiſſis per quoſcunque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, ſi quid ſecus a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac Univerſalibua, Provincialibuſque, & Synodalibua Conciliis editis generalibus, & ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, necnon Eccleſiæ Angelopolitanæ, ac Societatia prædictæ etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia qu vis firmitate roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis ejuſdem Eccleſiæ, & Societati ſub quibuſcunque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac decretis etiam irritantibus, etiam motu proprio, ac etiam conſiſtorialiter, & alias quomodolibet in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro ſufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum omnium, & ſingulorum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis habendis, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad effectum præmiſſorum ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die 14. Maji 1648. Pontificatus noſtri anno 4.

XII. Hactenus Diploma Pontificis, & Sacræ Congregationis Decreta. Ceterum plura, quæ ad hanc materiam Conſervatorum Judicum ſpectant, videri poſſunt apud nuperum Auctorem Petrum-Mariam Forti Societatis Jeſu Theologum, qui peculiarem Tractatum Canonicum edidit anno MDCCXLIII. inſcriptum, *De Judice Conſervatore &c.* Profecto unum ſupereſt, quod hic omitti nullatenus debet, cavendum ſcilicet religioſis hominibus, ne Epiſcopis illis præſertim, qui zelatores ſacrorum Canonum ſunt, atque Eccleſiaſticæ Diſciplinæ, ſint infeſti. Nam alias controverſia illa Epiſcopum Angelopolitanum inter & Jeſuitas uſque eo proceſſit, ut Epiſcopus ipſe notiſſima conſcripta Epiſtola ad Innocentium Papam X. data Angelopoli die VIII. Januarii anni MDCXLIX. conſtatque Paragraphis CLX. univerſam Societatem Jeſu perſtrinxerit. Incipit Epiſtola: *Sacris Sanctitatis tuæ pedibus &c.*

## C A N O N V.

Juris eſſe ambiguum non videtur, Judicem delegatum, qui a Sede Apoſtolica ad hoc Mandatum non receperit ſpeciale, jubere non poſſe, alterutram partium coram ſe perſonaliter in judicio comparere: niſi cauſa fuerit Criminalis, vel niſi pro veritate dicenda, vel juramento calumniæ faciendo juris neceſſitas partes coram eo perſonaliter exegerit præſentari.

## C O M M E N T A R I U S.

I. IN cauſis pecuniariis poſſe quemlibet comparere per ſeipſum, vel per Procuratorem, certi Juris eſt, ut in Lege, *In pecuniariis*, Cod. *De Procuratoribus*. Unde eſt, quod, ut ſcite obſervat Paſſerinus in Cap. *Juris eſſe*, *De Judiciis*, in VI. in quod noſter hic Canon relatus fuit, in Jure tam Civili, quam Canonico dentur leges a Procuratoribus ſervandæ, quæ in Titulis, *De Procuratoribus*, recenſentur. Cum tamen hoc Legis beneficio non obſtante Princeps, & Papa poſſint partes ad hoc compellere, ut perſonaliter in Judicio compareant, licet regulariter Delegatus a Papa poſſit in Cauſis delegatis, quæ & poteſt Papa; decernit nihilominus hoc Canone Innocentius Papa IV. non competere Delegato citare partes ad perſonaliter comparendum, niſi id fuerit ſibi ſpeciali Mandato conceſſum, vel cauſæ expeditio id poſtulet, uti in dicto Cap. *Juris eſſe*, Doctores notant. Tradit autem eam regulam noſter Canon, quod Delegatus a Papa non habens ad id ſpeciale Mandatum, non poteſt compellere ad hoc partes, ut perſonaliter coram ipſo compareant in Cauſis Civilibus, niſi in Cauſis Criminalibus, vel pro veritate dicenda, vel pro juramento calumniæ, vel juris neceſſitas exigat, eas perſonaliter præſentari debere. Spectant hæc ad Forum, ſicut & cetera pene omnia, quæ in ſequentibus hujus Concilii Canonibus ſtatuuntur, videri que iccirco poſſunt Doctores, quos vocant Forenſes, & Interpretes memorati Capitis, *Juris eſſe*; præ cæteris autem memoratus Paſſerinus, qui ibidem varias quæſtiones diſcutit. Porro notandum illud, facultatem Delegati minime eſſe commenſurandam ex facultate Delegantis, ut ſcilicet omnia poſſit Delegatus, quæ poteſt Delegans; Delegato enim non intelligitur conceſſum, niſi id, ſine quo non poteſt expediri cauſa illi delegata, uti notant Joannes Monachus, Joannes Andreas, Butrius, ac alii paſſim. Atque hinc eſt, quod Delegatus nihil poteſt, niſi quod probaverit ſibi commiſſum.

## C A N O N VI.

Exceptionis peremtoriæ, ſeu defenſionis cujuslibet principalis cognitionem negotii continentis ante litem conteſtatam objectus, niſi de re judicata, vel tranſacta, ſeu finita excipiat litigator, litis conteſtationem non impediat, nec retardet, licet dicat objector, non fuiſſe Reſcriptum obtentum, ſi quæ ſunt impetranti oppoſita, fuiſſent expoſita deleganti.

## C O M M E N T A R I U S.

I. EXceptiones quæ ut Juriſconſulti docent, Reorum cauſa comparatæ ſunt ad elidendam, vel ſuſpendendam intentionis Actoris, ſunt in duplici genere; vel enim peremtoriæ ſunt, vel dilatoriæ. Peremtoriæ litem dirimunt, & diſſolvunt penitus, quales ſunt exceptiones juriſjurandi, rei judicatæ, doli mali, pacti perpetui, quod metus cauſa. Opponi has poſſe in quacumque parte litis ante rem judicatam, docent Textus in Lege II. Cod. *Sententiam reſcindi non poſſe*, & Cap. I. *De fide inſtrumentorum*. Poſſe etiam allegari interdum poſt rem judicatam, dum quis judicati actione convenitur, conſtat ex Lege I. Cod. *De juris & facti ignorantia*, & Lege, *Tamen*, ff. *Ad Senatuſconſultum Macedonianum*. Solam exceptionem falſi poſſe poſt judicatum, & judicati exequutionem quocumque tempore intra vicennium proponi, docet Innocentius Papa III. in Cap. *Cum Venerabilis*, VI. *De exceptionibus*. Dilatoriæ exceptiones ſunt, quæ judicium tantum, & litem ipſam differunt. Hoc plane intereſt inter utraſque, quod peremtoriæ, uti dictum eſt, opponi poſſunt vel poſt litem conteſtatam ante ſententiam; dilatoriæ vero, ut exceptio Fori, & procuratoria, opponendæ in exordio litis ſunt, ante litem ſcilicet conteſtatam; non enim poſt conteſtatam litem audiuntur, uti habemus ex Lege penultima, & ultima, Cod. *De exceptionibus*; Lege, *Licet*, Cod. *De procuratoribus*; & Lege, *Exceptionem*, Cod. *De probationibus*.

II. Longum eſſet velle hoc loco exceptionum materiam perſequi; quod noſtrum hunc Canonem ſpectat, qui relatus eſt in Cap. I. *De litis conteſtatione*, in VI. eam plane regulam tradit, Exceptionem nempe, aut defenſionem peremtoriam non impedire, aut retardare litis conteſtationem, niſi ſit de re judicata, tranſacta, aut finita. Pertinet & hic Canon, ut jam ſuperius

rius

Digitized by Google

rius notavi, ad Fori praxim, videriqne in illum poſſunt Doctores, quos Forenſes appellant. Ceterum litis conteſtatio baſis quodammodo eſt conſtituendi Judicii ordinarii, nt in Lege, *Amplins* xv. ff. *Ratam rem haberi &c.* Neque enim ea omiſſa, teſtes recipi, aut ad ſententiam definitivam deveniri poteſt, adeoque corruit Proceſſus Judicii, uti addiſcere licet ex Decretalium Titulo, *Ut lite non conteſtata &c.* Fit autem litis conteſtatio per petitionem in jure, ideſt in Jndicio propoſitam, & reſponſionem ſubſequutam animo confligendi, Cap. *Dudum*, §. *Licet*, *De Electione*, & Cap. unico, *De litis conteſtatione*. Per nudam narrationem facti, & reſponſionem, litis conteſtationem minime induci, & nequidem, ſi peremtoria exceptio contra intentionem Actoris objecta fuerit a Reo, tradunt Doctores in Cap. II. *De litis conteſtatione*, in VI.

# C A N O N VII.

Actor, qui venire ad terminum, ad quem citari adverſarium fecerat, non curavit, venienti Reo in expenſis propter hoc factis legitime condemnetur; ad citationem aliam, niſi ſufficienter caverit, quod in termino fideliter compareat, minime admittendus.

## C O M M E N T A R I U S.

I. DUo hic ſtatnit Canon relatus in Cap. 1. *De dolo, & contumacia*, in VI. Primum eſt, qnod ſi Actor ad terminum, pro quo citari fecit Reum non veniat, damnetur in expenſis legitime factis. Alterum vero, quod Actor non admittatur ad citationem novam, niſi ſnfficienter caverit, quod in termino debeat fideliter comparere. Citatio dicitur, qua quis in jndicinm vocatur experiundi juris cauſa, ut in §. ultimo Tituli XVI. Libri IV. Inſtitutionnm Juris Civilis, & Lege 1. ff. *De in jus vocando*. Principium plane eſt Citatio inſtituendi Jndicii, eaqne omiſſa, redditur Judicium ipſo jure nullum; ut in Lege 1. ff. *Quæ ſententiæ ſine appellatione reſcindantur*, & Cap. *Eccleſia*, x. *De conſtitutionibus*.

II. Cum vero duplex ſit citatio ad terminnm, & duplex terminus, qnia nimirum alia eſt citatio ſimplex, alia peremtoria, licet nonnulli ſenſerint, damnationem in expenſis noſtro hoc Canone injunctam, fieri non debere, niſi ubi citatio eſt peremtoria, communis nihilominus, & vera eſt alinrum ſententia, qui ajunt, intelligendnm eſſe Canonem indiſtincte de omni citatione, quia ſcilicet indiſtincte loquitnr. Eſt antem commune axioma, quod ubi Lex non diſtinguit, neque nos diſtinguere debemus. Sic enim etiam Rens reſpectu cujuſcnmque termini, ant citationis factæ, ſive in principio, ſive in progreſſu litis quandocunque, ſi non compareat, tanquam contnmax damnandus eſt in expenſis. Cenſetur itaque Actor contumax, ſi nnn compareat in termino ad quem fecit Reum citari, niſi ſcilicet juſto fuerit impedimento detentus; impedito enim non currit tempns, & contumacia, ut notat Gloſſa in Cap. *Actor*, verbo, *non curavit*, *De dolo, & contumacia*, in VI. Sane ut probandum ſit impedimentum, eſt in arbitrio Judicis, qui conſiderata qualitate perſonarnm, & impedimenti, aut alterins juſtæ canſæ, aliquando juramento erit contentus, aliquando plenam probationem requiret, nti docent Archidiaconns, Joannes Andreas, aliique dicti Capitis *Actor* Interpretes.

III. Quantum ad expenſarum damnationem, profecto ad eam venire Judex non debet, niſi Reus inſtet, & accuſata Actoris contumacia petat expenſas. Non enim debet Judex interponere officium ſuum ad privatnm commodum, niſi reqniratnr a partibus. Sed neque hæc pœna locum hahet, ubi etiam Reus eſt contumax, nt recte admonet Paſſerinus in citato Cap. *Si Actor*, & alii Doctores ibidem. Ceterum notandnm illud, qnod de Actore contumace Canon ſtatuit, ut puniatur nempe in eo, in qno peccavit, & non admittatnr ad novam citationem, niſi data ſufficienti cautione, qund debeat in termino comparere. Ajunt antem & illud Doctores, ſufficientem cautionem cenſeri, ſi Actor det pignora, vel fidejuſſorem, vel ſi hanc dare non poteſt; cautionem det juratoriam, nt inquit Gloſſa, verbo *ſufficienter*; quæ etiam mox addit, cantionem qnidem dari debere ab Actore, *qnod in termino fideliter compareat*, nt ait Canon; quia qui ſemel fnit in Judicio, ſi poſtea non compareat, præſnmitnr malitioſe abiiſſe. Procedi autem & contra eum poſſe per citationem ad domum, tanquam contra malitioſe contumacem, tradit ibidem Gloſſa ex Innocentio in Cap. ultimo, *De eo qui mittitur in poſſeſſionem cauſa rei ſervandæ*.

# C A N O N VIII.

Diſpendia litium æquitatis compendio volentes qua poſſumus induſtria coarctare, Statutum felicis recordationis (1) Innocentii Papæ III. ſuper hoc editum ampliantes, decrevimus, ut ſiquis contra alium plures perſonales voluerit movere quæſtiones, non ad diverſos Judices, ſed ad eoſdem, ſuper omnibus hujuſmodi quæſtionibus Litteras ſtudeat impetrare. Qui vero contrarium fecerit, omni commodo careat Litterarum, nec proceſſus valeat ha-



(1) Alibi legitur, *Gregorii Papæ IX. Prædeceſſoris noſtri*.

bitus per eaſdem: alias Reo, ſi eum per ipſas fatigaverit, in expenſis legitimis condemnandus. Reus quoque, ſi eodem durante judicio Actorem ſibi obnoxium dixerit, reconventionis beneficio, vel conventionis, ſi Litteras contra eum impetrare maluerit, de jure ſuo debet apud eoſdem Judices experiri, niſi eos ut ſuſpectos poterit recuſare, ſimili pœna, ſi contra fecerit, puniendus.

## COMMENTARIUS.

I. LAudandus in primis eſt hic Innocentius Papa IV. qui hoc edito Canoue diſpendia litium, quibus & domorum reditus extenuantur, & multi ad ſummam rediguntur inopiam, conatus eſt coarctare. Hæc ſane res omnibus Rerum publicarum Gubernatoribus cnrdi eſſe iuprimis debet, ac curæ, vel exemplo Ethnicorum, inter quos Iſocrates jam olim Regem ſuum Nicoclem mouuit, eas ut Leges ferret, quæ vel nullius litis ſeminarium, vel exortas controverſias ſtatim dirimerent; laudatque in ſuo Areopagitico priſcos Athenienſes, quod Forum ſugerint, uec eo deſcenderint unquam, niſi coacte, ex magno pudore, adeo erubeſcebant videri litigioſi. Utinam hæc res uoſtris hodie Judicibns magis eſſet cordi, quibus invitis nullam eſſe poſſe litem diuturnam, teſtatur Juſtinianus in Lege, *Properandum*, Cod. *De Judiciis*. Abſit autem, ut Juriſcouſulti, atque Advocati alant quæ debent extinguere diſſidia; aut ſanctiſſimam æqui, & boni artem profeſſi, doceant ſordidam quandam artem litigaudi. Imitari deberent Servium Sulpitium, quem laudat M. Tullius Cicero nou tam ob admirabilem, & pene diviuam Juris ſcieutiam, quam quod ſemper maluerit litium controverſias tollere, quam actiones conſtituere. Nec alia mens fuit Papiniano, qui, uti habetur in Lege ultima ff. *Familiæ erciſcundæ*, judicavit, pietatis officio ſunctus eſſe fratres, qui arbitro, quem acceperant, relicto, ſpontanea tranſactione inter ſe ſe domi diviſerunt communem hæreditatem. Quod de Judicibus, & Advocatis dictum eſt, id curare par eſt ipſos Eccleſiæ Præſules; non modo enim Iſaias graviter invehitur in mores litigatorum, ſed & Paulus quoque Apoſtolus acerbe ſuos Corinthios eodem nomine objurgat, & non minori ſeveritate populum litigatorem Jacobus itidem Apoſtolus increpat. Hæc ſi hodie eſſet cura Principum Leges ſereutium, religio Magiſtratuum, moderatio, & conſilium Juris peritorum, concio, & ſeveritas Epiſcoporum, non adeo forenſibus jurgiis concuterentur noſtræ Reſpublicæ, ut ſcitiſſime notat Eruditus Balduinus Libro IV. Inſtitutionum Juris Civilis ad Titulum XVI. qui eſt, *De pœna temere litigantium*.

II. His notatis, ut ea nunc, quæ in noſtro hoc Canone continentur, explicemus, duas habet partes, agitque in prima de Actore, in altera vero de Reo. Decernit itaque in prima, *ut ſiquis contra alium plures perſonales movere voluerit quæſtiones, non ad diverſos Judices, ſed ad eoſdem ſuper omnibus hujuſmodi quæſtionibus litteras ſtudeat impetrare: qui vero contrarium fecerit, omni commodo careat litterarum: nec proceſſus habitus valeat per eaſdem: alias Reo, ſi eum per ipſas citaverit, vel fatigaverit, in expenſis legitimis condemnandus*. Parte altera decernit, ut *Reus quoque, ſi eodem durante judicio Actorem ſibi obnoxium dixerit, reconventionis beneficio, vel conventionis, ſi contra eum litteras impetrare maluerit, de jure ſuo debeat apud eoſdem Judices experiri, niſi eos ut ſuſpectos poterit recuſare, ſimili pœna, ſi contra hoc fecerit, puniendus*. Atque hæc ſunt, quæ Innocentius Papa IV. noſtro hoc Canone ſtatuit, Statutum felicis recordationis Gregorii Papæ IX. ut idem Innocentius initio Canonis ait, ſuper his rebus editum amplians; Statutum nempe illud, quod legitur in Cap. *Quia nonnulli*, XLIII. *De Reſcriptis*. Notant autem Doctores, quantum ad duo ampliatum fuiſſe ab Innocentio Statutum ipſum Gregorii; primo quoad expreſſam nullitatem Proceſſus: ſecundo quoad extenſionem ad Reum; laudatum enim Gregorii IX. Statutum Actorem dumtaxat comprehendebat.

## CANON IX.

Eum, qui ſuper Dignitate, Perſonatu, vel Beneficio Eccleſiaſtico obtinendis, cum aliquo litigat poſſeſſore: ob partis adverſæ contumaciam cauſa rei ſervandæ, in ipſorum poſſeſſionem ſtatuimus non admittendum, ne per hoc ad ea ingreſſus patere valeat vitioſus; ſed liceat in hoc caſu coutumacis abſentiam divina replente præſentia, etiam lite non conteſtata, diligenter examinato negotio, ipſum fine debito terminare.

## COMMENTARIUS.

I. QUamquam regula Juris ſit, ut quando agitur actione reali ob contumaciam Rei, fiat miſſio in poſſeſſionem cauſa rei ſervandæ; ſtatuit nihilominus hic Canon, ut in Cauſis Beneficialibus, ubi Actor litigat cum aliquo poſſeſſore, ob partis adverſæ contumaciam, cauſa rei ſervandæ eum minime eſſe in poſſeſſionem Beneficii mittendum, ſed Judice ſupplente abſentiam contumacis debere etiam lite non conteſtata, diligenter examinata cau-

Digitized by Google

cauſa negotium per ſententiam diffinitivam terminari. Ratio eſt, ne per eam miſſionem in poſſeſſionem, ad Eccleſiaſtica Beneficia *ingreſſus patere valeat vitioſus*. Beneficia enim non habentur legitime ex ſola poſſeſſione, ſed ex Canonica inſtitutione, ut in Cap. 1. *De Regulis Juris*, in VI. quod ita inquit: *Beneficium Eccleſiaſticum non poteſt licite ſine inſtitutione Canonica obtineri*. Quod adeo verum eſt, ut qui vel longo tempore Beneficium poſſedit abſque Canonica inſtitutione, non poſſit ſe temporis præſcriptione defendere, quia ſcilicet, ut ait Regula Juris, *non firmatur tractu temporis quod de jure ab initio non ſubſiſtit*. Itaque ſi Actor non eſſet legitime inſtitutus, vitioſe ingrederetur, ſi illi daretur poſſeſſio; videndumque iccirco prius eſt de bono jure, & de titulo legitimo, quam ſit danda miſſio in Beneficia; non viſo autem titulo, & diſcuſſo, nulli debet adjudicari poſſeſſio Beneficii.

II. Cum vero noſter hic Canon relatus in Caput unicum, *De eo qui mittitur in poſſeſſionem cauſa rei ſervandæ*, in VI. expreſſe loquatur, quando lis eſt de Beneficiis obtinendis, quæſtio jam illa agitata eſt inter Canonici Juris Interpretes, an tradita in hoc Canone regula habeat etiam locum in Beneficiis obtentis; ut ſi quis ſcilicet confirmatus, & in poſſeſſionem inductus, fuit ſpoliatus; vel petit confirmationem, aut collationem ſibi factam ſortiri effectum; & reſpondent, eandem eſſe rationem his caſibus aliiſque ſimilibus, ut ſcilicet miſſio fieri non debeat. Atque ita ſenſerunt varii Interpretes relati a Paſſerino in Cap. *Eum qui*, *De eo, qui mittitur in poſſeſſionem cauſa rei ſervandæ*, in VI.

# C A N O N X.

Statuimus, ut poſitiones negativas, quæ probari non poſſunt, niſi per confeſſionem adverſarii, Judices admittere poſſint, ſi æquitate ſuadente viderint expedire.

## C O M M E N T A R I U S.

I. Poſitio, de qua hic loquitur Canon, relatus, in Cap. 1. *De confeſſis*, in VI. uti a Gloſſa definitur, eſt brevis verborum formula continens mentem proponentis ad veritatem eliciendam concepta; ſive, ut alii dicunt, eſt quædam verborum formula judicialis concepta ad eruendam veritatem per adverſarii reſponſionem. Sane quia confeſſio adverſarii in Judicio facta Actorem onere probationis relevat, ſiquidem confeſſi in jure pro judicatis habentur, uti in Lege unica, Cod. *De confeſſis*, iccirco uſu Forenſi receptum eſt, ad faciliorem expeditionem litium, ut poſitiones ab Actore præmittantur, quibus nuda facti narratio articulatim proponitur ad eliciendam veritatem ex Reo; tenetur enim Reus, vel Procurator ipſius interrogatus, juſſuſque a Judice iis reſpondere, alioqui ſi abſque rationabili cauſa recuſaverit, aut noluerit, ſeu contumaciter ſe abſentaverit, pro confeſſo habetur quoad illos articulos, de quibus interrogatus uſque adeo fuit, licet poſitiones ſint facti negativi, quod probari aliter non poteſt, quam per confeſſionem adverſarii.

II. Dividuntur itaque poſitiones in affirmativas, & negativas. Affirmativæ ſunt illæ, in quibus ſcilicet ponit quis quod aliquod ſit, vel factum ſit; negativæ autem, in quibus quis ponit, quod aliquod non ſit, vel factum non fuerit. De his negativis poſitionibus, quæ dicuntur facti ſimplicis, ſtatuit Canon, quod eas *Judices admittere poſſint, ſi æquitate ſuadente viderint expedire*. Ubi nota, poſitum eſſe in arbitrio Judicis, videre, an adſit æquitas, ſeu æquitas poſtulet, poſitiones hujuſmodi admitti; ſed æquitate poſitionum admiſſionem requirente, Judicem illas admittere teneri. Æquitas enim rigori Juris eſt præferenda, & Judex æquitatem præ oculis ſemper habere debet, ut in Cap. unico, *De rerum permutatione*, in VI. Quamobrem in hoc caſu ſi Judex gravet, & dicat æquitatem, ut poſitiones negativæ non admittantur, cum tamen vere æquitas ſuadeat, illas admitti, vel e contra: pars gravata appellare poteſt, uti docent Gloſſa, Ancharanus, aliique in dicto Capite 1. *De confeſſis*, in VI. Ex quo ea etiam generalis regula colligitur, quod nempe a Judice etiam in arbitrariis, ſi male arbitretur, poſſe appellari, ut poſt alios notat Barboſa ibidem.

III. Quamquam denique tam poſitio, quam reſponſio affimativa ad poſitionem, habeat vim confeſſionis, poſitio quidem ex parte Actoris, & reſponſio ex parte Rei poſitionem admittentis, ut ait Rota Romana Deciſione CCXXVII. & Deciſione DCCLXXIX. Parte II. recentiorum, atque hæc confeſſio plene probet, ac præjudicet tam confitenti, quam habentibus ab eo cauſam, uti eadem Romana Rota edixit Deciſione CCCXX. & CCCLIX. Parte V. recentiorum: fallit id nihilominus multipliciter; nam primo in omni, & quolibet illo caſu, in quo non eſt admittenda poſitio, ſi admittitur, confeſſio reſpondentis ſe habet, ut injuſte extorta, & ei non præjudicat, ut docet Rota ipſa Romana Deciſione XXVII. Parte IX. Reſpondens quoque non poteſt haberi pro confeſſo, ſi ſe remittat ad inſtrumentum, vel ſcripturam aliquam, & in ea non continetur id quod in poſitione exprimitur; ex eadem Rota Parte II. recentiorum, Deciſione CLVIII. Confeſſio tandem facta a Procuratore non habente ſpeciale, imo ſpecialiſſimum mandatum, & in individuo, non præjudicat principali; ſicut nec præjudicant poſitiones datæ a Procuratore Actoris ſine ſimili mandato, uti jam decidit laudata toties Rota Romana Deciſione DCCLXXIX Parte II. recentiorum, & Deciſione CCXLV. Parte VIII. & alibi.

IV. Plura alia ad hanc rem docet Paſſerinus citato Capite 1. *De confeſſis*, in VI. Unum illud ego hic non omittam, quas poſitiones ſcilicet inficiatur Reus, illas in modum articulorum ab Actore eſſe comprobandas, vel teſtibus, vel inſtrumentis, vel alio genere probationis. Sed & de his vide Scriptores, qui Judiciarium Ordinem ex profeſſo coarrant.

CA-

# C A N O N XI.

Legitima ſuſpicionis cauſa contra Judicem aſſignata, & Arbitris a partibus ſecundum formam Juris electis, qui de ipſa cognoſcant, ſæpe contingit, quod ipſis in idem convenire nolentibus, nec tertium advocantibus, cum quo ambo, vel alter ipſorum procedant ad deciſionem ipſius negotii, ut tenentur, Judex proferat excommenicationis ſententiam contra eos, quam ipſi tum propter odium, tum propter favorem partium diutius vilipendunt. Quare cauſa ipſa plus debito prorogata non proceditur ad cognitionem negotii principalis. Volentes igitur morbo hujuſmodi neceſſariam adhibere medelam, ſtatuimus, ut ipſis Arbitris per Judicem terminus competens præfigatur, infra quem in idem conveniant, vel tertium concorditer advocent, cum quo ambo, vel alter ipſorum ejuſdem ſuſpicionis negotium terminare procurent. Alioquin Judex ex tunc in principali negotio procedere non omittat.

## C O M M E N T A R I U S.

I. QUia ſæpe cantingit, quod Arbitri electi ad judicandam cauſam ſuſpicionis alicujus Judicis, vel tardant Judicium, vel diſcordantes non eligunt tertium, cum quo ambo, vel alter eorum procedat ad deciſionem negotii, ut tenentur; & quia ſæpe etiam ſimul contingit, quod Judex recuſatus proferat contra hujuſmodi Arbitros ſententiam excommunicationis, quam illi vel per odium, vel per favorem partium diutius vilipendunt, & propterea expeditio cauſæ plus debito prorogatur, ideo Innocentius Papa IV. hoc Canone, qui relatus eſt in Capite II. *De appellationibus*, in VI. ſapientiſſime ſtatuit, *ut ipſis Arbitris per Judicem competens terminus præfigatur, infra quem in idem conveniant, vel tertium concorditer advocent, cum quo amba, vel alter eorum, ejuſdem ſuſpicionis negotium terminare procurent: alioquin*, ſubdit, *Judex ex tunc in principali negotio procedere non omittat.*

II. Plura de Judicis ſuſpectione tradunt Doctores ad Titulum Decretalium, *De appellationibus, recuſationibus &c.* Sub eodem Titulo de utriſque agitur, quod appellatio, & recuſatio in multis conveniunt, præſertim vero quoad effectum ſuſpendendi auctoritatem, & jurisdictionem Judicis, uti communiter obſervant Doctores. Quicquid autem de appellationibus ſit, de quibus non uno in loco Tomo III. Conciliorum egi, recuſatio dicitur, Judicis declinatio cauſa ſuſpicionis a Parte propoſita; cum ſcilicet Judex non videtur, ut alias deberet, indifferens, ſed Parti adverſæ plus juſto addictus. Varias, ac multiplices recuſationis cauſas late proſequitur inter alios Rebuffus in Tractatu, *De recuſationibus*, Articulo IX. aliique de Praxi Judiciaria ſcribentes, ex quibus etiam addiſcimus, nequaquam poſſe in particulari cauſas ipſas recuſationis determinari omnino, ſed frequenter ex circumſtantiis eſſe a Judice æſtimandas, niſi aliquæ in Curiarum ordinationibus, vel ſpecialibus Statutis ſint expreſſæ. Recuſationem quoque Judicis proponendam eſſe non verbo, ſed ſcripto ad exemplum appellationis ab interlocutoria, quæ in ſcriptis fieri debet, ſtatuit hæc eadem Synodus I. Lugdunenſis alio Canone, qui relatus eſt in Cap. I. *De appellationibus*, in VI. ideoque libello opus eſt, qui Judici exhibetur, ſi præſens ſit, ſecus ſi abſens, uti habetur ex Lege ultima, Cod. *De exceptionibus*; & ita communiter teneri docet idem Rebuffus in citato Tractatu, *De recuſationibus*, Articulo V.

III. Exemplo appellationis a ſententia interlocutoria receptum eſt de Jure Canonico cauſas recuſationis eſſe inſerendas libello recuſationis contra diſpoſitionem Juris Civilis in Lege, *Apertiſſimi*, Cod. *De Judiciis*; quo Jure ſufficere videtur, ſi recuſans interpoſito juramento aſſerat, Judicem ſibi eſſe ſuſpectum. Sane cauſa recuſationis propoſita, ſi Judex eam vel non ſufficientem agnoſcat, vel factum, quod pro cauſa ſuſpicionis, & recuſationis allegatur, falſum dicat, ne in propria cauſa Judex conſtitui videatur, non poteſt ipſe de cauſa recuſationis cognoſcere, vel in cauſa ulterius procedere, uti inter alios notat Vaneſpen, Parte III. *Juris Eccleſiaſtici univerſi*, Titulo X. Cap. V. Num. IX. Statuit autem Œcumenica Synodus IV. Lateranenſis Canone XLVIII. quem nos ſupra Tomo III. explicuimus, quod ſiquis allegaverit ſe Judicem habere ſuſpectum, coram eodem cauſam juſtæ ſuſpicionis aſſignet: *& ipſe*, recuſans ſcilicet, *cum adverſaria, vel, ſi forte adverſarium non habeat, cum Judice Arbitros communiter eligat; aut, ſi forte communiter convenire non poſſunt, eligant abſque malitia ipſe unum, & ille alium, qui de ſuſpicionis cauſa cognoſcant; & ſi nequiverint in unam concordare ſententiam, advocent tertium, ut quod duo ex ipſis decreverint, robur obtineat firmitatis.* Sed ne & ipſi Arbitri cauſam protrahant, atque interim Judex procedere impediatur, merito ſtatuit Innocentius Papa IV. noſtro hoc Canone XI. Concilii Œcumenici I. Lugdunenſis, *ut ipſis Arbitris per Judicem terminus competens præfigatur, infra quem in idem conveniant, vel tertium concorditer advocent, cum quo ambo, vel alter ipſorum ejuſdem ſuſpicionis negotium terminare procurent: alioquin Judex ex tunc in principali negotio procedere non omittat.*

IV. Arbitri ſic electi dicuntur Arbitri Juris ad diſtinctionem Arbitrorum ex compromiſſo; quod

Digitized by Google

quod nimirum a Jure potius, quam a Partibus conſtitui videantur; quia ad eos eligendos, Partes a Jure quodammodo adiguntur, cum ex adverſo Compromiſſarii Arbitri libera voluntate compromittentium eligantur, uti notat laudatus Vaneſpen, qui etiam ſcite ſubjicit, Arbitros ipſos Juris Judiciario more cauſam ſuſpicionis, & recuſationis diſcutere debere, & ſuper ea ſententiam proferre, ab eaque poſſe appellari non ſecus, atque ab alia quacumque ſententia definitivâ, ubi pars condemnata ſe gravatam ſentiat. Porro quod effectum recuſationis ſpectat, ea legitime propoſita, & ſervato Juris ordine, ſuſpenditur juriſdictio, & auctoritas Judicis; teneturque pendente cauſa recuſationis Judex ſuperſedere. Acta quoque a Judice, probata cauſa recuſationis, ſunt ipſo jure nulla, tametſi poſtmodum declaretur, recuſationis cauſam fuiſſe inſufficientem, cauſaque ad Judicem fuerit remiſſa, uti notat poſt alios laudatus Vaneſpen.

# C A N O N XII.

Statuimus, ut nullus Judicum participantes cum excommunicatis ab eo in locutione, & aliis, quibus ligatur participans excommunicatione minori, ante commonitionem Canonicam, excommunicare præſumat: ſalvis conſtitutionibus contra illos legitime promulgatis, qui in crimine præſumunt participare damnato. Quod ſi ex locutione, & aliis, quibus participans labitur iin minorem, excommunicatus fortius indureſcat; poterit Judex poſt commonitionem Canonicam hujuſmodi participantes conſimili damnare Cenſura. Aliter autem in participantes excommunicatio prolata non teneat, & proferentes pœnam legitimam poterunt formidare.

## COMMENTARIUS.

I. Relatus hic Canon eſt in Cap. III. *De ſententia excommunicationis &c.* in VI. ſtatuitque, *ut nullus Judicum*, qui ſcilicet poteſtatem excommunicandi habet, *participantes cum excommunicatis ab eo in locutione, & aliis, quibus ligatur participans excommunicatione minori, ante commonitionem Canonicam excommunicare majori excommunicatione præſumat*. Excommunicatio minor licet hodie vix uſitata, & veteribus plane incognita, ſpecies eſt quædam excommunicationis apud Theologos Scholaſticos, & Canoniſtas Seculi XIII. notiſſima, incurriturque propter communicationem cum innodato majori excommunicatione extra crimen, propter quod excommunicari meruit, & privat ſolummodo paſſiva Sacramentorum perceptione, uti edicitur in Capite ultimo, *De Clerico excommunicato miniſtrante*, & Capite penultimo, *De ſententia excommunicationis*. Utriuſque hujus Decretalis Auctor inſcribitur Gregorius IX. qui electus fuit Pontifex Maximus anno Chriſti MCCXXVII. nec puto, mox citatis antiquiora afferri poſſe Decreta, quæ minoris excommunicationis mentionem faciant; quod & Gloſſa non obſcure innuit, dum ad citatum Caput ultimum, *De Clerico excommunicato &c.* notat quod *hæc Decretalis quoad ſuam materiam ſit celebrior, & famoſior qualibet alia: nam infinita Jura ſunt loquentia de excommunicatione majore, quæ infertur ab homine; ſed de minore, quæ infertur a Jure, ſunt Jura pauciſſima, & aperte non providentia, ſicut hoc Capitulum*.

II. Plura de excommunicatione minori, & antiquis ejus veſtigiis, ac variis gradibus, quæ & ad præſentis hujus Canonis explicationem faciunt, notavimus ſupra Tomo III. Conciliorum in Commentario ad Canonem III. Concilii Generalis II. Lateranenſis, Num. V. & ſeqq. In eo autem expreſſe edicitur, ut *qui excommunicato, antequam ab eo, qui eum excommunicaverit, abſolvatur, ſcienter communicare præſumſerit, pari ſententiæ teneatur obnoxius*. Fuit hæc haud dubie vetus Eccleſiæ diſciplina, quæ, ut dictum eſt, immutari cœpit Seculo XIII. quo nempe excommunicatio minor invaluit, incurriturque propter communicationem cum excommunicato excommunicatione majori illigato extra crimen, propter quod ille majorem excommunicationem meruit, uti addiſcimus ex Capite, *Nuper*, XXIX. *De ſententia excommunicationis*, ubi Innocentius Papa III. inter alia ita inquit: *Credimus diſtinguendum, an is, qui nominatim excommunicato communicat, ſcienter in crimine communicet criminoſo, ei conſilium impendendo, auxilium, vel favorem; aut alias in oratione, vel oſculo, aut orando ſecum, aut etiam comedendo. In primo quidem articulo, cum talis communicet crimini, & participet criminoſo, ac per hoc ratione damnati criminis videatur in eum delinquere, qui damnavit: ab eo, vel ejus Superiore merito delicti, tunc erit abſolutio requirenda: cum facientem, & conſentientem par pœna conſtringat.* Regula itaque hæc traditur, ut qui cum excommunicato communicat in crimine, in majorem excommunicationem incurrat; ſi vero cum illo communicet in Divinis, vel Civilibus actionibus, & ab ejus crimine alienus ſit, minorem dumtaxat excommunicationem contrahat. Atque hanc regulam confirmat inter alios S. Thomas IV. Sententiarum, Diſtinctione XVIII. Quæſtione II. Articulo IV. Quæſtiuncula II. uti obſervat Natalis Alexander Theologiæ Dogmaticæ, & Moralis Libro II. in Tractatu, *De Cenſuris*, Cap. II. Articulo V. ubi varias enarrat Regulas praxim Cenſurarum ſpectantes.

III. Sed his omiſſis, notandum hic nobis illud, quod nempe ſtatuit hoc Canone Innocentius Papa IV. ad tollendam omnem ambiguitatis ſcrupulum, qui inde oriebatur, declaratum dein-

deinde fuiſſe a Gregorio Papa X. in Generali II. Concilio Lugdunenſi, Canone xxix. ubi nos id- ipſum notavimus, ac declarationem ipſam Tironum utilitati fuſe explicuimus.

# C A N O N XIII.

Cura nos paſtoralis ſolicitat, & hortatur, ut lapſis conſulamus Eccleſiis, & ne labantur inpoſterum, provideamus Conſtitutione ſalubri. Cum igitur uſurarum vorago multas Eccleſias pene deſtruxerit, & nonnulli Prælati circa ſolutionem debitorum, præſertim a ſuis Prædeceſſoribus contractorum, negligentes inveniantur admodum & remiſſi, ac ad contrahenda majora debita, & obligandas res Eccleſiæ nimis proni: deſides etiam in cuſtodiendis rebus inventis, malentes in propriam laudem modicum noviſacere, quam bona cuſtodire, dimiſſa recuperare, deperdita reſtaurare, ac reſarcire ruinas: Nos, ne de cetero ſe de excuſatione tamen utili excuſare, ac in Prædeceſſores, ſive alios, ſundere valeant culpam ſuam, præſentis Concilii approbatione ſancimus, ut Pontifices, Abbates, Decani, ceterique legitimam, & communem adminiſtrationem gerentes, infra unum menſem, poſtquam adminiſtrationem adierint, intimato prius proxime Superiori, ut per ſe, vel per aliquam perſonam Eccleſiaſticam idoneam, & fidelem interſit, præſentibuſque Capitulo, vel Conventu, propter hoc ſpecialiter evocatis, Inventarium rerum adminiſtrationis ſuſceptæ confici faciant; in quo mobilia, & immobilia, libri, chartæ, inſtrumenta, privilegia, ornamenta, ſeu paramenta Eccleſiaſtica, & cuncta, quæ ad inſtructionem urbani fundi, ſeu ruſtici pertinent; necnon debita, ac credita, diligentiſſime conſcribantur; ut quo ſtatu Eccleſiam, vel adminiſtrationem ſuſceperint, & procedente tempore gubernarint, ac in morte, vel conceſſione dimiſerint per Superiorem, ſi neceſſe fuerit, & eos, qui ſunt Eccleſiarum deputati ſervitiis, liquido cognoſcatur. Archiepiſcopi vero, qui præter Romanum Pontificem, Superiorem non habent, aliquem ex Suffraganeis, ut perſonaliter, vel per alium, ut eſt expreſſum ſuperius, & Abbates, ac alii Prælati minores exemti unum vicinum Epiſcopum, qui nihil juris in exemta Eccleſia ſibi vindicet, ad id ſtudeant evocare; dictumque Inventarium tam ſubſtituti Prælati, quam ſui Collegii, necnon & Superioris Suffraganei, ſeu vicini Epiſcopi, ad hoc vocatorum, muniatur ſigillis, in Archivis Eccleſiæ cum cautela debita conſervandum. Et nihilominus Inventarii ejuſdem tranſcriptum tam idem inſtitutus, quam Prælatus ad hoc vocatus penes ſe habeat ſimile ſigillatum. Inventa quoque cuſtodiantur fideliter, & de ipſis adminiſtratio digna geratur: & comperta debita de mobilibus Eccleſiæ, ſi fieri poteſt, cum celeritate ſolvantur. Si vero mobilia non ſufficiant ad ſolutionem celerem faciendam, omnes proventus ad ſolutionem convertantur debitorum, quæ uſuraria fuerint, vel etiam oneroſa: deductis de ipſis proventibus expenſis dumtaxat neceſſariis, Prælato, Collegioque rationabiliter computandis. Si autem debita non fuerint oneroſa, vel uſuraria, tertia pars eorumdem proventuum, vel major, cum illorum conſilio, quos ad conficiendum Inventarium vocandos diximus, pro ſatisfactione hujuſmodi deputentur. Pro ejuſdem Concilii auctoritate firmiter inhibemus, ne prædicti perſonas ſuas, vel Eccleſias ſibi commiſſas pro aliis obligent, nec pro ſe, vel ipſis Eccleſiis contrahant debita, quibus poſſit imminere gravamen. Si vero evidens urgeat neceſſitas, vel Eccleſiarum rationabilis ſuadeat utilitas; Prælati cum Superiorum, Archiepiſcopi, & Abbates exemti cum prædictorum, Collegiorumque ſuorum conſilio, & conſenſu, debita non uſuraria, ſi poteſt fieri, nunquam tamen

in

in nundinis, vel mercatis publicis contrahunt. Et contractuum litteris, debitorum, & creditorum nomina, & cauſæ, quare contrahatur debitum, etiamſi in utilitatem Eccleſiæ ſit converſum, *inferantur*; (1) & ad id perſonas Eccleſiaſticas, vel Eccleſias nullatenus volumus obligari. Privilegia ſiquidem Eccleſiarum, quæ ſecuro loco fideliter cuſtodiri mandamus, nequaquam pignori obligentur; nec etiam res aliæ, niſi forte pro neceſſariis, & utilibus debitis cum prædicta ſolemnitate contractis. Ut autem hæc ſalubris Conſtitutio inviolabiliter obſervetur, & fructus appareat, quem ex ipſa provenire ſperamus, ordinandum duximus, & irrefragabiliter ſtatuendum, quod omnes Abbates, & Priores, necnon & Decani, vel Præpoſiti Cathedralium, ſeu aliarum Eccleſiarum ſemel ſaltem in anno in ipſorum Collegiis diſtrictam ſuæ adminiſtrationis faciant rationem, & coram Superiore viſitante conſcripta, & conſignata hujuſmodi ratio fideliter recitetur. Archiepiſcopi vero, & Epiſcopi, ſtatum adminiſtrationis bonorum ad menſam propriam pertinentium, ſimiliter ſingulis annis Capitulis ſuis, & nihilominus Epiſcopi Metropolitanis, & Metropolitani Legatis Apoſtolicæ Sedis, vel aliis, quibus fuerit ab eadem Sede ſuarum Eccleſiarum viſitatio delegata, inſinuare debita fidelitate procurent. Computationes vero conſcriptæ ſemper in theſauro Eccleſiæ ad memoriam reſerventur; ut in computatione annorum ſequentium præteriti temporis, & inſtantis diligens habeatur collatio; ex qua Superior adminiſtrantis diligentiam, vel negligentiam comprehendat: quam ſiquidem negligentiam, ſolum Deum habens præ oculis, hominis amore, odio, vel timore poſtpoſitis, tanta, & tali animadverſione caſtiget, quod nec a Deo, nec a Superiore, vel Sede Apoſtolica, mereatur propter hoc recipere ultionem. Non ſolum autem a futuris Prælatis, ſed etiam a jam promotis, præſentem Conſtitutionem præcipimus obſervari.

## COMMENTARIUS.

I. Mandat hoc Canone Pontifex, ut bonorum Eccleſiaſticorum Inventaria conficiantur, ejuſque ſanciendi cauſam illam eſſe etiam docet, quod *uſurarum vorago multas Eccleſias pene deſtruxerit, & nonnulli Prælati circa ſolutionem debitorum præſertim a ſuis Prædeceſſoribus contractorum negligentes inveniantur admodum & remiſſi, ac ad contrahenda majora debita, & obligandas res Eccleſiæ nimis proni: deſides etiam in cuſtodiendis rebus inventis, malentes in propriam laudem modicum novi facere, quam bona cuſtodire, dimiſſa recuperare, deperdita reſtaurare, ac reſarcire ruinas*. Notanda præſertim ſunt ea verba: *malentes in propriam laudem modicum novi facere, quam bona cuſtodire &c.* Sunt enim hodieque nonnulli Eccleſiarum, atque piorum locorum Præſides, qui non ſine ingenti Divini cultus, ac pauperum detrimento, mobilia, immobiliaque alienant, ut aliquid novi ipſi faciant, cui deinde ad conciliandam ſibi laudem, ac nomen illuſtrandum, gentia ſuæ inſignia apponant.

II. Quicquid autem ſit de hoc abuſu, quem nos jam alio loco perſtrinximus, ac præſertim in Opere noſtro, *De Codice Sancti Evangelii &c.* Lib. III. Cap. XII. ac de alio longe turpiori, malæ ſcilicet adminiſtrationis rerum Eccleſiæ, ne de cetero ſe ipſarum Eccleſiarum Rectores excuſare, ac in Prædeceſſores alios fundere valeant culpam ſuam, Concilii hujus approbatione ſancit Innocentius IV. qui eidem præfuit, *ut Pontifices, Abbates, Decani, ceterique legitimam, & communem adminiſtrationem gerentes, infra unum menſem, poſtquam adminiſtrationem adierint, intimato prius proxime Superiori, ut per ſe, vel per aliquam Perſonam Eccleſiaſticam idoneam, & fidelem, interſit, præſentibuſque Capitulo, vel Conventu propter hoc ſpecialiter evocatis, Inventarium rerum adminiſtrationis ſuſceptæ confici faciant, in quo mobilia, & immobilia, Libri, Chartæ, Inſtrumenta, Privilegia, Ornamenta, ſeu Paramenta Eccleſiaſtica, & cuncta, quæ ad inſtructionem Urbani fundi, ſeu ruſtici pertinent, necnon debita, ac credita diligentiſſime conſcribantur, ut in quo ſtatu Eccleſiam, vel adminiſtrationem ſuſceperint, & procedente tempore gubernarint, ac in morte, vel ceſſione dimiſerint, per Superiorem, ſi neceſſe fuerit, & eos, qui ſunt Eccleſiarum deputati ſervitiis, liquido cognoſcatur*. Spectant hæc quidem Epiſcopus, ac alios, qui vel Archiepiſcopis, vel ipſis Epiſcopis ſunt ſubjecti. Quantum enim ad Archiepiſcopus, *qui præter Romanum Pontificem, Superiorem non habent*, mandat mox Innocentius Papa, ut *aliquem ex Suffraganeis, ut perſonaliter, vel per alium, ut eſt expreſſum ſuperius, & Abbates, ac alii Prælati minores exemti vicinum Epiſcopum, qui nihil juris in exemta Eccleſia*



(1) deeſt verbum illud *inferantur*, aut aliud ſimile.

*ſia ſibi vendicent, ad id ſtudeant evocare; dictumque Inventarium tam ſubſtituti Prælati, quam ſui Collegii, necnon & Superioris Suffraganei, ſeu vicini Epiſcopi, ad hoc vocatorum, muniatur ſigillis, in Archivis Eccleſiæ cum cautela debita conſervandum; & nihilominus Inventarii ejuſdem tranſcriptum tam idem inſtitutus, quam Prælatus ad hoc vocatus, penes ſe habeat ſimile ſigillatum.*

III. Providit haud dubie hac ſanctione Pontifex non modo Eccleſiarum indemnitati, verum etiam eorum, qui res Eccleſiæ adminiſtrant, ſequutuſque eſt diſciplinam, quam pervetuſti Canones in Eccleſia ſervandam, iterum, atque iterum inculcarunt. Certe mandat Canon quadrageſimus vulgo Apoſtolorum juxta editionem Dionyſii Exigui, *ut ſint manifeſtæ res propriæ Epiſcopi, ſi tamen habet proprias, & manifeſtæ Dominicæ, ut poteſtatem habeat de propriis moriens Epiſcopus, & quibus voluerit, derelinquere, ne ſub occaſione Eccleſiaſticarum rerum, quæ Epiſcopi eſſe probantur, intercidant*. Tum hanc præclariſſimam rationem ſubjungit: *Et juſtum eſt hoc apud Deum, & homines, ut nec Eccleſia detrimentum patiatur ignoratione rerum Pontificis, nec Epiſcopus, vel ejus propinqui, obtentu Eccleſiæ proſcribantur, & in cauſas incidant, qui ad eum pertinent, morſque ejus injuriis malæ famæ ſubjiciatur*. Canoni huic Apoſtolico concinit quidem Canon XXIV. Concilii Antiocheni anni CCCXLI. cum primum jubet, ea fide, & religione tractari, & ſervari debere res Eccleſiæ, quæ Deo debetur omnium ſpectatori, & Judici: *Quæ ſunt Eccleſiæ*, ſic inquit laudatus Canon juxta ejuſdem Exigui editionem, *ſub omni ſollicitudine, & conſcientia bona, & fide, quæ in Deum eſt, qui cuncta conſiderat, judicatque, ſerventur*.

IV. Faciunt autem quammaxime ad noſtrum Canonem Lugdunenſis I. Concilii, ubi præſcriptum eſt, ut Inventarium rerum Eccleſiæ conficiatur ab Epiſcopo, vel Abbate, aliove Eccleſiæ, ſeu Monaſterii Præſide, præſente Capitulo, vel Conventu, quæ mox idem laudatus Antiochenus ſubjungit, ubi mandat, bonorum Eccleſiæ notitia informandos eſſe Presbyteros, & Diaconos, ut ubi Epiſcopus mortali ex hac vita excedet, ne res ejus propriæ rebus Eccleſiæ permiſceantur, & hinc jurgiorum, litiumque ſementes exiſtant: *Manifeſta vero ſint, quæ pertinere videntur ad Eccleſiam cum notitia Presbyterorum, & Diaconorum, qui circa ipſam ſunt, itaut agnoſcant, nec ignorent, quæ ſunt Eccleſiæ propria, nec eos aliquid lateat; ut, ſi contigerit, Epiſcopum migrare de ſeculo, certis exiſtentibus rebus, quæ ſunt Eccleſiæ, nec ipſæ collapſæ depereant, nec quæ propria probantur Epiſcopi, ſub occaſione rerum pervadantur Eccleſiæ.* Exſcribit tum Canon ipſe Antiochenus pulcherrimam rationem Canonis vulgo Apoſtolorum ſuperius allatam, ſic inquiens: *Juſtum namque, & acceptum eſt coram Deo, & hominibus, ut ſua Epiſcopus quibus voluerit, derelinquat, & quæ Eccleſiæ ſunt, eidem conſerventur Eccleſiæ; ut nec Eccleſia aliquod patiatur incommodum, nec Epiſcopus ſub occaſione proſcribatur Eccleſiæ, & in cauſas*, ideſt, in lites, *incidant qui ad eum pertinent, propinqui nempe illius; & ipſe poſt obitum maledictionibus ingravetur.*

V. Quamquam vero deſcriptionem bonorum Eccleſiæ memorati antiqui Canones juſſerint, narrat nihilominus S. Gregorius Nazianzenus in Carmine, *De vita ſua*, cum ad gubernacula ſederet ipſe Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, cujus erant innumerabiles opes jam diu congeſtæ, Vaſa ſacra, reditus immenſi; non inventis ratiociniorum Libris, nec in Tabulario Epiſcoporum ſuperiorum, nec in Œconomorum chartis, maluiſſe ſe nihil ultra tentare, quam impetu, & conſilio abripi hominum, qui rem premi, & urgeri volebant, non alio magis fructu, quam, ut Clerus dehoneſtaretur, & Laici offenderentur:

*Quid de opibus, queis nihil celebrius,*
*Dicam, univerſæ maximi terræ viri,*
*Quas ævo ab omni ſtruxerant Templis ſacris,*
*De totque vaſis, totque item proventibus,*
*Quarum ipſe cum nec calculum naciſcerer*
*In priſtinorum Præſulum uſquam litteris,*
*Nec rurſus illum naſcere ex quæſtoribus*
*Poſſem, acquievi; nec licet multi*
*Viri aliter monerent, exterum in myſterii*
*Probrum vocandum cenſui ad hos calculos.*
*Addictus opibus quiſquis eſt, hoc improbat;*
*Probabit at qui liber eſt harum ſiti.*
*Nam fœda cum ſit rebus in cunctis opum*
*Cupido, multa eſt fœdior tamen in ſacris.*
*Si de opibus eſſet par mea mens omnium*
*Non tanta labes eſſet in Chriſti domo.*

VI. Erat porro illud Nazianzeno comperiſſimum, uti obſervavit Thomaſſinus Parte III. *Diſciplinæ*, Lib. II. Cap. I. non alias veriores Eccleſiæ opes eſſe, aut chariores, quam pacem, charitatem, amorem æternorum, temporalium omnium contemtionem: præ his vanum auri argentique fulgorem eſſe, etſi eo inſania ſecularis præſtringatur; unde nec eas in periculum conjiciendas tot controverſiis litibuſque ex ratiociniorum ſcrupuloſo examine indubitatiſſime emerſuris. Teſtatur id quidem in ipſius Nazianzeni Vita Gregorius Presbyter; cum enim affirmaſſet, nihil omnino eum derivare voluiſſe ex omnibus illis opulentiſſimæ Eccleſiæ theſauris, mox ſubjicit, nec Libros rationum, nec regeſta Vaſorum ſacrorum ſcrutari eum voluiſſe, quod ſeculares Principes magis deceret ea diligentia, quam Epiſcopos, quodque perinſigni hoc documento informare cuperet Antiſtites omnes, ut impenſius ſtuderent Clericos ſuos virtutibus, quam terrenis opibus locupletare: *Ampliſſimæ porro Eccleſiæ*, nempe Conſtantinopolitanæ, *Præſul inſtitutus, proventuſque, & infinitam omnis generis ſupellectilem, eximiamque conſequutus, ne unica quidem drachma hinc facultates ſuas auxit, cum tamen maximam talentorum copiam, ſi ita tuliſſet ipſius voluntas, colligere potuiſſet. Nec redituum quidem, & adminiſtrationis rationem ab iis, qui Eccleſiæ negotia procuraſſent, repetivit, nec ſupellectilis ſacræ deſcriptionem; cauponum verius, quam Eccleſiaſticorum Virorum id eſſe ſtatuens; ac Præfectorum, non Epiſcoporum: atque his rebus omnes erudiens, ut conſcientiæ puritatem potius Deo offerrent, quam ut rationibus referendis muneris ſui adminiſtrationem hominibus probare niterentur.*

VII. Longe diverſiſſima fuit S. Joannis Chryſoſtomi ratio, quippe qui, uti teſtatur in illius Vita Palladius, Cap. V. ordinatus Epiſcopus & ipſe Conſtantinopolitanus, ſtatim Œconomos ad reddendas rationes compulit, accuratiſſime omnia ad calculos revocat, multa recidit ex redundan-

Digitized by Google

dundantia priorum expenſarum, & hinc multa ſepoſuit ad largius opitulandu.n orphanis, viduis, egenis, ac ægrotis, imo & extruendis Xenodochiis: *Poſt hæc diſpenſatoris Eccleſiaſtici ſcripta relegens, inutileſque Eccleſiæ ſumtus deprehendens, amputari hos protinus jubet. Acceſſit ad ſolemnes Epiſcopi ſumtus inſpiciendos, inveniensque immodicam profuſionem, transferri hanc magnificentiam ad infirmorum ſolatia præcepit. Et cum ſupereſſent pecuniæ, nova quoque infirmorum receptacula conſtruit.* Teſte eodem Palladio, abhorrebat Chryſoſtomus a qualicumque deliciarum contagio in menſa, ſeorſimque ſolus veſcebatur moderato cibo contentus, vel ob eam etiam cauſam ne adminiſtratorihus rerum Eccleſiæ anſam daret expenſas exaggerandi, & ex Eccleſiæ rebus ſuas augendi: *Frugi erat nimium*, inquit, *deliciarumque omnino adverſarius, ſacrilegium exiſtimans ſiquid in ejuſmodi impenderetur, ſimul ut diſpenſatoribus quoque furti occaſiones amputaret, ne obſoniorum pretia in brevibus ſuis multiplicantes, quæ erant in uſus pauperum deputata, ſibi ipſi vindicarent.*

VIII. At vero, quod ſæpe & illud contingeret, ut Epiſcopi ipſi bona Eccleſiæ ſuos in uſus derivarent, hinc ſactum eſt, ut ipſi illa deſcribi curarent, & per Œconomum adminiſtrari. Statuit id quidem inter alias Synodus Chalcedonenſis Canone xxv. compulſuſque fuit Ibas Edeſſenus Epiſcopus, bona ut deinceps Eccleſiæ ſuæ diſpenſaret per Œconomos, quos ipſemet deligeret ex Clero ſuo, quia ſcilicet inter alia accuſatus fuerat, quod grandem pecuniam a populo collatam in captivorum redemtionem ſuis uſibus applicaſſet, quod proventus Eccleſiæ ſibi vendicaret, quod Vaſa ſacra, ac *rurſum Calicem gemmatum magni pretii* involaſſet; quod *omnes Eccleſiaſticos reditus multos exiſtentes, & in infinitam tendentes quantitatem* conferret *ſuo fratri, vel conſobrinis*; quod *hæreditates, & munera, & quæ undecumque* offerebantur, *& Cruces poſitas aureas, & argenteas*, collecta dirigeret *fratri ſuo, vel conſobrinis*; & ut alia omittam, quod Danielem germani ſui filium Epiſcopum Helenopoleos ordinaſſet, qui mox opes Eccleſiæ in proſtibula effuderat, & teſtamento ſuo res Eccleſiæ legaverat concubinæ Challoæ nepotibus, ipſo Iba otiante, nec has vel libidines, vel rapinas propulſare ſatagente.

IX. Horrenda id genus exempla occurrunt paſſim in Eccleſiaſtica Hiſtoria, ideoque cum ſacræ Synodi, tum Summi Pontifices iterum atque iterum ordinarunt, & bona Eccleſiarum in Inventariis deſcribi, & ipſa Inventaria in Eccleſiarum Archivis cuſtodia fideli ſervari. Saluberrimæ huic diſciplinæ inhærens S. Carolus varia in Conciliis ſuis ea de re Decreta edidit, præſertim vero in Provinciali I. ſuo Mediolanenſi Concilio, Capite inſcripto, *Quæ pertinent ad bonorum & jurium Eccleſiaſticorum conſervationem &c.* ubi hæc primum præmittit: *Eccleſiarum res quamplurimæ aut deſtitutæ defenſoribus, aut etiam ab iis, quibus earum procuratio credita erat, proditæ, ita perierunt, ut monimentis vel interceptis, vel perditis, nulla ſpes jam reliqua videatur, illas in jus ſuum vindicandi.* Tum vero, *id ne deinceps accidat, neve quiſquam quod in Chriſti patrimonio negligentior ſit, quam in ſuo merito reprehendi poſſit*, provide ſtatuit: *Ut Epiſcopi, & Capitula tam Cathedralium, quam Collegiatarum Eccleſiarum, Hoſpitalium etiam, ac quorumcumque piorum locorum Gubernatores, ſeu Adminiſtratores, & alii quicumque, qui Beneficia Eccleſiaſtica quæcumque cum cura, vel ſine cura quocunque nomine nuncupentur, etiam commendata nunc obtinent ab hujus Decreti editione; qui vero in futurum quomodocunque obtinuerint, ab adeptæ poſſeſſionis die, quiſque intra ſpatium ſex menſium, Edictis etiam interim publice propoſitis, omnium, & ſingulorum bonorum, mobilium, & immobilium, jurium, actionum, annuorum cenſuum, ſive redituum, nominumve debitorum, & aliorum quorumcumque ad eorum Eccleſias, vel eorum adminiſtrationi commiſſas quocumque jure pertinentium rationem diligentiſſime conquirendam, & eorum omnium inventarium, in quo locorum etiam fines, conditioneſque omnes ſigillatim deſcribantur, per publicum Notarium diligenter conficiendum curent: Epiſcopus quidem adhibitis duobus, a Capitulo Cathedralis Eccleſiæ delectis; Capitulum coram Epiſcopo, atque aliis præfectis ab eo; alii vero coram fide dignis teſtibus.*

X. Mandat præterea ſolertiſſimus Præſul, ut ex eo Inventario exempla duo Notarii publici auctoritate ad certam eorum fidem munita conficiantur; quorum alterum Epiſcopi, & Capitula Eccleſiarum Cathedralium in Archivio, quod utriuſque commune ſit, aſſervent; alterum ad Metropolitanum mittant. Præfecti vero, & Capitula Eccleſiarum, quæ Collegiatæ ſunt, alterum exemplum in communi eorum Archivio retineant; alterum in Archivio Cathedralis Eccleſiæ, intra cujus fines ſunt, aſſervandum tradant. At vero in quibus Eccleſiis, vel Cathedralibus, vel Collegiatis Archivium hujuſmodi non ſit, ab Epiſcopo inſtituatur. Cæteri autem ſinguli, qui Beneficia quæcumque Eccleſiaſtica quovis titulo obtinent, exemplis item duobus eodem modo confectis, unum in Eccleſia ſua diligenter cuſtodiant; alterum ad Cathedralem Eccleſiam perpetuo conſervandum mittant, unde ſi uſus poſtulabit, exemplum ſumere eis liceat gratis. Tum inter alia & illud ſtatuit idem Sanctus Antiſtes, ut Archivia ſingula duabus clavibus occludantur; in Eccleſiis Cathedralibus, earum unam Epiſcopus, alteram Capitulum cuſtodiat; in Collegiatis, alteram Præfectus, alteram Capitulum ſervet. Porro in Concilio II. Provinciali, Titulo III. Decreto XIV. illud quoque edixit, ut nempe, *cum primum aliquis hujus Provinciæ*, ſcilicet Mediolanenſis, *Epiſcopus mortem obierit, Archivii Epiſcopalis clavis Notarii publici fide, una Capituli Vicario, altera uni de Capitulo, ad quem vel officii ratione, vel conſuetudine pertinet; ſique nemo talis eſt, alii antiquiori reſidenti tradatur, ab eiſdemque una, & item altera aſſervetur, quoad alius Epiſcopus creabitur, cui illas reſtituant; & rationem de ſcriptis in Inventario notatis, eorumque cuſtodiæ commiſſis eidem reddant.* Plura quæ ad eamdem hanc materiam attinent, videri poſſunt in aliis ejuſdem S. Caroli Provincialibus Conciliis, nempe Mediolanenſi III. *De iis quæ ad bona Eccleſiaſtica tuenda pertinent*; itemque in Concilio Provinciali IV. Parte II. *Quæ pertinent ad Capitula Cathedralium, & Collegiatarum Eccleſiarum*; In Provinciali V. Concilio, Parte III. *De Eccleſiis, earum ſupellectile, & fructibus*; & in Concilio VI. *De bonis & juribus Eccleſiaſticis.*

XI. Eadem pene quæ S. Carolus, & alii Præſules ejus ſequuti exemplum tunc temporis ſtatuere; ſed iis omiſſis operæ pretium duco deſcribere hoc loco Motum, ut ajunt, proprium Sixti Papæ V. quem die XXIX. Aprilis anno Chriſti MDLXXXVII. edidit, quo mandat univerſis, & ſingulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, aliiſque Prælatis, & Præſidentibus Eccleſiarum, Monaſteriorum, Univerſitatum, Collegiorum, & Præceptoriarum majorum, ac ſimilium Eccleſiaſticarum Dignitatum quocunque nomine cenſeantur, Sæcularium, & quorumvis Ordinum, ac Militiarum Regularium &c. ut debeant omnino intra annum, a die quo Ipſius Pontificis Litteræ ad eorum notitiam pervenerint, omnium, & quoruncumque bonorum immobilium, cenſuum, canonum, livellorum, proventuum annuorum, jurium, juriſdictionum, ac privilegiorum, & ſcripturarum, quæ eis, eorumque arbitrio, annotatione digna videbuntur, ad Eccleſias, Monaſteria, Collegia, Univerſitates, Præceptorias majores, & Dignitates, quibus ipſi reſpective præſunt, pertinentium, & in quorum poſſeſſione exiſtunt, Inventaria diligenter conficere, & deinde quicumque eorum in regimine, ſeu adminiſtratione Eccleſiarum, Monaſteriorum, Collegiorum &c. Succeſſores fuerint, ſimiliter intra annum a die habitæ poſſeſſionis ſimilia Inventaria de novo conficere, ſeu renovare omnino teneantur.

XII. Conſtitutionem Sixti V. novo muniit robore Benedictus XIII. ubi de Archivis, & de Inventariis bonorum Eccleſiaſticorum conficiendis, plura ſtatuit in Romano Concilio anno Chriſti MDCCXXV. Titulo XII. ac primum quidem Capite I. Capitulis quibuſcumque, & Collegiis, atque Eccleſiarum, & Beneficiorum etiam ſimplicium, & de Jure Patronatus, Rectoribus, omnibuſque Hoſpitalium, Confraternitatum, Congregationum, ceterorumque locorum piorum quomodolibet etiam exemtorum Adminiſtratoribus, & eorum ſingulis ſub pœna etiam Interdicti contra Capitula, & Collegia ipſa, Suſpenſionis contra Clericos Sacris Ordinibus initiatos, & Excommunicationis contra Laicos, & reliquos Clericos in Minoribus conſtitutos, in virtute ſanctæ obedientiæ præcepit, ac diſtrictiſſime mandavit, ut infra annum poſt ejus Concilii promulgationem, ſuo reſpective, & Epiſcoporum arbitrio, ex rationabili tantum cauſa moderate prorogandam, eorumdem Epiſcoporum conſcientiam onerans, *bonorum omnium quavis ratione ad eadem Capitula, Collegia, Eccleſias, Beneficia, Hoſpitalia, Confraternitates, & Congregationes pertinentium, quorumque cura ipſis, ſive in communi, ſive in particulari commiſſa reperiatur, Legale Inventarium conficere, & perfectum* ipſi Pontifici *reſpective, ac ſuis Epiſcopis infra idem tempus pro recognitione, & approbatione ſimul exhibere habeant, & debeant, ſervata in omnibus methodo & inſtructione*, quæ ſcilicet in ejuſdem ſui Romani Concilii Appendice legitur.

XIII. Statuit mox Capite II. authenticum cujuſque Inventarii exemplar in Archivis Apoſtolico, & Epiſcopali, propriæque Eccleſiæ cuſtodiendum; tum vero Capite III. de Archivi Epiſcopalis erectione, ejuſque inſtructione, ac ſcripturarum omnium Inventario penes Epiſcopum ſervando, ita edixit: *Epiſcopale idcirco Archivum in Epiſcopio, & loco, quo poſſit, tutiori ſimul, atque commodiori, Epiſcopi ſtabiliter erigant, & conſtituant. In illo Curiæ proceſſus, atque ſcripturæ omnes tam ad Epiſcopi menſam, quam ad Diœceſim etiam univerſam pertinentes ſuo ordine reponantur, eaque potiſſimum, quæ de anno MDCXXVI. Concilii congregatio ſuis litteris pro inſtructione hic dandis in Appendice ad Epiſcopum Comenſem enumeravit. Vigore autem Bullæ S. Pii V. quæ incipit*, Muneris noſtri, *omnibus & ſingulis Epiſcopis diſtricte præcipimus, & mandamus, quatenus Archiva Epiſcopalia perpetuo integra cuſtodiantur, & Cathedralibus Eccleſiis, eorum Paſtoribus viduatis, Vicarii Capitulares, aliive, gratia, odio, timore, vel ſordibus, quos velint proceſſus, & ſcripturas ſurripere, vel lacerare non valeant, Inventarium authenticum omnium, & quorumcunque Curiæ ejuſdem Epiſcopalis proceſſuum, tam Civilium, quam criminalium, inſtrumentorum etiam, ac ceterarum quarumcunque cauſarum, quotannis per ipſius Curiæ Notarium conficiendum invigilent; & confectum, ejuſdemque Notarii manu ſubſcriptum penes ſe diligenti cura conſervent.*

XIV. Declarat deinde Pontifex ipſe Benedictus XIII. Cap. ſequenti IV. cui, caſu eveniente mortis Epiſcopi, vel eo in longinqua profectuɾo, Inventarium ipſum ſit conſignandum, & ita inquit: *Cumque Epiſcopi ex hac vita ſe migrare conſpexerint, Inventarium ipſum, eorum ſigillo obſignatum fideli cuſtodia, cui, morte impendente, peccata confitebuntur, committant, ut illico, poſtquam obierit, illico Prælato digniorıs Conventus ſuæ Civitatis conſignet, tute, & fideliter cuſtodiendum, Succeſſor donec Epiſcopus advenerit, cui clauſum item, & integrum præſentet; quod & ipſimet Epiſcopi per ſe implere non omittant, ſi quando longius e Diœceſi neceſſe habuerint peregre proficiſci. Caſu autem eveniente, quo Epiſcopus e vivis inopinato deficiat, tunc per Capitulum in Juribus ſuccedens Epiſcopalibus, una cum Vicario Generali defuncti Epiſcopi, confeſtim, &, ſi fieri poterit, antequam ad Vicarii Capitularis electionem deveniatur, Archivum Epiſcopale prædictum viſitetur, novumque Inventarium conficiatur, cum eo conferendum, quod penes Epiſcopum, dum vivebat, aſſervabatur, ſi inter alias illius ſcripturas acciderit inveniri.* Recenſet mox Cap. V. pœnas contra Archivorum proceſſus, documenta, & ſcripturas quaſcunque temerantes, vel ſurripientes, ſic dicens: *Quicumque tandem proceſſus, ſcripturas, & documenta hujuſmodi violaverit, corruperit, ſubtraxerit, ſeu ſimilia fieri mandaverit, aut auxilium, conſilium, vel favorem præſtiterit, omni ſit dignitate, officio, & Beneficio privatus, & ad futura obtinenda inhabilis eo ipſo.*

XV. Vult denique poſtremo Capite memoratus Pontifex Maximus Benedictus XIII. ut ad proprias conſervandas ſcripturas unaquæque Eccleſia locumque pium quodlibet ſuum erigat, & inſtruat Archivum: *Hinc ad Eccleſiarum monimenta ſervanda, tuta in unaquaque Eccleſia; Cathedrali præſertim, Collegiata, & Parochiali, ubi tamen inſtituta non adſint Archiva, quamprimum inſtituenda præcipimus, ſcripturis omnibus ad eas pertinentibus, compulſatis, recenſitis, & ſummatis, cum ſuo Indice, ſeu Catalogo, Ar-*

*Arebiviſtæ manu ſubſcripto : quod & in Hoſpitalibus , Confraternitatibus , locisque aliis piis conſimilibus fieri mandamus , ne ſcripturæ per manus oberrantes deperdantur , vel iniqua uſurpantium cupidine rapiantur , & oceultentur . Si cui vero Eccleſiæ , vel pio loco proprii non ſuppetant inſtituendi vires Archivi , a ſingulis in Epiſcopali Archivo ſpeciale conſtituatur Armarium, in quo libri , & ſcripturæ omnes ſuo ordine reponantur .* Atque hæc ſunt, quæ Benedictus XIII. circa Archiva , & Inventaria bonorum Eccleſiæ in laudato Romano Concilio anni MDCCXXV. ſtatnit , Titulo XII. qui inſeriptus eſt , *De fide Inſtrumentorum* . Sed & legenda ſunt , quæ idem præſeripſit in Appendice ejuſdem Coneilii , §. X. ubi agit de methodo conficiendi ipſa Inventaria bonorum Eeeleſiæ .

XVI. Placuit Deereta Romani hujus Concilii deſeribere , quia ſeilicet noviſſima ſunt Summi Pontifieis placita, juxta quæ & Archivia erigi, & Inventaria fieri bonorum Eeeleſiarum debent. Ceterum quod ipſorum bonorum alienationem ſpectant , eui alias noſter hie Canon providit , jam nos & in Commentariis ad Romanum Pontificale , & in iis , quibus præeedentes Synodos explicuimus , de ea re diximus . Quod vero attinet ad eam noſtri Canonis partem , qua edieitur , ut *Archiepiſcopi , & Epiſcopi ſtatum adminiſtrationis bonorum ad Menſam propriam pertinentium ſimiliter ſingulis annis Capitulis ſuis , & nihilominus Epiſcopi Metropolitanis , & Metropolitani Legatis Apoſtolieæ Sedis , vel aliis , quibus fuerit ab eadem Sede ſuarum Eccleſiarum Viſitatio delegata , inſinuare debita fidelitate procurent* : mutatum nonnihil eſt celebri Conſtitutione Sixti Papæ V. edita anno MDLXXXV. Ineipitque , *Romanus Pontifex* ; qua tenentur Epiſcopi ſingulis trienniis , ex juramento quod in Conſeeratione ſua ediderunt , vel diutius pro varietate Provinciarum , Apoſtolorum Limina per ſe , vel per alios viſitare , Apoſtolicam Sedem de ſtatu Eccleſiæ ſuæ plene informare , eumque Saeræ Congregationi Cardinalium ſuper Interpretatione Coneilii Tridentini , quæ ad hoc ſpecialiter deputata eſt , referre , quod & hodierna formula Juramenti exprimit, quod Nos jam Tomo I. Romani Pontificalis fuſe enarravimus . Attendi autem hodie & illud potiſſimum debet , quod Benedictus XIII. in ipſo Concilio quod nos Romæ degentes anno Jubilæi celebratum vidimus, de eadem re edixit, Tit. XIII. Cap. I. & in ejuſdem Appendiee , §. XII. ubi deſcripta eſt Inſtructio Sacræ Congregationis Coneilii pro Epiſcopis , Archiepiſcopis , Primatibus , & Patriarchis ſuper modo conficiendi Relationes ſtatuum ſuarum Eccleſiarum , quas occaſione Viſitationis Sacrorum Liminum eidem Sacræ Congregationi exhibere tenentur .

# C A N O N XIV.

Arduis mens noſtra oceupata negotiis , curiſque diſtracta diverſis , inter cetera, circa quæ attentionis invigilat oculo, ad Conſtantinopolitani liberationem Imperii ſuæ conſiderationis aciem ſpecialiter dirigit : hanc ardenti deſiderio concupiſcit , erga eam jugi cogitatione verſatur . Et licet Apoſtolica Sedes pro ipſa grandis diligentiæ ſtudio , & multiplicis ſubventionis remedio ferventer inſtiterit , ac diu Catholici non ſine gravibus laboribus , & oneroſis ſumtibus , anxiiſque ſudoribus , & deflenda ſanguinis effuſione certaverint ; nec tanti auxilii dextera Imperium ipſum totaliter de inimicorum jugo potuerit , impedientibus peccatis , eripere , propter quod non immerito dolore turbamur : quia tamen Eccleſiæ corpus ex membri cauſa cari , videlicet Imperii præfati carentia , notam probroſæ deformitatis incurreret , & ſuſtineret debilitatis dolendæ jacturam ; poſſetque digne noſtræ , ac ipſius Eccleſiæ deſidiæ imputari , ſi Fidelium deſtitueretur ſuffragio , & relinqueretur hoſtibus libere opprimendum : firma intentione proponimus eidem Imperio efficaci , & celeri ſubſidio ſubvenire ; ut Eccleſia ferventi ad illius exurgente ſuccurſum , manumque porrigente munitam , Imperium ipſum de adverſariorum dominio erui valeat , & reduci , auctore Domino , ad ejuſdem corporis unitatem ; ſentiatque poſt conterentem inimicorum malleum , dexteram matris Eccleſiæ conſolantem ; & poſt aſſertionis erroneæ cæcitatem , viſum , Catholicæ Fidei profeſſione , reſumat . Ad liberationem autem ipſius eo magis Eeeleſiarum Prælatos , alioſque Viros Eeeleſiaſticos vigiles , & intentos exiſtere , ac opem , & operam convenit exhibere ; quo amplius ejuſdem Fidei , & Eccleſiaſticæ libertatis augmentum , quod per liberationem hujuſmodi principaliter proveniret , procurare teneatur : maxime quia dum prædicto ſubvenitur Imperio , conſequenter ſubſidium impeditur Terræ Sanctæ. Sane ut feſtina fiat , & utilis Imperio præfato ſubventio , ex communi Coneilii approbatione ſtatuimus , ut medietas omnium proventuum , tam

Di-

Dignitatum, & Perſonatuum, quam Præbendarum Eccleſiaſticarum, aliorumque Beneficiorum Eccleſiaſticorum, perſonarum illarum, quæ in ipſis reſidentiam non faciunt perſonalem, per ſex menſes ad minus, ſive unum habeant, ſive plura; eis qui noſtris, & Fratrum noſtrorum, ac ſuorum Prælatorum immorantur obſequiis, aut ſunt in peregrinatione, vel Scholis, ſeu Eccleſiarum ſuarum negotia de ipſorum mandato procurant, vel aſſumſerunt, vel aſſument Crucis ſignaculum in prædictæ Terræ, vel perſonaliter in ejuſdem Imperii proficiſcentur ſuccurſum, exceptis; & ſi aliqui eorundem exceptorum, præter hujuſmodi Cruceſignàtos, & proficiſcentes, de reditibus Eccleſiaſticis ultra valentiam centum marcarum argenti percipiunt; annuatim tertia pars reſidui, ipſius Imperii ſubſidio colligenda, per eos, qui ad hoc ab Apoſtolica fuerint ordinati providentia, uſque ad triennium integre deputentur. Non obſtantibus quibuſcunque conſuetudinibus, vel Statutis Eccleſiarum, ſeu quibuslibet indulgentiis ipſis Eccleſiis, vel perſonis ab Apoſtolica Sede conceſſis, juramento, aut quacumque firmitate alia roboratis. Et ſi forte ſuper hoc ſcienter fraudem commiſerint, ſententiam excommunicationis incurrant. Nos vero de obventionibus Eccleſiæ Romanæ, deducta prius ex eis Decima ſuccurſui Terræ deputanda prædictæ, Decimam prædicti pro ſubventione Imperii plenarie tribuemus. Porro cum idem juvatur Imperium, auxilium præſtatur potiſſime ipſi Terræ; ac ad recuperationem ejus præcipue inſiſtitur, dum ad ipſius liberationem Imperii laboratur: de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum auctoritate confiſi, ex illa, quam Nobis licet indignis ligandi, atque ſolvendi contulit, poteſtate, omnibus eidem Imperio ſuccurrentibus illam ſuorum peccaminum veniam indulgemus; ipſoſque illo privilegio, eaque volumus immunitate gaudere, quæ prædictæ Terræ ſubvenientibus conceduntur.

## COMMENTARIUS.

I. Quod imminerent jam extremæ Conſtantinopolitano Imperio clades, cujus tunc Latini vix reliquias tuebantur, conſpirantibus in eos Græcis, finitimiſque Barbaris, nulla humani ſubſidii ſpe affulgente propter bella, quibus Occidentem Fridericus diſtinebat: providit hoc Canone, ſeu Conſtitutione extremo illi periculo Innocentius Papa IV. ubi *ex communi Concilii approbatione* ſtatuit, *ut medietas omnium proventuum, tam Dignitatum, & Perſonatuum, quam Præbendarum Eccleſiaſticarum, aliorumque Beneficiorum Eccleſiaſticorum, Perſonarum illarum, quæ in ipſis reſidentiam non faciunt perſonalem, per ſex menſes ad minus, ſive unum habeant, ſive plura .... annuatim ipſius Imperii ſubſidio colligenda per eos, qui ad hoc ab Apoſtolica fuerint ordinati providentia, uſque ad triennium integre deputetur .... & ſi forte ſuper hoc ſcienter fraudem commiſerint ſententiam excommunicationis incurrant.* Excipit Pontifex ab eo ferendo ſubſidio, qui Papæ, & Cardinalium, ac ſuorum Prælatorum immorantur obſequiis, aut ſunt in peregrinatione, vel Scholis, ſeu Eccleſiarum ſuarum negotia de ipſorum Prælatorum mandato procurant, aut aſſumſerunt, vel aſſument Crucis ſignaculum, in Terræ Sanctæ, vel perſonaliter in ejuſdem Imperii proficiſcentur ſuccurſum. Præter Cruceſignatos, & proficiſcentes, qui ab ea impoſitione liberi omnino ſunt, vult idem Pontifex, ut *ſi aliqui eorundem exceptorum de reditibus Eccleſiaſticis valentiam centum marcarum argenti percipiunt*, annuatim quoque tertia pars reſidui per triennium memorato Imperii Conſtantinopolitani ſubſidio deputetur. Porro Pontifex præter Indulgentias, & Privilegia, quæ in hujuſmodi ſubventionibus, ut jam alibi dictum fuit, ſolitæ fuerunt concedi, *de obventionibus Eccleſiæ Romanæ, deducta prius ex eis Decima ſuccurſui Terræ deputanda prædictæ*, Terræ nempe Sanctæ, *Decimam prædicti pro ſubventione Imperii plenarie* ſe tributurum ſpopondit.

## CANON XV.

Perennis obtentu Patriæ a longis retro temporibus pro redimenda Terra, quam Dei Filius aſperſione ſui Sanguinis conſecravit, univerſitas Filiorum Eccleſiæ non ſolum expenſas innumeras, ſed inæſtimabilem cruoris affluentiam noſcitur effudiſſe: ſicut ex eo mœſti corde colligimus, quod pridem contra Fi-

delcs

deles pugnantibus impiis accidit in partibus tranſmarinis. Verum cum propter hoc ſit in Sedis Apoſtolicæ voto potiſſimum, ut de ipſius redemtionis Terræ, communis deſiderii, Deo propitio, proveniat complementum: digne providimus, ut ad procurandum Dei favorem vos noſtris Litteris excitemus. Rogamus itaque Univerſitatem veſtram, & obſecramus in Domino Jeſu Chriſto, mandantes, quatenus ſinguli veſtrum Fideles Populos veſtræ curæ commiſſos in veſtris Prædicationibus, vel quando Pœnitentiam ipſis injungitis, piis monitis inducatis, conceſſa ſuper hoc, prout expedire videritis, Indulgentia ſpeciali: ut in teſtamentis, quæ pro tempore fecerint, aliquid in Terræ Sanctæ, vel Imperii Romaniæ ſubſidium pro ſuorum peccaminum remiſſione relinquant: attentius proviſuri, ut quod ipſi ad Crucifixi reverentiam habendo reſpectum, in pecunià pro hujuſmodi ſubventione dederint, in certis locis ſub ſigillis veſtris conſervari fideliter; & illa, quæ in rebus aliis ad hoc legata fuerint, diligenter in ſcriptis redigi, faciatis. Hoc autem pietatis opus, in quo ſola cauſa Dei quæritur, & ſalus Fidelium procuratur, ſic veſtra ſinceritas promtis proſequatur affectibus, ut tandem ſecuri de manu ſuperni Judicis cæleſtis gloriæ præmium expectetis.

## COMMENTARIUS.

I. AGitur de admonitione Prælstorum ad Populum ſibi commiſſum, ut nempe eorum ſinguli, qui fideles Populos habent ſuæ curæ commiſſoa, in ſuis Prædicstionibus, vel quando Pœnitentiam ipſis injungunt, piis monitis inducant, conceſſa etiam, prout expedire viderint, Indulgentia ſpeciali; *ut in teſtamentis, quæ pro tempore fecerint, aliquid in Terræ ſanctæ, vel Imperii Romani ſubſidium*, de quo actum eſt ſupra in Canone XIV. & infra Canone XVII. *pro ſuorum peccaminum remiſſione relinquant*. Ubi neceſſitas publica adſit, probata a Summo Romano Pontifice, laudanda profecto Sacrorum Hominum pietas, qui in Concionibus ſuis, vel dum ſacras Fidelium Confeſſiones excipiunt, aut illorum teſtamentis interſunt, Fideles ipſos ad opem ſuam communi Eccleſiæ neceſſitati præſtandam inducant. Nam alias merito S. Hieronymus in Epiſtola ſua ad Nepotianum, quam noa peculiari opella Notis illuſtravimus, ſummam quorundam ſacrorum Hominum ſui ævi avaritiam damnat, ac malas artes depingit, quibus, ſenibus, anubuſque abſque liberis decentibus turpe ſervitium exhibebant, ut ab iiſdem hæredes inſtituerentur: *Audio præterea*, inquit, *in ſenes, & anus abſque liberis quorundam turpe ſervitium*. Subditque mox ſtatim: *Ipſi apponunt matulam, obſident lectum, purulentiam ſtomachi, & phlegmata pulmonis manu propria ſuſcipiunt. Pavent ad introitum, Medici trementibuſque labiis, an commodius habeant, ſciſcitantur; & ſi paululum ſenex vegetior fuerit, periclitantur; ſimulataque lætitia mens intrinſecus avara torquetur; timent enim, ne perdant miniſterium; & vivacem ſenem Mathuſalæ annis comparant. O quanta apud Deum merces, ſi in præſenti pretium non ſperarent? quantis ſudoribus hæreditas caſſa expetitur?*

II. Caſſa hæreditas dicitur, quia effectu ſuo carebat; non enim Sacri Homines Monachi æque ac Clerici hæredipetæ dicti, quod Fidelium hæreditates blanditioſis inſidiis venarentur, aliquid ex memoratis ſenibus anubuſque conſequi poterant, ſed totum Fiſcus excipiebat, ex Conſtitutione Valentiniani Imperatoris, cujus idem Hieronymus in laudata Epiſtola paulo ſuperius mentionem fecit, ita inquiens: *Pudet dicere: Sacerdotes Idolorum, Mimi, & Aurigæ, & ſcorta, hæreditates capiunt. Solis Clericis, & Monachis hoc Lege prohibetur, & prohibetur non a perſecutoribus, ſed a Principibus Chriſtianis. Nec de Lege conqueror, ſed doleo, quod meruimus hanc Legem*. Lex hæc eſt Valentiniani Imperatoris data ad Damaſum Papam anno Chriſti CCCLXX. extatque Lib. XVI. Codicis Theodoſiani, Titulo II. qua enim monet, placuiſſe ſibi Clericos, & Monachos de viduarum bonis nihil vel teſtamento, vel donatione, vel etiam fideicommiſſo poſſe percipere. Meminit & ejus Legis S. Ambroſius in Epiſtola XVIII. ad Valentinianum Juniorem, ſic ſcribens: *Nobis privatæ ſucceſſionis emolumenta recentibus Legibus denegantur, & nemo conqueritur*. Queritur quidem Hieronymus non de Lege, ſed dolet, *quod meruimus hanc Legem*. Quia ſcilicet quidam Sacri Homines, qui aſſentationibus ſuis, delinimentis, turpibuſque ſervitiis, quibus ſenes anuſque circumveniebant, illiciebantque, ut teſtamento ab eis hæredes ſcriberentur, cauſam edendæ ei Legi præbuere.

III. Plura in eam Legem videri poſſunt apud eruditiſſimum Gothofredum in ſuis ad Theodoſianum Codicem Commentariis, & Thomaſſinum Parte III. *Diſciplinæ*, Lib. I. Cap. XVIII. ubi etiam ſcitiſſime obſervat, fuiſſe quidem, quod de ea Lege merito conqueramur, quod licet Monachorum, & Clericorum quorundam fraudes plecterentur, quorum arte circumſcriptæ fuiſſent religioſæ viduæ; vindicatum tamen in omnes Clericos, & Monachos eſſet, luituris innoxiis longe plurimis paucorum dedecus, & crimen noxiorum. Additque mox illud ſapientiſſimus Scriptor, quod, cum ea pœna non pertineret, niſi ad imminuendas privatorum opes, quibus

bus & utilior eſt, & charior eſſe debet mediocritas, vel pennria, quam copia rerum terrenarum; ideo Sanctis Patribus, Ambroſio, & Hieronymo, aliiſque ne in mentem quidem venerit conqueri, aut reclamare: *Exploratiſſimum erat*, ut idem concludit, *germanas Clericorum, & Monacborum opes ex virtutibus eſfloreſcere, in quas aequicquam ſæviant Principum Leges. Unde ad ſuos Ambroſius*: Malo vos pecunia minores eſſe, quam gratia.

IV. Merito autem Carolus Magnus ceteroqui profuſiſſimus erga Eccleſias, Lib. I. *Capitularium*, Cap. LXXXIX. abuſum allum Sacrorum hominum damnavit, qui non modo ab iis, qui ſine liberis, ac propinquis decedebant, hæredes inſtitui procurabant, ſed ab illis etiam, qui filios, vel proximos ſanguine habebant: *Statutum eſt*, inquit, *ut nullus quilibet Eccleſiaſticus ab his perſonis res deinceps accipere præſumat, quarum liberi, aut propinqui hac inconſulta oblatione poſſint rerum propriarum exhæredari. Quod ſi aliquis deinceps hoc facere tentaverit, a Synodali, vel Imperiali ſententia modis omnibus feriatur*. Jam non prohibet dari accipiſque terras, ſed hæreditates totas, & ne eas dari quidem vetat, recipiſque, niſi ubi nati ſunt, & proximi exhæredes futuri. Integrum ergo erat Eccleſiæ ſundos oblatos admittere, imo & eorum hæreditates ex aſſe, qui prole, & proximis deſtituerentur. Quam conſentiat hæc S. Auguſtini præſertim doctrinæ, & moderationi, ex iis plane intelligitur, quæ de eodem Auguſtinu ſcribit in ejus Vita Poſſidius, Cap. XXIV. ubi inter alia ita inquit: *Aliquas eum hæreditates recuſaſſe novimus, non quia pauperibus inutiles eſſe poſſent, ſed quoniam juſtum, & æquum eſſe videbat, ut a mortuorum vel filiis, vel parentibus, vel affinibus magis poſſederentur, quibus ea deficientes dimittere noluerant*.

V. Porro malebat doctiſſimus, ac ſanctiſſimus, & a cupiditatum fœce alieniſſimus Paſtor, filios parentibus reconciliare, quam ipſos ſibi committere, admittendo eorum hæreditates; & quamvis in eum maledicentiæ jacula turquerentur, quaſi res, & commoda negligeret Eccleſiæ, ac dilabi ſineret; nolebat tamen ille prudentiſſimus Antiſtes, Eccleſiam diteſcere filiorum ſuorum diſpendiis; ac pacis, charitatiſque conciliatricem, litibus, & diſcordiis ſaginari. Narrat docetque hæc idem ipſe Auguſtinus Sermone XLIX. *De diverſis*, Cap. III. ſic inquiens: *Quid facturus ſum eis, qui dicunt: Ecce quare nemo donat Eccleſiæ Hipponenſi aliquid; ecce quare non eum faciunt qui moriuntur hæredem, quia Epiſcopus Auguſtinus de bonitate ſua, (laudando enim mordent, labiis mulcent, dentem figunt) donat totum, ſuſcipit nihil. Plane ſuſcipio, profiteor, me ſuſcipere oblationes, oblationes ſanctas. Siquis autem iraſcitur filio ſuo, & moriens exhæredat eum; ſi viveret, non eum placarem? non ei filium ſuum reconciliare deberem? Quomodo ergo cum filio ſuo volo ut habeat pacem, cujus appeto hæreditatem?*

VI. Redeo ad deſcriptum ſuperius Caroli Magni Statutum, ex quo & illud intelligere licet, ſancitum nempe fuiſſe ipſum a Carolo hortatrice Synodo aliqua Epiſcoporum, unde & ejus exequutio facienda declaratur *Synodali, vel Imperiali ſententia*. Certe in Cabilonenſi Concilio anni DCCCXIII. quod ſub Leone Papa III. & Carolo ipſo Imperatore habitum fuit, perſtringuntur Sacri Homines illi, qui veteratorie, & per cuniculos adrepunt ſecularibus, ut eos proliciant ad res ſuas Eccleſiæ legandas. Sic enim inquit Canone VI. *Imputatur quibuſdam Fratribus, eo quod avaritiæ cauſa hominibus perſuadeant, ut abrenunciantes ſeculo, res ſuas Eccleſiæ conferant: quod penitus ab omnium mentibus eradicandum eſt. Animarum quippe ſalutem inquirere Sacerdos, non lucra terrena debet: quoniam Fideles ad res ſuas dandas non ſunt cogendi, neque circumveniendi. Oblatio namque ſpontanea eſſe debet juxta illud, quod ait Scriptura*: Voluntarie ſacrificabo tibi. *Et illud*: Omnis pupulus mente devota obtulerunt donaria Domino. *Eccleſia vero ſancta non ſolum Fideles ſpoliare non debet, quin potius inopibus opem ferre, ut debiles, pauperes, viduæ, orphani, & ceteri neceſſitatem patientes, a ſancta Eccleſia, ut puta a pia Matre & omnium gubernatrice, ſubſidium accipiant*.

VII. Cum vero his verſutorum quorundam Sacrorum Hominum præſtigiis aliqui ſe jam, ſuaque Cœnobiis dediſſent, hujuſmodi veteratores Concilium ipſum Cabilonenſe mox ſequenti Canone VII. ad Pœnitentiam Canonicam ablegat: *Conſtituit ſane ſacer iſte Conventus, ut Epiſcopi, ſive Abbates, qui non in fructum animarum, ſed in avaritiam, & turpe lucrum inhiantes, quoſlibet homines illectos circumveniendo totonderant, & res eorum tali perſuaſione non ſolum acceperunt, ſed potius ſubripuerunt, Pœnitentiæ Canonicæ, ſive Regulari*, quæ ſcilicet in Monaſteriis peragebatur, *ut puta turpis lucri ſectatores ſubjaceant*. Erat hic fœdus turpiſque abuſus, ac error, qui non fere cadebat, niſi in Prælatos, Abbates, & Monachos. Eos quidem, qui vel ſic Clauſtrali ſe illigarunt Profeſſioni, nequaquam ab eo vinculo, aut a perſeverandi neceſſitate abſolvit Synodus, ſed bona ipſa tamen, quæ captandu extorta quodammodo fuerant, jubet parentibus reſtitui, vel propinquis, ad ad quos alias bona illa ſpectarent: *Hi vero, qui vanis promiſſionibus, vel quibuslibet machinationibus perſuaſi, mentis inopes effecti, rerum ſuarum domini eſſe neſcientes, comam depoſuerint, in eo quod cœperunt, perſeverare cogantur. Res namque quæ ab illectis, & negligentibus datæ, ab avaris, & cupidis non ſolum acceptæ, ſed raptæ noſcuntur, hæredibus reddantur, qui dementia parentum, & avaritia incentorum exhæredati eſſe noſcuntur*. Concludit tandem citato Canone VII. laudata Synodus Cabilonenſis, & docet, quod nempe, *hoc, quod quiſque Deo juſte, & rationabiliter de rebus ſuis offert, firmiter Eccleſia tenere debet*.

VIII. Ubi Concilium Namnetenſe incerti anni, quod inter Concilia Seculi X. a Collectoribus recenſetur, Canone IV. Parochos neceſſariis imbuit præceptionibus ad viſitandos ſuæ Parochiæ infirmos, inſtruendoſque ſalutaribus monitis, dum in vitæ verſantur diſcrimine: illud præ ceteris monet, ut ad condendum teſtamentum hortentur, dum ſana mente, & ſui compotes ſunt, atque ad peccata eleemoſynis abſtergenda: *Ut ſubſtantiam ſuam, dum adhuc ſenſus, & ratio in eo vigent, diſponat, ut peccata ſua eleemoſynis redimat*. Notari autem & illud ex hoc Canone poteſt, quod alias obſervat Thomaſſinus Parte III. *Diſciplinæ*, Libro I.

Ca-

Digitized by Google

Capite XXIII. Num. VI. exordium uempe aliquod & rudimentum ſummæ ejus poteſtatis, qua Parochi uſi ſunt poſterioribus ſeeulis in teſtamentis exeipiendis, ſiqui vellent eorum opera uti, vel ſeriptas jam tabulas in eorum manus deponere. Videri autem varii de ea re Canones poſſunt apud laudatum Auctorem, ſequenti Cap. XXIV. ubi inter alia ſuſe oſtendit, quam ingens, & quam neceſſaria Seeulo præſertim XIII. ac ſequentibus ſuerit in vindicandis teſtamentis Eccleſiæ auctoritas. Porro Benedictus XIII. in Romano Concilio ſuo anni Chriſti MDCCXXV. Tit. XX. Capite II. laudat & eamquorundam Regnorum eonſuetudinem, qua Epiſeopi pro mortuis ab inteſtato, ſuperſtites hi licet relinquant hæredes, animarum, ut ajunt, teſtamenta eonfieiunt, aliqnid nempe de bonis defuncti pro ejus animæ ſuffragio diſponendo. Tum vero omnes Epiſcopos admonet, *ut eorum plebes ad uſum ipſum, ubi non adſit, amplectendum bortentur.* Viguit potiſſimum ea conſuetudo in Noſtro Regno Neapolitauo.

# CANON XVI.

Chriſtianæ Religionis cultum longius, latiuſque per Orbem diffundi ſuper omnia cupientes, inæſtimabilis doloris telo transfodimur, ſi quando aliqui ſic noſtro in hac parte obviant deſiderio, affectu contrario, & effectu, quod ipſum cultum delere penitus de Terræ ſuperficie omni ſtudio, totaque potentia moliuntur. Sane Tartarorum gens impia Chriſtianum populum ſubjugare ſibi, vel potius perimere appetens, collectis jamdudum ſuarum viribus nationum, Poloniam, Ruſciam, Hungariam, aliaſque Chriſtianorum Regiones, ingreſſæ, ſic in eas depopulatrix inſævit, ut gladio ejus nec ætati parcente, nec ſexui, ſed in omnes indifferenter crudelitate horribili debacchante, inaudito ipſas exterminio devaſtarit; ac aliorum Regna continuato progreſſu, illa ſibi, eodem in vagina otiari gladio neſciente, inceſſabili perſecutione ſubſternit; ut ſubſequenter in robore fortiores exercitus Chriſtianos invadens, ſuam plenius in ipſo poſſit ſævitiam exercere; ſicque orbato, quod abſit, Fidelibus orbe, Fides exorbitet, dum ſublatos ſibi gemuerit ipſius gentis feritate cultores. Ne igitur tam deteſtanda gentis ejuſdem intentio proficere valeat, ſed deficiat auctore Deo potius, & contrario concludatur eventu, ab univerſis Chriſticolis attenta eſt conſideratione penſandum; & procurandum ſtudio diligenti, ut ſic illius impediatur proceſſus, quod nequeat ad ipſos ulterius quantumcumque potenti armato brachio pertranſire. Ideoque ſacro ſuadente Concilio Univerſitatem veſtram monemus, rogamus, & hortamur, attente mandantes, quatenus viam, & aditus, unde in Terram noſtram gens ipſa poſſet ingredi, ſolertiſſime perſcrutantes, illos foſſatis, vel muris, ſeu aliis ædificiis, aut artificiis, prout expedire videritis, taliter præmunire curetis, quod ejuſdem gentis ad vos congreſſus patere de facili nequeat; ſed prius Apoſtolicæ Sedi ſuus deuunciari poſſit adventus: ut ea vobis Fidelium deſtinante ſuccurſum, contra conatus, & inſultus gentis ipſius tuti eſſe, adjutore Domino, valeatis. Nos enim in tam neceſſariis, & utilibus expenſis, quas ob id feceritis, contribuemus magnifice, ac ab omnibus Chriſtianorum Regionibus, cum per hoc occurratur communibus periculis, proportionaliter contribui faciemus; & nihilominus ſuper his aliis Chriſtifidelibus, per quorum partes habere poſſet aditum gens prædicta, Litteras præſentibus ſimiles deſtinamus.

## COMMENTARIUS.

I. DE Tartaris agit hie Canon, de quorum comprimendo in Chriſtianos impetu, uti jam in Hiſtoria hujus Concilii diximus, decretum eſt, ut ad illorum eohibendos ineurſus Chriſtianorum Terræ diligenter munirentur, ac de illorum motibus Sedes Apoſtolies certior fieret, quæ ſubſidium adverſus ipſos procurare, imperare, ae deſtinare poſſet. Promittit autem Pontifex, ſe de ſuo ample eollaturum, ceteroſque Chriſtianos hortaturum, ut & ipſi proportionabiliter juxta vires ſuas contribuant. Porro Tartari Populi ſunt par-

tis Sarmatiæ Europææ, moribus, omnique crudelitatis genere efferatiſſimi, incertis vagantes ſedibus, & ex præda victitantes, improviſis incurſionibus maxime noxii. Hi, qui ineunte Seculo XIII. poſt devictum, & interfectum Indorum Regem e familia Presbyteri Joannis, ſeu Pretejanni, cui ſervierant, uti in Alexandri III. Vita, Num. XCVI. & ſeq. rem enarrat Pagius, Aſiam pene omnem diviſis copiis mira facilitate pervagati, anno deinde MCCXII. ad Occidentem progreſſi, primam cladem Polonis, ſimul & vicinis Ruſſis intulerunt, annoque MCCXLI. Poloniam, & Hungariam, finitimaſque Regiones ad ultimam prope deſolationem cædibus, & incendiis redegerunt, ut conſtat ex Michovio in deſcriptione Sarmatiæ Aſianæ, Lib. I. Cap. III. & in Hiſtoria Polonica Lib. III. Cap. IX. & aliis.

II. His atque aliis calamitatibus, quæ Chriſtianis Populis a Tartaris inferebantur, conata eſt quidem noſtra hæc Synodus I. Lugdunenſis, hoc edito Canone, ſeu Conſtitutione providere; verum ab eo tempore continuatis victoriis inſolentes anno MCCLIX. a Bela Hungariæ Rege inter cetera poſcebant, ut vel filia Principis eorum Stephano Belæ Filio, vel Filia Belæ Filio Principis eorum in Matrimonium collocaretur; eornmque ſancito fœdere Hungarorum Rex cum fortiſſimo Exercitu Tartaris ſe ſe conjungeret, præiretque ad Chriſtianos occidendos, ac quintam denique ſpoliorum partem recepturus; & niſi oblatæ amicitiæ Leges acciperet, crudeliſſimi belli terrorem incuſſuros. Perſuſus metu Bela, qui Tartarorum excurſione præterita tot malis obrutus fuerat, ad Alexandrnm IV. Pontificem, qui immediate Innocentio Papæ IV. ſucceſſit, Oratores miſit, propoſitaque imminentis belli formidine obſecravit, ut promtiſſimum auxilium expediret laboranti Hungariæ, queſtuſque eſt etiam, quod Gregorius IX. in ultima Tartarorum irruptione Hungariam deſeruiſſet.

III. Acceptis his triſtibus nunciis Alexander Gregorium IX, Prædeceſſorem excuſavit, ſi Friderici II. bello implicitus, de quo nos alias in hujus Concilii Hiſtoria diximus, ac rerum mole obrutus, opem non tuliſſet: adeo repentino impetu hoſtem erupiſſe, ut prius illata clades fuiſſet, quam illius accepta fama pervenire potuiſſet. Tum quod ad leges propoſitas fœderis attineres, fœdiſſimas illas, atque adeo funeſtas, ut ſola cogitatione horrorem offunderent; propterea ſi eas admittere in animum induceret, in ancipiti verſari diſcrimine, an crudelis, & infidus barbarus eas eſſet ſervaturus. Hortatus denique eſt, ut impium fœdus generoſe reſpueret; ſpem ſuam in Deo, cujus cauſa ageretur, collocaret; non defuturum illi cælitus auxilium; atque univerſum Orbem Chriſtianum ad propulſandum commune periculum vires ſuas conjuncturum, Sedemque Apoſtolicam tot Reges fortiſſimos, Regnaque florentiſſima, ad arcendum Tartaros excitaturam. Querelas quoque alias objecerat Bela, quas fregit Alexander, omnemque illarum ſuſpicionem amovit Litteris ad ipſum Belam datis *Anagniæ III. Idus Octobris anno V.* Pontificatus ſui, ideoque anno MCCLIX. quas refert Raynaldus ad eundem annum MCCLIX.

IV. Narrant autem laudatus Chromerus, & Michovius Lib. III. Cap. XLV. Tartaros menſe Decembri anno MCCLIX. ingentibus copiis, Ruſſis, & Lituania adjutoribus, atque ductoribus Poloniam minorem per flumina glacie concreta, ſumma celeritate ingreſſos, anno MCCLX. ingentem edidiſſe ſtragem omnis generis, & ſexus Chriſtianorum, combuſtis Sandomiria, Cratoria, aliiſque locis, Eccleſiaſticis, & Monaſteriis, nemine reſiſtente, quod Boleslaus Pudicus Princeps tantæ multitudini impar in Hungariam cum uxore profugiſſet; ſicque incendiis, & cædibus quocunque voluerunt impune provectos, inde præda onuſtos, in Ruſſiam reverſos eſſe. Eam cladem cum Boleslaus Princeps, & Prandotha Cracovienſis Epiſcopus Alexandro Papæ IV. ſignificaſſent, Pontifex viſitantibus die II. Junii Eccleſiam S. Mariæ Sandomirienſis, in qua, & Cœmeterio ejus ingens peremtorum numerus ſepultus fuerat, qui pro Fide a Barbaris necati, uti Martyres habiti ſunt, eandem Indulgentiam in perpetuum conceſſit, quam habebat Eccleſia S. Mariæ ad Martyres de Urbe; uti rem pluribus narrant laudati rerum Polonicarum Scriptores.

V. At vero tandem ſub ipſis Pontificatus Nicolai IV. initiis, ideſt anno MCCLXXXVIII. gratiſſimum Nicolaus ipſe nuncium accepit de converſione multorum Tartarorum, de certa ſpe baptizandi Argonis Tartarorum Regis; de baptizatis jam Tuctane, & Elegage Reginis, de reductis quibuſdam Epiſcopis, aliiſque ſchiſmaticis ad Eccleſiæ unitatem, idque opera Fratrum Minorum ad illas partes a Miniſtro Generali ejuſdem Ordinis Bonagratia miſſorum. Atque hinc eſt, quod Abagha Tartarorum Orientalium Rex ſuos ad Concilium Generale Lugdunenſe II. ſub Gregorio Papa X. Legatos miſit ad fœdus cum Chriſtianis ineundum. Verum eo occiſo anno MCCLXXXII. ſucceſſit ejus Frater nomine Tangodor, qui Chriſtiano Baptiſmate in pueritia tinctus nomen Nicolai acceperat, ſed converſatione Saracenorum, quam impenſe dilexerat, eorum ſectæ ſe dedidit, accepto nomine Mahometi, pœniſque ac præmiis Tartaros Chriſtianos pervertit, funditus Eccleſias evertit, & Societatem cum Soldano iniit. At demum anno Chriſti MCCLXXXV. Mahometus ab Argone prædicti Abaghæ filio comprehenſus, per medium detruncari juſſus eſt, evectuſque in Regnum Argon, & a Cobila Summo Tartarorum Imperatore in eo confirmatus, Chriſtianorum Eccleſias ab Apoſtata illo Mahometo dirutas reparavit, & Nuncios, ac Litteras ad Romanum Pontificem Nicolaum IV. miſit, quibus eum certiorem faciebat de ſuo promto erga Chriſtianam Religionem affectu, ferventique deſiderio ſuſcipiendi Baptiſmum in ipſa Civitate Jeruſalem, quam e Saracenorum manibus vindicare meditabatur.

VI. Receptis Nunciis, ac Litteris Nicolaus, Litteras mox ipſe congratulatorias ad Argonem dedit, in quibus eum hortatus eſt, ut non expectaret recuperationem Regni Jeroſolymorum, ſuſcipiendi gratia Baptiſmi Jeroſolymis, ſed potius ſtatim Baptiſmum ſuſciperet, eoque ſuſcepto facilius ſperaret, ſucceſſuram eam prædicti Regni recuperationem. Reginas quoque Tuctanem, & Elegagem, quæ jam baptizatæ fuerant, ad perſeverantiam, & profectum excitavit. Ad Epiſcopos illarum partium Dogmaticas Epiſtolas cum ampla, & accurata Fidei profeſſione tranſmiſit; Interpreteſque variarum linguarum, atque Nationum apud Regem degentes monuit, ut ſicut prudenter, & laudabiliter ſe gerebant in dilatandis Fidei Chriſtianæ Terminis, in ſancto ope-

opere ſolicite pergerent; ac demum Fratribus Ordinis Minorum inter eoſdem Tartaros conſtitutis, quorum opera prædicta bona ſucceſſerant, multas largitus eſt facultates, quibus commodius, & majori auctoritate inchoatum opus exequerentur. Has omnes Nicolai IV. Papæ Epiſtolas datas *Romæ apud S. Petrum*, *quarto Nonas Aprilis*, *anno* 1. Pontificatus, ideſt anno Chriſti MCCLXXXII. Wadingus, & Raynaldus ad cum annum referunt.

## CANON XVII.

Afflicti corde pro deplorandis Terræ Sanctæ periculis, ſed pro illis præcipue quæ conſtitutis in ipſa Fidelibus noſcuntur noviter accidiſſe: ad liberandam ipſam, Deo propitio, de impiorum manibus, totis affectibus adſpiramus, diffinientes ſacro approbante Concilio, ut ita Cruceſignati ſe præparent, quod opportuno tempore univerſis inſinuando Fidelibus per Prædicatores, & noſtros Nuncios ſpeciales, omnes, qui diſpoſuerint transfretare, in locis idoneis ad hoc conveniant: de quibus in ejuſdem Terræ ſubſidium cum Divina, & Apoſtolica benedictione procedant. Sacerdotes autem, & alii Clerici, qui fuerint in Exercitu Chriſtiano, tam ſubditi, quam Prælati, orationi, & exhortationi diligenter inſiſtant; docentes eos verbo pariter, & exemplo, ut timorem, & amorem Domini ſemper habeant ante oculos, ne quid dicant, aut faciant, quod Æterni Regis Majeſtatem offendat. Et ſi quando in peccatum lapſi fuerint, per veram pœnitentiam mox reſurgant, gerentes humilitatem cordis, & corporis; & tam in victu, quam in veſtitu mediocritatem ſervantes, diſſenſiones, & æmulationes omnino evitando, rancore, ac livore a ſe penitus relegatis: ut ſic ſpiritualibus, & materialibus armis muniti, adverſus hoſtes Fidei ſecurius prælientur, non de ſua præſumentes potentia, ſed de divina virtute ſperantes. Nobiles quidem, & potentes Exercitus, ac omnes divitiis abundantes piis Prælatorum monitis inducantur, ut intuitu Crucifixi, pro quo Crucis ſignaculum aſſumſerunt, ab expenſis inutilibus, & ſuperfluis, ſed ab illis præcipue, quæ fiunt in comeſſationibus, & conviviis, abſtinentes, eas commutent in perſonarum illarum ſubſidium, per quas Dei negotium valeat proſperari; & eis propter hoc juxta Prælatorum ipſorum providentiam, peccatorum ſuorum Indulgentia tribuatur. Prædictis autem Clericis indulgemus, ut Beneficia ſua integre percipiant per triennium, ac ſi eſſent in Eccleſiis reſidentes; &, ſi neceſſe fuerit, ea per idem tempus pignori valeant obligare. Ne igitur hoc ſanctum propoſitum impediri, vel retardari contingat, univerſis Eccleſiarum Prælatis diſtricte præcipimus, ut ſinguli per loca ſua illos, qui ſignum Crucis depoſuerunt, reſumere, ac tam ipſos, quam alios Cruceſignatos, & quos adhuc ſignari contigerit, ad reddendum Domino vota ſua diligenter moneant, inducant; &, ſi neceſſe fuerit, per excommunicationis in perſonas, & Interdicti ſententias in Terras ipſorum, omni tergiverſatione ceſſante, compellant. Adhuc, nequid in negotio Domini noſtri Jeſu Chriſti de contingentibus omittatur, volumus, & mandamus, ut Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, & alii, qui curam obtinent animarum, ſtudioſe proponant commiſſis ſibi verbum Crucis: obſecrantes per Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, unum, ſolum, verum, æternum Deum, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, & Barones, alioſque Magnates, necnon Communia Civitatum, Villarum, & Oppidorum, ut qui perſonaliter non acceſſerint in ſubſidium Terræ Sanctæ, competentem conferant numerum bellatorum, cum expenſis ad triennium neceſſariis, ſecundum proprias facultates, in remiſſionem ſuorum peccaminum, prout in generalibus Litteris, quas pridem per Orbem terræ miſimus, eſt expreſſum,

& ad majorem cautelam inferius etiam exprimetur. Hujus remiſſionis volumus eſſe participes non ſolum eos, qui ad hoc naves proprias exhibebunt, ſed illos etiam, qui propter hoc opus naves ſtuduerint fabricare. Renuentibus autem, ſiqui forte tam ingrati fuerint Domino Deo noſtro, ex parte Apoſtolica firmiter proteſtentur, ut ſe ſciant ſuper hoc Nobis in noviſſimo diſtricti examinis die coram tremendo Judice reſponſuros: prius tamen conſiderantes, qua ſcientia, quave ſecuritate comparere poterunt coram Unigenito Dei Filio Jeſu Chriſto, cui omnia dedit Pater in manus: ſi ei pro peccatoribus Crucifixo ſervire renuerint in hoc negotio quaſi proprie ſibi proprio, cujus munere vivunt, cujus beneficio ſuſtentantur, quin etiam cujus Sanguine ſunt redemti. Ceterum ex communi Concilii approbatione ſtatuimus, ut omnes omnino Clerici, tam ſubditi, quam Prælati, vigeſimam Eccleſiarum proventuum uſque ad triennium conferant in ſubſidium Terræ Sanctæ per manus eorum, qui ad hoc Apoſtolica fuerint providentia ordinati: quibuſdam dumtaxat Religioſis exceptis, ab hac præſtatione merito eximendis, illiſque ſimiliter, qui aſſumto, vel aſſumendo Crucis ſignaculo, ſunt perſonaliter profecturi. Nos, & Fratres noſtri Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales plenarie Decimam perſolvemus: ſciantque ſe omnes ad hoc fideliter obſervandum per excommunicationis ſententiam obligatos: ita quod illi, qui ſuper hoc fraudem ſcienter commiſerint, ſententiam excommunicationis incurrant. Sane, quia juſto judicio Cæleſtis Imperatoris obſequiis inhærentes ſpeciali decet prærogativa gaudere, Cruceſignati a collectis, vel talliis, aliiſque gravaminibus ſint immunes, quorum perſonas, & bona poſt Crucem aſſumtam ſub Beati Petri, & noſtra protectione ſuſcipimus: ſtatuentes, ut ſub Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, ac omnium Prælatorum Eccleſiæ Dei defenſione conſiſtant, propriis nihilominus protectoribus ad hoc ſpecialiter deputandis; itaut donec de ipſorum reditu, vel obitu certiſſime cognoſcatur, integra maneant, & quieta: & ſi quiſquam contra præſumſerit, per Cenſuras Eccleſiaſticas compeſcatur. Siqui vero proficiſcentium illuc ad præſtandas uſuras juramento tenentur adſtricti, creditores eorum, ut remittant eis præſtitum juramentum, & ab uſurarum exactione deſiſtant, eadem præcipimus diſtrictione compelli. Quod ſi quiſquam creditorum eos ad ſolutionem coegerit uſurarum, eum ad reſtitutionem earum ſimili cogi animadverſione mandamus. Judæos vero ad remittendas uſuras per ſæcularem compelli præcipimus Poteſtatem, & donec illas remiſerint, ab univerſis Chriſtifidelibus per excommunicationis ſententiam eis omnino communio denegetur. Iis, qui Judæis nequeunt ſolvere debita in præſenti, ſic Principes ſeculares utili dilatione provideant, quod poſt iter arreptum, quouſque de ipſorum reditu, vel obitu cognoſcatur, uſurarum incommoda non incurrant: compulſis Judæis proventus pignorum, quos ipſi interim perceperint, in ſortem, expenſis deductis neceſſariis, computare: cum hujuſmodi beneficium non multum videatur habere diſpendii, quod ſolutionem ſic prorogat, quod debitum non abſorbet. Porro Eccleſiarum Prælati, qui in exhibenda juſtitia Cruceſignatis, & eorum famulis negligentes extiterint, ſciant, ſe graviter puniendos. Ceterum quia Curſarii, & Piratæ nimis impediunt ſubſidium Terræ Sanctæ, capiendo, & ſpoliando tranſeuntes ad illam, & redeuntes ab ipſa: Nos eos, & principales adjutores, & ſautores eorum excommunicationis vinculo innodamus, ſub interminatione anathematis inhibentes, nequis ſcienter cum eis communicet in aliquo venditionis, vel emtionis contractu, & injungentes Rectoribus Civitatum, & locorum ſuorum,

ut eos ab hac iniquitate revocent, & compeſcant. Alioquin, quia nolle perturbare perverſos, nihil eſt aliud, quam ſovere; nec caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui manifeſto facinori deſinit obviare; in Perſonas, & Terras eorum per Eccleſiarum Prælatos ſeveritatem Eccleſiaſticam volumus, & præcipimus exerceri. Excommunicamus præterea, & anathematizamus illos falſos, & impios Chriſtianos, qui contra ipſum Chriſtum, & Populum Chriſtianum arma, ferrum, & lignamina deſerunt galearum: eos etiam, qui galeas eis vendunt, vel naves; quique in privatis Saracenorum navibus curam gubernationis exercent, vel in machinis, aut quibuslibet aliis, aliquod eis impendunt auxilium, vel conſilium, in diſpendium Terræ Sanctæ, ipſoſque rerum ſuarum privatione mulctari, & capientium ſore cenſemus ſervos. Præcipientes, ut per omnes Vrbes maritimas omnibus diebus Dominicis, & feſtivis, hujuſmodi ſeutentia publice innovetur, & talibus gremium non aperiatur Eccleſiæ, niſi totum, quod de commercio tam damnato perceperint, & tantundem de ſuo in ſubſidium prædictæ Terræ tranſmiſerint, ut æquo judicio in quo peccaverint puniantur. Quod ſi forte non fuerint ſolvendo, ſic alias reatus talium caſtigetur, quod in pœna ipſorum aliis interdicatur audacia ſimilia præſumendi. Prohibemus inſuper omnibus Chriſtianis, & ſub anathemate interdicimus, ne in Terras Saracenorum, qui partes Orientales inhabitant, uſque ad quadriennium tranſmittant, vel tranſvehant naves ſuas: ut per has volentibus transfretare in ſubſidium Terræ Sanctæ major navigii copia præparetur; & Saracenis prædictis ſubtrahatur auxilium, quod eis conſuevit ex hoc non modicum provenire. Licet autem torneamenta ſint in diverſis Conciliis ſub certa pœna generaliter interdicta; quia tamen hoc tempore Crucis negotium per ea plurima impeditur, Nos ea ſub pœna excommunicationis firmiter inhibemus uſque ad triennium exerceri. Quia vero ad hoc negotium exequendum, eſt permaxime neceſſarium, ut Principes, & Populi Chriſtiani adinvicem pacem obſervent; ſancta, & univerſali Synodo ſuadente, ſtatuimus, ut per quadriennium in toto Orbe Chriſtiano pax generaliter obſervetur; ita quod per Eccleſiarum Prælatos, diſcordantes reducantur ad plenam pacem, aut firmam treugam inviolabiliter obſervandam; & qui acquieſcere ſorte contemſerint, per excommunicationem in perſonas, & Interdictum in Terras, arctiſſime compellantur: niſi tanta fuerit injuriarum malitia, quod ipſi non gaudere debeant tali pace. Quod ſi forte Cenſuram Eccleſiaſticam vilipenderint, poterunt non immerito formidare, ne per auctoritatem Eccleſiæ contra eos, tanquam perturbatores negotii Crucifixi, ſecularis potentia inducatur. Nos ergo de Omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli auctoritate confiſi, ex illa quam Nobis licet indignis Deus ligandi, atque ſolvendi contulit, poteſtate, omnibus, qui laborem iſtum in propriis perſonis ſubierint, & expenſis, plenam ſuorum peccaminum, de quibus fuerint corde contriti, & ore confeſſi, veniam indulgemus, & in retributione Juſtorum ſalutis æternæ pollicemur augmentum. Eis autem, qui non in propriis perſonis illuc acceſſerint, ſed in ſuis dumtaxat expenſis juxta facultatem & æqualitatem ſuam viros idoneos deſtinaverint; & illis ſimiliter, qui licet in alienis expenſis, in propriis tamen perſonis acceſſerint, plenam ſuorum concedimus veniam peccatorum. Hujuſmodi quoque remiſſionis concedimus eſſe participes, juxta quantitatis ſubſidium, & devotionis affectum, omnes qui ad ſubventionem ipſius Terræ de bonis ſuis congrue miniſtrabunt, aut circa prædicta conſilium,

lium, & auxilium impenderint opportunum. Omnibus etiam pie proficiſcentibus in hoc opere, ſancta, & univerſalis Synodus orationum, & beneficiorum ſuorum ſuffragium impartitur, ut eis digne proficiat ad ſalutem. Amen.

## COMMENTARIUS.

I. QUæ olim de Cruce aſſumenda pro ſubſidio Terræ Sanctæ Romani Pontifices, uti jam noſtro Tomo III. Conciliorum oſtendimus, pie prudenterque decreverant, eorum ſequutus exemplum Innocentius Papa IV. nova ſuperveniente neceſſitate, religioſe & ipſe provideque decrevit, edito hoc Canone, ſeu Conſtitutione, qua illa omnia in hoc I. Generali Concilio Lugdunenſi renovavit, quæ jampridem in Concilio Generali Lateranenſi IV. ab Innocentio III. fuerant ſtatuta, atque inter cetera, *ut omnes omnino Clerici tam ſubditi, quam Prælati vigeſimam Eccleſiarum proventuum uſque ad triennium conferant in ſubſidium Terræ Sanctæ per manus eorum, qui ad hoc ab Apoſtolica fuerint providentia ordinati: quibuſdam dumtaxat Religioſis exceptis, ab hac præſtatione merito eximendis, illiſque ſimiliter, qui aſſumto, vel aſſumendo Crucis ſignaculo, ſunt perſonaliter profecturi*. Ipſe autem Pontifex, & S. R. E. Cardinales Decimam omnino perſolverent.

II. Jam non operæ pretium duco plura in hanc Conſtitutionem, quæ eſt de negotio Crucis, & de ſubſidio Terræ Sanctæ, adnotare, quod fuſe, & iterum, atque iterum eam rem enarrarim Tomo III. in Commentariis ſimilium Canonum, qui in Conciliis eo Tomo explicatis occurrunt. Notabo hic ſolum nonnulla Crucis, ſeu Cruceſignatorum Privilegia, quæ Chriſtifidelibus Principes atque Summi Pontifices, ac præſertim hac Conſtitutione Innocentius Papa IV. conceſſere, ut eoſdem ſcilicet ad Expeditiones Hieroſolymitanas alacriter ſubeundas provocarent. Ergo inter alia Privilegia ab uſuris pecuniarum ſibi a Creditoribus mutuo datarum exemti erant Cruceſignati non modo ex hoc Lugdunenſi I. Concilio, ſed ex Lateranenſi IV. & videri etiam de ea re poteſt Otto Friſingenſis Lib. I. *De Geſtis Friderici*, Cap. XXXV. A collectis, & talliis erant immunes; licebatque Cruceſignatis terras, ſive poſſeſſiones ſuas, inconſultis Dominis, Eccleſiis, vel perſonis Eccleſiaſticis, aut aliis quoque Fidelibus pignori dare ex Reſcripto Eugenii Papæ III. apud laudatum Friſingenſem loco citato, & Willelmum Neubrigenſem Libro III. Cap. XXIII. Rurſus Cruceſignatorum bona, & perſonæ poſt aſſumtam Crucem in protectione erant S. Petri, & Summorum Pontificum, adeoque omnium Prælatorum, uti ex laudatis Conciliis conſtat; eorumque lites, & cauſæ agitabantur in Foro Eccleſiaſtico, uti videre eſt apud Innocentium III. Lib. XV. Epiſtola CXCVII. itemque Tomo VI. Spicilegii Dacheriani Pag. 467. & ſeq. & apud Sammarthanos in Archiepiſcopis Rotomagenſibus ſub annum MCCLXVII.

III. Præterea a debitis perſolvendis induciæ eis concedebantur, donec rediiſſent ab Expeditione, ut eſt in Conſtitutione S. Ludovici IX. Galliæ Regis data menſe Octubris anni MCCXLV. apud Rigordum, & apud Spicilegium Dacherianum Tom. VI. Pag. 467. Verum cum hoc privilegium non Creditoribus modo, ſed ipſis etiam Cruceſignatis damnoſum eſſet, utpote quod æs alienum propter ingruentes neceſſitates contrahendi facultatem adimeret, inducta poſtmodum fuit in eorum favorem, & creditorum in contractibus publicis *Renuntiatio privilegii Crucis*, ſeu *Cruceſignatorum*, quam iis verborum formulis conceptam legere eſt in Charta anni MCCXXXVII. in Regeſto Comitum Juculiſmenſium apud Dufreſnium in ſuo Gloſſario, verbo, *Crucis privilegium*, cujus hæc ſunt verba: *Renuncians per fidem in hoc facto exceptioni doli mali, actioni in factum, omni privilegio Cruceſignatorum indulto, & indulgendo &c.* In alia quoque charta anni MCCLXXVIII. apud eundem: *Renunciantes... immenſæ donationi, & cuilibet ingratitudini, & privilegio Crucis ſumtæ, & ſumendæ &c.* Occurrit ejuſmodi formula apud Ægidium Menagium in Originibus Galliæ, Pagina 831. & ſeq. Guillelmum Prynneum in Libertatibus Angliæ Tomo II. Pag. 981. Atque his videntur addenda quæ habet Statutum Philippi Pulchri Regis Galliæ, anni MCCCIII. quod deſcriptum legitur in Regeſto XXXVI. Chartophilacii Regii, Charta CXXXIII. ubi ita inquit: *Item ordinamus, quod ſiquis expreſſe, & ex certa ſcientia renunciaverit Privilegio Exercitus Crucis, novæ baſtidæ, ſeu quinquennalium induciarum in Inſtrumento debiti, vel alterius contractus expreſſi, non poſſit ex tunc ſe juvare dicto Privilegio*. Porro ceſſabant ejuſmodi Privilegia in caſibus criminalibus, ut notat Dufreſnius citans Stabilimenta S. Ludovici Lib. I. Cap. LXXXII. Conſuetudines Britanniæ Articulo DCLXVI. & Regeſtum XXXI. Chartophylacii Regii, Pag. 7. & ſeq.

IV. Addere & his alia quædam lubet, tametſi jam a nobis in aliis Operibus noſtris notata. Et primum quidem, Crucem aſſumere eos olim conſueviſſe dici, qui ad Sacra Bella profecturi, Crucis ſymbolum palliis ſuis, ſeu veſtibus aſſuebant, affigebantve, in ſignum votivæ ſacræ illius Expeditionis, cujus originem Concilio Claramontano habito in Galliis anno Chriſti MXCV. ſub Urbano Papa II. adſcribunt Scriptores Rerum Hieroſolymitanarum, & alii paſſim; licet non deſint qui volunt, quoddam Cruceſignatorum præludium viſum fuiſſe ſub S. Gregorio Papa VII. cui poſt Victorem II. ſucceſſit in Romano Pontificatu memoratus Pontifex Urbanus II. Quicquid ſit, accipiebantur Cruces non modo ab Epiſcopis, ſed & ab Abbatibus, aliſque majoris dignitatis Prælatis; ejuſque moris exempla proferunt varii Auctores ab erudito Dufreſne in ſuo Gloſſario allati. Erant ſane Cruces illæ utplurimum ſericæ, vel auro textæ, ac denique ex quolibet panno in Cruceſignatorum chlamidibus, aut birrhis, ſive tunicis, ſeu in veſtibus ſuperamictis aſſutæ, ut inter alios tradunt Guibertus Lib. II. Cap. V. Fulcherius Carnotenſis Lib. I. Cap. I. & Baldricus Dolenſis. Sed de his, & aliis ſcitu dignis, quæ Cruceſignatos ſpectant, videri poſſunt quæ diximus Tomo II. Romani Pontificalis, Titulo XXI.

III.

# HISTORIA

## CONCILII XIV. OECUMENICI LUGDUNENSIS II.

I. CŒptum Photii temporibus Schiſma, de quo nonnibil jam diximus Tomo II. Conciliorum, ubi octavum Concilium enarravimus, ſub Imperio Conſtantini Monomachi anno Chriſti MLIII. reſumtum acriter fuerat, ac latius propagatum, auctore Michaele Cerulario, Conſtantinopolitano Patriarcha, qui una cum Leone Archiepiſcopo Acridiæ Bulgarorum Metropolita, in ſugillationem omnium Latinorum adverſus Romanam Apoſtolicam Sedem, imo contra omnem Occidentalem Eccleſiam ſcripſit Epiſtolam ad Joannem Tranenſem in Apulia Epiſcopum, promulgandam per ipſum, ut habet ejus textus, ad univerſos Principes Sacerdotum, & Sacerdotes Francorum, & Monachos, & populos, & ipſum Reverendiſſimum Papam: damnans eos omnes, quod Azyma, & Sabbata Indecenter cuſtodirent more Judaico, ſuffocata more barbarorum comederent, ac denique in Quadrageſima *Alleluja* non pſallerent. Negabant præterea Cerularius, ejuſque aſſeclæ, Spiritum Sanctum a Filio procedere, Latinoſque anathematis vinculo devinctos dicebant ob additionem vocis *Filioque* Conſtantinopolitano Symbolo factam, & inter alia Romani Pontificis Maximi inſtitutum Divino Jure Primatum pertinaciſſime impugnabant.

II. Nihil plane a Leone Papa IX. ejuſque Succeſſoribus fuiſſe omiſſum, ut tantum renaſcentis Schiſmatis incendium extingueretur, docet Baronius ad annum ipſum MLIII. ac deinde etiam ad alios ſequentes complures. Schiſmatis vires potiſſimum fregerat Conſtantinopolitanum Latinorum Imperium, ſed eo cadente pertinacius Schiſma invaluit. Curarunt mox Summi Pontifices & ipſum extinguere; miſitque, ut alios omittam, Innocentius Papa IV. Fr. Laurentium Ordinis Minorum Pœnitentiarium ſuum Legatum in Orientem, qui multam impendit ſolicitudinem, ut alliceret ad obedientiam Eccleſiæ Romanæ Patriarcham Græcorum, ejuſque Suffraganeos. At vero quum anno MCCXLIX. negotium unionis Eccleſiæ Cræcæ cum Latina ab ipſo Laurentio urgeretur, nec ab ea abhorrere viderentur Joannes Ducas Imperator Trapezuntii, ſeu Græcorum in Aſia, & Manuel Patriarcha: ut id uberius ageretur, miſit Innocentius ipſummet Generalem Miniſtrum Ordinis Minorum Fr. Joannem Parmenſem in Græciam, ſcriptis ad Imperatorem & Patriarcham Litteris, quibus *Angeli pacis* eum nomine commendavit, ut ſcribit Wadingus ad eundem annum MCCXLIX. Joannes Parmenſis munus ſuum tanta ſanctitatis, & ſapientiæ exiſtimatione obivit, ut teſte S. Antonio, Titulo XXIV. Cap. IX. §. V. verus Chriſti diſcipulus ab omnibus cenſeretur; creditur que rem tandem feliciter confecturus fuiſſe, niſi Pontificis, & Imperatoris mors, dum ea tractarentur, contigiſſet; animos enim Imperatoris, & Patriarchæ eo uſque induxerat, ut bis, aut ter ſolemnes ad Innocentium Legationes pro unione ipſa perficienda inſtituerint. Sed ſpoliati ſemper Apocriſarii in itinere, reverti coacti ſunt, perveneruntque tandem ad Innocentium paulo ante ejus obitum.

III. Obiit Innocentius die VII. Decembris anni MCCLIV. ſuffectuſque in ejus locum fuit die XII. ejuſdem menſis, & anni, Alexander Papa IV. Miſſi ad Innocentium Nuncii fuerunt Quiſicenſis, & Sardicenſis Archiepiſcopi, Angelus Comes, & Theophylactus interpres. Ubi de conditionibus, & pactis ineundæ concordiæ, & unionis coram Cardinalibus actum eſt, concluſum quidem fuit, ea quantumvis aliquantum devia, admittenda tamen eſſe pro reducendis ad Eccleſiæ unitatem vaſtæ Regionis hominibus. Verum ob turbatas Eccleſiæ Latinæ res, & mortem ipſam Innocentii Pontificis, non licuit Nuncium ad Græcos remittere, dilatumque eſt negotium ad annum uſque MCCLVI. Alexandri IV. Papæ ſecundum, a quo miſſus eſt Epiſcopus Urbevetanus ſub conditionibus, & pactis ſub certa menſura jam approbatis, & peculiari inſtructione, quatenus in his perficiendis ſe gerere oporteret. Pacta ipſa, ſeu Capitula Innocentio Papæ IV. oblata refert Alexander Papa IV. Lib. II. Epiſtola CCCXXV. ex eoque Wadingus ad annum MCCLVI. Num. XLI. & Pagius in Vita ipſius Alexandri, Num. XIV.

IV. Lubet hoc loco & ea referre, quod quammaxime ad noſtram hanc Hiſtoriam pertinent. Primum Capitulum eſt, Romanæ Sedi, ejuſque Summo Pontifici præ ceteris Patriarchalibus Sedibus, ſummi recognitionem, ac profeſſionem in Eccleſia Catholica Principatus, Canonicam obedientiam Innocentio, ejuſque Succeſſoribus Canonice intrantibus exhibendam. II. prærogativam appellandi ad Romanam Eccleſiam, cum ſacræ perſonæ Eccleſiæ Græcorum a Superioribus ſuis crediderint ſe gravari. III. liberum recurſum ad Sedem Romanam in quæſtionibus, quas inter Prælatos, & alias perſonas Eccleſiaſticas Græcas contigerit ſuboriri. IV. obedientiam quoque in ſententiis, quas Romanus Pontifex ſacris non adverſas Canonibus promulgabit. V. In Conciliis eidem Pontifici primam ſedem, & primam ſubſcribendi vicem, cum ſubſcriptiones fuerint faciendæ. VI. in quæſtionibus Fidei, ſi quæ ibidem fortaſſis emerſerint, præ aliis dare ſententiam, ſuæque voluntatis proferre judicium, quod dummodo Evangelicis, & Canonicis non obviet inſtitutis, obedienter ceteri ſuſcipient, & ſequentur. VII. in aliis vero Eccleſiaſticarum perſonarum cauſis, & negotiis, quæ in Conciliis tractabuntur, ſententiis, quas Romani Pontificis dictabit auctoritas, dummodo ſacrorum non adverſetur Conciliorum Decretis, ceteri acquieſcent. VIII. Ad hæc iidem Nuncii ſæpe dicto Calojoanni, ideſt, Joanni Du-

Ducæ, Conſtantinopolitanæ Civitatis Imperium, & Patriarchis Græcis ibidem, & alibi Patriarchalium Sedium jura reſtitui petierunt, ac Imperatorem, & Patriarchas Latinos ab eiſdem Civitate, & Sedibus amoveri, Antiocheno Patriarcha in illa Eccleſia, dum viveret, tolerato.

V. Temperavit nonnihil hæc Capitula Alexander Papa IV. uti videre eſt in citata ejus Epiſtola, & Inſtructione data Epiſcopo Urbevetano Legato Apoſtolico ad Theodorum Laſcarim juniorem Joannis Ducæ ſucceſſorem, ex qua conſtat, quod quum Græci confiterentur, ſi de aliquo articulo Fidei in Concilio quæreretur, quicquid ſuper eo dixerit Romanæ Sedis Antiſtes, ejus auctoritatem ſequendam, ſatis abſonum reputarint Innocentius, & Alexander quod eam tamen definiendi poteſtatem nollent Pontificem habere in eo ſolo articulo, *in quo de Proceſſione Spiritus Sancti Græca Eccleſia aliquantulum diſſonare* videbatur: *Verumtamen*, inquit Alexander, *ne aliquid ex hoc reconciliationem ipſius Eccleſiæ impedimentum, vel obſtaculum impediret, Prædeceſſor ipſe*, nempe Innocentius IV. *conceſſit in Concilio imminenti tenorem prædicti Symboli*, Niceni, *adjectione qualibet, niſi forte de mutua convenientia, quam ſicut confidimus, reconciliationis inducet concordia, non mutari. Sed in ea forma penes Eccleſiam Græcam remanere, quam dicta Synodus*, Nicæna, ſeu potius Conſtantinopolitana I. Synodus *promulgavit, dummodo de Sanctæ Trinitatis Fide Græca Eccleſia in omnibus Catholice ſentiat cum Romana.* Conceſſit itaque Alexander IV. ſicut conceſſerat Innocentius IV. ut Symbolum abſque additamento vocis, *Filioque*, ſervarent Græci, modo in ipſo Fidei Dogmate cum Romana convenirent Eccleſia. Quod attinet ad negotium Imperii Conſtantinopolitani, reſpondit Potifex, nihil ſuper eo definiri poſſe, niſi vocato Imperatore Latino. Quoad Patriarchas vero, & alia omnia, in mandatis dedit Alexander ipſi Urbevetano Epiſcopo Apoſtolicæ Sedis Legato, ſi ad conſummationem negotii procedi contingeret, ut res facilius exitum feliciorem conſequi poſſet, offerret Græcis convocationem Generalis Concilii.

VI. Quem exitum habuerit hæc Legatio, non conſtat. Illud plane certum eſt, unionem Eccleſiæ Græcæ cum Latina ad exitum deductam non eſſe ante noſtrum hoc Lugdunenſe II. Generale Concilium anno MCCLXXIV. celebratum; quia ſcilicet, ut autumat Pagius in Vita Alexandri Papæ IV. Num. XV. in fine, Joanne Duca Imperatore die XXIX. Octobris anni MCCLV. mortuo, ejus Succeſſores, Theodorus Laſcaris, & Joannes Laſcaris ab ea averſi fuere. Quicquid ſit, unionem ipſam ſub memoratis Innocentio IV. & Alexandro IV. tractatam, & iterum ſub Urbano IV. qui anno MCCLXI. in ipſius Alexandri locum ſuffectus fuit, ardenter expetere viſus eſt Michael Palæologus Græcorum Imperator, qui ipſo anno MCCLXI. menſe Julio, Indictionis IV. ut ait Georgius Logotheta in fine ſui Chronici, capta Conſtantinopoli, Latinorum Imperium deſtruxit. Hic enim, ſive ex animi propenſione, quæ ex eo apparet, quod eam unionem poſtea ſtudioſe perſequutus eſt, & perfecit ſub Gregorio Papa X. ſive quia perſpiceret integras contra ſe commotas nationes, & Urbanum Pontificem omni ſtudio excitaſſe contra eundem quoſcumque Principes Romani nominis, atque in hanc cauſam juſſiſſe Crucem prædicari, Legatos ad eam unionem tractandam ad Urbanum IV. Papam anno MCCLXII. miſit Maximum Alufardum Monachum, Andronicum Muzalonem, & Michaelem Abalantem, qui Græcorum cum Latinis unionem peterent. At vero Pontifex Legatos ipſos dimiſit cum Litteris ad Palæologum, quibus ſignificavit, ſe quantocyus ad eum ſpeciales Nuncios tranſmiſſurum; electoſque ad eam provinciam ſub finem menſis Julii anno Chriſti MCCLXIII. quatuor Fratres Ordinis Minorum, Viros pios, & eruditos, qui rem graviſſimam cum Imperatore peragerent, ad eum deſtinavit una cum Litteris multa eruditione doctrinam Fidei, & bonum unionis explicantibus, quibus & eas amplecti, atque interim a perſequendis reſiduis Latinis deſiſtere hortatus eſt.

VII. Referunt has Litteras Wadingus ad annum MCCLXIII. Num. II. & Raynaldus ad eundem annum, Num. XXIII. & ſeqq. datæque ſunt ab ipſo Urbano IV. *apud Urbem veterem V. Kal. Auguſti, Pontificatus anno II.* Dedit præterea Pontifex & ipſis Nunciis facultates, & privilegia, ut miniſterium graviſſimum, ad quod mittebantur, plenius honoraretur, & honorabilius impleretur; datæque poteſtatis inſtrumenta extant apud eundem Wadingum loco citato. Verum quum tardius, quam vellet Palæologus, quatuor ipſi Fratres Minores, nempe Simon de Alvernia, Petrus de Moras, Petrus de Chriſta, & Boniſacius de Iporia, ſeu de Iporegia, Conſtantinopolim miſſi eſſent, idem denuo Imperator apud Pontificem inſtitit de peragenda unione, miſſo in hunc finem Nicolao Crotonienſi in ulteriori Calabria Epiſcopo, natione Græco, apprimeque docto, & pio cum Litteris, quibus eum *Patrem Patrum, Beatiſſimum Papam veteris Romæ, Imperii Dominum, & Sacroſanctæ, atque Apoſtolicæ Sedis Summum Pontificem* in epigraphe agnoſcit, & nominat. In ipſa vero Epiſtola ſummopere ipſum deprecatur, *quatenus ſicut Princeps omnium Sacerdotum, & univerſalis Doctor Eccleſiæ Catholicæ*, ſolicitet unionem ejuſdem Eccleſiæ, *cui loco B. Petri Deus præcipue* ipſum *præfecit*, promittens, ſe *omnes Gentes, & Patriarchales Sedes* ſui *Imperii ad devotionem, obedientiam, & amorem ejus ſubjecturum*. Ac demum rogat, ut ei rei peragendæ confeſtim prædictum Nicolaum cum aliis Sedis Apoſtolicæ Legatis ad ſe remitteret. Gaviſus eſt hac altera Imperatoris Legatione ſummopere Pontifex, remiſitque Conſtantinopolim memoratum Nicolaum, ac duos alios Fratres Minores Pœnitentiarios ſuos, Gerardum ſcilicet de Prato, & Raynerium de Senis, quibus munus cauſæ tractandæ ſimul cum ſuperioribus jam miſſis, vel ſeparatim commiſit, ſi priores Conſtantinopoli non adeſſent. Iis autem graviſſimum Reſcriptum dedit ad Imperatorem, *decimo Kal. Julii, Pontificatus anno tertio*, hoc eſt, anno MCCLXIV. quod integrum refert Wadingus, ſicut & Litteras Imperatoris, ad eundem annum MCCLXIV. Num. I. & ſeqq.

VIII. Sed ecce quum unio perageretur, moritur laudatus Urbanus IV. & quidem die ſecunda Octobris prædicti anni MCCLXIV. ſuffectuſque in ejus locum eſt Clemens IV. die XXII. Februarii anni ſequentis nempe MCCLXV. uti in ejus Vita ſcribit Pagius. Actum iterum de ea fuit, ut mox infra dicemus, ſub Clemente IV. Pon-

Pontifice, ſed nihil effectum eſt, licet vixerit uſque ad labentem annum MCCLXVIII. obiit enim menſe Novembri hujus anni exeunte. Porro electo tandem die 1. Septembris anni MCCLXXI. poſt interregnum trium fere annorum, Gregorio Papa X. Nuncium ad eum laudatus Palæologus Imperator miſit Joannem Ordinis Fratrum Minorum, Litteraſque ſcripſit affectus ſui, & zeli ad pacem, & unionem populi Chriſtiani, & reverentiam erga Sedem Apoſtolicam teſtes; quin etiam S. Ludovicum IX. Francorum Regem idem Imperator oraverat, ut Eccleſiaſticæ pacis ſequeſter eſſet, eique diſſidii totius arbitrium detulerat; ſed Rex ſanctus in Cauſa Fidei, & Schiſmatis judicandi auctoritatem uſurpare nolens, pro hujuſmodi tamen conſummatione negotii curam omnem ſe apud Sedem Apoſtolicam adhibiturum promiſerat, ut ipſe Gregorius Papa X. teſtatur in Litteris ad eundem Imperatorem datis IX. Kal. Novembris anni MCCLXXIV. quæ legi poſſunt apud Natalem Alexandrum, in Hiſtoriam Eccleſiaſticam Seculi XIII. & XIV. Diſſertatione VII. Articulo 1.

IX. Romanis Summis Præſulibus Urbano IV. & Clementi IV. ut idem Alexander notat, placuerat jam, ut prius de Fidei veræ dogmatibus, quam de concordia Græcos inter & Latinos ageretur. Quamobrem Clemens IV. datis ad Imperatorem Litteris Fidei profeſſionem ab eo, & Clero, ac Populo emittendam inſeruerat, ea explicans, quæ circa Romanæ Eccleſiæ Primatum ab eiſdem recipi volebat; ipſaque Fidei profeſſione Imperatoris Oratoribus tradita, ſe ipſis ſatisfacturum ſpoponderat, ſi aliquis circa illam ſcrupulus in eorum mentibus oriretur. Ubi vero Græci profeſſionem illam Fidei recepiſſent, & ad Romanæ Eccleſiæ obedientiam rediiſſent, ſi Concilium Generale ad ſacrum fœdus inter utramque Eccleſiam confirmandam celebrari Palæologus poſtularet, Romana Eccleſia ejus votis annueret, non ad prædictæ Fidei diſcuſſionem, vel novam diffinitionem: *quam tanquam innumeris Sacræ Paginæ auctoritatibus, numeroſis SS. Patrum ſententiis, & Romanorum Pontificum ſtabili diffinitione firmatam, nolebat*, ſicut nec expediebat, in dubium revocari, novoque examini ſubjici. Atque is erat rerum ſtatus, cum Gregorius X. Pontifex Maximus renunciatus eſt, anno, uti jam notatum ſuperius fuit, MCCLXXI. die 1. Septembris. Qui etiam ſtatim de Eccleſiæ Græcæ unione cum Latina Eccleſia cogitans, Legatos ad hoc promovendum negotium ad Michaelem Palæologum miſit; ad illudque conſummandum Synodum Œcumenicam indixit anno MCCLXXII. celebrandam tamen poſt biennium, ideſt, anno MDCCXLIV. uti conſtat ex ipſius Gregorii Papæ X. Litteris, quæ incipiunt, *Salvator noſter &c.* & datæ ſunt ad Patriarcham Hieroſolymitanum, & Epiſcopos, ac Abbates, Priores, Decanos, Archidiaconos, Præpoſitos, & alios Eccleſiarum Prælatos per Hieroſolymitanam Provinciam conſtitutos.

X. Litteras etiam dedit Pontifex ad Michaelem Palæologum Græcorum Imperatorem, quæ incipiunt: *Qui miſeratione ineffabili &c.* miſitque ad ipſum Apocriſarios quatuor Religioſos Viros ex Ordine Fratrum Minorum cum formula Fidei, quam Imperator ipſe cum Patriarchis, Epiſcopis, & Clero Eccleſiæ Græcæ profiteri deberet; & hortatus eſt, ut ad Synodum veniret, vel Oratores mitteret. Nuntios Apoſtolicos, quo par erat honore, & benignitate ſuſcepit Palæologus, duoſque ex ipſis ad Summum Pontificem remiſit, qui ipſius conſtantem in ſanctæ Unionis deſiderio voluntatem Gregorio Papæ ſignificarent. Ejus acceptis Litteris gratulatus eſt Imperatori Gregorius, atque ad perſeverantiam, ſaluberrimique operis conſummationem, & ad mittendos quamprimum plena cum poteſtate Oratores adhortatus eſt, qui ejus nomine Generali Concilio intereſſent, uti conſtat ex ejuſdem Pontificis Litteris, quæ incipiunt: *Litterarum ſeries &c.* Joſephum quoque Conſtantinopolitanum Patriarcham, alioſque Græciæ Prælatos vocavit Pontifex ad Generale Concilium, Litteris ad eum datis, quæ incipiunt: *Multa ſicut noſſe te credimus &c.* Porro ejuſdem tenoris, quo ſcripſit Gregorius ad Patriarcham Hieroſolymitanum, dedit & ad omnes Catholicæ Eccleſiæ Præſules, Encyclicas Litteras, quibus ad Generale Concilium eos vocabat. In iis autem tres cauſas recenſet convocandi Concilii, quarum prima eſt Eccleſiæ Græcæ cum Latina conjunctio, & Catholicorum Dogmatum adverſus Græcorum ſchiſmaticorum errores confirmatio. Altera, ſubſidium Terræ Sanctæ. Tertia demum, Eccleſiaſticæ diſciplinæ, morumque tum Cleri, tum plebis Chriſtianæ reformatio, de qua ita idem Pontifex ſcribit: *Interim per vos, & alios prudentes Viros Deum timentes, & habentes præ oculis, omnia, quæ correctionis, & reformationis limam expoſcunt, inquirentes ſubtiliter, & conſcribentes fideliter, eadem ad ipſius Concilii notitiam deferatis. Et Nos nihilominus variis modis, & viis ſolers ſtudium, & efficacem operam dare proponimus, ut omnia talia in examen ejuſdem deducta Concilii, correctionem, & directionem recipiant opportunam.*

XI. Ergo his cauſis motus Gregorius Pontifex ſtatim poſt conſecrationem ſuam quæ peracta eſt Romæ die XXVII. menſis Martii anno Chriſti MCCLXXII. ut in ejus Vita tradit Pagius, Litteras indictionis Concilii ad univerſos Prælatos, ac Principes miſit datas Laterani Kalendis Aprilis, quibus omnes paratos eſſe monuit ad ſiſtendum ſe Kalendis Maji anni MCCLXXIV. in loco poſtea deſignando; & de his omnibus certiores etiam reddens Eduardum Angliæ Principem, ac cæteros, quos in Syria reliquerat (electus enim fuit in Papam abſens cum in Syria commoraretur apud Ptolemaidem) ſubſidia certiſſima promittens, hortatus interim eſt ad conſtantiam. Sed quum illa Concilii indictione locum reticuiſſet, in quo Concilium celebrandum erat, ſignificavit deinde eum aliis Litteris datis Idibus Aprilis apud Urbem veterem anno MCCLXXIII. nempe Lugdunum Galliæ. Elegit autem eam Urbem, tum quod ipſe extiterat primum Eccleſiæ Lugdunenſis Canonicus, uti ex ipſiuſmet Litteris apud Paradinum Lib. II. *Hiſtoriæ Lugdunenſis*. Cap. II. & ex Conſtitutionibus eidem Eccleſiæ ab eo relictis poſt exitum Concilii, quæ extant apud Severtium in Chronologia Lugdunenſi, Parte III. Cap. I. Sectione V. §. I. aliiſque monumentis conſtat; tum quod Concilio ſub Innocentio IV. ibidem celebrato præſens optime noſſet Civium erga Sedem Apoſtolicam promtum, & fidelem animum; tum quod Urbs poſitione ſua, & amplitudine commodiſſima eſſet tot hominibus ex univerſo Orbe colligendis; tum denique, quod

cum in Regno Chriſtianiſſimo ſita eſſet, nihil ſibi ſecuritatis, & benevolentiæ non a pio, & magnifico Rege Philippo deceſſorum Galliæ Regum exemplis promitteret.

XII. Præter Patriarchas, Epiſcopos, & Abbates, vocaſſe & ad hoc Coucilium Gregorium Papam viros duos doctrina, & ſanctitate conſpicuos S. Thomam Aquinatem Ordinis Prædicatorum, & S. Bonaventuram Ordinis Minorum, quorum prior cum ad Concilium pergeret, in Monaſterio Foſſe Novæ Ordinis Ciſtercienſium læthali morbo correptus ad vitam immortalem migravit, alter vero, nempe S. Bonaventura, in ipſo Concilio S. R. E. Cardinalis, & Epiſcopus Albanenſis creatus ſuit, tradit inter alios Natalis Alexander in Hiſtoriam Eccleſiaſticam Seculi XIII. & XIV. Diſſertatione VII. Articulo I. in fine. Verum quod Cardinalatum ſpectat S. Bonaventuræ, falſum eſt, eum ea dignitate fuiſſe in Concilio donatum. Lucas enim Wadingus in Annalibus Minorum ad annum MCCLXXIII. & ex eo Pagius in Vita Gregorii Papæ X. Numero XXIV. poſt Cardinalem Bellarminum in Libro, *De Scriptoribus Eccleſiaſticis*, S. Bonaventuram anno MCCLXXIII. dictum eſſe Cardinalem probant, tum ex ipſius Concilii Actis, in quibus invenitur Bonaventura Cardinalis reſidere cum ceteris in prima Seſſione; tum ex Bernardino Corio, qui in Hiſtoria Mediolanenſi, in qua res Patriæ ſuæ diligenter recenſet, Parte II. ad annum MCCLXXIII. peculiariter admonet, Gregorium Papam Lugdunum ad Concilium proficiſcentem, & per Mediolanum tranſeuntem die Dominica menſis Octobris octava advenientem ſecum habuiſſe Cardinales, & inter hos ſpeciatim nominat S. Bonaventuram, & Vicedominum de Vicedominis ſororia ſuæ filium etiam Minoritam. Ex quibus, & aliis recte conjicit Wadingus, & & poſt eum Pagius, Gregorium ſub Feriis Pentecoſtes, antequam ex Urbe veteri diſcederet, Cardinales creaſſe, & inter hos S. Bonaventuram.

XIII. Sed ut veniamus tandem ad celebrationem Œcumenici hujus II. Lugdunenſis Concilii, habitum illud ſuit Lugduni in Galliis in Baſilica principe S. Joannis, cœptumque die VII. Maji, anni MCCLXXIV. triduano jejunio, precibuſque ſolemnibus, ac aliis Cæremoniis præmiſſis, de quibus mox infra dicemus. Præſuit Concilio Gregorius X. Pontifex Maximus; nam quod Sanctum Bonaventuram præſediſſe, ajunt Sixti duo Summi Pontifices: Quartus nimirum In Bulla Canonizationis, & Quintus in ea, qua Ipſum S. Bonaventuram Eccleſiæ Doctoribus adnumerandum decernit, ita Galeſinus intellexit in ejus Vita, & poſt eum Natalis Alexander in citata Diſſertatione VII. Articulo II. ut dirigendi Concilii curam ei Pontifex commiſerit, providendi ſcilicet, quæ proponenda eſſent; nam primas in Concilio tenere præſente Pontifice non poterat. Eſt autem & ejus ſententiæ Pagius in Vita Gregorii Papæ X. Num. XXV. quod aſſerunt laudati Pontifices, Sixtus IV. & Sixtus V. S. Bonaventuram Præſidem in hoc Lugdunenſi Concilio egiſſe, eo plane ſenſu intelligi, quod ſcilicet in peculiaribus Seſſionibus, & privatis cœtibus, quos per ſe celebraſſe quotidie Cardinales abſque Summi Pontificis interventu habet Hiſtoria eidem Concilio præfixa, primus ſederit, & ſic præfuiſſe quodammodo dictus ſit.

XIV. Quicquid autem ſit de hac re, certum illud eſt, Concilio, & generalibus, ac publicis ejus Seſſionibus præfuiſſe Gregorium Papam X. cœtumque Patrum, qui huic Concilio adſuerunt, fuiſſe numeroſiſſimum. Præter Latinos Patriarchas, Pantaleonem Conſtantinopolitanum, atque Opizonem Antiochenum, adfuerunt quingenti Epiſcopi, Abbates ſeptuaginta, Prælati inferiores mille, uti Ptolomæus Lucenſis, coævus Auctor, Libro XXIII. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, Cap. III. teſtatur: *Numerus Prælatorum*, inquit, *qui interfuerunt Concilio, fuit quingentorum Epiſcoporum, Abbatum* LXX. *aliorum Prælatorum mille*. Diſſentit aliquantum ab hoc Auctore Guillelmus Nangius, Auctor & ipſe coævus, ubi in Chronico ſuo ait, adfuiſſe Concilio quingentos Epiſcopos, ſexaginta Abbates, & Prælatos minores alios circa mille. Aderant etiam Oratores Regum Franciæ, Germaniæ, Angliæ, Siciliæ, & Cypri; Principum quoque Chriſtianorum Terræ Sanctæ, aliorumque Europæorum, atque Rerumpublicarum. Adſuit initio Jacobus Rex Aragonum, ſed poſt ſecundam Seſſionem diſceſſit, non obſcure iratus Pontifici, quod ipſius Capiti Regni Coronam imponere recuſaſſet, niſi Vectigali perſoluto, quod Petrus ipſius Pater quo tempore Romæ Coronam ſuſceperat, pendere quotannis pactus fuerat: *Jacobo Regi indignum videbatur, Regnum Majorum virtute partum cuiquam externo Principi eſſe vectigale*, inquit Mariana, idemque teſtantur Scriptores alii Hiſpani. Adfuerunt tandem, ſed Concilio jam inchoato, Legati Michaelis Græcorum Imperatoris, & Metropolitanorum Orientis, necnon & Regis Tartarorum.

XV. Porro Michaelem ipſum Palæologum Imperatorem Græcorum ad Concilium veniſſe, falſo ſcripſit Blondus Lib. II. Decade VIII. ab eoque in ſimilem errorem tracti, Trithemius in Chronico Hirſaugienſi, Platina, Sabellicus, Nauclerus, Gaguinus, Sigonius, Vignerius, Galeſinus in Vita S. Bonaventuræ, Voſſius in Libro, *De tribus Symbolis*, aliique complures, quos tamen omnes momentis graviſſimis egregie refellit laudatus totius Natalis Alexander loco citato, & poſt eum Pagius in memorata Vita Gregorii Papæ X. Num. XXVI. Nam primo, inquiunt, lectæ ſunt ipſius Imperatoris Græcorum Litteræ In Concilio, paxque Eccleſiæ Græcæ cum Latina ab ejus Oratoribus ipſius nomine jurata eſt: Oratores autem cum Litteris ad Concilium non miſiſſet, ſi ipſe Concilio adſuiſſet. Deinde, Gregorius ſtatim poſt Concilium ad ipſum ſcripſit tanquam ad hominem eorum omnium ignarum, quæ in illo geſta erant, uti conſtat ex Gregorii Litteris Lugduni V. Kal. Auguſti, anno III. Pontificatus datas, quas recenſet Natalis Alexander ibidem, & legere eſt apud Labbæum, Harduinum, alioſque Conciliorum collectores. Tertio tandem totum conciliationis Eccleſiæ Græcæ cum Latina negotium per Legatos Imperatoris cum Pontifice actum eſſe teſtatur Nicephorus Gregoras, Lib. V. *Hiſtoriæ*; ex quo manifeſte ſequitur, Palæologum Imperatorem non adſuiſſe tunc huic Concilio.

XVI. Quod Ritus ſpectat, ac Seſſiones, quibus celebrari hoc Concilium cœpit, & infra tres menſes abſolvi, enarrant nobis antiqua ejuſdem Concilii Acta relata a Labbæo, Harduino, Raynaldo, Natali Alexandro, Pagio, & ab Auctore Delectus Actorum Eccleſiæ univerſalis To-

mo

mo II. Ergo Gregorius Pontifex quinta die ante Seſſionem primam, ſcilicet, ſecunda menſis Maji anni MCCLXXIV. omnibus Prælatis, & Capellanis ſuis injuncto triduano jejunio, & precibus ſolemnibus die Dominica VI. Maji præmiſſis, die Lunæ VII. ejuſdem poſt ſolemnes preces die Dominica antecedenti factas primam Seſſionem habuit hoc modo: *Circa horam Miſſæ deſcendens de Camera ſua in ipſam Eccleſiam*, nempe Sancti Joannis, ut ſupra dictum eſt, *præparato ſibi Faldiſtorio in Choro, conducentibus eum duobus Diaconis Cardinalibus, ut moris eſt, dixit Tertiam, & Sextam, quia erat dies jejunii*, nempe dies prima Rogationum ante Aſcenſionis Domini Feſtum, qod anno MCCLXXIV. celebratum eſt die x. Maji: *Quibus finitis, Subdiaconus venit cum Sandalibus, & calceavit eum, Capellanis dicentibus Pſalmos conſuetos circa ipſum; & eo calceato, & lotis manibus, Diaconus, & Subdiaconus more ſolita induerunt eum omnibus veſtimentis Pontificalibus albi coloris, quia inter Paſcha, & Aſcenſionem erat, & Pallio, ſicut ſi eſſet Miſſam celebraturus; & inde præcedente Cruce, aſcendit Pulpitum præparatum, & ornatum, & ſedit in Faldiſtorio ſuo, miniſtrante ſibi pro Presbytero Domino Simone Tituli S. Martini, & Diacono Domino Othobono Cardinale, & aſſiſtentibus ſibi in eodem Pulpito ipſo Domino Othobono S. Hadriani, & Dominis Jacobo S. Mariæ in Coſmedin* (Gottifredo) *Sancti Georgii ad velum aureum, Huberto S. Euſtachii, Matthæo S. Mariæ in Porticu, Diaconis Cardinalibus; etiam ſedente juxta eum Domino Jacobo Rege Aragonum, aſſiſtentibus etiam ſibi quibuſdam Capellanis Superpelliceis indutis.*

XVII. Pergunt Acta, & ajunt, eumdem Summum Pontificem in Faldiſtorio ſuo ſedentem feciſſe *Crucem ſuper Prælatos, & Concilium, qui ſic ſedebant in oppoſito, & in eminentibus Sedibus præparatis. In medio Navis ejuſdem Eccleſiæ ſederunt Domini Pantaleo Conſtantinopolitanus, & Opizia Antiochiæ, Patriarchæ*, ſcilicet Ritus Latini: *In ſedibus aliis a latere dextro Pontificis ſederunt Domini, Joannes Portuenſis, & S. Ruffinæ, Petrus Tuſculanus, Vicedominus Præneſtinus, Frater Bonaventura Albanenſis, Frater Petrus Oſtienſis, & Velletrenſis, Bertrandus Sabinenſis, Epiſcopi Cardinales. A latere vero ſiniſtro Avерus Tituli Sanctæ Praxedis, Guillelmus S. Marci, Simon Tituli S. Cæciliæ, Pretbyteri Cardinales. Poſt hos vero a dextris, & a ſiniſtris ſederunt Primates, Archiepiſcopi, & Epiſcopi, Abbates, & Priores, & alii Eccleſiarum Prælati in magna multitudine, non diſcrepantes de locis, cum per eumdem Summum Pontificem fuerit ordinatum, quod ſine præjudicia Eccleſiarum ſuarum ſederent: ſtantibus autem inferius Fratre Vilielmo de Hoſpitali, & Fratre Roberto Magiſtro Templi, & aliquibus Fratribus earundem Religionum, & Nunciis ſolemnibus Franciæ, Alemanniæ, Angliæ, & Siciliæ Regum, & aliorum multorum quoque Principum, Baronum, Capitulorum, & Eccleſiarum Procuratoribus.* Atque ia fuit Ordo ſeſſionis Patrum in hoc II. Lugdunenſi Concilio ſervatus. Videri tamen poſſunt quæ de antiquo ſedendi ordine ſcripſimus noſtro I. Tomo Conciliorum in Prolegomenis, Capite XXIII. quod inſcriptum eſt: *De ratione tum priſca, tum recentiori Conſeſſus Epiſcoporum in Synodis.*



### S E S S I O I.

XVIII. Sedibus juxta ordinem mox enarratum diſpoſitis, uti memorata Acta ſubjiciunt, *Capellani cantaverunt Antiphonam*, Exaudi nos Domine: *qua finita, Dominus Papa ſurgens, dixit*, Oremus. *Dominus Othobonus, flexis genibus, & Dominus Jacobus dixerunt*, Levate. *Et Summus Pontifex dixit alta voce Orationem, ſicut habetur in Ordinario. Deinde per unum Capellanum cantata eſt Litania minor, Domino Papa, & omnibus Cardinalibus, & Prælatis adſtantibus genibus flexit, & ſine Mitra. Qua finita per eumdem Capellanum, & reſpondentibus ſibi quamplurimis, Dominus Papa ſurgens, dixit*, Oremus. *Dominus Jacobus, flexis genibus, & Dominus Gotifredus reſponderunt*, Levate. *Et Dominus Papa dixit aliam Orationem in tono ſecundum primam. Poſt hæc Dominus Othobanus, facta reverentia Domino Papæ, & benedictione petita, ut moris eſt, cantavit Evangelium ſecundum Matthæum, ſcilicet*: Deſignavit Dominus Jeſus alios ſeptuaginta duos. *Quo finito, Dominus Papa ſtans erectus alta voce incepit Hymnum, ſcilicet*: Veni Creator Spiritus. *Quo cantato per ipſum, & totum Concilium, ſtans ſine Mitra cum magna devotione, ipſe ſedit in Faldiſtorio ſuo, & omnes Prælati in locis ſuis ſederunt; & tunc ipſe incepit ſermocinari, propoſito themate, ſcilicet*: Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum antequam patiar, & antequam moriar; *& proſequutus eſt Sermonem ſuum.* Finito Sermone, & poſtquam aliquantulum quievit Pontifex, uti eadem Acta narrant, *cœpit alloqui Concilium, narrando motum, & votum animi ſui, & cauſas, propter quas evocaverat Concilium, & ſuper quibus, ſcilicet ſuper ſubſidio Terræ Sanctæ, & ſuper Unione Græcorum, & ſuper reformatione morum. Qua alloqutione completa, ſurrexit de Sede, & indixit aliam Seſſionem ad aliam diem, Lunæ ſcilicet; & ſic diſſoluta eſt prima Seſſio. Idem autem Papa rediens ad locum, ubi ipſe ſe induerat, exuit ſe Pontificalibus veſtimentis, & dixit Nonam.* Hactenus memorata Concilii Acta.

### S E S S I O II.

XIX. Licet autem altera Concilii hujus Seſſio indicta ſit in diem Lunæ, ideſt, XIV. menſis Maji, celebrata nihilominus fuit die XVIII. ejuſdem menſis, & interim dum dies illa expectabatur, advocatis ſeorſum Prælatis, decretæ ſunt in ſubſidium Terræ Sanctæ Decimæ omnium fructuum, & proventuum Eccleſiarum in ſex annos proximos, uti paulo inferius ex memoratis Actis dicemus. Quod vero ipſam ſecundam Seſſionem ſpectat habitam, uti dictum eſt, die XVIII. Maji ejuſdem anni MCCLXXIV. in ea, ut ex eiſdem Actis addiſcimus, *omnia facta ſunt, ſicut in prima, excepto quod non fuit indictum jejunium, & pro Pretbytero ſervivit Dominus Overus, pro Diacono Dominus Jacobus, & quod aliud Evangelium cantatum eſt, ſcilicet, ſecundum Lucam*: Vos eſtis ſal terræ; *& quod aliæ Orationes dictæ ſunt, ſicut in Ordinario habetur; & quod Dominus Papa non fecit Sermonem, ſed Alloqutionem tantum ſuper illis, quæ fuerant in prima Seſſione*; ſuper ſubſidium Terræ Sanctæ, ſuper Unione Eccleſiæ Græcæ cum Latina, & reformatione morum. *Alloqutione finita*, uti habent Acta, *latæ ſunt Conſtitutiones pro zelo Fidei, & licentiati ſunt omnes in iſta*

*Seſſione Procuratores Capitulorum, ac Abbates, & Priores non Mitrati, exceptis illis, qui fuerunt nominatim ad Concilium evocati. Licentiati ſunt omnes alii inferiores Prælati Mitrati, & indicta eſt tertia Seſſio ad diem Lunæ poſt Octavam Pentecoſtes, quæ erat* xxviii. *Maji, & ſic diſſoluta eſt ſecunda Seſſio.* Sane, quod jam paulo ſuperius notatum ſuit, docent & illud nos Acta hujus Concilii, quod *inter primam, & ſecundam Seſſionem Dominus Papa cum Cardinalibus advocarunt ſegregatim Archiepiſcopos, & quemlibet cum uno Epiſcopo, & Abbate ſuæ Provinciæ, & diviſos habuit eos in Camera ſua, Epiſcopos etiam, & Abbates, qui immediate ſubſunt Romanæ Eccleſiæ; & petiit, & obtinuit ab eis omnes Decimas redituum, fructuum, & proventuum Eccleſiarum uſque ad ſex annos continuos, incipiendo a Feſto S. Joannis Baptiſtæ anni Domini milleſimi duceteſimi ſeptuageſimi quarti uſque ad ſex annos continuos futuros, ſicut in Conſtitutione habetur.*

XX. Quamquam noſtra Acta de Jacobi Aragonum Regis diſceſſu a Concilio in hac Seſſione ſecunda nullam faciant mentionem, ſed ſolum in tertia Seſſione dicatur, quod ipſe in ea non adfuit, docet nihilominus Pagius in Vita Gregorii Papæ X. Num. xxix. ex aliis hujus Concilii Actis, receſſiſſe illum Lugduno poſt celebratam Seſſionem ſecundam, nulla facta mentione cauſæ ejus diſceſſus. Scite autem notat ex Surita, Gomeſio, & Mariana, Auctoribus Hiſpanis, quod jam nos ex eiſdem ſuperius diximus, Jacobum nempe Aragonum Regem extrema ætate gloriæ, & honoris cupidum, cum expeteret Coronæ Regiæ Inſignibus Pontificis manu decorari, idque Pontifex renueret, niſi Tributum, quod Petrus Pater Jacobi, eo tempore, quo Romæ Coronam receperat ab Innocentio Papa III. pendere quotannis pactus erat, denuo Eccleſiæ Romanæ ſanciretur, & quod ſolvi deſitum erat, perſolveretur: Jacobum rem indignam exiſtimantem, Regnum Majorum virtute partum cuiquam eſſe vectigale, ab ea re deſtitiſſe, & ad ſua ſe recepiſſe. De eo Tributo videri poteſt, quod Idem Pagius ſcribit in Vita Ipſius Innocentii Papæ III. Num. xl. Ceterum quod noſtram rem ſpectat, & filum hiſtoriæ hujus Concilii, ajunt ipſa Acta, quod *pendente termino ſequentis Seſſionis*, antequam ſcilicet illa celebraretur, *Frater Hieronymus, & Frater Bonagratia de Ordine Fratrum Minorum, qui miſſi fuerant Nuncii cum duobus Fratribus per Romanam Eccleſiam ad Græcos, miſerunt quaſdam Litteras Domino Papæ, de quibus ipſe Dominus Papa multam gaviſus eſt; & fecit vocari omnes Prælatos in Majori Eccleſia Lugdunenſi, & ibi omnibus Prælatis exiſtentibus in Cappis ſuis, Frater Bonaventura Albanenſis Epiſcopus ſermocinatus eſt, propoſito themate, quod legitur in Baruch*: Exurge Jeruſalem, ſta in excelſo, & circumſpice ad Orientem, & inde collige filios tuos ab Oriente uſque ad Occidentem; *poſt cujus Sermonem lectæ ſunt prædictæ Litteræ*; quibus ſcilicet Nuncii Minoritæ, ad Imperatorem miſſi, de quibus jam ſuperius diximus, ſignificabant, ſe prope eſſe, atque in comitatu habere Legatos Græcorum, qui Litteris, & verbo præſentes obedientiam præſtent Eccleſiæ Romanæ, & concordiam Michaelis Palæologi Imperatoris, & Prælatorum ſuorum nomine ſtabiliant.

SESSIO III.

XXI. Hæc ſine dubio, uti advertit Pagius, cauſa ſuit, cur tertia Seſſio, quæ indicta erat in diem xxviii. Maji, dilata eſt in diem vii. Junii. In hac Seſſione tertia, uti Acta inquiunt, *omnia facta ſunt, ſicut in prima, excepto quod non fuit indictum jejunium, & quod pro Diacono ſervivit Dominus Gaufredus* (ab aliis dicitur Gottifredus) *ad Velum aureum*, Cardinalis ſcilicet S. Georgii; *& quod cantatum eſt aliud Evangelium, ſcilicet ſecundum Matthæum*: Acceſſerunt ad Jeſum diſcipuli &c. *& quod aliæ Orationes dictæ ſunt, & quod non fuit ibi Rex Aragonum, & quod Frater Petrus Oſtienſis Epiſcopus ſermocinatus eſt, incipiens thema, ſcilicet*: Leva in circuitu oculos tuos, & vide: omnes iſti congregati ſunt, venerunt tibi. *Et poſtea lectæ ſunt Conſtitutiones*: circa Electiones ſcilicet, & proviſiones Eccleſiarum, ætatem, ac reſidentiam proviſorum, Immunitatem Eccleſiarum, uſuras, aliaque ad diſciplinam Eccleſiaſticam, mores populorum, ac Judiciariam praxim pertinentia, quæ una cum ceteris in hoc Synodo promulgatis, habentur in unum collecta apud Labbæum, Harduinum, aliorumque Conciliorum Collectores, necnon relata a Bonifacio Papa VIII. in Sextum Decretalium ſuis quibuſque Titulis. Lectis Conſtitutionibus, ajunt Acta, quod *Dominus Papa alloquutus eſt Concilium, & dedit licentiam omnibus Prælatis, quod poſſent exire Lugdunum, & elongare ſe uſque ad ſex leucas. Diem alterius Seſſionis non præfixit propter dubium adventum Græcorum; & ſic abſoluta eſt tertia Seſſio.*

XXII. Advenerunt tandem die xxiv. Junii, ut Acta referunt, *Nuncii Imperatoris Græcorum, quorum nomina ſunt in Littera miſſa Papæ.* Quam honorifice a Summo Pontifice, & ab univerſa Synodo fuerint excepti, Acta ipſa nos docent, ubi ita mox ſubdunt: *Prælati qui erant in Concilio cum Familiaribus ſuis, Camerarius cum tota Familia Papæ, Vicecancellarius, & omnes Notarii, ac omnis Familia Cardinalium exiverunt eis obviam, & eos uſque ad Palatium Domini Papæ honorifice conduxerunt, qui ab eodem Domino Papa ſtante in Aula ejuſdem Palatii cum omnibus Cardinalibus, & multis Prælatis, ad pacis oſculum honorifice ſunt recepti; & eis repræſentaverant Litteras Imperatoris bullatas Bulla aurea, & alias Litteras Prælatorum, & dixerunt in præſentia Domini Papæ, quod veniebant ad omnimodam obedientiam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & ad recognitionem Fidei, quam ipſa Eccleſia tenet, & Primatum &c. Et poſt hoc venerunt ad hoſpitia ſua.* Litteræ Imperatoris, quas legere eſt integras apud Wadingum in Annalibus Minorum ad annum MCCLXXIV. & apud laudatos Labbæum, & Harduinum, hanc habent inſcriptionem: *Sanctiſſimo, & Beatiſſimo, Primo, & Summo Pontifici Apoſtolicæ Sedis, Venerabili Papæ, & communi Patri omnium Chriſtianorum, & Venerabili Patri Imperii noſtri, Domino Gregorio, Michael in Chriſto Deo fidelis Imperator, & Moderator Romanorum, Ducas, Angelus, Comnenus, Palæologus, & ſpiritualis Filius magnæ Sanctitatis veſtræ, convenientem honorem, & reverentiam, cum ſincera, & pura affectione, & orationum poſtulatione.*

XXIII. His Litteris Imperator in primis petitam a ſe ſchiſmatis abjurationem annis mcclxvii. & mcclxxii.

Digitized by Google

& MCCLXXII. ac Fidei Catholicæ Romanæ, ſacrorumque ejus Rituum confeſſionem abunde, ac perſpicue profitetur, una cum Spiritus Sancti a Patre Filioque Proceſſione, & ſummo Primatu, ac Principato Eccleſiæ Romanæ ſuper univerſam Eccleſiam: *Credimus*, inter alia inquit, *& Spiritum Sanctum plenum, & perfectum, verumque Deum, ex Patre, Filioque procedentem*. Sed tamen demum Pontificem rogat, conſentire, ut velit ob infirmitatem multorum Græcorum, ut Symbolum Fidei eodem modo in eorum Eccleſiis recitaretur, quo ante Schiſma; & recepti Ritus ſervarentur, qui non eſſent contra Fidem Romanam, & Generalium Conciliorom Decreta: *Confitentes vero hæc, & approbantes, & acceptantes, & promittentes obſervare, ut ſuperius dictum eſt, rogamus magnitudinem veſtram, ut Eccleſia noſtra dicat ſanctum Symbolum, prout dicebat hoc ante Schiſma uſque in hodiernum diem, & quod permaneamus in Ritibus noſtris, quibus utebamur ante Schiſma; qui ſcilicet Ritus non ſunt contra ſupradictam Fidem, nec contra Divina præcepta, nec contra Vetus, & Novum Teſtamentum, nec contra doctrinam Sanctorum Generalium Conciliorum, & Sanctorum Patrum receptorum per ſancta Concilia, quæ celebrata ſunt a ſpirituali dominatione Eccleſiæ Romanæ. Hoc igitur non grave eſt veſtræ Sanctitati, nec inuſitatum, & nobis nunc difficile propter infinitam multitudinem populi.*

XXIV. Præter has Litteras ab Imperatore Græcorum miſſas, alias quoque exhibuerunt Legati miſſas a Prælatis, inter quos viginti ſex Metropolitæ in iis expreſſi, Fidei Romanæ Eccleſiæ, & Unioni cum eadem peragendæ ſubſcripſerunt. Litterarum inſcriptio hæc eſt: *Sanctiſſimo, Reverendiſſimo, & Beatiſſimo Papæ antiquo Romanorum, Domino Gregorio, Magno Pontifici excellentiſſimæ Apoſtolicæ Sedis, & venerabiliſſimo Domino, & Patri noſtræ humanitatis.* In ipſis autem Litteris non modo Romani Pontificis Primatum colere profitentur, ſed & Joſephum Patriarcham Græcorum cum illis conſentire nolentem, cui interim juſſerant, ut in Monaſterio maneret, donec Oratores Imperatoris, & Eccleſiæ Græcæ Legati cum Apocriſariis Apoſtolicis reverſi eſſent, niſi Unioni ſubſcriberet, ajunt ſe a ſacra Dignitate omnino dejecturos, & aliom Patriarcham, qui Romanæ Eccleſiæ revereretur Principatum, creaturos: *Si vero immutabiliter ſe habeat in ſententia*, quod agnoſci ſcilicet primus in Eccleſia deberet, *tunc dependebit omnis neceſſitas, & ipſum dejicere, & Patriarchali Dignitate privare: nos autem conſtituemus, & promovebimus alium, qui utique conſentiat nobiſcum ejuſdem voluntatis eſſe, & reddere convenientem Primatum ſummitati Sanctitatis veſtræ*. Utramque Epiſtolam, Palæologi ſcilicet Græcorum Imperatoris, & Prælatorom Græciæ, legere eſt integram apud laudatos Wadingum in Annalibus Minorom, & Labbæum, Harduinum, alioſque Conciliorom Collectores.

XXV. Honorifice exceptis, uti jam dictum ſuperius fuit, atque ad hoſpitia ſua deductis Imperatoris Græcorum Oratoribus, qui memoratas Litteras ad Papam, atque ad Concilium attulerant, propoſita eſt eis norma Fidei Romanæ, quam profiteri deberent nomine eorum, a quibus miſſi erant, quam illi libenter admiſerunt, & ſe publice profeſſuros ſpoponderunt. Quamobrem, uti ajunt laudata toties hujus Concilii Acta, *in Feſto Apoſtolorum Petri & Pauli Dominus Papa celebravit Miſſam in Majori Eccleſia S. Joannis Lugdunenſis, exiſtentibus ibidem omnibus Cardinalibus, & Prælatis, qui ad Concilium fuerant evocati. Lecta eſt Epiſtola in Latino, & Græco, & cantatum eſt Evangelium per Dominum Othobonum in Latino, & quemdam Diaconum Græcorum in Habitu, in quo Græci ſolent cantare, in Græco, poſt eum.* Ritum eſſe antiquum, ut in Miſſa Papali Summo Pontifici Sacra facienti duo Diaconi inſerviant, quorum alter Latinus lingua Latina, alter Græcus lingua Græca Evangelium canit, oſtenſum a nobis jam fuit in Opere, *De Codice Sancti Evangelii, atque ſervatis in ejus lectione, & uſu vario ritibus*, Lib. II. Cap. II. Sed hoc obiter notato, pergunt Acta, & ajunt, quod cantato utraque lingua in ſolemni Miſſa Evangelio, *Frater Bonaventura fecit Sermonem ſuum uſque ad finem*; nempe S. Bonaventura Ordinis Minorum, Cardinalis, & Eccleſiæ Doctor, Sermonem habuit de concordia ineunda, & puritate Fidei Romanæ; eoque ad finem perducto; *poſtea cantatum eſt Symbolum, ſcilicet*, Credo in unum Deum, *in Latino, incipientibus Dominis Cardinalibus, & Epiſcopis, qui ſicut Cantores, ſeu Primicerii, tenuerunt Chorum in cantu, & proſequentibus Canonicis ejuſdem Eccleſiæ.*

XXVI. Poſt hæc, ut eadem Acta referunt, *immediate prædictus Patriarcha*, Germanus ſcilicet olim Patriarcha Conſtantinopolitanus, *cum omnibus Græcis Archiepiſcopis de Calabria*, qui Ritum ſcilicet Græcum tunc temporis ſequebantur, ob rationes jam alias explicatas, *& Frater V. de Morbella*, ſeu, ut Natalis Alexander docet F. Willelmus de Morbeka, *de Ordine Fratrum Prædicatorum, & Frater Joannes de Conſtantinopoli de Ordine Fratrum Minorum, Pœnitentiarii Domini Papæ, qui linguam Græcam noverant, cantaverunt ſolemniter, & alta voce prædictum Symbolum; & quando ventum eſt ad articulum illum:* Qui a Patre, Filioque procedit; *ſolemniter, & devote ter cantaverunt. Quo Symbolo finito, idem Patriarcha, Archiepiſcopi, & Logotheta*, Georgius nempe Acropolita, Orator Michaelis Palæologi Imperatoris Græcorum ad Concilium, *cum aliis cantaverunt laudes ſolemnes in lingua Græca Domino Papæ, & poſt hæc Miſſa per ipſum Dominum Papam, ſtantibus Græcis prædictis juxta Altare, proſequuta eſt, & completa.*

XXVII. Juxta memoratorum Actorum narrationem, die tertia menſis Julii *Dominus Papa fecit vocari Dominum Epiſcopum Leodienſem ad ſe, & propoſitis quibuſdam exceſſibus ſuis ſibi, compulit eum cedere oneri, & honori*. Eſt is Henricus Geldrenſis, quem multorum, graviſſimorumque exceſſuum reum accuſatum damnatumque ab Epiſcopatu Leodienſi Gregorius Papa X. in hoc Concilio depoſuit. Extat egregia ejuſdem Pontificis parænetica Epiſtola ad ipſum Henricum ante depoſitionem data, quam deſcripſit Joannes Hocſemius Tomo II. Pontificum Leodienſium in Vita ejuſdem Henrici, & inter alios Harduinus Tomo VII. Conciliorum, ubi varia & quidem enormia ejus ſcelera recenſet, ſic inter alia inquiens: *Accepimus namque non ſine multa mentis amaritudine, quod tu Epiſcopali gravitate prorſus abjecta, ſimoniæ, incontinentiæ,*

Digitized by Google

*tiæ, aliiſque variis, & diverſis criminibus irretitus, voluptatibus, & deſideriis carnis te totaliter deputas: ita quod tam ante promotionem tuam, quam etiam poſt, quam plures filios, & filias procreaſti. Qui etiam in operibus mortis gloriam tuam ponens, & quandam Abbatiſſam Ordinis S. Benedicti tibi publice conſtituens concubinam: dum ſederes in quodam convivio coram omnibus, qui tunc aderant, confeſſus fuiſti, te infra viginti duos menſes, quatuordecim filios ſuſcepiſſe: quorum aliquibus in minori conſtitutis ætate Beneficia Eccleſiaſtica cum cura, & ſine cura contuliſti, & ab aliis procuraſti conferri: aliis etiam filiis tuis utriuſque ſexus, quos matrimonialiter Nobilibus, & Potentibus procuraſti conjungi, bona tui Epiſcopatus mobilia, & immobilia adſignando.* Propter hæc, & alia longe enormia ſcelera depoſitus tandem in hoc Concilio Henricus poſt viginti ſeptem annos Sedis, ut ſcribit Auctor Magni Chronici Belgici ex Chronico Leodienſi, vixit adhuc duodecim annis, quibus vidit tres alios Epiſcopos Leodienſes, ſinguliſque bellum intulit, donec a cujuſdam Virginis nobilis, quam conſtrupaverat, propinquis occiſus eſt, habens quando mortuus eſt ſexaginta quinque filios naturales, ſive potius ſacrilegos, atque ex damnatiſſimo coitu ab utroque jure, Civili pariter, & Canonico procreatos, uti Scriptores notant.

XXVIII. Sed ut noſtræ Hiſtoriæ filum proſequamur, tradunt mox Acta, quod *ſequenti die*, nempe die quarta Julii, *Nuncii Tartarorum Regis*, qui nempe Abagha vocabatur, *repræſentaverunt ſe Domino Papæ in Camera ſua, exiſtentibus ibi omnibus Cardinalibus, & multis Prælatis, qui ante eum convenerunt ad tractandum de negotiis Concilii; quibus etiam omnibus familia Cardinalium, & Prælatorum de mandato Domini Papæ obviam exiverunt.* Legatos ipſos non cauſa Fidei, ſed ut fœdus cum Chriſtianis inirent, miſſos fuiſſe ab eorum Rege Abagha, ſcitiſſime obſervat Pagius in Vita Gregorii Papæ X. ex Weſtmonaſterienſi, & ex Haytono, necnon ex Litteris ejuſdem Pontificis ad ipſum Regem datis, & quidem poſt celebratum Concilium, nempe III. Idus Martii, Pontificatus anno III. Ideoque anno Chriſti MCCLXXV. legique poſſunt apud Labbæum, Harduinum, alioſque Scriptores. Sane Litteris ſuis promittit Pontifex, ſe Legatos ſuos miſſurum, qui cum eo de rebus agant, quas petierat, tum etiam de aliis, quæ ad ſalutem ejus ſpectarent; licet enim Chriſtianis faveret, erat tamen Idolorum cultui addictus, ut idem Haytonus Cap. XXXII. & ſeqq. ac Sanutus Lib. III. Parte XIII. Cap. VII. & VIII. tradunt. Unum ex illis Tartarorum Nunciis cum duobus ſociis a Petro Oſtienſi Epiſcopo die XVI. Julii, antequam inchoaretur quinta Seſſio, ſolemniter baptizatum fuiſſe, Acta referunt, quibus Pontifex fecit fieri veſtes de ſcarlato, ſeu quiſquiliatas more Latinorum. Ceterum quod narrationis ſeriem ſpectat, *eodem die*, quarta nempe Julii, *est quarta Seſſio nunciata ad diem Veneris*, ſextam nempe ejuſdem menſis, *omnibus Prælatis per curſores Domini Papæ; & eodem die Dominus Papa fecit vocari Dominum Fridericum Abbatem Sancti Pauli de Urbe, & propoſitis quibuſdem exceſſibus ſuis ſibi compulit cedere eum dictæ Abbatiæ*. Atque hæc ſunt, quæ ad tertiam Seſſionem hujus Concilii ſpectant.

## SESSIO IV.

XXIX. Itaque die Veneris, ſexta Julii, uti Acta inquiunt, *in Octava Sanctorum, Petri, & Pauli, facta eſt quarta Seſſio, exiſtentibus in loco, ubi Dominus Papa cum Diacono Cardinali ſedebat, prædictis Nunciis Imperatoris Græcorum a latere dextro poſt Cardinales in qua omnia facta ſunt, ſicut in prima, excepto quod fuit cantatum per Dominum Hubertum Evangelium ſecundum Matthæum, ſcilicet:* Juſſit Dominus Diſcipulis ſuis aſcendere naviculas; *quod competebat dici; & Frater Petrus Oſtienſis prædicavit, qui Domino Papæ pro Presbytero ſerviebat, Thema ſcilicet:* Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis, turbati ſunt omnes inſipientes corde. *Poſt cujus Sermonem, Dominus Papa alloquutus eſt Concilium, narrans prædictas tres cauſas vocationis Concilii; & dicens qualiter contra opinionem quaſi omnium, Græci libere veniebant ad obedientiam Romanæ Eccleſiæ, profitendo Fidem, & recognoſcendo Primatum ipſius, nihilque temporale petendo, de quo multum dubitabatur.* Pergunt Acta, & addunt, dixiſſe etiam in ea Alloqutione Pontificem, *qualiter ſcripſerat Imperatori Græcorum, quod ſi non vellet ſpontanee venire ad obedientiam Romanæ Eccleſiæ, & Fidem ejus, quod mitteret Nuncios ſolemnes ad tractandum ſuper his, quæ petere volebat, & ipſe, Deo favente, omnibus prætermiſſis, ſpontanee, & libere Fidem Romanæ Eccleſiæ, & Primatum ipſius profeſſus eſt, & recognovit in ſumma, quod prædictos Nuncios ad profitendum, & recognoſcendum miſerat in ſua præſentia, ſicut in Litteris per prædictum Imperatorem ſibi miſſis continebatur expreſſe.*

XXX. Rurſus in eadem quarta Seſſione laudatus Gregorius Papa X. *mandavit legi ipſas Litteras*, Michaelis ſcilicet Palæologi Græcorum Imperatoris, *& alias Litteras multorum Prælatorum: quod fecerat prædictis Nunciis, & Litteras filii ipſius Imperatoris: quæ tres erant bullatæ Bulla aurea, tranſlatæ in Litteras Latinas.* Lectis Litteris, de quibus jam ſupra mentionem fecimus, ajunt Acta, quod *unus de prædictis Nunciis, ſcilicet Logotheta, dicens, ſe viva voce a dicto Imperatore in mandatis habere, quod poſſet jurare in animam ipſius, ſi Domino Papæ placeret, profeſſus eſt publice Fidem Romanæ Eccleſiæ, quæ lecta fuerat in Concilio, tenere dictum Imperatorem, & Imperium, & eam perpetuo ſervaturos, & nullo tempore receſſuros ab ea ut in formula Juramenti plenius continetur*; extatque apud Labbæum, & Harduinum, & inſcribitur, *Sacramentum Imperatoris Græcorum*; eſtque hujuſmodi: *Ego Georgius Acropolita, & Magnus Logotheta, Nuncius Domini Imperatoris Græcorum Michaelis, Ducæ, Angeli, Comneni, Palæologi, habens ab eodem ſufficiens ad infraſcripta mandatum: omne Schiſma prorſus abjuro, & ſubſcriptam Fidei unitatem, prout plene lecta eſt, & fideliter expoſita, in nomine dicti Domini mei, veram, ſanctam, Catholicam, & orthodoxam Fidem eſſe cognoſco: eam accepto, & corde, & ore profiteor; ipſamque, prout eam veraciter tenet, fideliter docet, & prædicat ſacroſancta Romana Eccleſia, ipſum inviolabiliter ſervaturum, nec ab ea ullo unquam tempore receſſurum, vel quoquomodo diſcrepaturum, vel deviaturum, promitto. Primatum quoque ipſius ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, prout in præmiſſa ſe-*

*ſerie continetur, ad ipſius Eccleſiæ obedientiam, nomine ipſius, & meo, ſpontanee veniens, pro ipſo, & me fateor, recognoſco, accepto, ac ſponte ſuſcipio: & ipſum omnia præmiſſa, tam circa Fidei veritatem, quam circa ejuſdem Eccleſiæ Romanæ Primatum; & ipſorum recognitionem, acceptationem ſuſceptionem, obſervantiam, ac præſentiam* ( legendum, *perſeverantiam*, ut recte inter alios monet Harduinus) *ſervaturum, præſtito in animam ipſius, & meum corporaliter juramento, promitto, & confirmo. Sic ipſum Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia.*

XXXI. Hactenus juramenti formula, quod nomine Palæologi Imperatoris Græcorum in Concilio præſtitit ejus Nuncius Georgius Acropolita, Magnus Logotheta appellatus. Logotheta vox Græca eſt, quæ ad Latinos inferioris ævi etiam tranſiit, uti notat Dufreſne in ſuo Gloſſario mediæ, & infimæ Latinitatis. Apud Græcos quidem, & Byzantinos præſertim varie accipitur. In præſenti illum ſignificat, qui Edicta, & aureas Imperatorum Bullas ſubſcribit, idque prorſus muneris obit, quod apud Nos Latinos Cancellarius. A Græcis porro mutuati ſunt Latini Principes nomen Logothetæ, uti conſtat ex Chrouico Cafiuenſi Lib. IV. Cap. LXVI. juxta editionem Angeli a Nuce; ibi enim Petrus Diaconus Caſinenſis a Lothario Imperatore *Logotheta Italiens, Exceptor, Chartularius, & Capellanus Imperii Romani conſtitutus* fuiſſe dicitur, ideſt, *Logotheta, & Protonotarius*, quomodo appellabantur apud Siculos Normannos Reges, qui chartas Regias ſubſcribebant, ut paſſim ex Tabulis Siculis colligere eſt.

XXXII. Quicquid autem de ea voce ſit, poſt præſtitum ab Oratore Imperatoris Græcorum juramentum, uti Acta narrant, *Dominus Papa altu voce incepit*, Te Deum laudamus: *quod totum Domino Papa ſtante ſemper erecto, & ſine Mitra, cum magna devotione, & multis lacrymis proſequutum eſt, & completum. Quo completo, quidam Capellanus dixit Verſiculum*: Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis; *& reſponſum eſt ab adſtantibus*: A Tempo ſancto tuo, quod eſt in Jeruſalem. *Quo dicto, Dominus Papa dixit*: Dominus vobiſcum. *Reſponſum eſt*. Et cum ſpiritu tuo. *Poſtea dixit*, Oremus, *ſine* Flectamus genua; *& dixit orationem*: Da Eccleſiæ tuæ quæſumus Omnipotens Deus, ut Sancto Spiritu congregata &c. *ſicut in Ordinario habetur. Qua finita, ſedit in Faldiſtorio ſuo, & alloquutus eſt Concilium ſuper tanto gaudio, incipiens*: Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum: *& dictis paucis verbis, præfati Patriarcha, & Archiepiſcopus Græcorum deſcenderunt in Navim Eccleſiæ, & ſederunt in ſedibus altis, in loco, in quo ſedebant Presbyteri Cardinales poſt eos; & tunc Dominus Papa reverenter incepit*: Credo in unum Deum, *in Latino, quod per eum, qui ſine Mitra ſtabat, & totum Concilium proſequutum eſt, & completum. Quo completo, Patriarcha Græcorum incepit ſimiliter*: Credo in unum Deum, *in Græco, quod per eum, & Archiepiſcopum Nicoſienſem, & alios Græcos, qui ſecum venerunt, & alios Archiepiſcopos, & Abbates Græcos de Regno Siciliæ proſequutum eſt, & completum, dicendo publice, & ſolemniter*: Qui a Patre, Filioque procedit; *cantando eum bis*.

XXXIII. Hoc peracto, ſubdunt Acta, quod *Dominus Papa alloquutus eſt Concilium paucis verbis, & dixit inter alia, qualiter Rex Tartarorum miſit Nuncios ſuos cum Litteris ad eum, & Concilium, qui Nuncii ſtabant ad oppoſitam Domini Papæ ad pedes Patriarcharum; & mandavit legi Litteras ipſius Regis Tartarorum per quendam Capellanum*. Miſſos a Rege Tartarorum Abagha Legatos cum ejus Litteris ad Gregorium Papam, atque ad hoc II. Lugdunenſe Generale Concilium non cauſa Fidei, ſed ut fœdus cum Chriſtianis inirent, jam ſuperius oſtenſum fuit. Licet enim Abagha Chriſtianis faveret, erat tamen Idolorum ipſe cultui addictus. Sane anno MCCLXXXII. occiſo Abagha, ſucceſſit Frater ejus nomine Tangodor, qui Chriſtiano Baptiſmate in pueritia tinctus Nomen Nicolai acceperat; ſed converſatione Saracenorum, quam dilexerat, eorum ſectæ ſe dedidit, accepto nomine Mahometi, pœniſque, ac præmiis Tartaros Chriſtianos pervertit, cunctas ipſorum Eccleſias funditus evertit, & ſocietatem cum Soldano iniit. At vero anno MCCLXXXV. ab Argone memorati Abaghæ filio comprehenſus, per medium detruncari juſſus eſt. Argon autem in Regnum evectus, & a Cobila ſummo Tartarorum Imperatore in eo confirmatus, Chriſtianorum Eccleſias ab Apoſtata illo Mahometo dirutas reparavit, & Nuncios, ac Litteras ad Romanum Pontificem Nicolaum IV. miſit, quibus eum certiorem faciebat de ſuo promto erga Religionem Chriſtianam affectu, ferventique deſiderio ſuſcipiendi Baptiſmum in ipſa Civitate Jeruſalem, quam e manibus Saracenorum vindicare meditabatur. Sed his omiſſis, de quibus videri alias poſſunt Raynaldus, Spondanus, ac Pagius in Pontificatu Nicolai Papæ IV. quod noſtram Hiſtoriam ſpectat, ajunt Acta, quod lectis in noſtro hoc Concilio Lugdunenſi II. Abaghæ Regis Tartarorum Litteris, *Dominus Papa iterum alloquitur Concilium paucis verbis, & indixit aliam Seſſionem*, quintam ſcilicet, *ad diem Lunæ, undecimam* ( legendum nonam ) *ejuſdem menſis*, nempe Julii; *& aliam ad diem Martis ſequentis, non tamen præciſe, quia dixit, ſi commode poſſet; in quo dixit, ſe debere finire Concilium; & ſic diſſoluta eſt quarta Seſſio.*

XXXIV. Seſſio tamen quinta haberi non potuit eodem die, quo decreta fuerat, quia cum die Sabbati, ſeptima ejuſdem menſis Julii, Pontifex oſtendiſſet Cardinalibus Conſtitutionem, quam fecerat ſuper electione Romani Pontificis, qua volebat præpedire tot damna, quæ ſequebantur ad feram Pontificum creationem, orta eſt diſſenſio inter eum, & Cardinales, quos tamen omnes poſtea in ſuam ſententiam traxit; atque hæc contentio in cauſa fuit dilationis Seſſionis in diem Lunæ decimam ſextam menſis Julii. Sed audiamus Acta ipſa, quæ ita rem narrant: *Eodem anno, & menſe, die Sabbati, ſeptima ejuſdem, Dominus Papa oſtendit Cardinalibus Conſtitutionem, quam fecerat ſuper electione Romani Pontificis, per quam orta eſt diſſenſio inter eum, & Cardinales in privato, quæ poſtmodum venit in publico. Nam Dominus Papa vocavit Prælatos ſine Cardinalibus, & vocavit Cardinales per Nationes, & Cardinales in Conſiſtorio. Omni die conveniebant ſine Papa, & ſimiliter alloquuti ſunt aliquos Prælatos ſuper Conſtitutione præfata in Conſiſtorio; & rogaverunt, quod ſi Dominus Papa eorum aſſenſus requireret ſuper ipſa*

*Con-*

*Conſtitutione, quod non darent diffinitivum conſilium, vel conſenſum donec rationes ipſorum audiret; & ſimiliter multi ex Cardinalibus per Nationes vocarunt Prælatos in domibus ſuis, petentes ab eis conſilium, quid eſſet ſuper hoc faciendam, & auxilium, ſi neceſſe eſſet, modo prædicto. Et Dominus Papa ſimiliter vocatis Prælatis, ut ſupra dictum eſt, & expoſita intentione ſua, prius injunxit eis in virtute ſanctæ obedientiæ ſub excommunicationis pœna, quod nemini revelarent illa, quæ audirent, & viderent, & facerent tunc ibi cum eo. Et fecit eos conſentire, & aſſentire illi Conſtitutioni, & mandavit, quod ſinguli ſua ſigilla apponerent Conſtitutioni prædictæ, quod & fecerunt. Nam factæ ſunt ſchedulæ per Regna, & Provincias, quibus omnes Prælati ſua ſigilla appoſuerunt: propter quod dilata eſt Seſſio ad diem Lunæ decimam ſextam ejuſdem menſis.* Hactenus Acta; verum quod ipſam Conſtitutionem ſpectat ſuper electione Romani Pontificis, legi ea inferius poterit una cum noſtro Commentario in Canonem II. hujus Concilii.

XXXV. Antequam Seſſio quinta celebraretur, ſummo omnium dolore, & magno rei Chriſtiano detrimento vitæ finem poſuit S. Banaventura, cujus mortem candide, ac breviter ita narrant Acta Concilii: *Eodem anno*, nempe MCCLXXIV. *& menſe*, ſcilicet Julio, *die Dominico, decimaquinta ejuſdem, hora matutinali obiit claræ memoriæ Frater Bonaventura Albanenſis Epiſcopus, qui fuit homo eminentis ſcientiæ, & eloquentiæ, Vir quidem ſanctitate præcipuus, vita, commiſeratione, ac moribus excellentiſſimis decoratus, benignus, affabilis, pius, & miſericors, virtutibus plenus, Deo, & hominibus dilectus, qui ſepultus eſt ipſo die Dominico in loco Fratrum Minorum Lugduni, cujus exequiis interfuit Dominus Papa cum omnibus Prælatis, qui erant in Concilio, & Curia. Et Frater Petrus Oſtienſis Epiſcopus* (fuit is Ordinis Prædicatorum S. R. E. Cardinalis, ac deinde poſt ipſius Gregorii Papæ X. obitum Pontifex Maximus Innocentius V.) *celebravit Miſſam, & prædicavit propoſito themate, ſcilicet:* Doleo ſuper te Frater mi Jonatha. *Multæ lacrymæ, & gemitus ibi fuerunt: hanc ei gratiam conceſſerat Dominus, quod quicumque eum videbant, ipſius amore incontinenti capiebantur ex corde.* De ejus obitu Alloqutionem fecit Pontifex infra in quinta Concilii Seſſione, ubi etiam ſtatuit, ut per univerſum Mundum unuſquiſque Presbyter unam Miſſam pro illius anima cantaret. Eundem poſtea Sixtus IV. Sanctorum faſtis adſcripſit, & Sixtus V. ſua Conſtitutione cum primis Eccleſiæ Latinæ Doctoribus connumeravit.

S E S S I O V.

XXXVI. Quod Concilii Hiſtoriam ſpectat, peractis die decimaquinta Julii exequiis S. Bonaventuræ, & quidem ritu ſolemni, uti dictum eſt, & late exponit in ejus Vita Petrus Galeſini, *die decimaſexta ejuſdem*, ajunt Acta, *facta eſt quinta Seſſio, in qua, antequam Dominus Papa intraret Eccleſiam, Frater Petrus Oſtienſis Epiſcopus, præſentibus omnibus Prælatis, baptizavit unum ex Nunciis Tartarorum cum duobus ſociis; quibus Dominus Papa fecit fieri veſtes de ſcarlato more Latinorum; & poſtmodum Dominus Papa intravit Eccleſiam, & facta ſunt omnia, ſicut in prima, excepto, quod Dominus Matthæus S. Mariæ in Portica cantavit Evangelium ſecundum Matthæum, ſcilicet:* Videte, & vigilate, & orate: attendite vobis, & univerſo gregi. *Quo finito, lectæ ſunt Conſtitutiones, ſcilicet,* Ubi periculum. Si forte. Si Canonici. Abſolutionis. Sciant cuncti. Etſi pignorationes. Quicumque. Generali Conſtitutione. Altercationis antiquæ. Decet Domum Dei. Uſurarum voraginem. Quamquam uſurarii. Hoc conſultiſſimo. Statutum felicis recordationis: *Quibus lectis, Dominus alloquutus eſt Concilium, dicens, quomodo Eccleſia Dei inæſtimabile damnum perpeſſa fuerat ex obitu Fratris Bonaventuræ Albanenſis Epiſcopi, & mandavit, omnibus Prælatis, & omnibus Presbyteris per totum Mundum, ut quilibet eorum unam Miſſam deberet cantare pro Anima ipſius, & aliam pro Animabus omnium aliorum, qui mortui ſunt adveniendo, ſtando, ſeu redeundo ad Concilia, ſive ad Concilium. Et quia propter Baptiſmum Tartarorum, & lectionem Conſtitutionum, hora tarda videbatur, continuavit aliam Seſſionem in craſtinum, ſcilicet decimam octavam ejuſdem*, nempe menſis Julii; *& ſic diſſoluta eſt quinta Seſſio.*

S E S S I O VI.

XXXVII. Facta eſt demum die decima ſeptima ejuſdem menſis Julii anni ejuſdem MCCLXXIV. ſexta, & ultima hujus Concilii Seſſio, *in qua*, uti Acta inquiunt, *incontinenti Dominus Papa intravit Eccleſiam, indutus omnibus Pontificalibus veſtimentis aſcendit in Pulpitum, & nonnulli alii Prælati. Lectæ ſunt Conſtitutiones, ſcilicet,* Religionum diverſitatem; *&*, Cum ſacroſancta. *Quibus lectis, Dominus Papa alloquutus eſt Concilium, narrans prædictas tres cauſas vocationis Concilii, & quomodo negotium Terræ Sanctæ, & Græcorum erat inceptum, & feliciter, Domino favente, conſummatum; & inter alia dixit,* (notanda verba Pontificis) *quod Prælati faciebant ruere totum Mundum, & quod mirabatur, quod aliqui malæ vitæ, & converſationis non corrigebantur, cum particulares malæ vitæ, & bonæ vitæ, & converſationis veniſſent ad ipſum inſtanter petere ceſſionem. Unde monuit eos, quod ipſi ſe corrigerent, quia ipſis correctis, non erat neceſſe condere aliquas Conſtitutiones ſuper reformatione morum: alioquin dixit, ſe dure acturum cum ipſis ſuper reformatione morum. Super ordinatione vero Parochialium Eccleſiarum, ne fraudentur Rectorum ſuorum præſentia, & Viri idonei ponantur in eis, & ſuper aliis dixit, ſe cito, dante Domino, apponere remedia opportuna, quod uſque in ipſo Concilio fieri non potuit propter multorum negotiorum occupationem.* Sane in variis Seſſionibus promulgatæ variæ Conſtitutiones, ſeu Canones, quos ſuo loco poſt hujus Concilii Hiſtoriam, ut noſtri eſt inſtituti, integros referemus, & Commentariis illuſtrabimus.

XXXVIII. Omnibus finitis, concludunt Acta, quod *Dominus Papa dixit:* Oremus, Flectamus genua, Levate, *& Orationem, ſicut in Ordinario habetur*, in antiquis ſcilicet Pontificalibus Libris, in quibus ſcilicet extat peculiaris Titulus, inſcribiturque, *Ordo ad Synodum*, quem nos fuſe explicuimus noſtro Tomo III. Commentariorum in Tertiam Partem Romani Pontificalis, ut ea omittamus, quæ in eandem rem late diximus in Prolegomenis ad Concilia Œcumenica, quæ legi poſſunt noſtro I. Tomo Conciliorum. Finita Oratione, ajunt Acta, quod *data eſt licentia omnibus Prælatis recedendi, &*

*Do-*

Digitized by Google

*Dominus Papa dedit benedictionem*, ſcilicet, *Sit Nomen Domini benedictum &c.* Egimus & de ea ſolemni Pontificali Benedictione non modo in laudatis noſtris Commentariis ad Romanum Pontificale, ſed & in iis, quibus Cæremoniale Epiſcoporum jam illuſtravimus. Addunt autem Acta hujus Concilii, quod *Dominus Othobonus dixit*: Recedamus in pace; *& ſic diſſolutum eſt Concilium, regnante Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat in ſecula ſeculorum. Amen.* Atque hæc ſunt poſtrema verba, quæ in memoratis toties Concilii II. Generalia Lugdunenſis Actis leguntur.

XXXIX. Ceterum licet conſtet, Rudolphum Romanorum electum Imperatorem Legationem miſiſſe ad Gregorium X. Pontificem Maximum tempore hujus Concilii, mirari tamen non debuit Spondanus ad annum MCCLXXIV. prædicta Concilii Acta eam intactam præteriiſſe; quia ſcilicet, uti advertit Pagius in Vita ipſius Gregorii, Num. XLIV. in ſolo Cardinalium Conſiſtorio, non in ipſo Concilio Legati Germaniæ admiſſi ſunt ad ſacramenta Rudolphi nomine nuncupanda, ac privilegia Romanæ Eccleſiæ a veteribus conceſſa Imperatoribus confirmanda, & hoc poſtquam Pontifex Oratores Alphonſi Caſtellæ Regis, qui de Imperio decertabant, re infecta, dimiſiſſet. Hæc vero, ut majori celebritate fierent, adhibiti ſunt Principes Eccleſiaſtici Electores, aliique inſignes Germaniæ Præſules, qui Imperialia Diplomata perlegere; atque ad rem ſequturis ætatibus mandandam ſolemnes Tabulæ confectæ ſunt, quas in Molis Hadriani Archivo aſſervari aſſerit Raynaldus, qui eas recitat Num. VI. & ſeqq. ex quibus conſtat, Othonem Præpoſitum Eccleſiæ Sancti Guidonis, Spirenſis Diœceſis, Imperialis Aulæ Cancellarium Rudolphi nomine confirmaſſe Privilegia ab Othone IV. & Friderico II. Eccleſiæ Romanæ conceſſa; promiſiſſe Rudolphum Ditionem Eccleſiæ non invaſurum: bellum Siciliæ Regi non illaturum; & acceptis Imperialibus ornamentis Romæ promiſiſſe ea corroboraturum, eoque pacto obedientiam, & fidelitatem Rudolphi nomine, ſolemni jurejurando ſpopondiſſe Othonem: *Acta ſunt hæc Lugduni in prædicto Conſiſtorio anno Domini* MCCLXXIV. *menſe Junio, die Martis*, VI. *menſis ejuſdem, Pontificatus vero anno* III. *Porro ad certitudinem præſentium, & memoriam futurorum, nos memorati Archiepiſcopi, Epiſcopi, Burclavius, & Comes, præſentes Litteras fieri fecimus, & noſtrorum ſigillorum munimine roborari*; ut legitur in fine Diplomatis ea de re confecti. Sed legendum, *die Martis*, *v. menſis ejuſdem*; nam ut idem Pagius recte obſervat, dies VI. menſis Junii concurrebat eo anno cum die Mercurii, non vero cum die Martis, ad quem errorem nec Bzovius, nec Raynaldus animum adverterunt.

XL. Poſt Synodum Gregorius Papa Græcos muneribus donatos ad ſua remiſit, Litteraſque reſcripſit quinto Kalendas Auguſti ad eoſdem ipſos, a quibus acceperat, ad Michaelem ſcilicet Palæologum Græcorum Imperatorem, ad Andronicum ejus Primogenitum Filium, atque ad Græcus Antiſtites gratulatorias de iis, quæ hactenus geſta eſſent; & hortatorias ad perſeverantiam, atque ad omnem adhibendam ſolicitudinem, ut qui adhuc in Schiſmate perſeverarent, eandem Fidem, & Unionem amplecterentur. Imperator quoque, & ejus Filius Andronicus non modo ad Summum Pontificem Litteras dedere de ipſa Unione gratulatorias, & lætitiæ ſuæ teſtes, verum etiam idem Imperator Joſephum Patriarcham Unionis hoſtem infenſiſſimum, cujus ſupra mentionem fecimus, ad cedendum ſacra Dignitate compulit, & ad ſecedendum in Monaſterio, in ejuſque locum Joannem Veccum Magnæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Chartophylacem eligi curavit. Quotquot vero, ſive ex Clero, ſive ex Optimatibus Unioni obſiſtereot, partim exilio, partim carcere, & partim ultimo ſupplicio mulctavit. Quæ omnia prolixe narrat Pachimeres Lib. V. Hiſtoriæ, teſtanturque Nicephorus Gregoras Lib. V. & Auctor Vitæ Athanaſii Patriarchæ a Leone Allatio laudatus; & videri de iiſdem poſſunt Spondanus, & Raynaldus in continuatione Annalium, ac Natalis Alexander in Hiſtoriam Eccleſiaſticam Seculi XIII. & XIV. Diſſertatione VII. Articulo II.

XLI. Licet autem Michael Imperator Unionem acriter proſequutus ſit, ſub Andronico tamen ejus filio, & ſucceſſore penitus illa rupta eſt poſt mortem Michaelis. Græci enim contra doctrinam Eccleſiæ Romanæ de Spiritu Sancto, & contra Græcos eam profitentes Pſeudoſynodum celebrarunt, & Fidem damnarunt, quam in hoc II. Lugdunenſi Concilio profeſſi erant. Sunt qui autumant, Michaelem ipſum Imperatorem Unionis cultorem ab ea deſeciſſe; quia ſcilicet Martinus Papa IV. qui Nicolao III. ſucceſſit, anno I. Pontificatus, qui fuit Chriſti MCCLXXXI. Michaelem Palæologum tanquam Schiſmatis, & hæreſeos Græcorum fautorem anathemate confixit; omnibuſque Regibus, Principibus, Dominis, Univerſitatibus Civitatum, Caſtrorum, & locorum inhibuit, ne cum eo in excommunicatione hujuſmodi manente fœdus aliquod contraherent, ſub pœna excommunicationis in perſonas, & Interdicti in Terras, intentata etiam privatione bonorum, *quæ a quibuslibet Eccleſiis tenerent.* Sententiæ exemplar apud laudatum Raynaldum ad eum annum, Num. XXVI. legitur. Ceterum obreptum fuiſſe Pontifici, qui ad eam excommunicationem vibrandam a Carolo Siciliæ Rege, cui cum ipſo Palæologo bellum erat, incitatus eſt, tradit citato loco Natalis Alexander, teſteſque adhibet Jordanum, & Ptolomæum Lucenſem. Stetiſſe autem ad obitum uſque pro Unione Palæologum, nec in Schiſma, & errores Græcorum fuiſſe relapſum, adeo certum fuit vel ipſis Græcis, ut eum jam demortuum tanquam Novatorem, & impiorum dogmatum propagatorem nulla ſepultura Eccleſiaſtica, nec filius ejus Andronicus Imperii hæres cohoneſtarint, ut teſtatur Andronicus ipſe apud Pachimerem Libro XII. *Hiſtoriæ*, quem laudat memoratus Allatius.

XLII. Quicquid ſit, ſcitiſſime docet idem Alexander, Lugdunenſe II. Concilium vere Œcumenicum eſſe, totius enim Chriſtiani nominis repræſentatio fuit. Legitime convocatum eſt, a Romano ſcilicet Pontifice Gregorio X. qui & ipſi præfuit. Tanto numero adfuere Epiſcopi ex omnibus Latini Orbis Eccleſiis, ut prioribus Octo Conciliis Generalibus majori numero non adfuerint. De cauſis Fidei, & Unitatis Eccleſiaſticæ actum eſt, quæ univerſalem Eccleſiam ſpectant. Eccleſiaſtico Ritu celebratum fuit, ſummaque libertate, ac ſummo conſenſu Patrum Fidei dogma conſtitutum eſt. Conſtantienſis Synodus

nodus Seſſione xxxix. in Profeſſione Fidei, quam deinceps quilibet in Romanum Pontificem electus edere deberet, antequam ſua publicetur electio, Lugdunenſe hoc Concilium (neque enim de alio loqui veriſimile eſt, in quo de Fide actum non fuit, ut ſcite idem Alexander notat) inter Concilia Generalia recenſet: *Ego electus in Papam Omnipotenti Deo, cujus Eccleſiam ſuo præſidio regendam ſuſcipio, & B. Petro Apoſtolorum Principi corde, & ore profiteor, quandiu in hac fragili vita conſtitutus fuero, me firmiter tenere, & credere ſanctam Fidem Catholicam ſecundum Traditiones Apoſtolorum, Generalium Conciliorum, & aliorum Sanctorum Patrum, maxime autem Sanctorum octo Conciliorum Univerſalium, videlicet, Primi Nicæni, Secundi Conſtantinopolitani, Tertii Epheſini, Quarti Chalcedonenſis, Quinti, & Sexti Conſtantinopolitanorum, Septimi item Nicæni, Octavi quoque Conſtantinopolitani, necnon Lateranenſis, Lugdunenſis, & Viennenſis, Generalium etiam Conciliorum.*

XLIII. Sed ut tandem de egregiis virtutibus, ac obitu Gregorii Papæ X. Auctoris, & Præſidis Concilii hujus Lugdunenſis II. Œcumenici aliquid dicamus, primus plane is fuit Romanorum Pontificum, qui in Palatio Apoſtolico piarum largitionum Præſulem conſtituit, eique muneri Fratrem Laicum ex Ordine Prædicatorum præfecit, quem e partibus tranſmarinis ſecum duxerat. Ita refert Ptolomæus Lucenſis, ex eoque Oldoinus in Notis ad Ciaconium, ubi Gregorii X. liberalitatem in pauperes commemorat, ſic inter alia inquiens: *Romæ auxit annonam pauperum: primus conſtituit in Palatio Pontificio Ordinarium Præſidem piarum largitionum, quæ quotannis ſatis liberali manu diſtribuuntur; & huic muneri præfecit Religioſum quemdam Laicum Ordinis S. Dominici, nomine Joannem, Virum probum, ac fidum, quem in Italiam ſecum duxerat e tranſalpinis oris. Quinimo egenorum notam deſcripſerat, ut eos ipſemet certius juvaret: menſam pauperum in Palatio*, ſcilicet Pontificio, *inſtrui quotidie mandavit, ac pauperibus miræ humilitatis exemplo pedes ante prandium abluebat. Ut vero tantæ charitatis radios experirentur, Xenodochiis Lateranenſi, & S. Antonii in Exquiliis novos proventus conceſſit, variiſque privilegiis illa munivit.* Plura de Gregorii ſingulari in rebus peragendis induſtria, miſericordia in pauperes, ac in Religioſos Viros benevolentia, tradit in Hiſtoria ſua Eccleſiaſtica laudatus Ptolomæus Lucenſis Libro II. Leonardus Aretinus in Hiſtoria Florentina, Lib. III. & S. Antoninus, Parte III. Titulo xx. Cap. II. Sed præ ceteris audiendum eſt inſigne Patrum Græcorum in Concilio Conſtantinopolitano congregatorum elogium, qui Synodalibus Litteris ſuis ad Joannem Papam XXI. datis de Eccleſiarum Græcæ ac Latinæ conjunctione ab ipſo Gregorio in hoc Lugdunenſi II. Generali Concilio redintegrata, ſic inter alia apud Raynaldum ad annum MCCLXXVI. Num. II. inquiunt: *Tempore felicis memoriæ Beatiſſimi illius Viri, ſi tamen Virum, & non Angelum vocari oportet, felicem illum Sanctiſſimum Papam, decimum dicimus Gregorium.*

XLIV. Porro cum Aretium perveniſſet Gregorius, & Terræ Sanctæ recuperationem toto animo cogitaret, ad quam una cum Rudolpho poſt ejus Coronationem in Imperatorem, ac cum Regibus Francorum, Angliæ, Siciliæ, & Aragoniæ, Cruceſignatis quamprimum redire, ibidemque mori deliberaverat, morbo correptus, feliciorem Terram inviſit, æternum in ea victurus; ſiquidem, ut in ejus Vita ex antiquis Scriptoribus Pagius notat, die x. Januarii anno Chriſti MCCLXXVI. in Cælum migravit, cum ſediſſet a die electionis annos IV. menſes IV. & dies x. a conſecratione vero annos III. menſes IX. dies xv. Noviſſime probato Religioſiſſimi hujus Pontificis Cultu immemorabili, ejuſdem Officium una cum Miſſa quotannis die xvi. Februarii certis quibuſdam in locis celebrari mandavit Pontifex Maximus BENEDICTUS XIV. peculiari de ea re Decreto edito.

# COMMENTARII IN CANONES, SEU CONSTITUTIONES CONCILII LUGDUNENSIS II.

## TITULI CANONUM.

I. *De Summa Trinitate, & Fide Catholica.*

II. *De electione Summi Romani Pontificis.*

III. *Ut qui electionem, vel poſtulationem alicujus impugnat, vel contra illam appellat, objecta in appellationis Inſtrumento exprimere teneatur, ſe illa credere vera, & ſe ea poſſe probare.*

IV. *Ut electus ante Confirmationem nec per ſe, nec per alium in totum, vel in partem, ſub quocumque colore adminiſtret.*

V. *Ut electio ſtatim præſentetur electo, ipſeque intra menſem conſentiat, & poſt conſenſum intra tres menſes Confirmationem petat.*

VI. *Ut ii, qui ſcienter indignum eligunt propter ſuffragium in ſcrutinium immiſſum, nequaquam eligendi jure priventur, niſi ex votis eorum communis electio ſubſequatur.*

VII. *Ut eligens, vel electioni conſen-*

tient

*tiens, niſi ex nova cauſa, vel noviter ei pandita, ſe nequeat opponere.*

VIII. *Ut contra electum a duplo majori parte, vel electores ipſius, nil a reliqua parte poſſit opponi, quod votum annullet.*

IX. *Temerariæ Appellantium audaciæ, & effrenatæ appellationum frequentiæ in cauſis electionis modus imponitur.*

X. *Ut ſi inter cætera, quæ objiciuntur promovendo ad Dignitatem, objiciatur evidens defectus ſcientiæ, vel alius perſonæ defectus, & reperiatur falſum quod opponitur, opponens a proſequutione cauſæ repellatur, & puniatur perinde, ac ſi defeciſſet in probatione omnium objectorum.*

XI. *Ut qui gravaverit aliquam perſonam Eccleſiaſticam, vel ejus Conſanguineos, vel Eccleſias, pro eo quod eum, pro quo rogabatur, eligere noluit, ipſo facto ſit excommunicatus.*

XII. *Ut ipſo facto excommunicationi ſubjaceant, qui uſurpant de novo cuſtodiam vacantium Eccleſiarum, & de Regalia.*

XIII. *Cui conferenda ſit Eccleſia Parochialis, & de reſidentia Parochorum.*

XIV. *Parochialis Eccleſia ne commendetur niſi conſtituto in ætate legitima, & Sacerdotio.*

XV. *De temporibus Ordinationum, & qualitate Ordinandorum.*

XVI. *De Bigamis.*

XVII. *De officio Judicis Ordinarii.*

XVIII. *De eodem.*

XIX. *De poſtulando.*

XX. *De his quæ vi, metuſve cauſa fiunt.*

XXI. *De Præbendis, & Dignitatibus.*

XXII. *De rebus Eccleſiæ non alienandis.*

XXIII. *De Religioſis Domibus, ut Epiſcopo ſint ſubjectæ.*

XXIV. *De Cenſibus, & Procurationibus.*

XXV. *De immunitate Eccleſiarum.*

XXVI. *De uſuris.*

XXVII. *De eodem.*

XXVIII. *De injuriis, & damno dato.*

XXIX. *De ſententia excommunicationis.*

XXX. *Ut relaxationis beneficium ad cautelam in Generali Interdicto locum non habeat.*

XXXI. *Ut excommunicationem ipſo facto incurrant qui dant licentiam offendendi in perſonis, vel rebus ſuis, vel ſuorum, exercentes contra aliquos Eccleſiaſticam Cenſuram, vel exerceri facientes, vel illam ſervantes.*

## CANON I.

Fideli, ac devota profeſſione fatemur, quod Spiritus Sanctus æternaliter ex Patre, & Filio, non tanquam ex duobus Principiis, ſed tanquam ex uno Principio, non duabus ſpirationibus, ſed unica ſpiratione procedit. Hoc profeſſa eſt hactenus, prædicavit, & docuit, hoc firmiter tenet, prædicat, profitetur, & docet ſacroſancta Eccleſia Romana Mater omnium Fidelium, & Magiſtra: hoc habet orthodoxorum Patrum, atque Doctorum Latinorum pariter & Græcorum incommutabilis, & vera ſententia. Sed quia nonnulli propter irrefragabilis præmiſſæ ignorantiam veritatis in errores varios ſunt prolapſi: Nos hujuſmodi erroribus viam præcludere cupientes, Sacro approbante Concilio, damnamus, & reprobamus omnes, qui negare præſumſerint, æternaliter Spiritum Sanctum ex Patre & Filio procedere, ſive etiam temerario auſu aſſerere, quod Spiritus Sanctus ex Patre & Filio tanquam ex duobus Principiis, & non tanquam ex uno procedat.

## COMMENTARIUS.

I. Hiſtoricam egregiam Controverſiarum narrationem, quæ de Proceſſione Spiritu Sancti, hoc eſt, ejus Principio, exortæ ſunt in Eccleſia, tradit præ ceteris, & quidem luculentiſſime præſtantiſſimus Theologus Dionyſius Petavius, Libro VII. *Theologicorum*

*rum Dogmatum de Trinitate*, Cap. I. ubi etiam recte admonet, in hac Proceſſione tractanda nihil prius occurrere, quam celebrem illam cum Latinis controverſiam Græcorum, in qua non ipſa Spiritus Sancti Divinitas, & cum Patre æqualitas, ac Filio, in diſcrimen vocatur: ſed tota de modo procedendi, vel Auctore, ac Principio, utrinque ſuſcepta contentio eſt. Inter alia autem, quæ Græci Latinis contra Spiritus Sancti Proceſſionem ex Filio perperam objecerunt, etiam illud fuit, quod duo facerent Principia Spiritus Sancti, uti videre eſt apud Theophylactum in Joannem, Cap. III. ubi propterea negat, Spiritum Sanctum eſſe ex Filio, ne duo Principia Spiritus Sancti introducamus, Patrem, & Filium. Verum huic objectioni facile reſponderunt Latini, dicendo, Patrem, & Filium, eſſe unum Principium Spiritus Sancti, non duo. Quo vero certius de ſana Latinorum mente conſtaret, jam ſimul, & pro majori declaratione Catholicæ de Proceſſione Spiritus Sancti doctrinæ, non modo in hoc Lugdunenſi II. Concilio Generali, ſed & in Florentino Generali quoque Concilio, quibus ipſi Græci interfuerunt, & aſſenſerunt, definitum eſt, *quod Spiritus Sanctus æternaliter ex Patre, & Filio, non tanquam ex duobus Principiis, ſed tanquam ex uno Principio, non duabus ſpirationibus, ſed unica ſpiratione procedit*; damnatique præterea ſunt *omnes, qui negare præſumſerint, æternaliter Spiritum Sanctum ex Patre, & Filio procedere, ſive etiam temerario auſu aſſerere, quod Spiritus Sanctus ex Patre, & Filio tanquam ex duobus Principiis, & non tanquam ex uno procedat*. Quæ definitio extat in Titulo I. Sexti Decretalium, eademque res late declaratur in ultima Seſſione laudati Concilii Florentini, quod ſuo loco enarrabimus.

II. His addi poſſunt Lateranenſis IV. Œcumenica Synodus, Can. I. quem ſupra III. Tolemo explicuimus, & complures aliæ antiquæ celebres habitæ particulares Synodi jam longe ante natam controverſiam, in quibus expreſſe dictum fuit, Spiritum Sanctum a Patre Filioque procedere. Ita plane edixit Toletana I. Synodus celebrata anno Chriſti CD. Can. XXI. ubi Fidei regulas quaſdam contra omnes hæreſes, præſertim vero contra Priſcillianiſtas refert. Idipſum ſtatuere Toletana III. anni DLXXXIX. Can. I. Toletana IV. anni DCXXXIII. Canone I. ac Toletana VIII. anni DCLIII. & Toletana XI. anni DCLXXV. Can. I. Atque, ut alias omittam, Barenſis Synodus labente Seculo XI. ab Urbano Papa II. celebrata, cui etiam Græci adfuerunt. Quamquam vero hujus Synodi Acta perierint, nota nihilominus facta ſunt nobis, quæ in agitatis ibidem inter Græcos, & Latinos antiquis controverſiis, ac potiſſimum de Proceſſione Spiritus Sancti, ad eorumdem Græcorum confutationem ſcripta ſunt a S. Anſelmo Cantuarienſi Archiepiſcopo, cujus iter, ac miracula in ea Synodo edita, honoremque ei, ac laudes, cum ab aliis, tum ab ipſo Urbano Papa delatas Eadmerus, ſeu Edimerus peregrinationis comes in Vita ipſius deſcripſit; ibique agens de Concilio Barenſi, ait, Anſelmum perſuaſum a Papa, Græcos in Proceſſione Spiritus Sancti, rationabili, & Catholica diſputatione confutaſſe, indeque magni apud omnes eſſe habitum, & veneratione digniſſimum comprobatum. Quare Hildebertus Cenomanenſis Epiſcopus in Epiſtola ad Anſelmum poſt Concilium Barenſe ſcripta, ſic inter alia inquit: *A proborum relationibus didici, Vos in Concilio Barenſi Sermonem habuiſſe de Spiritu Sancto, quem calumnioſa Græcorum verſutia a Filio minime procedere fabulatur. Quod igitur adverſus hanc illorum dementiam in præfato promulgaſtis Concilio, ſuccincto Tractatu deprecor adnotari. Et quia iſti Latinorum Patrum teſtimonia non ſuſcipiunt, his auctoritatibus opus flagitatam munire non tædebit, quas Græca calliditas, & ſuas fateatur, & noſtras*. Reſcripſit S. Anſelmus Epiſtolam, ſeu Librum de Proceſſione Spiritus Sancti contra Græcos, ex Divinæ tantum Scripturæ faretra petitas ſagittas in hoſtes, quos confecit, emittens, uti ex eodem Commentario conſtat.

III. Neque vero Catholicæ de Proceſſione Spiritus Sancti a Patre, & a Filio doctrinæ quidpiam obſtat, quod nulla Sacra Scriptura expreſſe dicat, Spiritum Sanctum a Filio procedere, ſed ſicubi Proceſſionis ejus meminit, ut in Evangelio S. Joannis, Cap. XV. Patrem ſolum nominet. Nam primo non omnia Fidei myſteria ſacris Litteris ſunt comprehenſa; ſunt enim quædam Traditiones non ſcriptæ parem vim auctoritatis cum iis, quæ ſcripta ſunt, habentes, ut præclare ſcripſit doctiſſimus Græcorum Patrum Theologus, atque unus e quatuor præcipuis Orientalis Eccleſiæ Doctoribus S. Baſilius Magnus in Libro, *De Spiritu Sancto*, Cap. XXVII. Deinde falſum eſt, hoc, de quo agitur, ſacris Litteris non contineri, quemadmodum patet ex Scripturis, quas in comprobationem ejus Catholici dogmatis adducit S. Thomas, Parte I. Quæſtione XXXVI. ceterique paſſim Theologi in Diſtinctione XI. Libri I. Sententiarum, niſi forte dicant Adverſarii, ideo non haberi in Scripturis, quia in his non habentur expreſſe hæc verba: *Spiritum Sanctum procedere ex Filio*. At hoc modo nec ibi legitur, Deum eſſe trinum in Perſonis; nec legitur, Filium, & Spiritum Sanctum eſſe conſubſtantiales: Quæ tamen Græci nobiſcum certiſſime credunt. Ceterum Catholica doctrina, quæ noſtro hoc Canone conſtabilitur, ſatis expreſſa eſt in citato Evangelio S. Joannis, Capite XVI. ubi Filius loquens de Spiritu Sancto, dixit: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet*; Spiritus enim Sanctus non accipit a Filio, niſi per Proceſſionem, per quam habet Divinitatem totam integram, infinitam, & increatam. Tum quia quod dicitur de Patre in Scriptura, oportet, & de Filio intelligi, etiamſi dictio excluſiva *ſolus* adjungeretur, in omnibus illis, in quibus non obſtat relativa oppoſitio. Sic enim in Evangelio S. Matthæi, Cap. XI. Chriſtus dixit: *Nemo novit Filium, niſi Pater*. Nec tamen per hoc excluditur, quod Filius non cognoſcat ſeipſum. Cum ergo in hoc quod eſt eſſe Principium Spiritus Sancti, non opponantur relative Pater & Filius, etiamſi in Scripturis diceretur, quod ſolus Pater ſpirat Spiritum Sanctum, non per hoc excluderetur Filius, quin & ipſe eundem Spiritum Sanctum ſpiraret. Vide eruditiſſimum Eſtium in citatam Diſtinctionem XI. Libro I. Sententiarum §. IV. ubi egregie oſtendit, hoc ipſum, quod in Scripturis a Patre procedere dicitur Spiritus Sanctus, convincere, eundem procedere a Filio.

IV. Duo autem potiſſimum ſunt, quæ noſtro hoc Canone de Proceſſione Spiritus Sancti a Patre, & Filio declarantur, ut ſcite obſervat de-

Digitized by Google

doctiſſimus Paſſerinus Theologus æque ac Canonici Juris Conſultus in Cap. 1. *De Summa Trinitate, & Fide Catholica*, in VI. Primum eſt, quod ſit æterna: *Damnamus, & reprobamus*, ait Pontifex cum univerſa hac Synodo, *omnes, qui negare præſumſerint, æternaliter Spiritum Sanctum ex Patre, & Filio procedere*. Neque enim dubitare fas eſt, quin ſicut ab æterno Filius ex Patre genitus eſt, ita etiam ab æterno Spiritus Sanctus ex Patre Filioque proceſſerit. Cum enim immutabilis ſit Deus, quicquid in eo eſt, æternum eſt. Unde illa eſt Eccleſiæ in Symbolo profeſſio, quod S. Athanaſio adſcribitur, in Deo nihil eſſe prius, aut poſterius. Sed & S. Auguſtinus de hac re peculiariter agens, & hæreticorum cavillo reſpondens, Lib. XV. *De Trinitate*, Capite XXVI. docet, ſic intelligendam ſine tempore Spiritus Sancti de utroque Proceſſionem, ſicut intelligitur ſine tempore Generatio Filii de Patre. Quocirca Lateranenſis IV. Œcumenica Synodus, Can. 1. inter alia definivit, Spiritum Sanctum *ab utroque pariter, abſque initio, ſemper, & ſine fine procedere*. Id quod etiam hac ratione conatus eſt inter alios oſtendere memoratus Eſtius in ſequentem Diſtinctionem XII. §. 1. ubi ita inquit: *Una eademque ſpirandi virtus eſt in Patre, & Filio, quæ ſeipſa nec major eſſe poteſt, nec minor; ſicut eſt eadem in utroque Divinitas; imo unus idemque eſt in utroque ſpirandi actus, qui ſeipſo nequit eſſe perfectior, aut imperfectior: ſicut in utroque eſt idem actus cognoſcendi, vel operandi. Certum igitur eſt, nec prius, nec plenius, ideſt, perfectius a Patre, quam a Filio procedere Spiritum Sanctum.* Poſſet adverſum hæc unus ex Baſilio Lib. III. contra Eunomium, circa initium locus objici, in quo dignitatis ordinem ponit inter Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum; ſed reſpondet citato loco idem laudatus Auctor, in iis Baſilii verbis dignitatem non aliud eſſe, quam auctoritatem, ideſt, rationem Principii. Dicitur ergo Filius Patre, & Spiritus Sanctus utroque eſſe dignitate poſterior; quia Pater Filii, & uterque Spiritus Sancti Principium eſt; ſive ut Baſilius ipſe exponit, origo & cauſa eſſendi. Nec tamen hac ratione Spiritus Sanctus a Patre prius procedit, quam a Filio, cum procedat una Proceſſione ab utroque, niſi hoc tantum ſenſu, quia quod Filius ſit Principium Spiritus Sancti, id naſcendo a Patre accepit, quemadmodum declarat S. Auguſtinus citato Lib. XV. *De Trinitate*, Cap. XVII.

V. Alterum quod noſtro hoc Canone declaratur, eſt, quod Pater, & Filius ſint unum Principium, a quo procedit Spiritus Sanctus unica Proceſſione, & Spiratione; damnat enim & omnes mox noſtra hæc Synodus, qui præſumſerint *etiam temerario auſu aſſerere, quod Spiritus Sanctus ex Patre, & Filio tanquam ex duobus Principiis, & non tanquam ex uno procedat*. Porro inter alia, quæ Græci Latinis contra Spiritus Sancti Proceſſionem ex Filio ſoliti fuerunt objicere, illud etiam fuit, quod calumniati ſunt Latinos, tanquam duo facerent Principia Spiritus Sancti, ut & videre eſt apud Theophylactum in Joannem Cap. III. ubi propterea negat, Spiritum Sanctum eſſe ex Filio, ne duo Principia Spiritus Sancti introducamus, Patrem ſcilicet, ac Filium. Verum & huic objectioni facile fuit Latinis reſpondere, dicendo, Patrem, & Filium eſſe unum Principium Spiritus Sancti, non duo, uti jam ſupra indicatum eſt. Quo certius autem de Latinorum mente conſtaret ſimul, & pro majori declaratione Catholicæ de Proceſſione Spiritus Sancti doctrinæ, tam in hac Œcumenica II. Synodo Lugdunenſi, quam in Florentina pariter Œcumenica, quibus ipſi quoque Græci interfuerunt, atque aſſenſerunt, definitum eſt, Spiritum Sanctum ex Patre, & Filio, non tanquam ex duobus Principiis, ſed tanquam ex uno Principio; non duabus Spirationibus, ſed unica Spiratione procedere; ſubjuncto anathemate in eos, qui contrarium aſſerere præſumſerint. Quæ definitio extat in Capite unico, *De Summa Trinitate, & Fide Catholica*, in VI. eademque res late delaratur in ultima Seſſione laudati Œcumenici Florentini Concilii.

VI. Poſita jam aſſertione, quod ſcilicet Spiritus Sanctus procedit a Patre, & Filio æternaliter, & ita quod Pater, & Filius ſunt unum Principium, a quo Spiritus Sanctus procedit una ſpiratione, aſſertionem ipſam probat noſtro hoc Canone Gregorius X. Pontifex, & univerſa Lugdunenſis Generalis Synodus, cui ipſe præfuit, quia nimirum *hoc profeſſa eſt hactenus, prædicavit, & docuit, hoc firmiter tenet, & prædicat, profitetur, & docet Sacroſancta Romana Eccleſia Mater omnium Fidelium, & Magiſtra*. Ex quo ſequitur, primo in his quæ ad Fidem pertinent, Romanam Eccleſiam eſſe Regulam Fidei; nam Eccleſiæ Romanæ, ſeu Romani Pontificis eſt, ea determinare, quæ ſunt credenda, ut probat S. Thomas II. II. Quæſtione 1. Articulo X. & eſt Theologorum regula certa, Eccleſiam in proponendo res Fidei, regulam eſſe infallibilem. Ejus enim etiam eſt judicare de vero ſenſu Scripturarum, ut decidit Concilium Tridentinum Seſſione IV. in Decreto, *De editione, & uſu Sacrorum Librorum*. Secundo veriſſimum & illud eſt, quod dicitur, Romanam Eccleſiam eſſe omnium Fidelium Matrem, atque Magiſtram; quia ſcilicet cunctæ fere Eccleſiæ ab illa Fidem accepere, ejuſque eſt per ſuum Pontificem Maximum dubia omnia, quæ Fidem ſpectant, determinare, ut docet laudatus Angelicus Doctor S. Thomas loco citato, & Theologi omnes, imo Sancti Eccleſiæ Patres, ac Synodi, quorum loca longo agmine affert Bellarminus in Controverſiis de Romano Pontifice.

## CANON II.

Ubi periculum majus intenditur, ibi procul dubio eſt plenius conſulendum. Quam gravibus autem ſit onuſta diſpendiis, quot, & quantis ſit plena periculis Eccleſiæ Romanæ prolixa vacatio, exacti temporis conſideratio edocet, & conſiderata prudenter illius diſcrimina manifeſtant. Hinc nos evidens evocat ratio, ut dum reformandis etiam minoribus noſtra ſolerter va-

cat

Digitized by Google

cat intentio, ea quæ periculoſiora ſunt, nequaquam abſque remedio reformationis accommodæ relinquamus. Ideoque omnia, quæ pro vitanda diſcordia in electione Romani Pontificis a noſtris ſunt Prædeceſſoribus, & præcipue a felicis recordationis Alexandro Papa III. ſalubriter inſtituta, omnino immota in ſua firmitate manere cenſentes, (nihil enim illis detrahere intendimus, ſed quod experientia deeſſe probavit, præſenti Conſtitutione ſupplere) hoc Sacro Concilio approbante ſtatuimus, ut ſi eundem Pontificem in Civitate, in qua cum ſua Curia reſidebat, diem claudere contingat extremum, Cardinales, qui fuerint in Civitate ipſa præſentes, abſentes expectare decem diebus tantummodo teneantur. Quibus elapſis, ſive abſentes venerint, ſive non, ex tunc omnes conveniant in Palatio, in quo idem Pontifex habitabat, contenti ſinguli ſingulis tantummodo ſervientibus Clericis, vel Laicis, prout duxerint eligendum. Illis tamen, quibus patens neceſſitas id ſuggerit indulgeri, duos habere permittimus, ejuſdem electionis arbitrio reſervato. In eodem autem Palatio unum Conclave, nullo intermedio pariete, ſeu alio velamine, omnes habitent in communi. Quod, ſervato libero ad ſecretam Cameram aditu, ita claudatur undique, ut nullus illuc intrare valeat, vel exire; nulli ad eoſdem Cardinales aditus pateat, vel facultas ſecrete loquendi cum eis; nec ipſi aliquos ad ſe venientes admittant, niſi eos, qui de voluntate omnium Cardinalium inibi præſentium, pro iis tantum, quæ ad electionis inſtantis negotium pertinent, vocarentur. Nulli etiam fas ſit, ipſis Cardinalibus, vel eorum alicui nuntium mittere, vel ſcripturam. Qui vero contra fecerit, ſcripturam mittendo, vel nuntium, aut cum aliquo ipſorum ſecreto loquendo, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrat. In Conclavi tamen prædicto aliqua feneſtra competens dimittatur, per quam eiſdem Cardinalibus ad victum neceſſaria commode miniſtrentur; ſed per eam nulli patere poſſit ingreſſus. Verum ſi, quod abſit, infra tres dies, poſtquam, ut prædicitur, Conclave prædictum iidem Cardinales intraverint, non fuerit ipſi Eccleſiæ de Paſtore proviſum: per ſpatium quinque dierum immediate ſequentium, ſingulis diebus, tam in prandio, quam in cœna, uno ſolo ferculo ſint contenti. Quibus proviſione non facta decurſis, ex tunc tantummodo panis, vinum, & aqua, miniſtrentur eiſdem, donec eadem proviſio ſubſequatur. Proviſionis quoque hujuſmodi pendente negotio, dicti Cardinales nihil de Camera Papæ recipiant, nec de aliis eidem Eccleſiæ tempore vacationis obvenientibus undecumque; ſed ea omnia, ipſa vacatione durante, ſub ejus, cujus fidei, & diligentiæ Camera eadem eſt commiſſa, cuſtodia maneant, per eum diſpoſitione futuri Pontificis reſervanda. Qui autem aliquid receperint, teneantur ex tunc a perceptione quorumlibet redituum ad ipſos ſpectantium abſtinere, donec de receptis taliter plenariam ſatisfactionem impendant. Eidem quoque Cardinales accelerandæ proviſioni ſic vacent attentius, quod ſe nequaquam de alio negotio intromittant; niſi forſan neceſſitas adeo urgens incideret, quod eos oporteret de Terra ipſius Eccleſiæ defendenda, vel ejus parte aliqua providere; vel niſi aliquod tam grande, tam evidens periculum immineret, quod omnibus, & ſingulis Cardinalibus præſentibus concorditer videretur illi celeriter occurrendum. Sane ſi aliquis de prædictis Cardinalibus Conclave prædictum, ut ſupra exprimitur, non intraverit; aut intrans, abſque manifeſta cauſa infirmitatis exierit, ipſo minime requiſito, nec in ejuſdem Electionis negotio ulterius admittendo, per alios ad eligendum (1) ſubſtituendum Pontificem, li-

(1) Forte legendum, *ad eligendum Summum Pontificem*, uti inter alios notat Harduinus, aliique plures hujus Canonis, ſeu Conſtitutionis relatores.

libere procedatur. Si vero infirmitate ſuperveniente, idem Conclave aliquem ex iis exire contingat, ipſa etiam infirmitate durante, poterit, ejus ſuffragio non requiſito, ad electionem procedi. Sed ſi ad alios poſt ſanitatem ſibi redditam, ſeu antea redire voluerit, vel etiam ſi alii abſentes, quos per decem diem duximus expectandos, ſupervenerint re integra, videlicet antequam eidem Eccleſiæ ſit de Paſtore proviſum: in eodem negotio, in illo ſtatu, in quo ipſum invenerint, admittantur; præmiſſa tam de clauſura, quam de ſervientibus cibo, ac potu, & reliquis, cum aliis ſervaturi. Porro ſi quando Romanum Pontificem extra Civitatem prædictam, in qua erat cum ſua Curia reſidens, contigerit ab hac luce migrare: teneantur Cardinales in Civitate, in cujus territorio, ſeu diſtrictu, idem Pontifex obiit, convenire; niſi ſit forſitan interdicta, vel contra Eccleſiam Romanam in aperta rebellione perſiſtat. Quo caſu in alia viciniori conveniant, quæ ſimiliter, nec Interdicto ſubjaceat, nec ſit, ut prædicitur, aperte rebellis. In hac etiam Civitate, tam quoad expectationem abſentium, quam quoad habitationem communem, clauſuram, & cetera omnia, in Domo Epiſcopali, vel alia qualibet eiſdem Cardinalibus deputanda, eadem obſerventur, quæ ſuperius obeunte dicto Pontifice in ea, in qua cum ſua reſidebat Curia, ſunt expreſſa. Præterea, quia parum eſt Jura condere, niſi ſit, qui eadem tueatur, adjiciendo ſancimus, ut Dominus, aliique Rectores, & Officiales Civitatis illius, in qua Romani Pontificis celebranda fuerit electio, auctoritate noſtra, & ejuſdem approbatione Concilii, poteſtate ſibi tradita, præmiſſa omnia, & ſingula plene, ac inviolabiliter, ſine fraude, ac dolo aliquo, faciant obſervari, nec Cardinales ultra, quam præmittitur, arctare præſumant. Super his autem taliter obſervandis, ſtatim audito Summi Pontificis obitu, coram Clero, & Populo Civitatis ipſius, ad hoc ſpecialiter convocandis, præſtent corporaliter Juramentum. Quod ſi forte in præmiſſis, vel circa ea fraudem commiſerint, aut ipſa diligenter non obſervaverint; cujuſcumque ſint præeminentiæ, conditionis, aut ſtatus, omni ceſſante privilegio, eo ipſo excommunicationis ſint vinculo innodati, & perpetuo ſint infames, nec unquam eis portæ dignitatis pateant, nec ad aliquod publicum officium admittantur. Ipſos inſuper Feudis, & bonis, cæteriſque, quæ ab eadem Romana, vel quibuslibet aliis Eccleſiis obtinent, ipſo facto decrevimus eſſe privaros; ita quod ad Eccleſias ipſas plene, ac libere revertantur, adminiſtratorum earundem Eccleſiarum arbitrio ſine contradictone aliqua diſponenda. Civitas vero prædicta, non ſolum ſit Interdicto ſuppoſita, ſed Pontificali Dignitate privata. Ceterum quia cum arbitrium vel inordinatus captivat affectus, vel ad certum aliquod obligationis cujuſque neceſſitas adigit, ceſſat electio, dum libertas adimitur eligendi: Cardinales eoſdem obſecrantes per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, per aſperſionem ſui pretioſi Sanguinis obteſtamur, ut penſantes attentius quid eis imminet, cum agitur de creatione Vicarii Jeſu Chriſti, Succeſſoris Petri, Rectoris univerſalis Eccleſiæ, Gregis Dominici Directoris, omni privatæ affectionis inordinatione depoſita, & cujuslibet pactionis, conventionis, obligationis neceſſitate, necnon condicti, & intendimenti contemplatione ceſſantibus, non in ſe reciprocent conſiderationis intuitum, vel in ſuos; non quæ ſua ſunt quærant, non commodis privatis intendant, ſed nullo arctante ipſorum in eligendo judicium, niſi Deo, puris, & liberis mentibus, nuda electionis conſcientia, utilitatem publicam libere proſequantur omni conatu, & ſolicitudine, prout poſſibilitas patitur: id acturi tantummodo. ut eorum miniſterio

rio acceleretur utilis, & perneceſſaria totius Mundi proviſio, idoneo celeriter eidem Eccleſiæ Sponſo dato. Qui autem ſecus egerint, Divinæ ſubjaceant ultioni, eorum culpa, niſi gravi propter hoc peracta pœnitentia, nullatenus abolenda. Et nos nihilominus pactiones, conventiones, obligationes, condicta, & intendimenta omnia, ſive juramenti, ſive cujuslibet alterius fuerint vinculo firmitatis annexa, caſſamus, irritamus, & viribus decernimus omnino carere: itaut nullus ad illa obſervanda quomodolibet ſit adſtrictus, nec quiſquam ex eorum tranſgreſſione notam vereatur fidei non ſervatæ, ſed non indignæ laudis titulum potius mereatur; cum Lex etiam humana teſtetur, Deo magis tranſgreſſiones hujuſmodi, quam jurisjurandi obſervationes, acceptas. Quia vero Fidelibus non eſt tám de ſolicita quantumcumque interventione fidendum, quam de inſtantia Orationis humilis, & devotæ ſperandum, huic adjicimus Sanctioni, ut in omnibus Civitatibus, ceteriſque locis inſignibus, ubi primum de memorati Pontificis obitu certitudo claruerit, a Clero, & Populo ſolemnibus pro eo exequiis celebratis, ſingulis diebus, donec de ipſius Eccleſiæ proviſione indubitatus rumor pertulerit veritatem, humiles preces fundantur ad Dominum, apud eum devotis orationibus inſiſtatur, ut ipſe, qui concordiam facit in ſublimibus ſuis, ſic efficiat eorumdem Cardinalium corda in eligendo concordia, quod proviſio celer, concors, & utilis, prout animarum ſalus exigit, & totius requirit Orbis utilitas, ex ipſorum unanimitate ſequatur. Et ne tam ſalubre præſentis Sanctionis Edictum ignorantiæ negligi prætextu contingat: diſtricte præcipimus, ut Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & alii Eccleſiarum Prælati, ceterique, quibus conceſſum eſt proponere Verbum Dei, Clerum, & Populum propter hoc ſpecialiter frequentius congregandos in ſuis Sermonibus ad ſupplicium precum ſuffragia, pro celeri, & felici exitu tanti negotii frequentanda, ſolerter hortentur; & ipſis eadem auctoritate, non ſolum orationum frequentiam, ſed & obſervantiam, prout circumſtantiæ penſandæ ſuaſerint, jejuniorum indicant,

## COMMENTARIUS.

I. HÆc eſt celebris illa Conſtitutio, quam in electione Romani Pontificis ſervandam S. R. E. Cardinalibus præſcripſit Gregorius X. Pontifex Maximus, retulitque Boniſacius VIII. in Sextum Decretalium, Libro I. Tit. v. qui inſcriptus eſt, *De electione, & electi poteſtate*, Cap. III. Hæc inquam illa celebris eſt Conſtitutio, quæ, uti ajunt Acta hujus Concilii, Seſſione v. ſuperius a nobis in Hiſtoria ipſius Concilii deſcripta, atque explicata, Cardinalibus multum diſplicuit, omnemque moverunt lapidem, ut Epiſcopis illius adprobationem diſſuaderent, ſed tamen laudatus Pontifex Gregorius X. ſeorſim vocatis Præſulibus, ab illis obtinuit, ut Conſtitutioni ipſi ſubſcriberent, illamque ſigillis ſuis munirent. Hæc in ſumma inſignis eſt Conſtitutio illa de ritu in electione Papæ ſervando; de clauſura Conclavis eligentium Cardinalium; de interdicta quacumque privata, ſive per Litteras, ſive per internuncios communicatione; de omnimoda pactionum, conventionum, pollicitationum, juramentorum, quæcumque circa futuram electionem intervenerint, diremtione. Sane obſervat Gloſſa in ipſam Conſtitutionem, relatam, ut dictum eſt, a Bonifacio Papa VIII. in Cap. *Ubi periculum*, III. *De electione &c.* in VI. *illam potius ſumere vigorem ex renovatione Cæleſtini V. & hac approbatione, & conſervatione Bonifacii, quam ex primæva Conſtitutione Gregorii, ex eo quia revocata fuerat per Hadrianum V. & per Joannem XXI. & pro revocata habebatur, nec olim inter Gregorianas legebatur*. Addit mox etiam Gloſſa, non æquum fuiſſe, ut Conſtitutio iſta tam utilis approbatione tanti Concilii edita, abſque requiſitione Concilii revocata fuerit, quia ut habet Regula Juris, *omnis res per quaſcumque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur*. Verum recte & illud ſubdit, probatque, potuiſſe ipſam Conſtitutionem licet in Concilio Generali editam, a ſolo Papa revocari: *De plenitudine tamen poteſtatis id facere potuerat, cum ſit Papa ſupra omnia Concilia*.

II. Porro modum præſcripſit in ea Conſtitutione Gregorius X. Pontifex ad celerem Romani Pontificis electionem faciendam. Multa enim mala ex longa Romanæ Eccleſiæ vacatione accidere ſolebant, ut eadem Conſtitutio non obſcure innuit; idque præcipue contigerat poſt mortem Clementis IV. cum Interpontificium uſ-

que

que ad memorati Gregorii electionem trium ſere fuerit annorum. Cardinales ſiquidem numero decem & ſeptem, qui Viterbii, ubi mortuus, & ſepultus eſt Clemens IV. in Curia Romana præſentes erant, in creatione futuri Pontificis diſſentire cœperunt; electioque adeo diſcordiis agitata eſt, ut a die XXIX. Novembris anni Chriſti MCCLXVIII. quo obiit Clemens IV. protracta quidem fuerit ad diem I. menſis Septembris anni MCCLXXI. quo electus eſt Gregorius X. ejus Succeſſor. Sæpius ſiquidem congregati Cardinales negotium conficere nulla ratione valuere, dum unuſquiſque ipſorum ad Pontificatum aſpirans, nemini cedere vellet. Eo enim tempore, ut tradit Panvinius in Adnotatione ad Vitam Gregorii X. a Platina ſcriptam, nequaquam, ut nunc conſuetudo eſt, Cardinales in Conclavi recludebantur, ſed ſummo mane ſingulis diebus, ſi Romæ erant, Laterani, vel in Baſilica S. Petri, vel alibi, prout occaſio ſe ſe offerebat; ſin autem extra Urbem, in Eccleſia Cathedrali illius Civitatis, in qua tunc commorabantur, una conveniebant, proinde ac noſtro tempore faciunt, cum Congregationem ſunt habituri, de Romani Pontificis electione tractantes.

III. Quinam ritus Seculo XI. ſervari ſolitus fuerit in electione ipſa Summi Pontificis, docet jam nos pervetuſtus Ritualis Codex ante annum MCXCII. in Romana Eccleſia uſurpatus, a Cencio Cardinali, & Camerario Eccleſiæ Romanæ, Libro, *De cenſibus*, inſertus, eſtque is Ordo Romanus XII. a Mabillonio una cum aliis editus Tomo II. Muſæi Italici. In ipſo autem Ordine, Capite XLVIII. hic Ritus præſcribitur: *Mortuo Romano Pontifice, & ſepulto, omnes Cardinales ad propria revertuntur ſecundum antiquam conſuetudinem. Secunda vero die conveniunt in Eccleſia, & Miſſa Mortuorum cantata, omnes ſimiliter ſecundum conſuetudinem antiquam recedunt. Tertia autem die iterum omnes in Eccleſia congregati, Miſſa Sancti Spiritus ibidem primitus celebrata, tractant de Electione, & perſcrutata omnium Cardinalium voluntate ab aliquibus de ipſis, in quem major, & melior pars convenerit Cardinalium, Prior Diaconorum ipſum de Pluviali rubeo ammantat, & eidem electo Nomen imponit, ipſumque deinde duo de majoribus Cardinalibus addextrant uſque ad Altare: ubi proſtratus adorat, Primicerio cum ſcholis Cantorum, & Cardinalibus cantantibus,* Te Deum laudamus; *quo finito ab Epiſcopis Cardinalibus ad Sedem ducitur poſt Altare, & in ea, ut dignum eſt, collocatur. In qua dum ſedet electus, recipit omnes Epiſcopos, & Cardinales, & quos ſibi placuerit, ad pedes, poſtmodum ad oſculum pacis.*

IV. Nulla in hoc Ordine Conclavis mentio, ſicut nec in aliis ſequentibus. Gregorius enim Papa X. fuit primus, qui illud ſua Conſtitutione præſcripſit; uſitatum tamen primum Viterbii poſt Clementis IV. Papæ mortem, cui idem Gregorius in Pontificatu ſucceſſit, docent nonnulli ex Diplomate a Cardinalibus in Conclavi incluſis emiſſo, quo petebant Henricum Cardinalem Oſtienſem inde extrahi. Diploma autem ipſum ex Viterbienſi Archivo editum legere eſt apud Macrum in Hierolexico, verbo, *Conclave*, & apud Oldoinum in nova ad Ciaconium Additione, quod etiam quia breve eſt, lubet hoc loco deſcribere: *Nos miſeratione Divina Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, infirmitati venerabilis Fratris noſtri N.* (Henrici) *Oſtienſis, & Velletrenſis Epiſcopi, fraterno compatientes affectu, vobis Alberto de Montebono Poteſtati, & Raynerio Gatto, qui pro Capitaneo Viterbienſi te geris, & communi Viterbien. tenore præſentium ſub debito fidelitatis, quo Nobis, & Eccleſiæ Romanæ tenemini, diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus cum idem Epiſcopus juri, & voto ſibi competentibus in Electione Romani Pontificis renunciaverit coram Nobis quantum ad præſentem vacationem dumtaxat, volens, ut non obſtante ejus abſentia, ſine ipſo hac vice libere procedamus ad providendum Romanæ Eccleſiæ de Paſtore, ratam habiturus, & gratam electionem, ſeu proviſionem, quam de Romano Pontifice abſque ipſo, & ejus requiſitione duxerimus faciendam; ac inſtantia petierit, vobis mandari, ut de Palatio, in quo ſumus incluſi, ipſum permitteretis exire, eundem Epiſcopum de ipſo Palatio ſtatim egredi libere permittatis, nec ipſum de cetero aliquatenus detineatis invitum. Datum Viterbii in Palatio diſcooperto Epiſcopatus Viterbienſis,* VI. *Idus Junii anno Domini MCCLXX. Apoſtolica Sede vacante.* Sigilla decem & ſeptem in cera rubra pendentia cum diverſorum Sanctorum Imaginibus in Diplomate ipſo cernuntur; totidemque in eo Conclavi fuiſſe Cardinales, Panvinius, Ciaconius, & alii docent. Fortaſſe autem, uti autumat Macrus, Sancti illi in ſigillis impreſſi, erant Cardinalatus cujuſque Tituli ſecundum morem illius ſeculi.

V. Ergo Cardinales tandem, qui jam tribus fere annis inter ſe diſſentientes fuerant, ſive timore Dei, ſive pudore ſui, ſive Principum, aliorumque omnis generis hominum, continuis, hortationibus, precibus, querelis, forte & minis, commoniti, ſeu, uti quidam ajunt, diminutione alimentorum coacti, tectique domus detectione, in qua erant incluſi, vexati, per viam Compromiſſi in ſex Cardinales facti, ſuadente maxime S. Bonaventura, Ordinis Minorum tunc Generali Miniſtro, ut ſcribunt Panvinius, Ciaconius, Severinus Binius, aliique in Vita Gregorii X. Kalendis Septembris anni MCCLXXI. in Pontificem Maximum elegerunt Thealdum Vicecomitem Placentinum Archidiaconum Leodienſem, Virum ſanctum, & religioſum, extra Collegium Cardinalium, & abſentem, tuncque in obſequio Chriſti trans mare in Syria apud Ptolemaidem, uti ſupra diximus in Hiſtoria hujus Concilii, commorantem cum Eduardo Primogenito, ubi expectabat tempus opportunum, ut Jeroſolymam cum ceteris Peregrinis proficiſceretur. Compromiſſum, quo ſex Cardinalibus Kalendis Septembris memorati anni MCCLXXI. facta eſt poteſtas eligendi Papæ, ipſamque electionem eodem die ab iis factam primus edidit Annalium Minorum Auctor doctiſſimus Wadingus, ex Vaticano Codice ms. Formularum Marini Ebulenſis Auctoris coævi, Galli hominis, qui ex Theſaurario Sarisberienſi in Anglia, & Eccleſiæ Romanæ Vicecancellarius, factus eſt demum a Clemente IV. Gregorii X. Prædeceſſore Archiepiſcopus Capuanus. Poſt Wadingum ea etiam Acta edidit Raynaldus in Annalibus Eccleſiaſticis, & deinde inter alios Pagius in Vita ipſius Gregorii, in qua ejuſdem Pontificis genus, primordia, ac geſta omnia prolixe, & diligenter enarrat.

*To. IV.* I VI. Pu-

VI. Puto antem, labi Auctores, qu ajunt, Viterbii primum cœptum fuiſſe Conclave, in quo Cardinales incluſi Gregorium Papam X. elegerunt. Longe enim ante, & quidem compluries id in aliis Romanorum Pontificum electionibus factum eſt, teſte Gloſſa in Cap. *Licet de evitanda*, §. *Nullatenus*, *De electione &c.* ubi ait, diſcordantes Cardinales incluſos fuiſſe in electione Honorii III. Gregorii IX. Cæleſtini IV. & Innocentii IV. Certe in Vita Honorii III. ſcribit Ciaconius, Innocentio III. mortuo, quum res Chriſtiana non ſolum propter Aſiaticum bellum, ſed & propter civiles Italicas diſſenſiones, graviſſimis eſſet expoſita periculis, & cum in novo Pontifice eligendo diſſentire cœpiſſent, ne Sedis vacatio in longum progrederetur, illico Cardinales in Comitio ſe recluſiſſe, & Summum Pontificem elegiſſe; tum vero hæc habet: *Hunc captus mos laudabilis fuit incluſionis Cardinalium, ut citius Papam crearent, neque moras necterent, & cibus in dies parcior, & imminutior, fieret ſtimulus celeriter electionem Pontificis maturandi, ut cavetur in Cap.* Ubi periculum, De electione, *in Sexto*. Electus fuit Honorius ipſe Pontifex Maximus Peruſii die XVIII. menſis Junii anni MCCXVI. quum ceſſaſſet, *Papatus per unum diem*, ut ſcribit Martinus Polonus in ſuo Chronico, & Bernardus Guido in Speculo Hiſtorico, Romanorum Pontificum, ubi etiam cauſam tam feſtinæ electionis perſpicue docet fuiſſe arctam Cardinalium incluſionem: *Vacavit Sedes*, inquit, *per unum tantummodo diem*, *Peruſinis cauſa electionis Papæ ſtrictiſſime arctantibus Cardinales*. Idem tradit Blondus Lib. VII. Decade II. ubi ait, coactum fuiſſe in Conclavi Collegium Cardinalium; ſed falſum tamen eſt, cum ſcribit, cibum eis, ut electionem ipſam accelerarent, eis per ſingulos dies fuiſſe imminutum, quum die XVI. Junii mortuo Innocentio, & die ſequenti ſepulto, recluſi Cardinales die XVIII. ejuſdem menſis Pontificem elegerint.

VII. Sed ut alia omittam exempla Romanorum Pontificum, qui ante Gregorium X. a Cardinalibus in Conclavi recluſis electi fuere, ita certe electus fuit anno MCCLIV. Alexander IV. Neapoli, ubi ejus Prædeceſſor Innocentius IV. diem ſuum extremum clauſerat. Teſtatur id quidem Nicolaus de Curbio in Vita ejuſdem Innocentii Cap. ultimo; poſtquam enim dixit, nuntiata Innocentii morte Guillelmo Cardinali Legato Ariani exiſtenti, hunc Neapolim properaſſe ad ipſius ſepulturam, ita mox ſubdit: *Ubi cum aliquandiu oraviſſet*, *Neapolitani Cives eum*, *cum dolore tamen*, *& lacrymis*, *ad Domum*, *ubi Papa deceſſerat*, *ubi etiam alios concluſerunt Cardinales*, *curialiter deduxerunt*. Flavius Blondus, qui claruit anno MCDXL. Lib. II. Decade VII. ait, Cardinales ea conditione Conclave ingreſſos, ut omni poſtpoſita longiore debito mora, rebus Eccleſiæ a Manfredi violentia, inſidiiſque periclitaturis per novi Pontificis creationem providerent; adeoque Bartolinum Tavernarium Equitem Parmenſem, quem Innocentius IV. fororium ſuum Neapoli Prætorem impoſuerat, Virum prudentem, honeſta vi adhibita, illos, cibo per ſingulos dies imminuto, ut in aliquem concordarent, impuliſſe potius, quam hortatum eſſe. Sane falſum & illud videtur, quod de imminutione cibi per ſingulos dies, ait Blondus; nam ut inter alios Scriptores notat Pagius in Vita Alexandri IV. Num. II. die tantum decima Decembris anni MCCLIV. recluſi Cardinales fuerunt, & die duodecima ejuſdem menſis novum elegerunt Summum Pontificem.

VIII. Quicquid de ea re ſit, certum illud eſt, antiquiorem eſſe Viterbienſi Conclavi, Cardinalium recluſionem in electionibus Summorum Pontificum, uti hactenus probatum fuit. Non eo tamen inficias, quin Gregorius Papa X. celebri ſua Conſtitutione inter alia, quæ de electione Papæ ſtatuit, certam formam Conclavis præſcripſerit; ante enim ipſum, licet Cardinales aliquando in memoratis Electionibus recludi ſolerent, nullo id tamen Jure cautum fuerat; imo Gloſſa, quæ ante Gregorii Conſtitutionem ſcripſit, in Cap. *Licet de evitanda*, *De electione &c.* ubi varia exempla prædictæ recluſionis recenſet, expreſſe ait: *Tamen id de Jure faciendum non eſt*. Ergo Gregorius X. celeberrimam de electione Romani Pontificis Conſtitutionem edidit plures continentem Leges, quæ proceſſu temporis paulum variatæ in hanc propemodum formam, ex uſu redactæ ſunt juxta Panvinium in Notis ad Platinam, ubi agit de Vita Gregorii X.

1. Ut novi Pontificis Comitia habeantur loco idoneo, ubi Pontifex præcedens cum ſua Curia reſidens, Cauſarumque, & Litterarum Apoſtolicarum audientiam habens, mortuus fuerit. Quod ſi in Villa, Pago, aut Oppido obierit, & propterea commode ibidem Comitia haberi nequiverint, in Urbe, in cujus Diœceſi Villa, Pagus, vel Oppidum fuerint, habeantur, niſi interdicta ſint. Quo caſu in proximiore Urbe non interdicta ipſa electio fieri debet: ſi vero audientia alio loco fuerit, tunc, non ubi Papa obierit, ſed ubi eadem audientia fuerit, futuri Pontificis creatio habeatur.

2. Ut mortuo Pontifice Comitia non habeantur, niſi ad minus decem dierum ſpatio interjecto, quo tempore, & Cardinales abſentes expectari, & Novendialia demortui Pontificis per Cardinales præſentes celebrari debent.

3. Ut Cardinales omnes quavis ratione a Conclavi abſentes nullum ferendorum ſuffragiorum jus habere poſſint.

4. Ut non ſolum Cardinales abſentes, ſed & omnes cujuſvis ordinis, & conditionis homines in Romanum Pontificem creari poſſint.

5. Ut finitis Novendialibus, Sacriſque die X. rite Sancto Spiritui factis, omnes Cardinales, qui adſunt, ſive abſentes venerint, ſive non, in Palatio, in quo mortuus Pontifex habitabat, loco tuto, undique clauſo, & optime cuſtodito, quod *Conclave* vocant, concludantur, cum duobus tantum, vel, ſi ægritudine laborent, ut nunc conſuetudo eſt, tribus, aut quatuor famulis, qui eis neceſſaria ſubminiſtrent in loco Comitiorum. Nec alicui præterea fas ſit locum ingredi, vel egredi, niſi infirmitatis cauſa, certiſque quibuſdam hominibus, quorum opera in Conclavi exiſtentibus maxime eſt neceſſaria. Is porro locus Conclavis nullum intermedium parietem habeat; ſed omnes Cardinales in cellulis ſuis laneis diſtinctis pannis, ipſum inhabitent in communi.

6. Ut locus, & portæ Conclavis diligentiſſime cuſtodiantur: ſi Romæ electio habeatur, primum a Prætorianis, deinde a Regulis Romanis, & Oratoribus Principum ſacramento prius adſtrictis, demum in loco, oſtio Conclavis proximiore, ab Epiſcopis, & Conſervatoribus Urbis.

Si

Si autem extra Urbem Comitia hæc habeantur, a loci ejuſdem Dominis temporalibus, eodem juramento fidelitatis obligatis. Quorum munus eſt Conclave cuſtodire, & diligenter cavere, ne quid Conclavi inſeratur, ſeu exportetur, quo minus legitima ſuffragia ferri poſſint, atque ſingula ſcrutari, quæ vel cibi, vel alterius rei cauſa inſeruntur ad eos; & providere, ne quid detrimenti patiantur Cardinales, omnibuſque ipſorum nutibus præſto eſſe. Milites vero Prætoriani, ac Reguli Romani Conclave ab omni impreſſione tutum reddere debent.

7. Ut Cardinales Conclavi egredi nulla ratione poſſint, niſi Romano Pontifice creato.

8. Ut Cardinalibus venientibus poſt ingreſſum Conclavis, & ante Papæ creationem, poteſtas ſit Conclave ingredi, ac cum ceteris ſuffragia ferre; nulluſque Cardinalis quavis occaſione, aut prætextu etiam excommunicationis vinculo innodatus, ab electione ipſa arceri poſſit.

9. Ut poſt triduum ingreſſus Conclavis, niſi Pontifex renunciatus fuerit, Epiſcopi cum Regulis Romanis, & his, qui Conclavis cuſtodiæ præſunt, maximam in epulis, & cibis, quæ Cardinalibus inſeruntur, rationem habeant, & illis nonniſi ferculum unum inſerri permittant.

10. Ut in Comitiis habendis ſub anathematis pœna nulli fas ſit, aut largitione uti, aut quidpiam polliceri, aut prenſare, ſive ambiendo, animos Cardinalium ſibi in nova creatione devincire. Quo interim tempore Cardinalibus, nulli alii negotio vacandi, jus, poteſtaſque ſit, quo electio maturetur.

11. Ut nemo Romanus Pontifex renunciari poſſit, niſi duarum partium ex tribus Cardinalium in Conclavi præſentium integra ſuffragia tulerit.

12. Ut mortuo Romano Pontifice omnes Eccleſiaſtici Magiſtratus, & Officia ſtatim ceſſent; atque a muneribus ſuis vacent, præter Pœnitentiarium majorem, minoreſque, & Camerarium Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, quorum munera etiam mortuo Papa perdurant.

IX. Hæc ſunt, quæ docet Panvinius ex dicto Cap. *Ubi periculum*, in quod hic Canon, ſeu Conſtitutio Concilii Lugdunenſis relata fuit, *De electione*, in VI. & ex Clementina, *Ne Romani*, Titulo eodem. Ex quibus patet, mitigatam eſſe memoratam Gregorii X. ſeu Lugdunenſis Concilii Conſtitutionem, in qua inter alia ſtatutum fuerat, ut quilibet Cardinalis uno tantum famulo, vel Clerico, vel Laico, contentus eſſet; & quibus patens neceſſitas id ſuggerebat, duos tantum habere permittebatur. Præterea eadem Conſtitutione fuerat ſtatutum, ut ſi electio non fieret intra tres dies ab ingreſſu Conclavis, per quindecim dies ſequentes, tam in prandio, quam in cœna Cardinales uno ſolo ferculo eſſent contenti. Quibus diebus decurſis, ex tunc, tantummodo panis, vinum, & aqua miniſtrarentur eiſdem Cardinalibus; unde ab Hadriano V. qui electus eſt Papa anno MCCLXXVI. ſuſpenſa ea Conſtitutio fuit, ut teſtatur Jordanus Auctor coævus apud Raynaldum ad ipſum annum, Num. XXVI. *Hic ſtatim poſt ſuam creationem Conſtitutionem Gregorii de reſtrictione Cardinalium in electione Papæ ſuſpendit, intendens eam aliter ordinare, ſed morte præventus non potuit, nec Sacerdos ordinatus eſt*. Nempe ex Cardinali Diacono Tituli S. Hadriani electus eſt Papa, & cum nec Preſbyter, nec Pontifex conſecratus fuiſſet, ſupremum diem obiit, *cum ſediſſet a die ſua creationis uſque ad diem obitus menſem unum, dies novem*, ut ait Bernardus Guido, & ex eo Pagius in Vita ipſius, Num. II.

X. Porro quum Hadrianus V. Gregorii X. Conſtitutionem de Cardinalium in Conclavi recluſione, poſt ſepulturam Pontificis, verbo tenus, & non ſcripto ſuſpendiſſet, idque Cardinalium cœtus promulgandum cenſuiſſet per Archiepiſcopum Corinthienſem, hic non ſolum male habitus eſt, ſed etiam a pluribus Romanæ Curiæ Officialibus vis purpuratis Patribus illata: ab ipſis etiam Viterbienſibus Sacrum Collegium in duriorem, atque arctiorem cuſtodiam compactum fuit, quod Cardinalium aſſertioni nulla fides adhiberetur. Hæc Raynaldus eruit quidem ex Diplomate, quo Joannes XX. dictus XXI. Gregorii Conſtitutionem ad tempus abrogavit, & ex alio, quo Sacrum Tribunal inſtituit, cui injunxit, ut animadverteret in eos, qui prædicta facinora perpetrarant. Primum Diploma quo Joannes ipſe XXI. Conſtitutionem a Gregorio X. latam, atque ab Hadriano V. ſuſpenſam ad tempus revocavit, data eſt Viterbii II. Kal. Octobris anno I. Pontificatus, Chriſti autem anno MCCLXXVI. ejuſque verba hæc ſunt: *Suſpenſionem ipſam ab eodem Prædeceſſore Hadriano factam fuiſſe, ut præmittitur, præſentium tenore teſtamur; ac ipſam nihilominus ratificantes, & ratam haberi volentes; revocatione prædicta* (aliquos enim aſſeruiſſe Hadrianum in lecto ægritudinis decumbentem ſuſpenſionem revocaſſe prædictam, jam dixerat laudatus Joannes Papa) *non obſtante, Conſtitutionem eandem quoad omnem ſuum effectum, de Fratrum ipſorum conſilio decrevimus eſſe ſuſpenſam*. Revocaſſe Joannem Conſtitutionem ipſam Gregorii X. conſilio Joannis Gajetani, ſcribit in Chronico ſuo Ptolomæus Lucenſis, ſic inquiens: *Hic ſtatim Conſtitutionem per Gregorium X. de recluſione Cardinalium, ſuſpenſam per Hadrianum, revocavit conſilio, ut fertur, Joannis Gajetani, cujus nutu multa faciebat, eo quod principalis Auctor fuerat ſuæ promotionis*.

XI. Quum vero Joannes XXI. aliique duo præſertim Prædeceſſores Pontifices, Innocentius V. qui Gregorio X. ſucceſſit, eique deinde Hadrianus V. & huic, ut quidam Scriptores contendunt, Vicedominus, ob Pontificatus brevitatem paucos, vel nullos Cardinales creaſſent, octo qui remanſerant poſt Joannis XXI. obitum elapſis duobus integris menſibus, poſt varias controverſias inter ſe exortas, quod Galli, & Itali ſuæ Nationis Pontificem creare contenderent, ac libertas ob ſolutam Gregorii X. de Conclavi Conſtitutionem, diſcordiam augeret, a Viterbienſibus, apud quos Joannes ipſe anno MCCLXXVII. die XVI. Maji obiit, tantæ moræ impatientibus, Prætorio Civitatis incluſi, deſolato Orbi Patrem dare coacti ſunt, ut ſcribit Raynaldus ex Epiſtola 1. Lib. 1. Nicolai III. Pontifex tamen creatus non eſt, niſi poſtquam vacaſſet Sedes menſes ſex, & dies octo; quum Nicolaus hujus Nominis III. electus fuerit die tantum XXV. Menſis Novembris memorati anni MCCLXXVII. Ptolomæus Lucenſis in ſuo Chronico ſcribit quidem, tunc vacaſſe Eccleſiam *per ſex menſes, videlicet ab hebdomada Pentecoſtes uſque ad Feſtum Catharinæ anno Domini MCCLXXVII.* Sed recte notat Pagius

gius in Vita Ipſius Nicolai III. neglexiſſe Ptolomæum eos dies, qui ultra illos ſex menſes ſuperſuut. Eundem diem Nicolai III. Papæ electioni aſſignant Jordanus, & Bernardna Guidonis apud laudatum Paginm; eamque rem extra dubinm ponit ipſemet Nicolaus Poutifex in Litteris Encyclicis, quas poſt ſuam Coronationem dedit *Romæ apud S. Petrum* XVIII. *Kal. Februarii anno* I. in quibus declarat, ſe eſſe electum *in die B. Catharinæ*; quæ concurrit in die XXV. Novembris. Litteras autem ipſas legere eſt apnd Raynaldum ad prædictum annum MCCLXXVII. Numero LVIII. & ſeq.

XII. Mortuo Nicolao III. in Caſtro Suriani ſeptimo a Viterbio lapide die XXII. Auguſti anni MCCLXXX. pro electione novi Pontificis Conclave quidem Viterbii coactum eſt, cujus tamen libertas violata a Viterbienſibus fuit; quippequi Richardi impulſu, qui Conclavi præerat, in ipſum Conclave irrumpentes, duos Cardinales, Nicolai III. propinquos, Matthæum ſcilicet Tituli S. Mariæ in Porticn, & Jordanum Tituli Sancti Euſtachii Diaconos, per vim abſtractos in vincnla conjecerunt; uti ex variis Auctoribus refert Pagius in Vita Martini IV. quem, prædictis Cardinalibus in cuſtodiam datis, reliqui poſt ſex menſium vacationem in unam ſententiam coeuntes, in Feſto Cathedræ S. Petri, ſeu VIII. Kal. Martii anni MCCLXXXI. in Summum Pontificem elegerunt. Mortuo Martino die XXVIII. menſis Martii anni MCCLXXXV. neglecta penitus fuit in novi Pontificis electione Conſtitutio Gregorii Papæ X. de Conclavi. Exequiis enim Martini per tres tantum dies celebratis, die prima Aprilis memorati anni MCCLXXXV. Cardinales *libere, nulla incluſionis coactione præambula*, convenerunt de Succeſſoris electione tractaturi, & *tandem in eruſtinum ſcrutinii via electa, concorditer*, elegerunt Jacobum Sabellum Cardinalem Diaconum Tituli S. Mariæ in Coſmedin, fuitque Honorins IV. ut ipſemet aſſerit in Litteris Encyclicis de ſua electione datis, quæ extant apud Raynaldum ad prædictum annum MCCLXXXV. Numero XVII. & ſeqq.

XIII. Obiit Honorius die III. Aprilis anni MCCLXXXVII. apud S. Sabinam in Monte Aventino, nbi continuam reſidentiam fecerat. Cum antem Gregorius X. noſtro hoc Canone, ſeu Conſtitutione ſtatuiſſet, ut novi Pontificis Comitia haberentur, nbi Pontifex cum ſua Curia reſidens, Cauſarumque, & Litterarum Apoſtolicarum audientiam habens, mortuus fuiſſet, hinc eſt, quod Sacer Cardinalium Senatus in Palatio Pontificio apnd eandem S. Sabinam coactus eſt. Verum cum plures ex Cardinalibus adverſa valetudine tentati eſſent, ac nonnulli morbi gravitati ſuccubuiſſent, ob aeris intemperiem, Mons enim Aventinus magna ex parte noxiis Auſtri flatibus expoſitus eſt, ad colligendas puriores auras Cardinales ſuperſtites diſceſſerunt, & electionem diſtulerunt ad tempus magis ſalubre, nt inter alios tradit Ptolomæus Lucenſis, ex quo etiam habemus, vacaſſe tunc Sedem decem, & amplius menſibus, a die ſcilicet III. Aprilis, quæ anno MCCLXXXVII. concurrebat cum die Cœnæ Domini, uſque ad diem XXII. menſis Februarii anni ſequentis MCCXXXLVIII. *Vacavit tunc Eccleſia a Cœna Domini, quia tunc mortuus eſt Honorius, uſque ad Cathedram S. Petri, in qua electus eſt Nicolaus*, Pontifex ſcilicet hujus Nominis IV. Porro ſedata hyemis frigoribns Epidemia reverſi Cardinales ad locum prædictum, conſpirantibus omnium votis, Nicolaum ipſum elegere ibidem, teſte laudato Pagio in Nicolai Papæ IV. Vita, Numero II.

XIV. Refert Raynaldus ad annum MCLXXXIX. laudati Nicolai IV. Epiſtolam, qua revocavit Conſtitutionem a Gregorio X. in hoc II. Lugdunenſi Concilio editam de incluſione Cardinalium in Conclavi pro electione Romani Pontificis, quoad omnium illius capitum obſervationem, ac Litteras a Joanne XXI. de ea re Viterbii pridie Kal. Octobris primo ſuo Pontificatus anno exaratas confirmavit, non ſine tamen ſummo publicæ, & Chiſtianæ rei detrimento ob diuturnum ab ejus morte Interpontificium, ut idem Raynaldus notat. Verum, uti obſervat Pagius in Nicolai IV. Vita, Num. XXI. non tenuis eſt ſuſpicio falſitatis ejns rovocationis factæ per ipſum Nicolaum Pontificem, ex lectione trium Diplomatum Cæleſtini Papæ V. ejus immediati Succeſſoris, extantque apud eundem Raynaldum in Addendis ad Tomum Tertium; in quorum duobus prioribus Cæleſtinus ipſe V. aſſerit quidem, Gregorii X. Conſtitutionem, ab Hadriano V. & Joanne XXI. fuiſſe ſuſpenſam; in tertio vero eam etiam per eundem Joannem XXI. fuiſſe revocatam, nulla in his omnibus Nicolai IV. revocationis méntione facta, quam certe non ſiluiſſet, ſi re vera pius hic Pontifex eam Conſtitutionem quoad omnium illius capitum obſervationem revocaſſet, ut ſupponit Raynaldus ex laudata ejus Epiſtola, quam referre ad literam debuiſſet, cum tot alias ad Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ illuſtrationem parum neceſſarias, & quæ paſſim apud alios Scriptores leguntur, retulerit, licet iſtius nec locum, nec tempus, nec motiva ulla repræſentet.

XV. Certum plane illud eſt, poſt Nicolai IV. obitum, qui contigit die IV. Aprilis anno Chriſti MCCXCII. Cardinalium recluſionem in Conclavi a Gregorio X. præſcriptam, ſervatam minime fuiſſe. Poſt diuturnam enim, & perniciosam Cardinalium diſſenſionem, qua annis duobus, menſibus tribus, & die uno, Romana Sedes vacavit, electus tandem fuit nutu potius Divino, quam eorum voluntate, die V. Julii anno Chriſti MCCXCIV. S. Cæleſtinus V. abſens, & extra Collegium Cardinalium, Eremita quippe erat, ſeu Monachus de Murrhone cognominatus a Monte Murrhonis, quem ex ſolitudinis, & pacatioris vitæ deſiderio, inhabitabat, duobus paſſuum millibus a Sulmone Civitate diſtante. Is Pontifex vel initio ſui Pontificatus arctam illam de Conclavi cogendo Sede Apoſtolica vacante Gregorii X. Conſtitutionem renovavit, Diplomate dato X. Kal. Octobris Aquilæ, ubi conſecratus fuerat die XXIX. Auguſti; quod extat apud Raynaldum in Addendis ad Tomum III. Cum autem advertiſſet idem Pontifex, vim hujus Edicti eludi poſſe a Cardinalibus, qui Sede vacante ob Nicolai IV. obitum Peruſiii exiſtentea Carolum Siciliæ Regem ſacramento adſtrinxerant, ipſum Cardinales non detenturum, ſi Pontifex in Regno Neapolitano obiret, vim illius ſacramenti convulſit, & a Carolo Cardinales eo caſu in Conclave adigendos ſauxit Diplomate dato *apud S. Germanum* XVI. *Kal. Novembris*, apud eundem Raynaldum ibidem. Denique Diplomate dato *Neapoli* IV. *Idus Decembris*, Gregorii X. de Conclavi Conſtitutionem iterum confirmavit,

ea

ea adjecta lege, ſive Pontificis obitu, ſive voluntaria abdicatione, ſive quavis alia ratione Sedes vacaret. De hujus Legis inoovatione a S. Cæleſtino V. facta ita canit immediate poſt Jacobus Cardinalis Gaetanus in ſuo Poemate.

*Sed primitus arctam*
*Gregorii Legem ſtatuit, qua clauſtra ſubire*
*Cardineos apices juſſit, Paſtore vacante*
*Eccleſia. Quando Lex illa timenda receſſit*
*Concilii, ſuſpenſa prius, renovata per iſtum.*
*Quam licet aſſiduo laudent vulgaria plauſu,*
*Certa tamen rerum docet experientia, grandes,*
*Vrgenteſque metus, infandaque crimina, nondũ*
*Antiquis congeſta malis, incumbere Sponſæ.*
*Heu dolor, heu lacrimæ! patimur ſine murmare*
*ſævum,* (nus.
*Quid loquimur vulnus, vulnus miſerabile vul-*

Verum hæc ſcripſit Jacobus Cardinalis animo exulcerato propter illius Conſtitutionis renovationem. Nam alias, oon incluſis, ut mos poſtea tulit, in Conclavi Cardioalibus, diuturna Interpontificia magno Eccleſiaſticæ rei detrimeoto conſequuta, experientia compertum eſt, uti ſcite notat idem Pagius in Vita S. Cæleſtini Papæ V. Numero XI.

XVI. Quod olim ſtatuit Gregorius X. noſtro hoc Canooe, ſeu Conſtitutione Concilii II. Lugdunenſis de incluſione Cardinalium in Conclavi poſt dies X. a morte Pontificis, & quod edixit S. Cæleſtinus V. ut, ſive Pontificis obitu, ſive quavis alia ratione Sedes vacaret, locum ipſa Conſtitutio haberet, obſervari profecto cœptum eſt in electione Boniſacii Papæ VIII. Poſt abdicatum ſiquidem a laudato Cæleſtino die XIII. Decembris anni MCCXCIV. Pontificatum, Cardinales Neapoli, ubi ea abdicatio facta eſt, *die Jovis x. Kal. Januarii*, ſeu die XXIII. ejuſdem Decembris ſe in Conclavi *apud Caſtrum novum Civitati Neapolitanæ contiguum, ubi tunc idem Frater Petrus*, ſeu Cæleſtinus V. *cum ſua reſidebat familia, incluſerunt*, ut de electione novi Romani Pontificis tractarent, inqoit Boniſacius ipſe VIII. in Litteris Eocyclicis, quas ſcripſit de ſua Promotione, extaotque apud Raynaldum ad anoum MCCXCV. Num. VIII. Tum itaque, ideſt, in electione Boniſacii VIII. uti notat Pagius in ejuſdem Bonifacii Vita, Num. I. non vero, ut inquit Papebrochius in ſuo Conatu, in electiooe Benedicti Papæ XI. ejus Succeſſoris, obſervari cœpta eſt Lex Gregorii X. de noveodio interponendo inter Pontificis prioris mortem, & conventionem ad Conclave pro Succeſſoris electione. Id diſerte verbis confirmat Jacobus Cardinalis Stephaneſcus, Cæleſtino V. & Bonifacio VIII. coævus, & familiaris in Papatu, Lib. I. De electiooe, & coronatione Bonifacii VIII. Cap. I.

*Jam veneranda Deum, Cleri ſtipata catervis*
*Turba novum lectura Patrem, convenerat Aula*
*Regis, & excuſſo bis quino lumine Phoebi*
*Lege dato, Proceres obductis marmore valvis*
*Carcere clauduntur.*

XVII. Laudatam toties Gregorii X. de Conclavi Cooſtitutionem novo haud dubie muniit robore memoratus Bonifacius Papa VIII. ubi eam in Sextum Decretalium retulit Lib. I. Titulo V. Cap. III. Atque hinc eſt, quod eo e vivis erepto die XI. menſis Octobris anni MCCCIII. Cardinales Novemdialibus primum expletis, Sacriſque die X. nempe XXI. ejuſdem menſis, rite Spiritui Sancto factis, juxta Conſtitutionem ipſam Gregorii X. Romæ in Palatio Vaticano, in quo Boniſacius obierat, Cooclave ingreſſi ſunt, in eoque poſtridie, ſcilicet die XXII. ejuſdem menſis Nicolaum Bocaſinum Ordiois Prædicatorum, Cardinalem Epiſcopum Oſtienſem, Tarviſii in Lombardia natum, in Summum Romanum Pontificem elegerunt *unico facto, ac publicato ſerutinio*, ut ipſemet Pontifex Beoedictus XI. appellatus aſſerit io Litteris Encyclicis de ſua promotiooe datis Kalendis Novembris poſt ſua coronationem, quæ, ut legitur in ms. Codice apud Papebrochium, facta eſt Dominica proxime ſequenti, nempe die XXVII. Octobris. Servatam quoque fuiſſe eandem de Conclavi Conſtitutionem io electione Clementis V. in ejuſdem Vita Pagius docet, & ante eum varii Scriptores. Beoedicto enim XI. die VI. Julii anni MCCCIV. Peruſii mortuo, ibidem Novemdialibus ab ejus obitu celebratis, dieque X. Miſſa de Spiritu Sancto dicta, Cardinales in Cooclave ſe recluſerunt ad Succeſſorem ei ſufficiendum, ſuffectuſque eſt Nonis Junii anoi MCCCV. abſens extra Collegium Cardinalium Bertrandus de Gotho, Archiepiſcopos Burdigalenſis, qui fuit Clemens Papa V.

XVIII. Is Pontifex jam oon modo Comitiorum Pontificalium Conſtitutionem a Gregorio Papa X. editam confirmavie, & quidem in Generali Concilio Viennenſi, ſed & nonnulla addidit, ſeu ſupplevit, quæ legi poſſunt in ejuſdem Clemeotinis Lib. I. Tit. III. qui eſt, *De electione, & electi poteſtate*, Cap. II. ubi inter alia ſtatuit, Cardinales per exceptionem Excommunicationis, Suſpenſionis, vel Interdicti ab electione non repelli: *Cæterum, ut circa electionem prædictam eo magis vitentur diſſenſiones, & ſchiſmata, quoniam eligentibus aderit diſſidendi facultas: decernimus, ut nullus Cardinalium cujuslibet Excommunicationis, Suſpenſionis, aut Interdicti prætextu a dicta valeat electione repelli: Juribus aliis circa electionem eandem hactenus editis plene in ſuo robore duraturis*. Obiit Clemens anno MCCCXIV. ut ſcribit Ptolomæus Luceoſis XII. *Kal. Maji in quodam Caſtro Regie Franciæ, quod dicitur Rochamaura*. Cum vero Conſtitutione Gregorii X. ab ipſo Clemente confirmata, cautum eſſet, ut Cardinales ad eligeodum Romanum Pontificem Comitia haberent ubi Papa cum ſua Curia reſidens, Cauſarumque, & Litterarum Apoſtolicarum audieotiam habens, mortuus fuerit; defuncto tamen Clemente apud Roccam mauram, Carpentoracte convenerunt, quia tunc Curia ea in Civitate reſidebat.

XIX. Teſtatur id quidem Brnardus Guidonis in Chronico Romanorum Pontificum; ſed tamen Conclave ibidem coactum, diſſolutum foit quod nempe Cardioales Vaſcones non valentes eligere Papam Vaſconem, & multa præterea in ea incluſione incommoda patieotes, eo quod cibaria eis ſubtraherentur, & Domus eorum diſſiparentur, poſt trium circiter menſium incluſionem, hæc non ferentes die XXIV. Julii, ut ſcribunt Cardinales Italici io Epiſtola Encyclica de incendio Urbis Carpentoractis, Valentiæ die VIII. Septembris data apud Baluzium Tomo II. Pag. 286. ignem in Palatio Carpeotoractenſi, ubi conſtitutum fuerat Conclave, poſuerunt, quo incenſa eſt magna pars Civitatis, ſicque ad diverſa loca diſperſi ſunt; tandemque anno Chriſti MCCCXVI. poſt multas diſſeoſiones, Conclavi in Lugdunenſi Civitate coacto, ibidem die VII.

Au-

Auguſti, concordites, & unanimiter Jacobum de Oſſa, ſeu potius de Euſa, in Romanum Pontificem elegesunt, qui dictus eſt Joannes XXII. uti videre eſt apud ejuſdem Pontificis Vitæ Scriptores. Porro poſt Joannis obitum, qui contigit die IV. Decembris anno Chriſti MCCCXXXIV. celebsatis de more Novemdialibus, Cardinales Numero XXIV. Idibus Decembris a Comite Novallio, Roberti Siciliæ Regis Seneſcallo, hoc eſt, Præfecto Provinciæ, in Palatio Avenionenſi, in quo Joannes deceſſerat, incluſi, Jacobum Furnerium Cardinalem Tituli S. Priſcæ die XX. Decembris anni ejuſdem MCCCXXXIV. Romanum Pontificem renunciarunt, ſuitque is Benedictus XII. Atque hæc conſtant ex tertia hujus Pontificis Vita apud Baluzium, & apud Villanium Lib. XI. Capite XXI. errantque Bzovius, Ciaconius, & Spondanus, qui eum electum ſcribunt in Cœnobio Dominicanorum, ex eo decepti, quod in ipſo Cœnobio coronatus ſuerit, uti notat Pagius in laudati Pontificis Vita.

XX. Diem ſuum clauſit extremum Benedictus Avenione die XXV. Aprilis anni MCCCXLII. celebratiſque de more Novemdialibus, ibidem ubi mortuus eſt, Conclavi coacto, die V. Maji Cardinales in eo recluſi, die VII. ejuſdem menſis ante Vigiliam Aſcenſionis concordia mirabili Petrum Rogerium Presbyterum S. R. E. Cardinalem SS. Nerei & Achillei Titulo Faſciolæ in Summum Pontificem elegerunt, qui nomen ſibi Clementis VI. aſſumſit. Hic Pontifex Gregorii X. de Conclavi Conſtitutionem aliquantum laxavit; ordinavit enim, quod Cardinales Papam electuri, poſſint in Conclavi exiſtentes habere cortinas, cum quibus claudantur eorum logiæ, quando dormiunt, ſeu quieſcunt; præterea quod habere duos famulos poſſint, Clericos, vel Laicos, prout eis magis placebit; & quod elapſis tribus diebus poſt ſuum introitum, poſſint habere ultra panem, & vinum, fructus, caſeum, & electuaria, & unum ferculum carnium, vel piſcium dumtaxat in prandio, & aliud in cœna. Super quibus edidit Conſtitutionem, quam refert Auguſtinus Patricius Lib. I. Cæremonialis Romani, Sectione I. Cap. I. quæque inter Acta Concilii Conſtantienſis reperitur, ac data dicitur Avenione, VIII. Idus Decembris, anno X. ſui Pontificatus, ideoque anno Chriſti MCCCLI. Incipit hæc Conſtitutio, *Licet*, eamque legere eſt etiam in Romano Bullario, & apud alios Scriptores.

XXI. Ergo nova Clementis VI. Conſtitutione correctus aliquantum fuit noſter hic Canon, ſeu Conſtitutio Gregorii Papæ X. qua inter alia ſtatuerat, ut Cardinales in Conclavi incluſi pro electione Romani Pontificis uno tantum famulo, vel Clerico, vel Laico contenti eſſent; & quibus patens neceſſitas id ſuggerebat, duos tantum habere permittebatur; præterea, ut ſi electio non fieret intra tres dies ab ingreſſu Conclavis, per quindecim dies ſequentes tam in prandio, quam in cœna uno tantum ferculo eſſent contenti; iiſque diebus decurſis, ex tunc, tantummodo panis, vinum, & aqua miniſtraretur eiſdem Cardinalibus, donec electio ſubſequeretur; edixerat tandem, ut omnes Cardinales in eodem Conclavi nullo intermedio pariete, aut velamine in communi habitarent. Atque hæc ſunt, quæ, uti dictum eſt, ſua Conſtitutione Clemens VI. mutavit. De his omnibus latiſſime diſſerit Eruditiſſimus Panvinius in Libris, quos de varia creatione Romani Pontificis ſcripſit, ut ipſemet aſſerit in Additione ad Vitam Clementis V. a Platina ſcriptam, ubi & rationem ſubjicit ob quam Romani Summi Pontifices deinde creari conſuevere, quamque ex eodem Auctore Ciaconius, & Pagius in ejuſdem Clementis V. Vita retulerunt.

XXII. Sed audiendum præ ceteris puto Auguſtinum Patritium, qui Libro I. *Sacrarum Cæremoniarum Romanæ Eccleſiæ*, Sectione I. *De loco Conclavis primum deligendo*, hæc habet: *Quamvis Romani Pontificis electio ubicumque Pontifex deceſſerit, ex Gregorii X. Clementis V. Decretis, & inſtitutis celebrari debeat, tamen quia frequenter Romæ, ubi plerumque agit, & Auditores cauſarum Pontifice abſente relinqui conſuevere, & in Palatio Apoſtolico apud Sanctum Petrum haberi ſolet, utpote in peculiari, & propria Sede, locum Conclavis (ita enim hodie appellant) ubi Patres pro electione includuntur in ipſo Apoſtolico Palatio deſignabimus. Is locus continet aulas ſuperiores duas, ſive tres, & Sacella duo, & ita undique firmis repagulis, muroque clauditur, ut oſtia nulla, feneſtræ nullæ, niſi altiſſimæ, exitus nullus, introitus tantum unus ſuperſit.* Atque hæc ſunt, quæ de loco Conclavis primum deligendo pro electione novi Romani Pontificis ſcribit Patritius Sacrarum Pontificiæ Capellæ Cæremoniarum Præfectus, qui mox etiam citato loco Romanum Conclave juxta uſum ſui ævi, ideſt Seculi XV. quo ipſe claruit, deſcribit his plane verbis.

XXIII. Dum igitur Pontifici defuncto Juſta peraguntur, Camerarius Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & qui Cameræ præſunt, curam inſtruendi, ornandique Conclavis diligentes gerant: ad quem aſcenſum, aditumque unum tantum dimittant, quam ad S. Petrum per januam in principio primæ aulæ meridiem verſus deſcenditur. In ipſa prima aula, quæ Regia appellatur, eo quod ibi publica Conſiſtoria pro Regibus, Regiiſque Legatis ſuſcipiendis celebrari ſolent, feneſtræ, portæque omnes muro, calceque firmentur, præter illas, quibus ad Sacella, & ad ſecundam aulam itur. Porta prima in principio aulæ ferreis vectibus, & ſeris quatuor muniatur. In medio porticulum habeat, quo eſculenta, & poculenta clauſis Patribus miniſtrentur. In angulo ad ſiniſtram intranti camerula aperiatur pro latrinis, quæ nullum exitum, nullamque habeant feneſtram: in ea ſedulo ardeant lampades, ibique Cæremoniarum Miniſtri dormiant. In Sacello, ſive Capella minori ad dextram, quæ Divo Nicolao dicata eſt, conveniant Patres ad Divina peragenda, & ad electionem celebrandam. In majori Capella ad ſiniſtram parentur cellulæ pro Patribus tot, quot ſunt numero Cardinales electioni interfuturi. In Capite hujus Capellæ ad ſiniſtram intranti Cameræ ſunt, in quibus Sacriſta Palatii Apoſtolici habitat. Harum prima pars, quæ latrinas habet, pro Conclavi ſervetur, cetera omnia muro claudantur ita, ut tenebroſa fiat pars illa; & ideo, ut de prima camerula diximus, lampadibus accenſis continue illuſtretur. Cellulæ in ipſa Capella majori hinc inde conſtituantur, non muro, aut materia diſtinctæ, ſed cortinis lineis, aut laneis, tenuioribus ſeparatæ. Eriguntur namque ipſæ cellulæ tignis quaternis a ſuperiori parte, a quibus cortinæ dependent, firmanturque ipſa tigna aliis lignis tranſverſis itaut locus non maculetur, & in-

inter cellulam, & cellulam ſpatium dimittitur palmi, vel circa. Famuli Cardinalium, ut primum diſtributio cellnlarum facta eſt, illas ornare properent, quæ per literas alphabeti ſignant. Inde non ordine, ſed ſorte Patribus diſtribuantur pridie, quam ingrediantur Conclave: ut cortinis, lectis, & opportuna ſupellectile in tempore poſſint ornari. Locus ipſe Conclavis ita undique claudendus, ac muniendus eſt, ut aditum nullum, niſi unum tantum, ut diximus, habeat, nemoque incluſos alioqui videre, ſeu quippiam ad eos clam mittere queat. Sed advertendum eſt maxime, ne ſupra, aut infra, ſive a lateribus habitationum Conclavis ire, ſtare, habitareve quiſpiam poſſit, ne voce, ſigno, ſono, aut aliquo alio ingenio perſcrutari, quæ intus fiunt, valeat. Interea Patres crebro conveniunt, vel in Sacriſtia Eccleſiæ, ubi Exequiæ defuncti Pontificis celebrantur, finita Miſſa; vel in Domo Domini Camerarii, ſi ea eſt idonea, & ſi ia eſt ex numero Cardinalium; nam & extra Collegium poteſt eſſe Camerarius. Adminiſtratio enim temporalium, & Urbis, ac Romanæ Curiæ gubernatio, vacante Sede, ad Sacrum Collegium, & præcipue ad ipſum Camerarium ſpectat, & ideo apud nullum alium Cardinalem, ſed apud eum tantum, aut apud aliquam Ædem Sacram, ſi magis id libet, convenire ſolent. Inter alia ibi conſtituunt quadruplices Cuſtodes futuri Conclavis. Primæ portæ Palatii cuſtodia alicui magno Prælato, vel Nobili potenti, nt primum obiit Pontifex, committitur, qui armata cohorte, die noctuque Palatium, Patreſque tueatur, cui dncenti, ſive trecenti pedites aſſignantur. Secunda cuſtodia eſt in prima porta, qua ad locum Conclavis deſcenditur: & hæc demandatur Conſervatoribus, & Capitibus Regionum Urbis; qui adjunctis ſibi aliquibus Nobilibus Civibus portam ipſam cuſtodiant. Tertia cuſtodia in ſecunda porta aliquanto ſuperius demandari ſolet Oratoribus laicis, ſive non Prælatis, Regum, aut Principum, aut etiam aliquibus magnis, & potentibus Proceribus numero ad id idoneo. Quarta autem cuſtodia, quæ eſt in ipſo aditu unico Conclavis committi conſuevit Prælatis dignioribus Romanæ Curiæ ſex, aut octo, ſive ſint Oratores, ſive non; & ſi commode fieri poteſt, & alioquin idonei cenſeantur, curandum, ut ex diverſis Nationibus eligantur, ut omnium ſtudiis tractetur quod ad omnes pertinet. Sed hæc omnia, quoad cuſtodiarum diſtinctionem, & Cuſtodum numerum, & qualitatem, in arbitrio ſunt Sacri Senatus, qui pro temporis, & loci commoditate, & conditione opportune providere conſuevit. Cuſtodes primæ portæ Palatii cum armatis, ut primum obiit Pontifex, locum ſervant; alii vero, cum Patres intrant Conclave. Et hæc quidem porta quatuor, ut diximus, ſeris munitur; extra una, ſupra porticulum duabus, infra porticulum ipſum etiam una; & ſimiliter interiore parte idem porticulum una. Cuſtodes ipſius loci claves duas portæ, & clavem porticuli retinent: Clerici Cæremoniarum, aliam portæ clavem, & clavem porticuli interioris; itaut neque porta, neque porticulum aperiri poſſit ſine conſenſu illorum, qui ſunt intus, & qui ſunt extra. Aulæ, ſive duæ ſint, ſive tres, reſervantur pro deambulatione Patrum; & in una ex eis, remotiori ſcilicet aliquando ſimul convenire ad es ſtatuenda, quæ ſunt præter electionem Pontificis. Quamquam ſecundum Sacrorum Canonum Conſtitutionem fas non ſit Patribus aliud tractare in Conclavi, niſi de providendo manifeſto, & urgenti periculo Terris Eccleſiæ, & de ſubſtituendo pro tempore Pœnitentiario Summo, & Camerario S. R. E. ſi interea vacarent, non eſt inconveniens, & a majoribus noſtris frequentatum eſt tractari aliqua, quæ etſi ipſum actum electionis præciſe non reſpiciant, tamen laudabile regimen futuri Pontificis concernunt, & ipſius Pontificis religioſam adminiſtrationem honeſtiori quodam vinculo temperant. Ceterum ſi aliquando contingeret, ut alibi celebranda eſſet Pontificis electio, hinc eſſet ſumendum exemplum, & curandum in primis, ut locus ipſe idoneus, & tutus, & fideli militum manu munitus ſit; deinde, ut aditus ad Conclave triplici cuſtodia firmari poſſit; tum aulam quandam ita capacem habeat, ut in ea cellulæ omnes pro Cardinalibus commode conſtituantur: inde ut Sacellum contineat pro re Divina, & electione celebranda idoneum: demum aulas aliquas pro deambulatione, & latrinas ad partem; & ita claudendum eſt ipſum Conclave, ut nemo incluſos videre, nemo eos alloqui, aut ad eos quippiam latenter tranſmittere, jacereve, ullo modo queat. In eum locum ſupellex opportuna convehenda eſt pro Cardinalibus, & eorum famulis, eſculenta, & poculenta nulla præter aquam, & confectiones, & quæ ad medicinam pertinent. Quæ vero ad cibum, & potum attinent, portantur veſpere, & mane, ſingulis diebus.

XXIV. Hæc ſunt quæ de Conclavi conſtruendo in electione Romani Pontificis tradit Auguſtinus Patritius. Licet autem, ut laudatus Auctor docet, obeunte Romæ Pontifice, coſtruendum illud ſit in Apoſtolico S. Petri Palatio, conſtat nihilominus, tum Eugenium Papam IV. anno Chriſti MCDXXXI. tum ejus Succeſſorem Nicolaum V. anno MCDXLVII. electos fuiſſe in Conclavi, quod paratum fuerat Romæ in Cœnobio S. Mariæ ſuper Minervam Fratrum Ordinis Prædicatorum, uti videre eſt eſt apud Ciaconium, & apud alios paſſim Scriptores, qui Vitas laudatorum Pontificum narrant; extantque hodie electiones ipſæ pictura expreſſæ ſupra interiorem Sacrarii portam ejuſdem Cœnobii cum hac inſcriptione:

MEMORIÆ CREATIONIS HIC HABITÆ
SUMMORUM PONTIFICUM
EUGENII IV. ET NICOLAI V.

Porro quod electionem Eugenii IV. Papæ ſpectat, rem ita narrat Ciaconius: *Miſſa Spiritus Sancti ab Epiſcopo Albano cantata, Cardinales* XIV. *qui tunc in Urbe erant, Conclave ingreſſi ſunt paratum in Sacrario S. Mariæ ſuper Minervam Ordinis Prædicatorum; ſuit ſepta platea ſuper Minervam uſque ad plateam Rotundæ.* Præter Ciaconium etiam Spondanus, aliique ajunt electum fuiſſe Eugenium a XIV. Cardinalibus, ſed ut notat Oldoinus ad ipſum Ciaconium, rectius tradit Panvinius, renunciatum fuiſſe Eugenium Romanum Pontificem a tredecim Cardinalibus. Ciaconius enim inter Cardinales Electores, Fr. Angelum de Anna Epiſcopum Cardinalem Prænestinum recenſebat, qui tamen duobus ferre annis ante e vivis exceſſerat, ut idem Oldoinus in Vita ejuſdem Cardinalis refert.

XXV. Quicquid vero de hac re ſit, anno ipſo MCDXLVII. quo obiit Eugenius, *decima poſt ejus obi-*

*obitum die, quæ fuit Sabbati, quarta Martii, Cardinales duodeviginti*, uti docet Clariſſimus Georgius in Vita Nicolai V. *a Vaticana Baſilica in Ædes Fratrum Ordinis Prædicatorum ad Sanctæ Mariæ ſupra Minervam ſacra Comitia celebraturi proceſſerunt*; ibique paulo poſt elegerunt in Summum Pontificem Thomam de Sarzana Oppido Lucenſis Agri, exiguis parentibus natum ab Eugenio Cardinalem creatum Tituli S. Suſannæ, virum doctrina, & omni ferme ſcientiarum, ac Chriſtianorum virtutum genere inſignem, qui Nomen Nicolai V. ſuſcepit ob memoriam Nicolai Albergati Cardinalis S. Crucis, in cujus domeſtico obſequio fuerat, & a quo prædictionem Summi Pontificatus acceperat, ut docet Spondanus ad annum MCDXLVII. Num. II.

XXVI. Ceterum quum ex variis Apoſtolicis Romanorum Pontificum Decretis, uti ſupra in hoc Commentario oſtendimus, ubi Pontifex Romanus moritur, ibi Comitia fieri debeant, ſiquis forte ſciſcitetur, cur Cardinales in electione Eugenii IV. & in Nicolai V. creatione, Minervitanum Cœnobium Ordinis Prædicatorum elegerint? id plane ex Ænea Sylvio, qui fuit poſtea Pius Papa II. in Oratione ad Fridericum III. diſcimus: *Quia nimirum*, ut ex memorato Auctore laudatus Georgius docet, *tunc Vaticanæ Pontificum Ædes minus tutæ ob Procerum Romanorum plebiſque motus videbantur; itaque ab eorum inſidiis Cardinales cavendum rati, nequa vis fieret, & nequa ideo ſuſpicio ob ſchiſmaticorum proterviam de legitima electione ſuboriretur, alio Comitia celebranda, tutioremque locum deligendam curarunt. Comitium ingreſſi, in illud ſtatim incluſi ſunt, ac oſtium primum quatuor Antiſtitibus cuſtodiendum traditum, oſtium ſecundum Oratoribus Regum, inter quos erat ipſemet Æneas Sylvius, tum Friderici Cæſaris Ablegatus, ut ipſe tradit*. Scite mox illud idem Georgius ſubdit, id mirum quidem non eſſe, nam mos erat, uti addiſcere licet ex recitato ſuperius Patritii Cæremoniali, ut oſtii ſecundi cuſtodia Oratoribus Principum demandaretur.

XXVII. Tandem quod ipſum Conclave ſpectat in Sacrario Minervitani Cœnobii paratum occaſione electionis novi Pontificis poſt Eugenii Papæ IV. obitum, Cardinalium cellulæ (ita eorum anguſta in Comitio cubicula, lignea materia fabrefacta, laneiſque veſtibus contecta vocantur) ab eodem Ænea Sylvio deſcribuntur, nimirum quibus eæ circumamictæ veſtibus, & quo ſingulæ colore diſtinguerentur, illudque notat, Cardinalis Bononienſis cellulam *albo colore* veſtitam fuiſſe: *forſitan*, inquit, *nec purior, nec mundior cujuſquam erat meus; nec enim ante illam diem extorquere quiſquam ex eo potuit votum ejus*. Ceterum ut alia longe plura, quæ de ipſo Conclavi hic dici poſſent, omittam, legi poteſt Conſtitutio Clementis Papæ XII. quæ incipit, *Apoſtolatus officium*, edita die v. Octobris anni MDCCXXXII. Pontificatus anno III. diverſas enim continet ordinationes pro bona directione Conclavis, ac rerum Sede Apoſtolica vacante gerendarum; eſtque ejuſdem Pontificis in novo Romano Bullario Conſtitutio LXXVI.

XXVIII. Vult inſuper & illud Gregorius Papa X. noſtro hoc Canone, monetque primum omnes Chriſtifideles, ut ſtatim ac audierint mortem Summi Pontificis, ejus exequias celebrent, quotidieque orationem ad Deum fundant, pro celeri, concordi, atque utili proviſione Eccleſiæ Romanæ, quæ eſt omnium Mater, Magiſtra, & Caput. Tum etiam Prælatis diſtricte præcipit, ac ceteris pariter Sacris Hominibus, quibus conceſſum eſt Verbum Dei prædicare, ut in ſuis Concionibus ipſos Subditos ad hoc hortentur, eiſque frequentiam orationum, & obſervantiam jejuniorum indicant. Sunt plane & hi veteres Eccleſiæ Catholicæ Ritus in electionibus Epiſcoporum, ac præſertim Romanorum Pontificum uſitati, de quibus, ne longius protrahatur noſter hic Commentarius, fuſe, Deo dante, dicemus in Commentariis ad Cæremoniale Eccleſiæ Romanæ, quod Auguſtinus Patritius Apoſtolicarum Cæremoniarum Præfectus ſub variis Pontificibus Maximis concinnavit, & deinde Chriſtophorus Marcellus Archiepiſcopus Corcyrenſis publici juris fecit, & Leoni X. Papæ dicavit.

# C A N O N III.

Ut circa Electiones, Poſtulationes, & Proviſiones Eccleſiaſticas viam malitiis, prout eſt poſſibile, præcludamus, ne diutius periculoſe vacent Eccleſiæ, vel Perſonatuum, Dignitatum, & aliorum Eccleſiaſticorum Beneficiorum Proviſio differatur; Edicto perpetuo providemus, ut ſi quando aliqui electionibus, Poſtulationibus, ſeu Proviſionibus ſe opponunt, proponendo aliqua contra Electionis, Poſtulationis, ſeu Proviſionis formam, aut Perſonas Eligentium, vel Electi, ſive illius, cui Proviſio erat facienda, vel facta, & propter hoc contigerit appellari, appellantes in Inſtrumento publico, ſeu Litteris ſuper appellatione confectis, omnia, & ſingula exprimant, quæ in formam intendunt objicere, vel Perſonas: coram Perſonis authenticis, aut Perſona, quæ ſuper hoc teſtimonium perhibeant veritati, corporali præſtito juramento, quod credunt, ea quæ ſic exprimunt, eſſe vera, & ſe poſſe probare. Alioquin tam opponentes, quam (tempore appellationis interpoſitæ, vel poſtmodum) adhærentes eiſdem, objiciendi aliqua, quæ non fuerint in hujuſmodi Litteris, vel Inſtrumentis expreſſa, poteſtatem ſibi noverint interdictam; niſi aliquid poſtea forſan emerſerit, vel ſuper an-



Digitized by Google

tiquis ſupervenerit, probandi facultas, aut aliqua antiqua in opponentium notitiam de novo pervenerint, quæ appellantes appellationis emiſſæ tempore veroſimiliter ignorare potuerint, & etiam ignorarint. Super hujuſmodi autem ignorantia, & ſuperveniente facultate probandi, fidem per proprium præſtandam corporaliter faciant juramentum; hoc adjiciendo in juramento eodem, quod ad ea probanda eredunt ſe ſufficientes probationes habere. Illa ſane, quæ felicis recordationis Innocentius Papa IV. contra non plene probantes ea quæ in formam, vel perſonam objecerunt, ſtatuit, in ſuo volumus robore permanere.

## COMMENTARIUS.

I. Compaſcit hoc Canone Gregorius X. ſui ævi abuſum, quo diutius periculoſe vacabant Eccleſiæ ob dilatam, & quidem non ſine hominum quorundam malitiis Perſonatuum, Dignitatum, & aliorum Eccleſiaſticorum Beneficiorum proviſionem, quia ſcilicet non deerant factioſi homines, qui perperam, ac dolo malo contra electiones, poſtulationes, ac proviſiones Eccleſiaſticas appellabant. Huic ergo malo occurrens Pontifex ſtatuit, *ut ſi quando aliqui electionibus, poſtulationibus, ſeu proviſionibus ſe opponunt, proponendo aliqua &c. & propter hoc contigerit appellari, appellantes in inſtrumento publico, ſeu litteris ſuper appellatione confectis, omnia, & ſingula exprimant, quæ in formam intendunt objicere, vel perſonas: coram perſonis authenticis, aut perſona, quæ ſuper hoc teſtimonium perhibeat veritati, corporali præſtito juramento, quod eredunt, ea quæ ſic exprimunt, eſſe vera, & ſe poſſe probare.* Ergo ut proteſtari quis poſſit, & ſe opponere electioni, neceſſaria eſt primo ſcriptura authentica continens omnia, & ſingula, quæ vel electioni ipſi, vel electo objiciuntur, & quidem non ſub disjunctione, ſed determinate; non ſufficit dicere, quod electus ſit vel homicida, vel perjurus, vel concubinarius; ſed determinate debet dici, & opponi crimen, vel crimina contra electum probanda. Imo regula eſt apud Doctores, quod quando Decretalis Conſtitutio utitur geminatis verbis iſtis, ſcilicet, *omnia*, & *ſingula*, neceſſe ſit exprimere rem determinate cum omnibus circumſtantiis, & qualitatibus. Unde non ſufficit, quod in ſcriptura hujus appellationis, ſeu proteſtationis exprimantur in genere, quæ opponuntur, ſed neceſſe eſt ea exprimi in ſpecie cum omnibus qualitatibus, & circumſtantiis.

II. Neque vero oportet ſolum, ut ſcriptura iſta omnia, & ſingula contineat, quæ objiciuntur electioni, ſed & neceſſe eſt, ut opponens dicat, ſe credere ea eſſe vera, imo & *juret, ea quæ ſic exprimit, eſſe vera, & ſe poſſe probare*; ut ait noſter Canon, ex cujus etiam præſcripto corporale juramentum præſtari debet *coram perſonis authenticis, aut perſona, quæ ſuper hoc teſtimonium perhibeant veritati*. Dicitur perſona authentica juxta Gloſſam in Cap. IV. *De electione &c.* in VI. cui noſter hic Canon inſertus eſt, perſona illa, *quæ juriſdictioni præeſt*; ſed non eſt tamen hoc neceſſarium, cum ſatis ſit fieri coram perſona, quæ de eo fidem faciat; & regulariter fieri hujuſmodi proteſtationes ſolent coram Præſide Electionis, atque Electoribus. Scriptura itaque nedum fidem facere debet de objectis ab opponente, verum & de juramento ab eo præſtito, corporali ſcilicet, quod fit tactis Sacris Evangeliis; in juramentis enim, quæ jure præcipiuntur, ſemper eſt jurandum ſuper ſancta Dei Evangelia, uti jam oſtendi Libro III. *De Codice Sancti Evangelii &c.* Cap. XIII. & videri poſſunt Textus in Can. *Quotiens*, Cauſa VII. Quæſtione I. & Can. *Teſtimonium*, §. *Epiſcopus*, Cauſa XI. Quæſtione I. Cæterum conſuetudine introductum eſt, ut niſi jus expreſſe requirat jurari per ipſa Sancta Dei Evangelia, ſufficiat tangere quamcumque ſcripturam, uti inter alios docent Joannes Monachus, & Archidiaconus in citato Cap. IV. ac præ ceteris doctiſſimus Paſſerinus in Tractatu, *De electione Canonica*, Cap. XXXII. ubi plura in hunc noſtrum Canonem notat, Num. LIV. & ſeqq.

III. Pergit noſter Canon, & ait, quod ſi appellatum fuerit contra formam præſcriptam, *tam opponentes, quam tempore appellationis interpoſitæ, vel poſtmodum, adhærentes eiſdem, objiciendi aliqua, quæ non fuerint in hujuſmodi litteris, vel inſtrumentis expreſſa, poteſtatem ſibi noverint interdictam: niſi aliquid poſtea forſan emerſerit, vel ſuper antiquis ſupervenerit, probandi facultas, aut aliqua antiqua in opponentiam notitiam de novo pervenerint, quæ appellantes appellationis emiſſæ tempore veriſimiliter ignorare potuerint, & etiam ignorarint.* Atque hic nota duos caſus, in quibus Canon fieri novas oppoſitiones admittit. Primus eſt, ſi de novo cauſa aliqua emerſerit, ut quia electus poſt electionem commiſit homicidium. Alter eſt, ſi defectus occultus poſtea innotuit. Sed in hoc ſecundo attendi debet limitatio Clementinæ Conſtitutionis relatæ in Capite IV. *De electione &c.* qua Clemens Papa V. Canonem noſtrum declaravit. Appellans enim ſi omiſit debitam circumſtantiarum ſpecificationem, non eſt amplius audiendus circa illas, etiamſi juret eas de novo ad ſui notitiam perveniſſe; crimina autem, aut defectus omiſſos poteſt quidem de novo objicere, ubi iſta de novo ſcivit.

IV. Rurſus requirit hic Canon & in iſto ſecundo caſu, in ipſis appellantibus juramentum de ignorantia tempore appellationis; quamvis enim ignorantia præſumatur, quia tamen in hoc caſu præſumi poteſt, appellantes malitioſe ignorantiam opponere, ideo compelluntur jurare, & juramento illam probare: *Super hujuſmodi autem ignorantia, & ſuperveniente facultate probandi, fidem per proprium præſtandam corporaliter faciant juramentum, hoc adjiciendo in juramento eodem, quod ad ea probanda eredunt ſe ſuffi-*

*ſufficientes probationes habere.* Cum Canon exigat proprium appellantis juramentum, jam conveniunt Doctores, non ſufficere juramentum præſtitum per Procuratorem mandatum generale habentem; licet autem nonnulli etiam cenſeant, nec ſufficere juramentum a Procuratore ſpeciale mandatum habente exhibitum; contrarium nihilominus tenent Gloſſa, aliique Doctores ab ea citati, qui ajunt, ita ſervari in Curia, quia juramentum Procuratoris habentis ſpeciale mandatum cenſetur proprium Principalis ſui juramentum; nam ſi Procurator juret falſum, perjurus Principalis ejus cenſetur, Cap. ultimo, *De juramento calumniæ*, in VI. & Cap. ultimo, *De jurejurando*, in VI.

V. Licet autem, uti ex dictis hactenus conſtat, appellans, non ſervata forma noſtro hoc Canone præſcripta, ſit a probatione repellendus, cauſamque proſequi non poſſit, ſi tamen aliunde objecta crimina ſint manifeſta, vel per confeſſionem delinquentis, vel per alias probationes, probationes iſtæ non infirmantur, ſed Judex ex eis poterit ad caſſationem electionis venire. Id enim ſtatuitur in citata Clementina Conſtitutione, quæ habetur in Cap. VI. *De electione*. Ceterum ſunt & alii duo caſus, in quibus noſter Canon non habet locum. Primus eſt, ſi oppoſitiones tangant; tunc enim licet appellanti cauſam appellationis proſequi etiam non ſervata forma ipſa, quam noſter Canon præſcribit, ſi verbi gratia dicatur, quod in Eccleſia eſt Statutum, ut eligatur unus de Capitulo, & electus aliquis fuit extra Capitulum; ut in citata Conſtitutione Clementis Papæ V. Secundus caſus eſt, ſi quæ opponuntur directe, reſpiciunt jus perſonæ appellantis, ut ſi coelectus dicat, Beneficium ad ſe pertinere, vel ſi appellans dicat, pertinere ad ſe jus providendi; vel ſi unus electorum fuit contemtus, & hunc contemtum proſequitur, uti idem Clemens V. in ſua Conſtitutione decrevit, noſtrum Canonem in multis declarans. Legenda integra ejus Conſtitutio, quæ incipit, *Conſtitutionem*, Ut circa, *editam in Concilio Lugdunenſi &c.*

VI. Concludit tandem noſtro hoc Canone Gregorius Papa X. & ait, *illa quæ felicis recordationis Innocentius Papa IV. contra non plene probantes ea, quæ in formam, vel perſonam objecerunt, ſtatuit*, velle ſe *in ſuo robore permanere*. Alludit Gregorius ad eam Innocentii IV. Conſtitutionem, quæ habetur in Cap. I. *De electione, & electi poteſtate*, in VI. Ibi enim pœna ſtatuta eſt, qua puniendi ſunt appellantes, & proteſtantes, ſi deficiant in probatione eorum, quæ contra electionem objiciunt. Quod electionem ſpectat, mandat Pontifex, *at qui plene non probaverit, quod in formam opponit, ad expenſas, quas proter hoc pars altera ſe feciſſe docuerit, condemnetur*. Quod vero ſpectat perſonam Electi, jubet mox, ut non probans, quod objicit in ipſam perſonam, a Beneficiis triennio ſit ſuſpenſus, & perpetuo etiam privatus, ſi ſe interim ad illa miſcuerit: *Qui vero in probatione defecerit ejus, quod objicit in perſonam, a Beneficiis Eccleſiaſticis triennio noverit ſe ſuſpenſum; ad quæ ſi infra illud tempus propria temeritate ſe ingeſſerit, eis ipſo jure perpetuo ſit privatus, nullam ſuper hoc de miſericordia ſpem, aut fiduciam habiturus, niſi manifeſtiſſimis conſtiterit documentis, quod ipſum calumniæ vitio cauſa probabilis, & ſufficiens excuſaret*. Uti in noſtrum Canonem relatum in Cap. *Ut circa*, *De Electione &c.* in VI. ita & in hanc Conſtitutionem, quæ habetur in Cap. I. Titulo eodem varia ſcitu digna, & quæ Fori praxim ſpectant notavit laudatus Paſſerinus in ipſo Tractatu, *De Electione Canonica*, Capite XXXII. Num. LXIX. & pluribus ſeqq.

# C A N O N IV.

Avaritiæ cæcitas, & damnandæ ambitionis improbitas aliquorum animos occupantes, eos in illam temeritatem impellunt, ut quæ ſibi a Jure interdicta noverint, exquiſitis fraudibus uſurpare conentur. Nonnulli ſiquidem ad regimen Eccleſiarum electi, quia eis Jure prohibente non licet, ſe ante Confirmationem Electionis celebratæ de ipſis, adminiſtrationi Eccleſiarum, ad quas vocantur, ingerere, ipſam ſibi tanquam Procuratoribus, ſeu Oeconomis committi procurant. Cum itaque non ſit malitiis hominum indulgendum, nos latius providere volentes, hac generali Conſtitutione ſancimus, ut nullus de cetero adminiſtrationem Dignitatis, ad quam electus eſt, priuſquam celebrata de ipſo Electio confirmetur, ſub Oeconomatus, vel Procurationis nomine, aut alio de novo quæſito colore, in ſpiritualibus, vel temporalibus, per ſe, vel per alium, pro parte, vel in totum gerere, vel recipere, aut illis ſe immiſcere præſumat. Omnes illos, qui ſecus fecerint, Jure, ſi quod eis per Electionem quæſitum fuerit, decernentes eo ipſo privatos.

## COMMENTARIUS.

I. Quemadmodum olim electus a Clero, & Populo, ut fuit antiquus Electionum mos, nullatenus Paſtor, aut Epiſcopus cenſebatur Eccleſiæ vacantis, priuſquam a Metropolitano, & Epiſcopis Provincialibus confirmatus, atque in Eccleſiæ Paſtorem, & Epiſcopum ordinatus eſſet; ita nec de Jure communi, & hodierno, quod alias a plu-

plnribus jam ſeculis invaluit, Electi a Capitulis Cathedralium, ant nominati a Regibus juxta privilegia ab Apoſtolica Sede eiſdem conceſſa, ſe adminiſtrationi Eccleſiæ ſive in temporalibus, ſive in ſpiritualibus quocunque prætextu immiſcere poſſunt ante Confirmationem, uti expreſſe edicit inter alios Innocentius Papa III. in Epiſtola ſua Decretali ad Capitulum Pennenſe, relata in Cap. *Qualiter*, XVII. *De electione &c.* quia uti ibidem ait Pontifex, *ſecundum Apoſtolum*, in Epiſtola ſcilicet ad Hebræos, Cap. V. *nemo debet ſibi honorem adſumere, ſed qui vocatur a Deo tanquam Aaron*.

II. Hinc idem Innocentius Papa III. in Concilio Generali IV. Lateranenſi, Can. XXVI. inter alia ſtatuit, ut Epiſcopi immediate Romano Pontifici ſnbjecti, antequam plenitudinem Officii Pontificalis accipiant, debeant ſe eidem præſentare gratia obtinendæ confirmationis: *Ceterum qui ad Romanum pertinent immediate Pontificem, ad percipiendam ſui confirmationem Officii, ejus ſe conſpectui, ſi commode poteſt fieri, perſonaliter repræſentent, vel perſonas transmittant idoneas, per quas diligens inquiſitio ſuper Electionis proceſſu, & Electis poſſit haberi; ut ſic demum per ipſius circumſpectionem conſilii, ſui plenitudinem aſſequantur Officii, cum eis nihil obſtiterit de Canonicis inſtitutis*. Plura in hunc Canonem notavimus nos ſuo loco, Tomo III. Conciliorum, ubi etiam id explicuimus, quod mox in ipſo Canone idem Pontifex ſubjicit, ſtatuens ſcilicet, ut a dicta Lege eximantur, & libertate gaudeant *valde remoti, videlicet ultra Italiam conſtituti, ſi electi fuerint in concordia*, ut nimirum, *diſpenſative propter neceſſitates, & utilitates Eccleſiarum in ſpiritualibus, & temporalibus adminiſtrent, ſic tamen, ut de rebus Eccleſiaſticis nil penitus alienent*.

III. Extra ſpeciales has cauſas in nullam partem inſerere ſe poterant electi Epiſcopi ſacræ adminiſtrationi ante Confirmationem ſnam. Verum vel poſt memoratum Innocentii III. ejnſque Œcumenici IV. Lateranenſis Concilii Decretum tam paſſim invaluit corruptela, ut Electi non confirmati, vel conſecrati per multos annos incnbarent Eccleſiis, teſte Pariſio ad annum Chriſti MCCLI. ubi ita ſcribit: *His diebus quoque ſub eiſdem confirmati ſunt Electus Vuint. Athelmarus Domini Regis Frater uterinus, & Roffenſis Electus, Magiſter Laurentius de Sancto Martino, quibus conceſſum eſt per aliquot annos ſequentes, reditus prius obtentos retinere, & ſic jam in conſuetudinem, & uſum hæc abuſio ſuſcitatur, ut quis ad Epiſcopatum vocatus, non Epiſcopus permaneat, ſed Electus, ut ſcilicet Paſtor non paſcat, ſed paſcatur, & ut Epiſcopus priſtinos reditus retineat, ut multiforme monſtrum habeatur, & ut aliquis Epiſcopus ad alium Epiſcopatum ditiorem poſtulatus transferatur, ut una Eccleſia alterius pellex habeatur*. Videtur plane incredibile, quod de eo fœdiſſimo abuſu & corruptela idem Auctor tradit ad annum MCCLIII. ſic inquiens: *Ceterum quod videre non conſuevi, concedit Papa ob favorem ſecularem, ut aliquis Epiſcopatum obtineat, nec tamen Epiſcopus exiſtat, ſed Electus ſempiternus, quod tantundem ſignificat, ut lac, & lanam habeat ovium, lupos tamen non abigendo, priſtinos etiam reditus retinendo*. Hactenus ille.

IV. Falſum plane cenſeo, quod ait de conceſſione Papæ; vitio enim datum eſt ipſis in Epiſcopos electis, qui de Confirmatione ſua minus ſoliciti, interim Eccleſiæ vel ſpiritualia adminiſtrare adgrediebantur variis emendicatis titulis, prætextibuſque; illudebant quippe ipſi Romanorum Pontificum Conſtitutionibus, ac Synodorum Decretis, ubi Eccleſias, ad quarum regimen electi erant, variis artibus ſibi tanquam Œconomis, ſeu Procuratoribus, committi procurabant. Sinuoſæ huic, & fraudulentæ, ſive avaritiæ, ſive ambitioni, obviavit demum hoc noſtro Canone, qui habetur in Cap. V. *De Electione &c.* in VI. Gregorius Papa X. ubi generali Conſtitutione ſancivit, *ut nullus de cetero adminiſtrationem Dignitatis, ad quam electus eſt, priuſquam celebrata de ipſo Electio confirmetur, ſub Œconomatus, vel Procurationis nomine, aut alio de novo quæſito colore, in ſpiritualibus, vel temporalibus, per ſe, vel per alium, pro parte, vel in totum gerere, vel recipere, aut illis ſe immiſcere præſumat*; omneſque illos, *qui ſecus fecerint, Jure, ſi quod eis quæſitum fuerit*, decernit, *eo ipſo privatos*.



V. Conſtat itaque ex hactenus dictis, Electum, aut Nominatum ante Confirmationem non modo non eſſe Paſtorem, aut Epiſcopum, ſed nec adminiſtrationi Eccleſiæ ullatenus ſe poſſe regulariter ingerere; obtenta autem Confirmatione, veluti verum Paſtorem, & Epiſcopum Eccleſiæ vacantis reputari. Id plane conſtat hodieque ex ipſa formula Proviſionis Pontificiæ, cujus hæc ſunt verba: *Eccleſiam N. de perſona N. providemus, ipſumque illi in Epiſcopum præficimus, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem eidem in ſpiritualibus, & temporalibus committendo*. Verus igitur Paſtor, & Epiſcopus per Confirmationem, ſive proviſionem Pontificiam conſtituitur; omniſque cura Paſtoralis, & Epiſcopalis plenarie ei competit, eamque tanquam Epiſcopus, & Ordinarius Eccleſiæ Paſtor adminiſtrare poteſt, uti uno conſenſu Canoniſtæ tradunt, & inter alios Vaneſpen Parte I. *Juris Eccleſiaſtici univerſi*, Titulo XIV. Cap. V. ubi etiam ſcite obſervat, quod hodie obtinet Jure Decretalium, ut electus in Epiſcopum obtenta Confirmatione Pontificia habeatur, ut verus Paſtor Eccleſiæ, poſſitque omnia, quæ juriſdictionis ſunt, tanquam Epiſcopus exercere, contrarium eſſe primitivæ Eccleſiæ diſciplinæ, & primario fini inſtituti Epiſcopatus. Decem ut minus ſeculis id fuiſſe ignotum, ait, ut quis diceretur Epiſcopus, aut juriſdictionem, aut munus Epiſcopi obiret, priuſquam in Epiſcopum eſſet rite ordinatus.

VI. Quicquid autem ſit de antiqua Eccleſiæ diſciplina, Jus Decretalium, & communis praxis jam probat, poſſe Epiſcopum confirmatum, non conſecratum plenarie ſuam juriſdictionem exercere, eaque omnia, quæ ad curam Paſtoralem, & Epiſcopalem pertinent, agere, exceptis his dumtaxat, quæ Ordinis, ſeu Characteris ſunt Epiſcopalis, Ordines Sacros per ſe conferre, Chriſma conficere, Sacramentum Confirmationis dare, aliaque id genus peragere. Sed notandum hic tamen illud, quod, tametſi ſola Confirmatio eum effectum pariat, ut poſſit quis mox ab accepta Confirmationis notitia adminiſtrationem, & curam Eccleſiæ ſibi commiſſæ ſuſcipere, ex Conſtitutione Boniſacii Papæ VIII. quæ incipit, *Injuncta*, & inter extravagantes



com-

communes locata eſt ad Titulum, *De Electione &c.* prohibentur Prælati promoti, & confirmati, imo etiam, ſi velis, Romæ, ne ſe quantulumcumque immiſceant adminiſtrationi Eccleſiarum, niſi Pontificiis inſtructi ſint Bullis, eaſdemque oſtendant, alioquin eos recipientes, ac recepti in pœnas ibidem ſtatutas incidant, ut nimirum quicquid per ipſos promotos actum fuerit, irritum habeatur; nec quidquam interim iidem de proventibus Eccleſiarum percipiant; recipientes autem ipſos abſque memoratis Apoſtolicæ Sedis Litteris, vel obedientes eiſdem, *tamdiu ſint a Beneficiorum ſuorum perceptione ſuſpenſi, donec ſuper hoc ejuſdem Sedis gratiam meruerint obtinere*.

VII. His adde, quod Alexander V. in Conſtitutione, quæ incipit, *Ex injuncto*, innovata a Julio II. in ſua Conſtitutione, quæ incipit, *Romani Pontificis*, §. II. & v. decreverat, ut de cetero promoti auctoritate Apoſtolica ad Cathedrales, vel Regulares Eccleſias, infra annum a die Proviſionis computandum teneantur Litteras expedire, ſub pœna privationis earundem Eccleſiarum, & omnis juris ex proviſionibus prædictis quomodolibet eis acquiſiti, quam negligentes incurrere voluit eo ipſo, earumque ſic vacantium diſpoſitionem Sedi Apoſtolicæ reſervavit, & interim abſque Litteris proviſionis in forma ſub eadem pœna in illarum regimine, & adminiſtratione in ſpiritualibus, vel temporalibus nullatenus ſe ingerere præſumant. Quamobrem pœna privationis ſtatuta contra Electos adminiſtrantes ante obtentam Confirmationem, hodie locum habet etiam in proviſis, qui adminiſtrant Litteris non expeditis, aut infra annum illas non expediunt; uti notat Fagnanus in Capite, *Qualiter*, xvII. *De electione &c.* Plura quæ ad noſtri hujus Canonis explicationem faciunt, docet inter alios Paſſerinus in Tractatu, *De Electione Canonica*, Cap. xxxIII.

# CANON V.

Quam ſit Eccleſiis ipſarum diſpendioſa vocatio, quam periculoſa etiam eſſe ſoleat animabus, non ſolum Jura teſtantur, ſed etiam magiſtra rerum efficax experientia manifeſtat. Cupientes itaque competentibus remediis vacationum diuturnitatibus obviare, hoc perpetuo Decreto ſtatuimus, ut ſi quando fuerit Electio in aliqua Ecleſia celebrata, Electores Electionem ipſam, quamcitius commode poterunt, Electo præſentare, ac petere conſenſum ipſius, procurent; Electus vero illum adhibere infra menſem a tempore præſentationis hujuſmodi teneatur. Quem ſi Electus ipſe præſtare ultra diſtulerit, jure, ſi quod ei ex ſua Electione fuerat acquiſitum, ex tunc ſe noverit eo ipſo privatum; niſi forſan ea ſit electæ perſonæ conditio; ut Electioni de ſe celebratæ, abſque Superioris ſui licentia, ex prohibitione, ſeu quavis proviſione Sedis Apoſtolicæ conſentire non poſſit. Quo caſu idem Electus, ſeu Electores ipſius, conſentienti licentiam ab ejus Superiore, cum ea celeritate, quam Superioris ipſius præſentia, vel abſentia permiſerit, petere ſtudeant, & habere. Alioquin, ſi lapſo tempore, pro ejuſdem Superioris præſentia, vel abſentia, ut præmittitur, moderando, hujuſmodi licentiam eos nequaquam obtinere contingat: Electores ex tunc ad Electionem aliam procedendi liberam habeant facultatem. Ceterum quivis Electus infra tres menſes poſt conſenſum Electioni de ſe celebratæ præſtitum, Confirmationem Electionis ipſius petere non omittat. Quod ſi juſto impedimento ceſſante, infra hujuſmodi trimeſtre tempus omiſerit, Electio eadem eo ipſo viribus vacuetur.

## COMMENTARIUS.

I. NOtat Gloſſa in Capite vI. *De electione &c.* in vI. cui noſter hic Canon inſertus eſt, tria in ipſo Canone ſtatui tempora circa Electionem jam peractam *ab antiquis juribus non prævisa*. Primum eſt de Electione præſentanda Electo. Secundum de conſenſu ab ipſo Electo exhibendo. Tertium de Confirmatione Electionis petenda. Mandat ergo primo Canon, *ut ſi quando fuerit Electio in aliqua Eccleſia celebrata, Electores Electionem ipſam, quamcitius commode poterunt, Electo præſentare, ac petere conſenſum ipſius procurent*. Primum hoc tempus alias indefinitum explicuit poſtea Nicolaus Papa III. in Cap. *Cupientes*, xvI. Titulo citato, §. *Ceterum*, ubi illud ad octo dierum ſpatium coarctans, ſtatuit etiam, ut ſi infra ipſos octo dies Electores, ex quo ſcilicet commode poterunt, Electionem electo diſtulerint præſentare, qui culpabiles in hoc fuerint, a proſequutione Electionis ſint excluſi, & Beneficiis, quæ obtinent in ipſa Eccleſia, per triennium ſuſpenſi: ad quæ etiam ſi infra illud tempus ſe propria temeritate, vel alio quæſito colore ingeſſerint, illis ipſo jure perpetuo ſint privati.

II. Alterum tempus quod eſt de conſenſu ab ipſo Electo exhibendo definit noſter Canon, ubi

ubi ſtatuit, *ut Electus adhibere infra menſem a tempore præſentationis hujuſmodi teneatur*; alioquin eo jure fruſtretur, niſi Electus Superiori abſenti, vel longinquo obnoxius eſſet, cujus aſſenſio quoque occeſſaria eſſet; tunc enim proprotrahendum utique eſſe ſpatium illud, ſapientiſſime idem noſter Canon edicit: *Quem*, conſenſum ſcilicet, *ſi Electus ipſe præſtare ultra diſtulerit, jure ſi quod ei ex ſua Electione fuerat, acquiſitum, ex tunc ſe noverit eo ipſo privatum; niſi forſan eu ſit electæ perſonæ conditio, ut Electioni de ſe celebratæ, abſque Superioris ſui licentia, ex probibitione, ſeu quavis proviſione Sedis Apoſtolicæ conſentire non poſſit*. Ut quia ſcilicet Papa prohibuit, ne conſentiret Electioni de ſe factæ; vel quia Monachus Canonicus Regularis, vel alius Frater eſt, ſive Religioſus, qui ſine licentia Superioria conſentire oon poſſunt. Id enim paſſim Conciliorum Canones ſtatuunt, ac Decreta Romanorum Pontificum, inter quos Boniſacius Papa VIII. in Cap. XVII. *De Electione &c.* in VI. expreſſe juſſit, ut *ſi Religioſus, cujus arbitrium non ex ſuo, cum velle, vel nolle non habeat, ſed ex illius, quem vice Dei ſupra caput ſuum poſuit, & cujus imperio ſe ſubjecit, voluntate dependet, Electioni de ſe ad Prælationem aliquam extra ſuum Monaſterium, vel ſuam Eccleſiam celebratæ, ſui Superioris, qui dare ipſam valeat, non petita licentia, & obtenta, præſumſerit conſentire: conſenſus ſic præſtitus non teneat, & in pœnam præſumtionis illius, Electio eadem ipſo facto viribus vacuetur omnino.*

III. Cum itaque Religioſi velle, vel nolle non habeant, ſed a Superioris ſui voluntate dependeant, merito ſtatuit Canon, ut ubi de Religioſi hominis Electione ad Eccleſiaſticam Dignitatem extra Monaſterium agitur, *idem Electus, ſeu Electores ipſius conſentiendi licentiam ab ejus Superiore, cum ea celeritate, quam Superioris ipſius præſentia, vel abſentia permiſerit, petere ſtudeant, & habere: alioquin ſi lapſo tempore pro ejuſdem Superioris præſentia, vel abſentia, ut præmittitur, moderando, hujuſmodi licentiam eos nequaquam obtinere contingat, Electores ex tunc ad Electionem aliam procedendi liberam habeant facultatem*. Ex quo hic Canon dat Electoribus liberam eligendi alium facultatem, ubi ſcilicet Superioris conſenſus in Electione Religioſi non potuit obtineri, jam ipſi Religioſo, eo ipſo jus ſi quod habebat, omnino adimit. Quamobrem noo poſſum uon admirari, quod, ut ait Benedictus Papa XI. Cap. II. *De electione*, Libro I. Extravagantium communium, *frequenter dubitatum eſt, an etiam* Religioſus ille eſſet *eo ipſo jure, ſi quod ei competebat ex hujuſmodi Electione, privatus*, Statuit nihilominus laudatus Pontifex ad tollendum omnino Dubium, quod forte ſovebant Regulares ambitioſi, qui eam licentiam a ſuis Præſulibus obtinere nequibant, *illo eum hoc ipſo fore privatum*. Porro cum menſtruum ſpatium aſſignatum ſit Electo a noſtro Canone, quo Electioni conſentiret, docet Gloſſa, vel poſt licentiam obtentam adhuc habere Electum menſem integrum ad conſentiendum: *Illi enim non currit, niſi ex quo conſentire potuit*.

IV. Tempus denique tertium, quod eſt de petenda Confirmatione, definit noſter Canon, ubi ſtatuit, ut *quivis Electus infra tres menſes poſt conſenſum Electionis de ſe celebratæ præſtitum, Confirmationem Electionis ipſius petere non omittat*. Additque mox etiam, *quod ſi juſto impedimento ceſſante, infra hujuſmodi trimeſtre tempus omiſerit, Electio eadem eo ipſo viribus vacuetur*. Juſta impedimenta ſunt, infirmitas, viarum diſcrimen, aliaque id genus, quæ notat Gloſſa in dicto Capite VI. At vero cum loca aliis alia longinquiora ſint, a Nicolao Papa III. in Cap. *Cupientes*, XVI. *De Electione &c.* in VI. definita ſunt tempora conſentanea diſtantiæ, intra quæ Confirmatio petatur. Pleraque alia adjecit in eo Capite Nicolaus, quæ ad hanc rem faciunt, petique ex ipſo contextu poſſunt. Adde his Decretalem Bonifacii VIII. Conſtitutionem in Capite, *Si poſtquam*, XXXIII. Titulo eodem, ubi etiam ipſam Nicolai Papæ III. Conſtitutionem declarat. Sane *immutavit* is Pontifex trimeſtre tempus in Electis ad Cathedrales, vel Regolares Eccleſias, quorum Confirmatio ad Summum Pontificem ſpectat, vel interjecta appellatione devolvitur; ut infra unum menſem poſt conſenſum, vel ootitiam Electionis, ipſimet ad Sedem Apoſtolicam iter arripiant, & ad conficiendum, tantum temporis ſumant, quantum neceſſe erit pro locorum intervallo.

# CANON VI.

Perpetuæ ſanctionis oraculo declaramus, quod ſcienter in Electionibus nominantes indignum, propter ſuffragium in Scrutinio præſtitum, niſi adeo in eo perſtiterint, quod ex votis eorum communis Electio ſubſequatur, nequaquam eligendi poteſtate priventur; licet pro eo quod indignum nominando ſcienter contra conſcientias ſuas agunt, & divinam vindictam, & Apoſtolicæ ultionis metum, quem qualitas facti ſuaſerit, poſſint non immerito formidare.

## COMMENTARIUS.

I. Electionem ad Epiſcopatum, aliaque Eccleſiaſtica miniſteria, fieri debere de homine digno ſcientia, moribus, & ætate; eligenteſque indignum, eligendi tunc poteſtate eſſe privatos, & per triennium ab Eccleſiaſticis Beneficiis ſuſpenſos, ſtatuit jam inter alia Concilium Generale III. Lateranenſe, Can. III. Procedi autem ad Electionem poſſe per Scrutinium, ſive per Compromiſſum, vel per Inſpirationem Divinam, edixit Lateranenſe IV. Generale Concilium Can. XXIV. Plura ſcitu digna in utrumque Canonem jam nos notavimus ſuo loco,

loco, Tomo III. Conciliorum. Quod vero Canonem præſentem ſpectat, Gregorius Papa X. Canones præcedentes declarans, ſtatuit quidem, ut, ubi non ſequatur Electio, non debeant aliqui ex eligentibus ob conſenſum in Scrutinio ſcienter præſtitum in indignum, eligendi poteſtate privari, tametſi contra conſcientiam agant, & lætaliter peccent: *Perpetuæ ſanctionis Oraculo declaramus, quod ſcienter in Electionibus nominantes indignum, propter ſuffragium in Scrutinio præſtitum, niſi adeo in eo perſtiterint, quod ex votis eorum communis Electio ſubſequatur, nequaquam eligendi poteſtate priventur.*

II. Antequam aliquid in hanc ſanctionem adnotemus, ſciendum eſt, Oraculum, quo in hoc Canone uſus eſt Pontifex, idem eſſe, ac reſponſum, eademque ſignificatione accipi in Capite ultimo, *De verborum ſignificatione*, ubi Boniſacius Papa VIII. ita inquit: *Brevi reſpondemus oraculo &c.* notatque Gloſſa in Cap. VII. *De electione &c.* in VI. Oraculum dici, quia orando, ſeu precando impetratur; neque enim Romani Pontifices, qui præ humilitate jam longe ante annum Chriſti milleſimum Servos Servorum Dei ſe conſueverunt inſcribere, curarunt unquam ea ſibi nomina adrogare, quæ vel ipſi Chriſtiani Imperatores non ſine faſtu, ſuorumque adulatione uſurparunt, uti ſcite obſervavit eruditus Fileſacus in Opella, *De Idololatria politica*, Capite I. ubi ipſos Imperatores ſugillat, qui vel Divinitatis, vel Numinis appellationem ſibi arrogarunt. Certe, *Noſtram Divinitatem*, dixere Imperatores Theodoſius, & Valentinianus in Lege III. Cod. *De ſumma Trinitate &c.* Eademque Lege, *Noſtrum Divinum præceptum*, occurrit; & aperte, *Noſtrum Numen*, ſeipſos innuendo uſurpant Imperatores Honorius, & Theodoſius in Lege VIII. & Lege XI. Cod. *De ſacroſanctis Eccleſiis*. Theodoſius quoque in ſui Theodoſiani Codicis Lege XXXIII. *De annona & tributis*, vocat, *Suam Numen*; idemque habetur in Lege VIII. Cod. *De legibus, & conſtitutionibus*. Rurſus Juſſionem ſuam *Cæleſte Oraculum* nominant Imperatores in Lege X. Cod. *De ſacroſanctis Eccleſiis*; ut & Sacrum Oraculum in Lege V. Cod. *Si contra jus, vel utilitatem publicam &c.* Nec alio etiam ſenſu *Divinum verbum ſuum* appellant in Lege II. Codice, *De mandatis Principum*.

III. His obiter dictis, aliiſque pluribus in eandem rem miſſis, quæ videri apud laudatum Fileſacum poſſunt loco citato; ut nunc ad noſtrum Canonem revertamur, notandum potiſſime eſt illud, quod cum pœna a ſacris Canonibus lata ſit contra eligentes indignum, ideo ad eam incurrendam non ſufficit tractatus de indigno eligendo, ſed neceſſe eſt, ut Electio fuerit completa; uti Panormitanus, & alii docent, citati a Paſſerino in celebri Tractatu, *De Electione Canonica*, Cap. XXIX. Num. LXXVII. ubi etiam ob eandem rationem ait, quod alias noſter Canon expreſſe declarat, ut nimirum ſi Electores in Scrutinio nominaverint indignum publicato Scrutinio, ſi non procedant ad Electionem communem, ſed ſicut facere poſſunt, iterent Scrutinium, & in eo alium eligant, qui ſit dignus, non ſubduntur pœnæ, quam laudatum Concilium Lateranenſe Generale III. ſtatuit, Canone III. quamque nos ſupra explicuimus initio hujus Commentarii. Porro ſcienter nominantes indignum, contra conſcientias ſuas agere, & divinam vindictam, & Apoſtolicæ ultionis metum, quem qualitas facti ſuaſerit, poſſe non immerito formidare, non modo hic noſter Canon docet, ſed & alii paſſim Canones ajunt ad Titulum, *De Electione &c.* Videri autem præ ceteris poteſt, quod inquit de ea re Synodus Tridentina Seſſione VII. Cap. I. & III. & Seſſione XXII. Cap. II. & IV. itemque Seſſione XXIV. Cap. I. XII. & XVIII. ac tandem Seſſione XXV. Cap. I. Ceterum quiſnam cenſeatur indignus ad Prælaturas, & Beneficia Eccleſiaſtica, fuſe, ac docte per varias Quæſtiones exponit laudatus Paſſerinus citato Capite XXIX. Num. I. & ſeqq.

# CANON VII.

Nulli licere decernimus, poſtquam in Scrutinio nominaverit aliquem, & Electio fuerit ſubſequuta, vel poſtquam præſtiterit Electioni de ipſo ab aliis celebratæ conſenſum, illum ſuper Electione ipſa, niſi ex cauſis poſtea emergentibus, impugnare, vel niſi ei morum ipſius antea celata de novo pandatur improbitas, ſeu alicujus alterius latentis vitii, vel defectus, quæ veriſimiliter ignorare potuerit, veritas reveletur. De hujuſmodi autem ignorantia fidem proprio faciant juramento.

## COMMENTARIUS.

I. DEcernit hic Canon relatus in Cap. VIII. *De Electione &c.* in VI. eligentium nemini licere, Electione conſummata, adverſus Electum intercedere, vel aliquid opponere, *niſi ex cauſis poſtea emergentibus, vel niſi ei morum ipſius antea celata, de novo pandatur improbitas, ſeu alicujus alterius latentis vitii*, quod nempe latebat Electores tempore Electionis, *vel defectus*, ſcientiæ ſcilicet, ætatis, ordinum, vel alicujus irregularitatis, *quæ veriſimiliter ignorare potuerit, veritas reveletur*. Additque tum demum Canon, ut *de hujuſmodi ignorantia fidem faciat proprio juramento*. Regula itaque, quæ noſtro hoc Canone traditur, ea eſt, eligentes aliquem, Electione ſequuta, non poſſe Electioni ſe illius opponere, niſi in caſibus hic expreſſis; ignorantiam autem ejus, quod dependet a conſcientia alicujus, probari per proprium juramentum. Sed de hac re vide quæ diximus in Commentario ad Canonem III.

CA-

Digitized by Google

# C A N O N VIII.

Si quando contigerit, duabus Electionibus celebratis, partem alteram eligentium duplo majorem numero inveniri; contra Electores, qui partem reliquam ſic excedunt, ad extenuationem zeli, meriti, vel auctoritatis ipſorum, reliquis, vel Electo ab eis, aliquid opponendi, omnem præſenti Decreto interdicimus facultatem. Si quid autem opponere voluerint, quod votum illius, cui opponitur, nullum redderet ipſo jure, id eis non intelligimus interdictum.

## C O M M E N T A R I U S.

I. Est & is Canon relatus in Cap. IX. *De Electione &c.* in VI. ſtatuitque in eo Gregorius Papa X. contra Electum a duplo majori parte, vel contra Electores ipſius nihil opponi poſſe ad extenuationem zeli, meriti, vel auctoritatis ipſorum; non prohibet tamen, quin aliquid opponatur, quod votum nullum redderet. Pro majori Canonis hujus intellectu, figurat hunc caſum Gloſſa in citato Capite IX. ſic inquiens. Ponamus, quod in Eccleſia Pictavienſi ſint decem & octo Canonici, qui vacante ipſa Eccleſia convenerunt in unum, tractaturi de Electione futuri Epiſcopi. Duodecim elegerunt Titium, & ſex Sempronium: iſti ſex ſe oppoſuerunt Electioni de Titio factæ, dicendo, quod voces iſtorum duodecim, qui Titium elegerunt, attenuantur, ſive debent diminui, ex eo quod ipſi non proceſſerunt ad Electionem zelo charitatis, ſed affectione carnali potius ducti. Item dicunt iſti ſex, quod Sempronius electus ab ipſis, eſt dignior, quam ſit Titius ab aliis duodecim electus. Nunc ſiquis quærat, an hi ſex Electores recte dicant, & poſſint iſta opponere ad extenuationem, & diminutionem votorum, illorum duodecim; reſpondendum eſt negative; nam illud quod dicitur, quod debet haberi reſpectus zeli ad zelum, meriti ad meritum, intelligendum eſt ex noſtro hoc Canone, quando una pars eligentium in duplo aliam partem non excedit.

II. Siquis autem hic iterum roget, quid tunc dicendum, ſi iſti ſex opponant, quod aliqui illorum duodecim innodati erant excommunicatione majori, ideoque ab Electione excluſi. Dicendum plane, nullam eſſe illorum Electionem, excommunicatio enim opponitur, non ut vota extenuentur, ſed ut nulla reddantur: *Extenuare votum*, ut docet Gloſſa, *eſt illud objicere, quod non annullat penitus votum, ſed illud minoris reddit auctoritatis. Annullare, eſt nullum reddere, ut ſiquis dicatur excommunicatus excommunicatione majori, vel ab homine ſuſpenſus &c.* Ceterum ex noſtro hoc Canone addiſcere licet. I. non ſemper valere Electionem a majori parte factam, ſed requiri, quod illa pars fuerit ſanior; reſpicit autem proprie ſanitas zelum eligentium, & merita electorum; majoritas vero eligentium numerum. II. ſi duabus Electionibus celebratis, una a parte duplo majori, alia autem a minori parte, non poſſe minorem partem aliquid opponere ad diminuendum vota eligentium, puta, quod minor pars eſt majoris auctoritatis, vel quod electus a minori parte eſt dignior, vel magis idoneus, vel alia, quæ attenuent vota eligentium, dum tamen non ea annullent; nam iſta, quæ annullant vota, objici quidem poſſunt a minori parte contra partem duplo majorem, puta, quod aliqui hujus partis ſint majori excommunicatione innodati, uti dictum eſt. Electio autem, in qua ejuſmodi excommunicatus admiſſus fuit, non valet, imo eligentes, ut notat inter alios Gloſſa, qui eum ſcienter admiſerunt, *ſunt privati poteſtate eligendi pro illa vice*.

# C A N O N IX.

Quamvis Conſtitutio felicis recordationis Alexandri Papæ IV. Prædeceſſoris noſtri cauſas Electionum Epiſcopalium, ſeu ſuper Electionibus Epiſcoporum exortas, non immerito Majoribus Cauſis annumerans, cognitiones ipſarum per appellationes quaslibet devolvi afferat ad Apoſtolicæ Sedis examen: Nos tamen, & temerariam appellantium audaciam, & effrænatam appellationum frequentiam refrænare volentes, hac generali Conſtitutione duximus providendum, ut ſi extra judicium in prædictis Electionibus, vel in aliis de Dignitatibus Epiſcopatu majoribus celebratis, expreſſa cauſa manifeſte frivola, contigerit appellari, per appellationem hujuſmodi nequaquam ad Sedem eandem negotium devolvatur. Sed cum in Electionum earundem negotiis, in Judicio, vel extra Judicium appellatur, in ſcriptis ex cauſa probabili, quæ probata deberet legitima reputari, ad Sedem ipſam hujuſmodi negotia deferantur. Ceterum in præmiſſis omnibus caſibus, liceat partibus ab hujuſmodi

ap-

appellationibus, nulla tamen interveniente pravitate, recedere, antequam præfatæ Sedi fuerint præſentatæ. Inferiores autem Judices, quorum erat ipſarum cauſarum cognitio, appellatione ceſſante, an in hoc pravitas interceſſerit, ante omnia diligenter inquirant; & ſi eam interceſſiſſe repererint, ſe de cauſis ipſis nullatenus intromittant, ſed præfigant dictis partibus terminum peremtorium competentem, in quo cum omnibus Actis, & monumentis ſuis Apoſtolico ſe conſpectui repræſentent.

## COMMENTARIUS.

I. Temerarium appellandi uſum refrænat, ac moderatur hic Canon relatus in Cap. x. *De electione &c.* in VI. ſtatuens, ut appellatio in Judicio, vel extra Judicium facta, cauſas Electionum Epiſcopalium, quæ Majoribus ab Alexandro Papa IV. annumerantur, ad Sedem Apoſtolicam non devolvat, niſi in ſcriptis, & ex cauſa probabili, quæ probata legitima cenſeretur, interjecta fuerit. Partibus fas eſſe declarat, ab hujuſmodi appellationibus recedere antequam ad Apoſtolicam Sedem delatæ fuerint, *nulla tamen interveniente pravitate*, ideſt, Simoniaca pactione, vel aliqua illicita datione, ſive promiſſione, vel violentia, vel metu, uti notavit Gloſſa. An ea intervenerit pravitas, jubet Canon, ut inferiores Ordinarii Judices, *ante omnia diligenter inquirant, & ſi eam interceſſiſſe repererint, ſe de cauſis ipſis nullatenus intromittant, ſed præfigant dictis partibus terminum competentem, in quo cum omnibus Actis, & monumentis ſuis Apoſtolico ſe conſpectui repræſentent.*

II. Plura ſunt, quæ in Canonem hunc noſtrum adnotemus. I. Conſtitutionem ipſam Alexandri Papæ IV. quæ *cauſas Electionum Epiſcopalium, ſeu ſuper Electionibus Epiſcoporum exortas Majoribus Cauſis* adnumerabat, reſervatis ſcilicet Apoſtolicæ Sedi, quæque incipiebat, *Dilecti filii*, jam pluribus ab hinc ſeculis deſiderari, ut ex Garſia notat Gloſſa in dicto Cap. x. aliique Canoniſtæ ibidem. II. licet cauſæ Electionum Epiſcoporum, aliorumque ſuperiorum Prælatorum ſint de Majoribus Cauſis, quæ de ſua natura pertinent ad Apoſtolicam Sedem, non devolvi tamen ad ipſam Sedem Apoſtolicam per appellationem, niſi in ſcriptis, & cum legitima cauſa appellatum ſit. III. licet regulariter in diffinitiva ſententia non ſit opus, quod appelletur in ſcriptis, nec quod inſeratur cauſa rationabilis in appellatione, ſpecialem nihilominus hunc eſſe caſum, in quo, cum appellatur in ſententia diffinitiva, oportet exprimere cauſam appellationis, & quod appelletur in ſcriptis: *Ratio ſpecialitatis*, inquit Gloſſa, *eſt, ne malitioſe, & ſine cauſa impediatur proviſio Eccleſiæ, quæ eſt multum periculoſa tam Eccleſiæ, quam ſubditis.* IV. cum appellatur in cauſa Electionis, tam in Judicio, quam extra Judicium, debere inſeri cauſam rationabilem ipſi appellationi, & appellari in ſcriptis. V. appellantem in cauſa prædictæ Electionis poſſe renunciare appellationi, antequam appellatio ſit devoluta ad Apoſtolicam Sedem. VI. Judicem à quo debere partibus terminum præfigere, intra quem ipſæ partes conſpectui Apoſtolico, ideſt Romano Pontifici ſe præſentent cum ſuis actis, & monumentis, ideſt, inſtrumentis, quæ ideo *monumenta* appellantur, quia monent Judicem, quid facere debeat; vel uti alibi legitur, *munimenta*, quia muniunt cauſam. Porro monumentum, vel etiam monimentum, generaliter dicitur quicquid nos monet, ſive monere poteſt rei alicujus præteritæ, ut Tituli, Sepulcra, Statuæ, Fana, Porticus, Carmina, Hiſtoriæ, Documenta Libri, cæteraque hujuſmodi.

## CANON X.

Si forte inter cetera, quæ objiciuntur Electo, aut Poſtulato, ſeu alias promovendo ad aliquam Dignitatem, evidentem ſcientiæ, vel alium perſonæ defectum opponi contingat: in diſcuſſione objectorum illum ſtatuimus ordinem incommutabiliter obſervandum, ut promovendus ſuper defectu ipſo ante omnia ſubjiciatur examini, cujus eventus examinandis aliis aut dabit initium, aut negabit. Ceterum ſi præmiſſi examinis exitus, hujuſmodi oppoſitiones docuerit veritate deſtitui, opponentes omnino a proſecutione cauſæ, in qua talia objecerunt, excludimus, & perinde puniri decernimus, ac ſi penitus in probatione omnium, quæ objecerant, defeciſſent.

## COMMENTARIUS.

I. Statuit hic Canon, qui inſertus eſt Capiti XI. *De Electione &c.* in VI. ut, *ſi forte inter cetera, quæ objiciuntur Electo, aut Poſtulato, ſeu alias promovendo ad aliquam Dignitatem, evidentem ſcientiæ, vel alium perſonæ defectum opponi contingat*; in diſcuſſione objectorum illum ordinem eſſe incommutabiliter obſervandum, *ut promovendus ſuper defectu*

ipſo

*ipſo ante omnia ſubjiciatur examini, cujus eventus examinandis aliis aut dabit initium, aut negabit*; & ſi reperiatur falſum opponens dixiſſe, a proſequutione negotii repellatur, ac perinde puniri, ac ſi penitus in probatione omnium, quæ objecerat, defeciſſet. Si ergo defectum, ſed non evidentem opponat, jam pœna ſtatuta, ut ex noſtro Canone deducitur, non habet locum. Quid autem dicendum, ſiquis plures opponat evidentes defectus, & alium probet, alium vero non probet. Reſpondet Gloſſa, opponentem ipſum repelli, ſi in primo deficit; ſi primum autem probet, repelli electum; qui etiam repellitur, ſi ſimul examinati fuerint ipſi defectus, & ſufficiens eſt defectus, qui reperitur verus. Id quod & alii Capitis hujus Interpretes docent.

# C A N O N XI.

Sciant cuncti, qui Clericos, vel quaslibet alias perſonas Eccleſiaſticas, ad quos in aliquibus Eccleſiis, Monaſteriis, aut aliis piis locis ſpectat Electio, pro eo quod rogati, aut alias inducti, eum, pro quo rogabantur, ſive inducebantur, eligere noluerunt, vel conſanguineos eorum, aut ipſas Eccleſias, Monaſteria, ſeu loca cetera, Beneficiis, ſive aliis bonis per ſe, vel per alios ſpoliando, ſeu alias injuſte perſequendo, gravare præſumſerint, ſe ipſo facto excommunicationis ſententia innodatos.

## COMMENTARIUS.

I. EXcommunicatione latæ ſententiæ, ſeu ipſo facto, ferit hic Canon relatus in Cap. XII. *De Electione &c.* in VI. eos omnes, qui vexaverint perſonam aliquam Eccleſiaſticam, vel ejus conſanguineos, aut ipſas Eccleſias, Monaſteria, ſeu loca cetera, Beneficiis, ſive aliis bonis ſuis, per ſe, vel per alios ſpoliando, ſeu alias injuſte perſequendo, pro eo quod rogati, ſeu alias inducti ad aliquem eligendum, eum eligere noluerint. Notat Gloſſa, & Canoniſtæ paſſim, excommunicationem iſtam contra offendentes Electores latam, eſſe univerſaliſſimam, & comprehendere etiam Epiſcopos, ſi & ipſi gravaverint aliquam perſonam Eccleſiaſticam, vel ejus conſanguineos, vel Eccleſias, ſeu bona, quod eum, pro quo rogabatur, noluerit eligere. Sane actio mala, propter quam excommunicatio incurritur, eſt quidem injuſta ſpoliatio, vel perſequutio illata Electori Eccleſiaſtico, ſeu illius conſanguineis, aliiſve notatis; at vero licet ex injuſtis actionibus expreſſe nominetur ſola injuſta ſpoliatio: non eſt tamen dubium, quin omnis alia injuſta perſequutio, & injuſtum gravamen intelligatur, ob illa expreſſa Canonis noſtri verba, *ſeu alias injuſte perſequendo, gravare præſumſerint*; & ob communem illam Canoniſtarum doctrinam, qui verbum *ſpoliando* exponunt pro auferendo, vaſtando, invadendo, ſurripiendo, vel fraudando.

II. Requiritur ergo ad eam incurrendam excommunicationem injuſta perſequutio, unde qui aliquem perſequeretur juſte, vel qui negaret Monaſterio eleemoſynas, quas conſueverat dare, vel nollet conferre aliquod beneficium ſpeciale, excommunicationem ipſam minime incurreret; incurrit enim ille, qui negat, quod ex juſtitia tenetur dare, uti poſt alios docet Paſſerinus in citato toties Tractatu, *De Electione Canonica*, Cap. VI. Num. XXXIV. Oportet præterea, ut ipſa perſequutio injuſta eam ob cauſam fiat, quod Elector ſcilicet eligere eum noluit, pro quo eligendo fuerat rogatus; nam alias ſiquis Electorem alio titulo perſequeretur, excommunicationem non incurreret. Sufficit quidem injuſta ſpoliatio, aut perſequutio, ſive ſit aperta, ſive doloſa, aut fraudulenta; nec refert, quod per alios fiat; nam ait Canon, *per ſe, vel per alios ſpoliando*. Putat Gloſſa, cui & alii quoque Scriptores adhærent, comprehendi ſub ipſo Canone Mandatarium, qui injuſtam perſequutionem exequitur, ſi nempe ſciat, eam ſibi mandatam intuitu Electionis. Sed cenſent alii, inter quos Archidiaconus, in citato Capite XII. & Sylveſter in Summa, verbo, *Excommunicatio* IX. Num. XXXIX. comprehendi Mandatarium mente Canonis, non verbis, maxime quia participat in crimine, ideoque non excommunicari Mandatarium vi hujus Canonis, ſed bene ex alio Canone, qui prohibet in crimine participare, de quo alias dictum fuit.

III. Quoniam non modo Electores perſequens, ſed & eorum conſanguineos injuſte gravans prædicta excommunicationis pœna percellitur, videndum eſt, uſque ad quem gradum pœna ipſa extenditur. Sylveſter loco citato Numero XXXVIII. & alii qui eum ſequuntur, ajunt, extendi uſque ad ſeptimum gradum; ſed alii tamen rectius docent, non extendi, niſi ad quartum gradum, quia in Jure non reputantur conſanguinei, niſi qui intra quartum gradum continentur. Quod affines ſpectat, ſi & hi graventur Electionis intuitu, tradunt Geminianus, & laudatus Sylveſter, nequaquam eos comprehendi hoc Canone, quia ſcilicet de ipſis nulla in eo mentio, cumque conſtitutio ſit pœnalis, non debet ad illos extendi; quia nempe in pœnis benignior eſt interpretatio facienda, ut ait Canonici Juris Regula XLIX. *De Regulis juris*, in VI. cui conſentit quoque Pauli Juriſconſulti Regula in Lege, *Factum cuique*, ff. *De regulis Juris*. Non deſunt tamen, qui autumant, indirecte etiam affines comprehendi, quia perſequutio, quæ fit affinibus Electoris, quia Electoris affines ſunt, redundat in injuriam, & in injuſtam perſequutionem ejuſdem Electoris, qui in ſuis perſequutionem patitur, eo quod rogatus noluit eligere, eum, pro quo fuerat rogatus; & ideo ex parte excommunicationem ipſam poſſe extendi etiam ad perſequentem injuſte affines, familiares, aut conjunctos Electoris, docet inter alios Suarez, quem

quem citat, & ſequitur Paſſerinus loco citato.

IV. Jam non omittendum Dubium illud, an locum habeat excommunicatio ob perſequutionem factam Patrono, ut eum præſentet, pro quo ſuit rogatus. Puto equidem, eam eſſe veram ſententiam, quæ dicit, extendi quidem, ſi præſentatio fiat a Patrono Eccleſiaſtico, non autem ſi a Laico fiat, quia ſcilicet Canon in eos invehitur, *qui Clericos, vel quaslibet alias perſonas Eccleſiaſticas ..... injuſte perſequendo gravare præſumſerint*, uti inter alios notavit Gloſſa, quæ etiam in verbo, *Eccleſiaſlicas*, ait, eo nomine intelligi, *Converſos, Templarios, vel Hoſpitalarios, qui licet non ſint Clerici, ſunt tamen Eccleſiaſticæ perſonæ*. Habet tandem ea pœna locum in Poſtulatione, ut ſcilicet excommunicatus cenſeri debeat, qui injuſte eos peſequitur, qui ad ejus intentionem non poſtularunt, quia ſcilicet Poſtulatio eſt ſpecies quædam Electionis non multum diverſa ab ipſa Electione, ut docet Paſſerinus, qui etiam eos refellit, qui excommunicationem etiam ad confirmantes Electionem, atque ad inſtituentes extendunt; quia ſcilicet Canon noſter expreſſe loquitur de Electione, ut eſt actus ſubditorum, quæ valde diverſa eſt a confirmatione, inſtitutione, & collatione.

# C A N O N XII.

Generali Conſtitutione ſancimus, univerſos, & ſingulos, qui Regalia, cuſtodiam, ſive guardiam advocationis, vel defenſionis titulum, in Eccleſiis, Monaſteriis, ſive quibuslibet aliis piis locis de novo uſurpare conantes, bona Eccleſiarum, Monaſteriorum, aut locorum ipſorum vacantium occupare præſumunt, quantæcumque Dignitatis honore præfulgeant; Clericos etiam Eccleſiarum, Monachos Monaſteriorum, & perſonas cæteras locorum eorundem, qui hæc fieri procurant, eo ipſo Excommunicationis ſententiæ ſubjacere. Illos vero Clericos, qui ſe, ut debent, talia facientibus non opponunt, de proventibus Eccleſiarum, ſeu locorum ipſorum, pro tempore, quo præmiſſa ſine debita contradictione permiſerint, aliquid percipere diſtrictius inhibemus. Qui autem ab ipſarum Eccleſiarum, cæterorumque locorum fundatione, vel ex antiqua conſuetudine, jura ſibi hujuſmodi vindicant, ab illorum abuſu ſic prudenter abſtineant, & ſuos Miniſtros in eis ſolicite faciant abſtinere, quod ea, quæ non pertinent ad fructus, ſive reditus provenientes, vacationis tempore non uſurpent, nec bona cætera, quorum ſe aſſerunt habere cuſtodiam, dilabi permittant, ſed in bono ſtatu conſervent.

## C O M M E N T A R I U S.

I. De Regalia illa agit hic Canon, quæ juxta ejuſdem hujus Canonis intelligentiam nihil aliud eſt, ut eam Scriptores definiunt, quam jus, & facultas Regibus conceſſa, ſive permiſſa, fructus, & proventus vacantis Epiſcopatus, cujus Electio ad Regem pertineat, percipiendi, & Beneficia, ac Præbendas curæ animarum expertes interim conferendi. Quamvis vero ſola vacantium Eccleſiarum cuſtodia ad Principes olim aliquibus in locis pertineret, poſtea tamen depoſitum, & cuſtodia ipſa in dominium, uſumque tranſiit, vincente Leges cupiditate, ut ſcitiſſime notat Cæleſtinus S. R. E. Cardinalis Sfondratus in ſua Gallia vindicata, Diſſertatione I. §. I. ubi etiam & illud addit, quod jam nos fuſe explicuimus Tomo I. Conciliorum in Commentario ad Canonem XXVI. Concilii Chalcedonenſis, ne cuſtodiam quidem olim Sacros Canones Principibus ſecularibus permiſiſſe, ſed Œconnomis, quos defuncto Antiſtite Clerus legebat. Porro tranſiit poſtea, ut dixi, ad Principes cuſtodia, & poſt cuſtodiam uſurpatio, quæ tamen priuſquam in legitimum jus, & privilegium evaderet, graviſſimis Patrum, Conciliorum, aliorumque cenſuris perſtricta fuit.

II. Quantum ad ejus originem, ingenue fatetur Natalis Alexander acerrimus Regaliæ propugnator, Diſſertatione VIII. in Hiſtoriam Eccleſiaſticam Seculi XIII. & XIV. Articulo I. Numero II. difficile eſſe illam indigitare. Illam enim vero antiquam quidem, ſed obſcuram plerique Gallorum Juriſconſultorum ſignificarunt. Paſquierius Lib. III. Diſquiſitionum, Cap. XXXV. ait, neminem adhuc ſe vidiſſe, qui ejus originem indicaverit: *Siquid enim*, inquit, *in Hiſtoria noſtra obſcurum eſt, id in primis de hac materia prædicandum*. Pinſonius in Tractatu, *De Beneficiis Eccleſiaſticis*, §. XIV. Num. VII. Regaliam ipſam Nilo flumini aſſimilat, quod ejus initium ignoratur: *Origo, incognita omnium memoriam excedens, in poſteriora tempora, & hodierna continua obſervatione ſeſe diffundit, Ægyptiaco Nilo ſimilis, cujus eo nobilior eſt curſus, quod origo latet, & uſque hodie incognita manſit &c.* Teſte Arnulpho Ruzæo in Tractatu, *De Jure Regaliorum*, I. Parte Præfationis, Num. IV. *Franci contendunt, nihil ipſis peculiarius eſſe inter Jura Coronæ, quam illud illuſtre, & excellens Jus Regaliorum cælitus Francorum Regibus conceſſum*.

III. Nimia hæc quidem, quæ Scriptores Galli de Regaliæ origine ſcribunt, ſicut & illud quod de eadem re, ſive de obſcura Regaliæ ori-

gine

gine aſſerult Renatus Chopinus Lib. I. *De Sacra Politia*, Tit. VII. Num. IX. ubi ita inquit: *Novum putet quiſpiam ex Regiis tabulis ſolum Patriiſque Senatus Conſultis peti hanc a nobis Regaliorum tractationem, nulla ſubjuncta priſcarum rerum memoria, externaque diſciplina; ſed meminerimus, Regalia eſſe hæc noſtratiumque Regum, Senatoriaque Placita verius, quam deſcriptis initio certæ artis præceptis conſtituta. Qualis Hebræorum cabala, qui doctrinæ ſuæ rationem quærentibus, unum hoc reſpondebant:* Dixerunt Sapientes. *Paria item Pythagoreorum Inſtituta probavit Gregorius Nazianzenus, cum Juliani Cæſaris occurreret convitio in Chriſtianæ Philoſophiæ dictatum hoc: Crede. Nam in diem cedente iſto, ipſe dixit; & apud nos crede, licet aliis ſyllabis, & verbis. Ita Nazianzenus; Ac velut Procopii τὰ ἀνέκδοτα memoravit Suidas, quaſi nondum vulgatum opus, nec aperte ſcripta methodo conſtans: ſic Regaliorum cognitio vix patuerit antiquarum dumtaxat lectionum ſtudioſis, ſed Praxi rebis, aſſiduiſque Forenſium cauſarum Auditoribus.* Atque hæc ſunt, quæ de Regaliæ origine ſcripſit Chopinus, quem alii Auctores Galli ſequuti ſunt, quos tamen omnes confutat zelantiſſimus Auctor Tractatus, qui inſcriptus eſt, *De Regalia*, juſſu Apamienſis Epiſcopi editus.

IV. Jam non defuerunt, qui ad Aurelianenſe Concilium ſub Clodovæo, in quo id Privilegii Clerus ipſi conceſſerit, Regaliæ exordia retulere, ejuſque ſententiæ inter alios fuit Philippus Probus in Tractatu, *De Jure Regaliæ*, Quæſtione II. Num. I. Verum, uti inquit Natalis ipſe Alexander acerrimus Regaliæ propugnator, in eo Concilio, quod præ manibus habemus, *nulla penitus de Regaliæ Jure extat memoria*. Alii ad Romanam ſub Hadriano I. Romano Pontifice Synodum, in qua Pontifex Hadrianus Carolo Magno, ut gratificaretur, poteſtatem conferendi omnium Inveſtituras Epiſcopatuum eidem conceſſerit. At unius Gratiani fulta teſtimonio, vel Sigeberti potius commento, ruit fictitiæ iſtius Synodi hiſtoria, ut idem Auctor docet, fuſeque oſtendimus nos Tomo III. Conciliorum in Commentario ad Canonem I. Concilii III. Lateranenſis. Verum ridendi ſunt illi, qui Jus Regaliæ competere Francorum Regi contendunt ob rotunditatem ejus Regiæ Coronæ, quaſi alii Principes coronam quadratam geſtent. Ridet merito hanc rationem Renatus Chopinus citato Lib. I. *De Sacra Politia*, Tit. VII. Num. XI. ubi ita ad rem loquitur: *Atqui Regalia iſta non ubique exercentur a Principe inter ſuos, multoque arctioribus, quam Regni limitibus circumſcribuntur, & terminantur, licet alioquin Regii Diadematis ſphærica forma ſit, in quo nihil inciſum angulis, nihil ſinuoſum, æqualitatemque motus, ac conſtantiam in omnibus ſuis partibus figura ſervet hujuſmodi*. Porro nuſquam auditum eſt, Regum, aut Imperatorum aliquem Coronam quadratam geſtaſſe; imo licet Reges omnes rotundam, ſeu ſphæricam Coronam deferant, contendunt tamen paſſim Auctores Galli, Jus Regaliæ, non ad alios, quam ad ſolos Galliæ Reges ſpectare: *Franci contendunt*, inquit Ruzæus, *nihil ipſis peculiarius eſſe inter Jura Coronæ, quam iſtud illuſtre & excellens Jus Regaliorum*.

V. Hiſce omiſſis commentis, adhæreo plane eorum ſententiæ, qui ajunt, poſt XI. Seculum cœpiſſe Regaliam, poſt pacatum ſcilicet magnum illud de Inveſtituris certamen, quod ut diximus Tomo III. Conciliorum in Hiſtoria Concilii Œcumenici I. Lateranenſis, tanto tempore Eccleſiam Imperiumque colliſit. Ab hoc tempore, ut notat Sfondratus, aliique Scriptores docti, Jus Regaliæ invaluit uſu præſertim, ac Epiſcoporum, Summorumque Pontificum tolerantia, quæ pro tacito privilegio acceptabatur; nec deerant qui crederent, Jus Regaliæ, ac vacantium bonorum occupationem neceſſario conſequi ex laudati Concilii I. Lateranenſis, atque Calliſti II. Papæ Conſtitutione, ſublata illa Annuli, ac Baculi cæremonia, qua Inveſtituræ concedebantur. Sed hæc falſa opinio eſt, cum nulla prorſus fiat in toto Lateranenſi Concilio, & in Calliſti II. Diplomate mentio, vel verbum ullum de vacantia Eccleſiæ fructibus, aut proventibus, a Principe interim diſponendis, donec facta fuiſſet novi electio Antiſtitis. Imo non tantum conceſſa non eſt ea Principi facultas, aut ſilentio prætetita, ſed etiam, ut videtur, a Concilio, & ab ipſo Pontifice, qui Concilio præfuit, damnata, ut videre eſt Canone IV. & Canone XIV. quos nos jam ſuo loco explicuimus.

VI. Jam ſi veterem Gallicanæ Eccleſiæ diſciplinam inſpiciamus, certum illud profecto eſt quod docent Auctor Tractatus *De Regalia*, Apamenſis Epiſcopi juſſu editi, Sfondratus, aliique zelantiſſimi priſcorum Canonum propugnatores, ſub Regibus Galliæ primæ, ſecundæque, ac tertiæ Stirpis Regaliæ locum non fuiſſe. Recepta eſt quippe omnium fere Scriptorum opinio, tres eſſe Regum Galliæ ſtirpes, Merovingicam ſcilicet, Carolinam, & Capeticam. Primus e Merovingica Stirpe Chriſtianam Religionem amplexus eſt Clodovæus Magnus; qui anno CDLXXXI. Regnum adeptus eſt defuncto Patre Childerico, annoque poſtea CDXCVI. ſive, ut alii volunt, anno CDXCIX. partim Clotildæ Reginæ precibus flexus, partim victoriis miraculo datis, Chriſtianam Religionem, recepto Baptiſmate, profeſſus eſt; duravitque Stirps ipſa Merovingica ad annum uſque DCCLII. Ab hac enim in Stirpem Carolinam migravit, Childerico III. in ordinem redacto, utpote rebus gerendis impare, cui auctoritate Zachariæ Romani Pontificis Maximi Pipinus ſucceſſit Caroli Martelli filius. Pipinus autem, ab eoque progeniti Succeſſores anno CCXXXVI. rerum potiti Familiæ Capetæ Sceptrum ceſſere. Quippe Ludovico V. Stirpis Carolinæ ultimo ſine filiis mortuo, Hugoni Capeto Galliæ Regnum delatum eſt communi ſtatuum, ac Procerum voto, & Carolo Lotharingiæ Duce, ac Ludovici nepote Regnis excluſo. Iniit Capetus Regnum anno Chriſti CMXCVI. ſive, ut alii referunt, anno CMLXXXVII.

VII. Binæ ergo Stirpes Merovingica, & Carolina annos CDXCII. duravere, eoque tot annorum decurſu, aut Gallos certe latuit Regalia, aut ſi aliquando aliquid Regaliæ ſimile emerſit, graviter pulſata eſt. Regebantur tunc quippe Eccleſiæ Gallicanæ ex præſcripto tum primorum quatuor Conciliorum, tum aliorum, quæ in Galliis celebrata fuerunt. Hæc vero omnia graviſſimis Decretis Regaliæ quammaxime obſtabant. Agmen ducat Œcumenica Synodus Chalcedonenſis, cujus teſte Hincmaro in Epiſtolis XXI. & XLV. maxima fuit apud Gallos reverentia, Canone XXV. ex interpretatione Dionyſii Exigui,

expreſſe edixit, ut *reditus Eccleſiæ viduatæ penes Œconomum ejuſdem Eccleſiæ integri reſerventur*. Concilium Regenſe anno Chriſti CDXXXIX. in Galliis habitum, cui præfuit Hilarius Arelatenſis, & ſubſcripſerunt tredecim Epiſcopi, Canone VI. mandat, ut ubi Epiſcopus aliquis deceſſerit, rerum ejus Eccleſiæ *vicinis vicinarum Eccleſiarum inſpectio, recenſio, deſcriptioque mandetur*. Concilium Arelatenſe II. anni DXV. Canone VI. vult quidem, ut *Epiſcopus, qui ad ſepeliendum Epiſcopum venerit, evocatis Epiſcopis in unum, Domum Eccleſiæ adeat, deſcriptamque idoneis perſonis cuſtodiendam relinquat, ut res Eccleſiæ ullorum improbitate non pereant*. Concilium Pariſienſe V. anni DCXV. Can. VII. non modo ſtatuit, ut *defuncto Epiſcopo, non per præceptum, neque per qualemcumque perſonam res Eccleſiæ contingantur, ſed vel ab Archidiacono, vel Clero in omnibus conſerventur*; verum addit mox etiam ſtatim, *quod ſiquis aliquid auferre præſumſerit .... ut necator pauperum communione privetur*.

VIII. Sed ut alias Gallicanas Synodos omittam, quas ad confodiendam Regaliam laudati ſuperius Scriptores recenſent, Hincmarus Archiepiſcopus Remenſis, qui claruit medio IX. Seculo, in Epiſtola ſua ad Epiſcopos, egregie memoratam hucuſque diſciplinam confirmat, ſic inquiens: *Facultates Eccleſiæ viduatæ poſt mortem Epiſcopi, penes Œconomum integræ conſervari jubentur futuro Succeſſori ejus Epiſcopo: quoniam res, & facultates Eccleſiæ non in Imperatorum, atque Regum poteſtate ſunt ad diſpenſandum, vel invadendum, vel diripiendum*. Rurſus in Epiſtola XXI. ad Epiſcopos in Concilio Sveſſionenſi congregatos expreſſam faciens Concilii Chalcedonenſis mentionem, in eum abuſum invehitur, quo ſæculares Principes res Eccleſiæ poſt Epiſcopi obitum uſurpabant: *Lingonenſem Eccleſiam Paſtore viduatam uſurpare præſumſit Ulfaldus, ejuſque facultates, quæ ſecundum Chalcedonenſe Concilium penes Œconomum futuro debuerant reſervari Epiſcopo, ſuis, ſuorumque uſibus arrogavit*. Tandem in Epiſtola XLV. de eadem re ita ſcribit: *Res, & facultates Eccleſiæ viduatæ nemini Chriſtiano licet præſumere: multo minus idem Epiſcopus*, Artardus ſcilicet, cujus ſupra meminit, *ſine ſui ſtatus periculo, ac animæ detrimento, Eccleſiæ invaſæ res, & facultates, prævalet uſurpare*.

IX. His adde complura vel ipſorum Principum teſtimonia, qui Regaliæ uſum utpote animabus ſuis noxium non ſemel damnarunt. Alphonſus Comes Toloſanus apud Catellum in Hiſtoria Comitum Toloſanorum anno MCXXXVIII. ita plane inquit: *Ego Alphonſus derelinquo, & abſolvo coram populo Chriſtiano illam peſſimam conſuetudinem, quam Anteceſſores mei in rebus Toloſani Epiſcopi, defuncto eodem Epiſcopo, per violentiam exigebant, &c. nec ego, nec ullus ex heredibus meis habeat poteſtatem rapiendi, vel capiendi res Epiſcopi poſt mortem ejus*. Ermengardis quoque apud Petrum de Marca Libro VIII. *De Concordia*, Cap. XVIII. hunc in modum loquutus eſt anno MCLV. *Ego Ermengardis recognoſcens injuriam, quam parentes mei, & ego in poſſedendis honoribus, & bonis diripiendis decedentium Archiepiſcoporum Narbonenſis Eccleſiæ, hucuſque perperam fecimus, pro remedio animæ meæ, & parentum derelinquo &c.* Teſte eodem de Marca citato Libro VIII. Cap. XXVII. Raymundus VI. Comes Toloſanus cum a Cenſuris quas ob Albigenſes hæreticos in patrocinium receptos meruerat, abſolveretur, ita in conventu Epiſcoporum, Legatoque Summi Pontificis præſente, anno MCCIX. loquutus eſt: *Ego Raymundus Dei gratia Dux Narbonæ, Comes Toloſæ, Marchio Provinciæ, pro remedio Animæ meæ, omnibus Eccleſiis, & Domibus Religioſis Provinciarum Viennenſis, Arelatenſis, Narbonenſis, Auxitanæ, Burdigalenſis, & Bituricenſis, immunitatem ſecundum Statuta Canonum, defunctis earum Epiſcopis, vel Rectoribus, concedo: ipſas Domos nullo modo ſpoliabo, nec adminiſtrationi earum, ſeu cuſtodiæ, occaſione alicujus conſuetudinis &c. me ullatenus immiſcebo &c.*

X. Ex hactenus productis, ut plurima alia omittam, teſtimoniis, quæ plane clariſſima ſunt, omnique exceptione majora, jam multa colligere licet, a variis Auctoribus jam alias notata, ac præſertim ab Auctore Tractatus, *De Regalia*, & a laudato Sfondrato in citata Diſſertatione I. §. I. Patet itaque primo, vacantium bonorum Eccleſiarum rapinam graviſſime a Sacris Synodis, atque præſertim a Gallicanis prohibitam fuiſſe; imo & Reges ipſos, ſeu Principes hunc ipſum abuſum & agnoviſſe, & execratos eſſe; atque ut corrigerent, adlaboraſſe; ideoque non potuiſſe hoc jus coævum eſſe Coronæ Gallicæ, quod Canones, quod Epiſcopi, quod Reges Galliæ tanto tempore, aut ignorarunt, aut execrati ſunt; quamvis enim ſubinde ſe in lucem proferret, imo Aulam penetraret, ſemper tamen pro abuſu, & flagitio proclamatum eſt, nunquam pro jure: *Quis vero*, verba ſunt ejuſdem Sfondrati, zelantiſſimi S. R. E. Cardinalis, *niſi temerarius, abuſus, & flagitia Gallicæ Coronæ connata eſſe dixerit?* Secundo, quamvis ea vacantium Eccleſiarum rapina honeſtius proceſſura conſuetudinem prætexeret, non ideo tamen a Galliæ Epiſcopis, aut etiam Principibus excuſata eſt. Dum enim agnoſcerent, non ſacris Canonibus tantum adverſari, ſed etiam Divinis Legibus, merito negabant, obtentu conſuetudinis, aut beneficio temporis purgari poſſe; quanto enim diutius, tanto pejus peccabatur; nam ut bene S. Cyprianus advertit in Epiſtola LXXIV. ad Pomponium: *Conſuetudo, quæ apud quoſdam obrepſit, impedire non debet, quo minus veritas prævaleat, & vincat: nam conſuetudo ſine veritate vetuſtas erroris eſt*.

XI. Præterea ex recitatis ſuperius teſtimoniis emicat vigilantia, ac vigilantiæ par libertas Cleri Gallicani, quippe qui, ut primum abuſus ille in publicum prodibat, eundem confodere conatus eſt, Canonibus, Decretis, armatis in illum vocibus. Nulla hic adulatio, nulla turpis conniventia, nec ſervile obſequium, quo Principum delicta plerumque palpantur, remediis omiſſis: monebantur, rogabantur, terrebantur, ut etiam inviti, & morbum agnoſcerent, & medicinam admitterent; qua libertate venerationi erga Principem mixta, ac vitæ præſertim ſanctiſſimæ ſacrorum hominum, effectum eſt, ut male incœptis Principes abſtinerent, amarentque, qui pronos in præcipitium morabantur. Qua in re Injurioſi Epiſcopi Turonenſis exemplum memoratu digniſſimum eſt, quod refert in Hiſtoria ſua Gregorius Turonenſis Lib. IV. Cap. II. Sane edixerat Clotarius Rex omnibus

ſui

ſui Regni Epiſcopis, ut tertiam ſuarum facultatum partem Regio Fiſco inferrent. Quam inique id a Sacerdotibus peteretur, jam palam omnibus erat, ſed nemo tamen auſus obſiſtere, quin potius, quod turpius eſt, ſubſcripſere omnes, excepto laudato Injurioſo invicti animi Epiſcopo, qui ſe Principi oppoſuit, & libertate Epiſcopo digna negavit, ſe tam iniquis imperiis poſſe ſubſcribere: *Facultates Eccleſiæ*, inquit, *pauperibus, non luxui, aut Aulæ deberi: ſi quæ Dei ſunt, Princeps involaret, quid aliud a Deo expectet, quam ut feſtinata vindicta Regnum amittat? Indignum Rege faciunt eſſe, ſi pauperum ſpoliis Ærarium, & Palatium impleat: Principum eſſe dare, non adimere pauperibus: num ergo Regem Galliæ aliter ſuſtentari non poſſe, quam ſanguine, & lacrymis, prædiſque miſerorum?* Dixit, receſſitque indignanti ſimilis, vultuque, quem rei indignitas inflammaverat, ſuccenſo, nec Rege ſalutato: qui tamen libertate Epiſcopi, ac facti conſcientia permotus Edictum reſcidit, Sanctumque Præſulem muneribus placavit, preceſque, ac veniam delicto petiit.

XII. Sequioribus ſeculis crebra, ac gravis fuit de Principibus, ac Regibus querela, qui etiam ut diutius Eccleſiarum Regalibus fruerentur, vel earundem, uti vocabant, Inveſtituras, de quibus fuſe egimus Tomo III. Conciliorum in Hiſtoria Concilii Œcumenici I. Lateranenſis, differebant, vel Electiones Epiſcoporum, atque Abbatum impediebant: quod in primis objectum Germanis Imperatoribus in diuturna, ac gravi illa inter Sacerdotium, & Imperium diſcordia apud Scriptores, qui de ea pluribus egerunt, & præ ceteris Arnoldus Lubecenſis Libro III. Cap. XVI. Idem etiam non modo objectum Galliæ Regibus, atque Principibus, uti hactenus oſtenſum eſt, ſed & Regibus Angliæ, teſte Orderico Vitale Lib. X. ubi de Guillelmo Ruſo Angliæ Rege loquens, hæc habet: *Defunctis Præſulibus, & Archimandritis, Satellites Regis Eccleſiaſticas poſſeſſiones, & omnes gazas invadebant, trienniocque, ſeu plus dominio Regis omnino mancipabant. Sic nimirum pro cupiditate redituum, qui Regis in Æraria recondebantur, Eccleſiæ vacabant, neceſſariiſque carentes Paſtoribus, Dominicæ oves lupinis morſibus patebant.* Similis eſt Willelmi Neubrigenſis de Henrico II. ejuſdem Angliæ Rege querela, ubi ita ſcribit Lib. III. Cap. XXVI. *Vacantes Epiſcopatus, ut provenientia perciperet commoda, diu vacare voluit, & Eccleſiaſticis potius uſibus applicanda, in Fiſcum redegit.* His ſimilia legere eſt apud Hugonem Flaviniacenſem in Chronico, Pag. 245. & apud Willelmum Malmesburienſem Lib. I. De geſtis Pontificum Angliæ, & apud alios Auctores complures, qui Seculo Chriſti XII. & XIII. claruerunt.

XIII. Ergo Regaliam, vel ſi mavis, Regaliorum jus, ſeu potius abuſum non in Epiſcopatibus duntaxat obtinuiſſe, ſed & ad Monaſteria, aliaque Beneficia Eccleſiaſtica productum, ex recitato Orderici Vitalis loco addiſcimus; adeo ut quemadmodum Principes, vacantibus Epiſcopatibus, eorum dominiis, ſeu, uti vocabant, Regalibus fruebantur, ac Beneficia ab iis dependentia, quæ hoc temporis interſtitio vacabant, conferebant, idem in Monaſteriis jus ſibi adſcriberent, nulla certe fulti Canonica auctoritate, ſeu Privilegio, Indultove Apoſtolicæ Sedis. Certe noſtrum hoc Generale II. Lugdunenſe Concilium, cui præſedit Gregorius Papa X. præſenti hoc Canone ſancit primum, & quidem *generali Conſtitutione, univerſos, & ſingulos, qui Regalia, cuſtodiam, ſive guardiam advocationis, vel defenſionis titulum, in Eccleſiis, Monaſteriis, ſive quibuslibet aliis piis locis de novo uſurpare conantes, bona Eccleſiarum, Monaſteriorum, aut locorum ipſorum vacantium occupare præſumunt, quantacumque dignitatis honore præfulgeant, Clericos etiam Eccleſiarum, Monachos Monaſteriorum, & perſonas cæteras locorum eorundem, qui hæc fieri procurant, eo ipſo excommunicationis ſententiæ ſubjacere. Illos vero Clericos, qui ſe, ut debent, talia facientibus non opponunt, de proventibus Eccleſiarum, ſeu locorum ipſorum, pro tempore, quo præmiſſa ſine debita contradictione permiſerint, aliquid percipere diſtrictius inhibemus &c.* Canon hic plane eſt, qui ut ederetur, effecerunt quidem Galliæ, Angliæque Epiſcoporum querelæ, Concilium, Patreſque inclamantes contra eum Regaliæ abuſum, ut teſtis eſt Guillelmus Durandus Epiſcopus Mimatenſis, qui Concilio huic interfuit, Patrumque juſſu Canones contexuit, ac Commentariis illuſtravit, quos Majolus Juris Conſultus publici juris fecit anno MDLXIX. Teſtatur autem & illud Petrus de Marca Archiepiſcopus Pariſienſis, preces etiam Philippi Audacis, ejuſque Oratorum acceſſiſſe, qui hoc ipſum a Patribus poſtularunt.

XIV. Plura ſunt, quæ in hunc Canonem, ſeu Conſtitutionem contra Regaliæ abuſum notant Scriptores; præſertim vero illud, ubi nempe hactenus jus Regaliæ uſurpatum non fuit, vetitum eſſe deinceps uſurpari; ſtatim enim ita Canon ſubjicit: *Qui autem ab ipſarum Eccleſiarum, cæterorumque locorum fundatione, vel ex antiqua conſuetudine jura ſibi hujuſmodi vindicant, ab illorum abuſu ſic prudenter abſtineant, & ſuos Miniſtros in eis ſolicite faciant abſtinere, quod ea, quæ non pertinent ad fructus, ſive reditus provenientes vacationis tempore non uſurpent; nec bona cætera, quorum ſe aſſerunt habere cuſtodiam, dilabi permittant, ſed in bono ſtatu conſervent.* Jam quantum ex noſtro hoc Canone apparet, ii plane omnes anathemate feriuntur, qui abuſum Regaliæ inducunt, *quantacunque dignitatis honore præfulgeant*; quibus verbis, quicquid in contrarium ſentiat Natalis Alexander, ſat Concilium hoc Lugdunenſe oſtendit, Reges etiam ligare voluiſſe; quod & expreſſius manifeſtat pars illa Gloſſæ in Cap. *Generali*, XIII. *De Electione*, in VI. quæ fuit reciſa ſub Gregorio XIII. quamque refert Natalis Alexander in Hiſtoriam Eccleſiaſticam Seculi XIII. & XIV. Articulo V. Num. XXII. Hæc enim verba illius Gloſſæ: *Alii dicunt, quod Regalia accipiuntur pro Juribus, quæ habet Princeps in aliquibus Eccleſiis, videlicet, quod vacante aliqua Eccleſia, Rex percipiat fructus, & Eccleſiam conferat. Nam collatio Beneficiorum computantur in fructu. Et iſta fuit controverſia alias mota inter Philippum Regem Francorum, & Bonifacium VIII. conditorem hujus compilationis. Qui Bonifacius dicto Philippo Regi ſcripſit quandam Epiſtolam, in qua continebantur iſta verba:* Collatio Beneficiorum eſt ſpiritualis: ſecus autem credentes hæreticos reputamus. *Quam Epiſtolam cum perlegiſſet ipſe Philippus,* ci-

*eidem Bonifacio ſcripſit aliam Epiſtolam, in qua poſita erant iſta verba:* Collatio Beneficiorum ad nos ſpectat, & pertinet: ſecus credentes, fatuos, & dementes reputamus. *Ideo ſecundum aliquos Conſtitutiones iſtius compilationis non fuerunt receptæ in hoc Regno*, Galliæ ſcilicet, *propter iſtam controverſiam.*

XV. Quicquid autem ſit de ea controverſia, quam fuſe enarrant Spondanus, Raynaldus, aliique Scriptores Vitæ Bonifacii Papæ VIII. illud plane addiſcimus ex recitatis Gloſſæ verbis, reſpexiſſe Canonem noſtrum etiam Reges; id quod etiam ante Gloſſam docuit Guillelmus Durandus, qui, uti dictum eſt, huic Concilio interfuit, ejuſque Canones Commentariis illuſtravit. Sic autem in hunc Canonem inquit: *Regalia hic vocantur jura Regi in quibuſdam Eccleſiis, & Monaſteriis competentia, quia videlicet illis vacantibus Rex ſub prætextu cuſtodiæ facit fructus ſuos.* Idem præterea Auctor in Speculo Juris, verbo, *Regalia*, rem ipſam expreſſius declarat, ſic inquiens: *Præſens Conſtitutio fuit ad clamorem Prælatorum Franciæ, & Angliæ promulgata. Nota ergo, quod Regalia hic vocantur, Jura Regi in quibuſdam Eccleſiis, & Monaſteriis competentia.* Mirum proinde eſt, quod Natalis Alexander acriter contendat, non loqui hunc Canonem de Regibus; complures coacervando Canones Conciliorum particularium, in quibus, ubi de Regaliæ abuſu agitur, nulla fit Regum mentio. Concilia quippe Provincialia, quæ Concilia Œcumenica decrevere, particularibus ſuarum Regionum abuſibus aptant; unde ſi ipſis neceſſe non fuit arcere Reges a fructibus Eccleſiarum vacantium percipiendis, id profecto intelligere neceſſe non eſt de Concilio Œcumenico, in quo, teſte laudato Durando, Franciæ, & Angliæ Prælati de ſuis Regibus conquerebantur, quia hujuſmodi fructus ſibi addicebant. Ceterum ne a quopiam dubitari poſſit, quid nomine Regalium voluerit Concilium hoc noſtrum intelligi, ideo multiplicantur, & hæ aliæ voces æquivalentes, videlicet, *cuſtodiæ, defenſionis, uſurpationis, & vindicationis fructuum vacantium Eccleſiarum*; quæ omnia Regaliam, de qua agimus aperte notant, ut nihil apertius dici poſſit; & videri inter alios poſſunt, Gloſſa, Archidiaconus, aliique cum veteres, tum recentes Sacrorum Canonum Interpretes in dicto Capite, *Generali*, XIII. *De Electione &c.* in VI. in quod noſter hic Canon Lugdunenſis Concilii, ſeu Conſtitutio relata fuit.

XVI. Notandum præterea & illud, cauſam, quæ Concilium permovit, ut Regaliam iis in locis, ubi invaluerat, permitteret, non aliam in Canone produci, quam fundationem Eccleſiarum, & conſuetudinem diuturnam: *Qui autem ab ipſarum Eccleſiarum, cæterorumque locorum fundatione, vel ex antiqua conſuetudine jura ſibi hujuſmodi vindicant &c.* Quibus verbis ea confirmantur, quæ plerique eruditi Auctores docent, Regaliam nempe non a Jure Feudali, non a Privilegio Calliſti Papæ II. ut quidam opinati ſunt, aut ab aliis ſequioris ævi Pontificibus Maximis profectam eſſe, ſed a conſuetudine, quæ abuſu cœpta, in uſum, tandemque in tolerantiam, atque in Privilegium deſiit. Cur enim tam honeſtos titulos, & qui etiam ſufficerent, conſuetudine ſepoſita, Concilium hoc præteriret? Imo ſi illis Regalia niteretur, jam reſtringi non poterat, ſed univerſim admitti, non minus, quam Feuda, & Inveſtituræ, debebat. Ante conſuetudinem itaque, nullus Regaliæ titulus, quo licita redderetur, niſi tolerantiam velis; quamquam nec tolerantia fuit, quam tot a Pontificibus, Conciliiſque Decreta edita, quæ longo agmine afferri poſſent, præter ſuperius jam recitata, interruperant; aut ſi aliquando connivebant, metu, faſtidioque tenebantur, re toties, & in caſſum tentata, uti inter alios obſervat doctiſſimus laudatus toties Cæleſtinus Sfondratus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, in ſua Gallia Vindicata, Diſſertatione 1. §. 1.

XVII. Illud quoque omnino adnotandum cenſeo, ex noſtro hoc Canone Regaliam ibi tantum admitti, ubi hactenus antiqua conſuetudo inoleverat, annorum ſcilicet XL. uti notant Doctores, & Gloſſa in dicto Capite, *Generali*, *De Electione &c.* in VI. Alibi vero, & præter morem eam induci, ſub pœna anathematis ipſo facto incurrenda, nullaque Dignitatum exceptione, enixiſſime Canon prohibet: *Illos vero Clericos, qui ſe, ut debent, talia facientibus non opponunt, de proventibus Eccleſiarum, ſeu locorum ipſorum pro tempore, quo præmiſſa ſine debita contradictione permiſerint, aliquid percipere*, mox idem Canon inhibet. Habes hic itaque mentem Eccleſiæ Gallicanæ in Generali hoc Lugdunenſi II. Concilio expreſſam, & Regaliam ad ſolam conſuetudinem reſtringentis. Habes hic etiam illorum ſacrorum Hominum reprehenſionem, damnationem, qui non ſemel quæ ſua ſunt, non quæ Jeſu Chriſti, quærentes, auctores Principibus, & Magiſtratibus ſecularibus ſunt, ut Eccleſiæ jura convellant, bonaque diripiant. Id quod non modo antiquis, ſed & recentibus exemplis abunde probari poſſit. Neque enim deſunt hodieque aſſentatores ex Ordine ipſo Eccleſiaſtico, imo & Regulari, qui malo ambitionis ſpiritu ducti, ut gratiam ſibi concilient Principum, Canonicas ſanctiones parvipendere non erubeſcunt, & Præcepta ipſa Decalogi, ac repugnantia Divinarum Scripturarum Oracula contra ſenſum Sanctorum Patrum in ſuam perverſam ſententiam effrenatæ quorundam Principum, ac Magiſtratuum laicorum licentiæ faventem perperam trahere.

XVIII. Quamvis autem toleret Synodus ipſa Lugdunenſis jus Regaliæ, quam inveterata conſuetudo in quibuſdam Eccleſiis introduxit, expreſſe nihilominus vetat eam de novo uſurpari in Eccleſiis illis, in quibus Regalia hactenus non fuit; neque enim omnes Galliæ præſertim Eccleſiæ ſubjectæ illi juri fuere. Teſtantur id quidem paſſim Auctores Galli, inter quos doctiſſimus Chopinus Lib. 1. *De ſacra Politia*, ita ſcribit: *Si a Pontificia Legum relaxatione hoc Regaliarum genus magis, quam a poſſeſſione ſtrictis finibus ſepta, promiſcuus hic fuiſſet, & indefinitus privilegii uſus, in omnes Epiſcopatus Galliæ &c.* Et infra: *Quatenus Regaliarum jus in aliquibus Eccleſiis poſſeſſum, eatenus præſcriptum, quæſitumque intelligitur.* Tum etiam Libro x. Monaſticon idipſum confirmat, ſic dicens: *In multis quidem ſacrarum Eccleſiarum finibus Galliæ, ignota ſunt, nec uſu trita, Regaliarum jura.* Rebuffus quoque in Pariſienſi Univerſitate Jurium Profeſſor celeberrimus, in Tractatu, quem de Regia ad Prælaturas Nominatione ſcripſit, conſtanter aſſerit, *Reges in ali-*

*quibus*

*quibus tantum Ecrleſiis ſui Regni Beneficia conferre titulo Regaliæ, idque ex Privilegio, & conceſſione Eccleſiæ, cum alias Juri communi id repugnet.* Ut alios tandem Scriptores Gallos omittam, Auctor Gloſſæ in Pragmaticam Sanctionem Ita inquit: *Rex Franciæ, & Rex Angliæ vendicant ſibi*, vacantibus ſcilicet Eccleſiis, *jus conferendi Beneficia in quibuſdam Eccleſiis Cathedralibus*.

XIX. Sed audiamus ipſos ea in re Galliæ Reges, quippe qui ingenue, ac iterum, iterumque proteſtati ſunt, non omnes Galliæ Eccleſias, ſed aliquas dumtaxat Regalia teneri, illas nempe, in quibus, ut Canon noſter edicit, *ab ipſarum fundatione, vel ex antiqua conſuetudine*, Regalia inolevit. Certe anno MCCCII. qui fuit XXVIII. poſt Concilium hoc Lugdunenſe, ut teſtis eſt Auctor Tractatus, *De Regalia*, Philippus Pulcher Galliæ Rex Conſtitutionem edidit, cujus hæc ſunt verba: *Quantum ad Regalia, quæ Nos, & Prædeceſſores noſtri percipere aſſuerimus in aliquibus Eccleſiis Regni noſtri, quando eas vacare contigerit.* In Litteris quoque, quas idem Philippus ad Bonifacium VIII. Papam dedit, diſerte ait: *Aliquarum Ecrleſiarum, & Præbendarum collatio ad Nos jure Regio pertinet.* Anno MCCCXXXIV. Philippus Valeſius in celebri ſua Conſtitutione, quam Philippinam appellant, inter alia ait, ab aliquibus dubitatum fuiſſe, *An jus Præbendas, Dignitates, aliaque Beneficia conferendi ad Nos pertineat, vacante videlicet Eccleſia, & in iis locis noſtri Regni, in quibus jus Regaliæ obtinemus.* Teſte eodem Auctore, qui Tractatum, *De Regalia*, edidit, anno MCCCLII. condita eſt a Rege Galliæ Conſtitutio, cujus Titulus, *Ecrleſiæ cadentes in Regaliam*; continetque XXX. Diœceſes, nulla facta mentione aliarum ejus Regni Provinciarum, vel Diœceſum.

XX. Rurſus anno MCDVIII. & MCDLI. editæ Conſtitutiones Caroli VI. & VII. ita inquiunt: *In Epiſcopatibus, in quibus Regaliæ jus habemus.* Anno MCDXCIX. Ludovicus XII. Edictum edidit, cujus hæc ſunt verba: *Omnibus noſtris Officialibus, ſub pœna, quæ ſacrilegis debetur, infligenda probibemus, ne uſumfructum Archiepiſcopatuum, Epiſcopatuum, aliorumque Beneficiorum occupent, in quibus jus Regaliæ non habemus.* Anno MDCVI. Henricus IV. cognomento *Magnus* novo ſuo Edicto omnes ipſas Regum Prædeceſſorum Conſtitutiones confirmat, declaratque, *nolle ſe Regalia frui, niſi intra limites, modumque a ſuis Anteceſſoribus præſcriptum, nec velle eam cum præjudicio Eccleſiarum exemtarum extendi.* Anno tandem MDCXXIX. Ludovicus XIII. ad preces Cleri Gallicani recitatum Henrici IV. Edictum ratum eſſe, haberique voluit. Præſertim vero Septimmaniæ Provinciam fuiſſe a Regalia exemtam, infinita fere ſunt documenta, quæ apud Petrum de Marca, & apud Epiſcopum Apamienſem videri poſſunt.

XXI. Quum itaque ex allegatis hactenus teſtimoniis vel ipſorum Regum, atque Scriptorum Galliæ conſtet, non omnes Eccleſias ejus Regni Regalia teneri, ſed multas imo ab ea lege exemtas eſſe, etiam longe poſt Concilii hujus II. Lugdunenſis Decretum, quo cautum fuit, ne jus Regaliæ ad eas Eccleſias proferretur, quæ hactenus, ideſt, uſque ad annum MCCLXXIV. quo illud habitum eſt, a Regaliæ ſervitute immunes fuerant, gauderentque jam complures ejuſdem Galliæ Eccleſiæ nativa, & Canonica Libertate annos fere CD. quot videlicet jam decurrerunt a prædicto anno MCCLXXIV. uſque in annum MDCLXIII. quum Regis Edicto omnes tota Gallia Eccleſiæ ſubjectæ ſunt Regaliæ. Plerique jugum accepere, querebantur tamen, dolebantque, ſe invitos cogi, & Notarios, ac teſtes adhibebant, qui ne libertati ſuæ id quicquam noceret, in Tabulas referrent, miſero, inanique ſolatio perditæ libertatis: *Capi*, ajebant, *vinciri volumus, & hoc ipſum chirographo teſtamur: id tantum ſcribite, liberos nos eſſe.* Recuſarunt alii, ſed tamen Capitulis ſuis permiſere, ut Regaliæ ſubſcriberent, perinde ac ſi nulla Paſtoris culpa eſſet, ſi ejus non imperio quidem, ſed permiſſu oves erraſſent. Si enim Regaliam ſuis Eccleſiis imponi juſte crediderant, cur ergo ipſi abnuebant? Si injuſte, cur, ut Canonici id facerent, patiebantur? Enimvero non minus in Animarum, quam Militum Ductore eadem, parique momenti culpa eſt, facere, & non prohibere, cum poſſit. Sed Regaliſtarum importunitas Beneficia fructuſque raptantium effecit, ut qui iſtorum graſſationibus liberari vellent, jugum ſubirent, fœda quidem, ſed utili ſervitute.

XXII. Obſervat hæc inter alios præſtantiſſimus S. R. E. Cardinalis Cæleſtinus Sfondratus in toties laudato Opere, hoc Titulo inſcriptum eſt, *Gallia Vindicata*, Diſſertatione I. §. IV. ubi eam rem ſuſe enarrans, Innocentii Papæ XI. non ſine elogio nominandi contra Regaliæ abuſus Decreta, aliaque geſta egregia recenſet, confutatis etiam in ſequentibus Paragraphis Adverſariorum argumentis, quibus Regaliam tueri, eamque in omnibus Galliæ Regnis contra noſtri Œcumenici Lugdunenſis II. Concilii Conſtitutionem, locum habere, conati ſunt. Porro lubet ad calcem hujus Commentarii Litteras quaſdam deſcribere, quas Clerus Gallicanus ad ipſum Innocentium Papam XI. & hic ad Clerum Gallicanum ſcripſit, quaſque una cum aliis plurimis Documentis idem Sfondratus recenſet in citata Diſſertatione I. §. VIII. Sunt autem hujuſmodi.

## *Epiſtola Cleri Gallicani, auctoritate Regia Pariſiis congregati ad Sanctiſſimum Dominum Dominum Innocentium Papam XI.*

BEATISSIME PATER.

QUam conſecrandi fecimus Apoſtolicæ Sedi canonicæ obedientiæ profeſſionem, ea nos impellit, quæ Pariſiis juſſu Regio congregati geſſimus, ad Apoſtolatum Veſtrum referamus, graveſque metus noſtros paternum in ſinum effundamus: (1) *Cum enim Te Dominus gratiæ ſuæ præcipuæ munere in Sede Apoſtolica collocaverit, talemque noſtris temporibus præſtiterit, ut nobis potius ad culpam negligentiæ valeat, ſi apud venerationem Tuam, quæ pro Eccleſia ſuggerenda ſunt, tacuerimus, quam ea poſſit Sanctitas Veſtra, vel faſtidioſe, vel negligenter accipere, non ambigimus, quin magnis periculis noſtris Paſtoralem diligentiam adhibere digneris.*

Sane, Beatiſſime Pontifex, a majoribus noſtris,

ſtris,

(1) Epiſtola Concilii Milevitani ad Papam Innocentium, inter Epiſtolas S. Auguſtini Epiſt. 92.

ſtris, ſanctis, gravibuſque Viris accepimus, Regni & Sacerdotii tuta piaque concordia res humanas niti: (1) *Dum unum ab altero impugnatur, periclitari utrumque; ea occaſione & de Regno tolli juſtitiam, & de Eccleſia pacem, ſchiſmata & ſcandala ſuſcitari, & fieri animarum perditionem ſimul & corporum*; (2) *Sine horum concordia res humanas nec incolumes eſſe poſſe, nec tutas*. Hæc Goffridus Vindocinenſis, hæc Ivo Carnotenſis, ſanctiſſimi, graviſſimique Eccleſiæ Gallicanæ Præſules immortalibus ſcriptis teſtata reliquerunt. Hos in medium afferre, & ad Veſtram Sanctitatem allegare juvat, quos pro Eccleſiaſtica libertate, atque Apoſtolica auctoritate multa perpeſſos Sancti Veſtri Deceſſores, non tantum ut probabiles Magiſtros, ſed ut præcipuos, ſingulareſque filios ſemper habuerint. His accedat tertius Clarevallis Abbas, non Gallicanæ tantum, ſed univerſæ Eccleſiæ lumen, Sanctus Bernardus, ille Canonum propugnator, ac fortiſſimæ cujuſque ſententiæ graviſſimus auctor, ubi nimio rigore Regnum & Sacerdotium dividi, (3) atque *inconſutilem Chriſti Tunicam* ſcindi animadvertit, utili condeſcenſione temperari Canones ſupplicavit, ac pacem utriuſque poteſtatis, quæ utramque fulciat, retineri, præſertim in Gallia, (4) ubi *nullam unquam Regnum inter & Sacerdotium diviſionem fuiſſe* antiquiores Epiſcopi gloriati erant, ubi denique, ipſo teſte Bernardo, toto orbe colliſo, ipſiſque Pontificibus gravi toties tempeſtate jactatis, non modo nullæ ſciſſuræ factæ eſſent, (5) ſed etiam *ſolerent ſciſſuræ aliæ reſarciri*.

Nec minore ſtudio Apoſtolici Præſules Veſtræ Sanctitatis Anteceſſores eam concordiam commendarunt, cum gemina poteſtate res humanæ regi ex ſacris Litteris accuratiſſime tradidere; quarum proinde concordia publicam pacem, totiuſque generis humani ſtatum contineri certiſſimum ſit, dicente Propheta: (6) *Ecce vir Oriens nomen ejus*, Zorobabel in perſona, in figura Chriſtus, certe populi Dei Dux & Princeps; (7) *& ipſe extruet Templum Domino; & ipſe portabit gloriam, & ſedebit, & dominabitur ſuper ſolio ſuo; & erit Sacerdos ſuper ſolio ſuo; & conſilium pacis erit inter illos duos*. Stet ergo utrumque Solium, alterum Principis, alterum Sacerdotis, auxilio mutuo, mutua conſenſione munitum; hinc populi ſalus, hinc non tantum corporum, ſed etiam animarum lucra proveniant; hinc denique res humanæ ſtabili, ac Deo pariter, hominibuſque placita tranquillitate decurrant.

Quæ cum ex Patrum traditione, ipſaque adeo Prophetica ac Divina auctoritate deſcenderint, ubi eam pacem noſtris temporibus occaſione Regaliæ ſollicitari vidimus, cœpimus cogitare, quid Majores noſtri, quid antiqui Sedis Apoſtolicæ Antiſtites præſcriberent, pro certo habituri, quod verbo pariter, & exemplo docuiſſent. Sic autem comperimus, quæ Eccleſiaſtica auctoritate, æterna lege ſancita eſſent, manere inconcuſſa; quæ Eccleſiaſtica prohibitione conſtarent, in his Eccleſiarum Principes multa pro tenore Canonum diſtrictius judicaſſe, multa pro temporum neceſſitate toleraſſe, ubi non periclitatur Fidei veritas, aut morum honeſtas, quædam inſtituta temperari, non cæca tamen & indiſcreta relaxatione diſciplinæ, ſed ſi adeſſet neceſſitas, ex qua leges quoque mutari contingeret: ſanctos enim Pontifices Anteceſſores veſtros ita præcepiſſe: (8) *Ubi neceſſitas non eſt, Sanctorum Patrum Decreta manere inconvertibilia*; eadem ergo Decreta ex neceſſitate interdum temperanda: eam vero neceſſitatem eſſe, ſi graves diſſenſiones, ſi turbulenti motus, tumultuſque imminerent, quam *populorum ſtragem* Sancti Patres vocant; tunc enim Charitatem, quæ ſumma Eccleſiæ lex ſit, alias emollire ac temperare leges, (9) ac *detrahendum aliquid canonum ſeveritati; ut majoribus morbis ſanandis Charitas ſincera ſubveniat*; hinc nempe profectam a Sanctis Patribus, ipſaque Apoſtolica Sede toties celebratam moderationem Canonum, quæ utili diſpenſatione, & provida compenſatione librata Eccleſiam ædificet, propulſet diſſidia, Regnum & Sacerdotium firma pace componat.

Hæc ex Sancto Auguſtino, aliiſque Patribus; hæc ex Sanctis Pontificibus, Leone, Gelaſio, ceteriſque Majores noſtri didicerunt, nobiſque tradiderunt: (10) *Salvo* ſcilicet *fidei fundamento, & communi morum regula, toleranda quædam, etiam facienda, quæ infirma videantur; hæc enim facit Charitas, quæ operit multitudinem peccatorum, quæ cum infirmantibus infirmatur, cum ſcandalizatis uritur, & omnibus omnia fit, ut omnibus prodeſſe mereatur*. Quod ſi jus illud Regium, quam Regaliam dicimus, aut Fidei fundamentis, aut morum regulis eſſet adverſum, non illud utique ſancti Pontfices doctrina & pietate conſpicui Alexander III. Innocentius III. atque alii comprobaſſent; non illud denique Sacrum Generale Lugdunenſe Concilium tot perſonis, totque ſub titulis ſua auctoritate firmaſſet. At enim extendi vetuit ad eas Eccleſias, quæ primæva atque innata libertate gauderent; ſed ut hanc interim quæſtionem omittamus, neque minutatim verba Concilii, varioſque ſenſus quæque antegreſſa, quæque conſecuta ſint, expendamus: id ſane liquido conſtat, nullum eſſe periculum, ut extenſum Fidei, moribuſque noceat, quod illæſa Fide, ſalvaque morum regula, longe lateque propagatum, plurimas jam Regni Eccleſias occuparit; ex quo illud efficitur, Regaliæ cauſam, non ad (11) *Fidei*, morumque *regulam*, quæ *immobilis & irreformabilis* ſit, ſed ad diſciplinam, quæ pro locis, ac temporibus ſubinde mutetur, quæque temperamenta, ac ſalubrem illam moderationem admittat, omnino pertinere.

Jam ergo conſtituto quæſtionis ſtatu, Beatiſſime Pater, quantum intelligimus, rem totam expediri, haud difficile fuerit; cum id unum inquirendum reſtet, juſtane cauſa fuerit, cur poſt Eccleſiarum quarumdam libertatem totis ſexaginta annis ſtrenue propugnatam, victi in eo Tribunali, quod ipſi antiquo more Regni appellavimus, acquieſcere potius, quam omnia commovere, Regiam poteſtatem cum Pontificali committere, nova denique bella ciere vellemus. Nos

pa-

(1) Goffridus Vindocinenſis Opuſculo quarto. (2) Ivo Carnotenſis Epiſtola 60. (3) Sanctus Bernardus Epiſt. 219. (4) Ivo Carnotenſis Epiſtola 238. (5) S. Bernardus Epiſtola 219. (6) Gelaſius Papa Epiſtola 8. ad Anaſtaſium Imperatorem. (7) Zachariæ cap. 6. verſ. 12. & 13. (8) S. Bernardus Tractatu de Præceptu & Diſpenſatione cap. 4. (9) Auguſtinus Epiſtola 50. (10) Ivo Carnotenſis Epiſtola 214. (11) Tertullianus de Virginibus velandis.

Digitized by Google

pacem anteponimus, nec in ſimili cauſa piget imitari Vindocinenſem Abbatem non minus fortitudine, quam prudentia clarum, cujus verbis dicimus: (1) *Habeat Eccleſia ſuam libertatem; ſed ſummopere caveat, ne dum nimis emunxerit, eliciat ſanguinem, & dum rubiginem de vaſe conatur eradere, vas ipſum frangatur.*

Neque vero publicam pacem, ac ſub tanto Rege proſperum rerum Eccleſiaſticarum curſum turbatum oportebat. Adhibe pias aures, Sanctiſſime Pontifex, & tantiſper cogita, quem Regem habemus: non invictam bello dexteram, ac decora victoriarum prædicaturi ſumus pacifici Sacerdotes: habent illæ laudem ſuam univerſis Gentibus celebratam, ac pacis gloria cumulatam. Utinam, Beatiſſime Pater, rebus noſtris intereſſe, & coram intueri poſſes (paternis ſane oculis dignum ſpectaculum) quam benigne optimus Princeps Epiſcopos audiat, quam rebus Eccleſiæ faveat, quam bonos fulciat, quam invicta auctoritate frangat contumaces, quam cæleſtem illam nobis a Domino traditam poteſtatem intemeratam velit. Eo protegente, Juriſdictio Epiſcopalis propemodum profligata emergit e tenebris: noſtris jam Decretis, noſtræ auctoritati Parlamenta obſecundant, ac Regia Decreta Canonicæ Diſciplinæ ancillantur. Jam vero Hæreſis quot accipit ſubinde ſalutares plagas? Quot Edictis comprimitur? Quot amiſſa Templa luget? Quantas nobilium, plebejorumque turbas ad Petri, hoc eſt, Chriſti Ovile revocatas? Quid deinde referemus, ut Regius animus exoſas habeat novitates omnes, nulloque Regni loco conſiſtere patiatur? Eſt profecto Ludovicus Magnus alter ille Mauritius a S. Gregorio Anteceſſore Veſtro toties commendatus: (2) *Cujus temporibus Hæreticorum ora conticeſcunt; quia etſi eorum corda in inſaniam perverſi ſenſus ebulliunt, Catholici tamen Principis tempore, prava quæ ſentiunt, eloqui non præſumunt.*

Hæc coram admiramur, hæc luculentius Veſtra quoque Sanctitas ab altiſſima illa, cui totus Orbis ſubeſt, Petri Sede commemorat; his Apoſtolicum Veſtrum pectus exultat; ſi quid fortaſſe tot inter proſpera emergit incommodi, non omnia proinde ad juris apices exigimus; (3) Magno enim Cyrillo Alexandrino Præſule docente, didicimus, œconomia rerum plerumque cogi nos etiam a ſtricto & confeſſo Eccleſiæ jure diſcedere. Quanti vero æſtimamus illa privilegia aliquot Eccleſiarum, ſi emolumentis damna contendimus? Quid, quod illud onus vix Eccleſiæ ſentiunt, vacantium Eccleſiarum fructibus, quos Reges vindicare Fiſco in Eccleſiarum longe maxima parte non dubia conſuetudine poterant, Succeſſori reſervatis, rebuſque ad Canonum auctoritatem Ludovici Decimi Tertii auguſtæ memoriæ Edicto redactis? Quid, quod in quibuſdam Præbendis ac Dignitatibus conferendis, ſi quid erat aſperius, nobis ſupplicantibus, a Rege mollitum, tanti Principis pietatem, largitatemque commendat? Quid, quod Capitulis ſua jura ſervata, certique Judicibus præſcripti limites, ne Regaliæ nomine omnia invadantur? Id ſubjuncta his Litteris geſta teſtantur, certoque indicio ſunt, quam bene illi aliqua concedantur, qui multa jam ſibi poſſeſſione vindicata ultro concedat.

Sed enim exprobrabunt, qui votis ſuis omnia metiuntur, leve illud quoque (ſic enim ſentiunt) quod Rex Chriſtianiſſimus tanto ſtudio aſſertum Coronæ ſuæ velit, nobis auctoribus ac flagitantibus potuiſſe dimitti: næ illi falſi ſunt, rerumque noſtrarum imperitiſſimi. Liceat vero nobis, Beatiſſime Pater, quando eo in cardine totius negotii ſumma verſatur, paulo liberius interturbare graves illas curas Apoſtolicæ mentis, ac jus Regaliæ Francorum Regibus, totique Regno infixum, prout noſtris hominibus inſitum, inditumque eſt, ab ortu repetere.

Sic nempe inclamant Regii Magiſtratus, Chriſtianiſſimos Reges jam inde a Clodovæo, ac primis Chriſtianæ Religionis exordiis, Eccleſiarum omnium, ut pietate filios; ita effuſiſſima liberalitate nutritios, & Regia defenſione propemodum Patronos, ac Tutores extitiſſe: ea vero, quæ Eccleſiæ in fundis haberent, teſte Auguſtino, jure Cæſareo, hoc eſt, Regio obtineri, ſupremamque eorum omnium poteſtatem penes Reges eſſe. Hinc a priſcis temporibus, vacantium Eccleſiarum Regia manu occupata bona, mox reddita Succeſſoribus: nec a Sede Apoſtolica reprobata, quæ huic juri tuendo antiquiſſimis etiam temporibus Reges Francorum feciſſent; Præbendas quoque, hoc eſt, nativo ſenſu, ſtipendia Clericorum, partem Eccleſiaſticæ poſſeſſionis, ac proventus, necdum a toto diſcretas, ſi vacarent Eccleſiæ, eodem quoque jure a Principibus collatas; quarum quippe collatio, & antiquo jure a ſolida maſſa decidi non poſſet, & recentioribus quoque juris Pontificii inſtitutis in fructu haberetur. Hæc omnia ab antiquo Regibus de ſe bene meritiſſimis conceſſiſſe Eccleſiam, ſane conſenſiſſe, juſque illud utriuſque poteſtatis conſenſione firmatum, Regiæ Majeſtati proprium atque congenitum ita coaluiſſe, ut diſtrahi nequeat: neque vero fas eſſe, ut Eccleſiæ primis Francici Imperii temporibus diverſo jure haberentur, quas eadem Regia protectione fulciri, eadem liberalitate ditari, ejuſdem Majeſtatis reverentia, ac poteſtate contineri certum eſſet. Si quid ergo triſtioris diverſitatis exortum ſit, id eſſe referendum ad illa tempora, queis ſciſſum Regni corpus, Ducumque, & Comitum olim innocuo, tunc infauſto nomine avulſa ac diſcerpta membra vix inter ſe cohærerent: hos enim Principes, Regalibus occupatis, ſæpe etiam ſine Regum conſcientia relaxatis, omnia perturbaſſe: at poſtquam Regia poteſtas diſtractas Provincias ad ſeſe revocavit, & afflictum diu, diſſipatumque Regnum ſuam demum integre ſub uno Capite nobiliſſimo pariter, ac valentiſſimo ſanitatem intellexit, tunc obliterandam, quæ laceros artus olim dehoneſtabat, fœdam diverſitatem, nec Regio juri ex antiquiſſimis, receptiſque Regni Francici Legibus, nocere potuiſſe poſſeſſionem intermiſſam, quam & per Principes ſibi ſubditos diu retinuiſſent, nec ipſi unquam animo dimiſiſſent; univerſaſque Eccleſiæ, non tantum ad decorem, ſed etiam ad robur, firmamque compagem, eodem denique jure componendas. Neque vero obſtare Lugdunenſe Concilium, quippe quod nec Reges nominet, ex Pontificiis quoque Decretis pro ſua Majeſtate ſpecialiter appellandos, nec de Præbendis loquatur, & alio verti poſſit; neque a Ponti-



(1) Goffridus Vindocinenſis opuſculo 4. Presbyterum & Archimandritam.

(2) Lib. 7. Epiſtolarum Epiſtola 48.

(3) Epiſtola ad Gennadium

tificibus, Regibuſve in quæſtione Regaliæ, cum de ea maxime ageretur, memoratum, aut leviter ſaltem indicatum fuerit.

Hæc utcumque ſe habent; neque enim lubet commemorare, quæ Anteceſſores noſtri repoſuerint, aut litigare eſt animus coram Veſtra Sanctitate pacis negotium tractaturis; hæc, inquam, adeo Regiis Magiſtratibus infixa menti ſedent, ut a ſe avelli nulla ratione patiantur, cauſaque ceciderimus, eorum quoque ſententia, qui & æquitatis laude florerent, & in noſtrum Ordinem eſſent propenſiſſimi; qua conſenſione victus Rex Maximus, ſatiſque ſibi conſcius, quam ab invadendis Eccleſiarum juribus abhorret, jus Regium putat, quod in univerſum Regnum pene diffuſum, ſuo velut curſu undique protendatur, rerum ſimilitudine, parique Eccleſiarum conditione, velut in proclive ductum. Quid hic nobis mentis, Sanctiſſime Pontifex, plane ſimpliciterque dicemus; hæc neque omnia ut certa proponimus, nec ut erronea, & Fidei regulis adverſa propulſamus; ac diſpenſationi providæ locum eſſe cenſemus, graviſſimos ſcilicet Auctores ſecuti Apoſtolicos Viros Anteceſſores Veſtros.

Prodeat ſane Vir maximus, non minus in ſacris Litteris, quam in Canonum diſciplina verſatus Innocentius III. atque in ſimili cauſa quid agendum ſit, doceat: de Regalibus agebatur; jure autem Regalium multa contineri, quæ jam Eccleſiis Regum liberalitate remiſſa ſint, certo certius eſt. Primum jus procurationis, ſive hoſpitii, quo Epiſcopi, Abbateſque Regem domo excipere, totamque cum ipſo Curiam, publicaſque perſonas alere certis temporibus: tum jus exercitus, quo certos milites ad Regium exercitum ducere, eoſque alere deberent: & quidem occupari a Rege Eccleſiarum bona, non modo ſi illæ vacaſſent, verum etiam ſi Epiſcopi conſueta, quæ vocabant, ſervitia omiſiſſent; eaque omnia ab eodem fonte Regalium exiſtere, & perſpicuum ex ſeſe eſt, & ipſe Innocentius profitetur. Duo ergo Epiſcopi a Rege accuſati, quod illius injuſſu milites abduxiſſent, eorum Regalia manu Regia confeſtim invaduntur, nulla judicii forma; nec tantum Regalia, ſed etiam alia bona quæcumque poſſiderent; id enim juris Regii eſſe Rex contendebat: Epiſcopi id negare, tum factum excuſare, vim illatam conqueri, graviſſimaſque expoſtulationes deferre ad Innocentium. Quid ergo tantus Pontifex? Suſcepta, ut decebat, Epiſcoporum cauſa, Philippum Auguſtum aggreditur, multa interminatus, multiſque adhortatus: (1) *Ne inter Regnum & Sacerdotium ſcandalum oriretur*; intentato quoque Apoſtolicæ Cenſuræ metu, niſi Epiſcopis Regalia, aliaque omnia præter jus faſque (ſic enim ferebat) occupata relaxaret: gravis ſane cauſa, in qua Rex Maximus (2) *Cenſura cohibendus* eſſe videretur, ſed interim Innocentius ad Epiſcopos ſcribit: (3) *Fraternitati Veſtræ conſulimus bona fide, quatenus cum chariſſimo Filio noſtro Rege, quanto melius poteritis, componere ſtudeatis; quoniam arcus, qui ſemper eſt tenſus, vires amittit, & nonnunquam Reges melius vincuntur manſuetudine, quam rigore.* Præclare ille quidem, ubi nullum Fidei, nullum morum regulæ creatum periculum eſt; ſed particulare factum, inquient, nec in exemplum trahendum; & tamen agebatur, uti prædictum eſt, non tantum de Epiſcoporum facto, ſed etiam de Regalium jure, quouſque pateret, quæ bona complecteretur, qua forma exerceri poſſet: ſed hæc omittamus. Quid Benedictus Duodecimus, unus omnium Pontifex, & conſtantiæ, & prudentiæ laude ornatiſſimus? Is Philippum Valeſium Regem edita Philippina multa (4) Regaliæ Juri ab antiquo more diverſa velut inſerentem graviſſimis monitis ab ea tutanda Lege deterruit; ſed præclare functus officio, ab negotio deſtitit; neque enim omnia urgenda Pontifici, nec exacte ſemper ad minutos quoſque apices res Eccleſiaſticas deducendas: Philippinaque ad noſtra uſque tempora ſtetit incolumis.

Sed ne Veſtræ Sanctitati moleſti ſimus, poſtremum commemoramus Bonifacium Octavum; nec tamen refricamus infauſta illa diſſidia, quæ nec ſine lacrymis legi queant: abeant illa in tenebras æterno ſepelienda ſilentio. Id de Bonifacio referre lubet, quod ad pacem conducat, quod dignitatem pariter, atque clementiam Summæ Sedis deceat. Grave erat Bonifacio a Philippo Pulchro, pleno etiam jure conferrri Præbendas, ſeu Regaliæ, ſeu quovis alio titulo; nec tamen negabat Pontifex, imo profitebatur id *fieri poſſe Eccleſiæ conſenſu tacito, vel expreſſo.* (5) Rex interim ſe poſſeſſione tuebatur; eo enim jure a ſe conferri Præbendas, *quo a Majoribus, & a Sancto Ludovico avo datæ eſſent.* Recte ille & ordine, ut videtur; ſatis enim conſtabat, reclamante nemine, eo jure uſos: neque fraudi eſſe poterat optimis Regibus, quod ad Jus Regium ea revocabant. Id enim Jus Regium eſſe, quod Coronæ Regiæ ab antiquo inſitum, coalitumque ſit: atque ut ex ſimili rem conficiamus, an non Patronatus, quos vocant Laicos, ipſis quoque Terris, atque Dominiis ex poſſeſſione inhærere, ac quaſi temporalis juris loco eſſe conſtat: cum tamen id juris ex Eccleſiaſticæ poteſtatis fonte profluere nemo non fateatur? Quanto ampliora Regibus & Beneficentia, & propria Majeſtas conciliare potuit? Neque id Bonifacium juris conſultiſſimum fugiebat; ſed cum in ancipiti eſſe videretur, quatenus Juri Regio Præbendas conferendi Eccleſiæ conſenſus acceſſiſſet, quod dubium, quod illicitum reputabat Pontifex, de poteſtatis plenitudine concedebat, ac licitum faciebat: *Quid enim litigamur, inquit, volumus, ut Rex faciat licite, quod facit illicite: volumus ſuper hoc ſibi facere gratiam omnem, quam poterimus.* Sic quem nodum ſolvere ex Pontificis ſenſu, antiqua monumenta, Juraque non poterant, Apoſtolicæ poteſtatis gladio amputabat: atque id Bonifacius Octavus tot inter ſimultates conferre ultro voluit in Philippum Pulchrum: quanta Innocentius Undecimus Benevolentiſſimus & propenſiſſimus in Ludovicum Magnum? Neque vero ambiguum, quid Orbis Chriſtianus expectet, ſi Pontifici Pontificem, Regem denique Regi componamus. Id tantum poſtulamus, ne plus æquo audiantur, qui in Jure Coronæ novas hæreſes fingunt, nimiſque intelligendo faciunt, nihil ut intelligant præpoſteri homines, qui quem exſufflant pulverem, ut præclare Sanctus Auguſtinus, in ſuos, aliorumque excutiunt oculos. Veſtra vero Sanctitas hæc omnia ſupergreſſa, Chriſtianique Orbis intenta com-

(1) Libro 1. Epiſtolarum Epiſt. 107. (2) Lib. 1. Epiſt. 40. (3) Lib. 1. Epiſt. 107. (4) Rainaldus ad ann. 1337. num. 17. (5) Hiſtoire du different de Boniface VIII. & de Philippe le Bel page 90. page 93. page 78.

Digitized by Google

commodis, tantas contentiones ex tenui ortas, ſed in graviſſima mala, niſi Deus avertat, aliquando erupturas, Apoſtolica auctoritate componat: pacem expetimus, pacem flagitamus, pacem, quæ Veſtrum Nomen tanta pietatis, ac ſanctitatis laude omnibus Gentibus, ipſiſque adeo Eccleſiæ hoſtibus clarum, venerandumque immortalitati conſecratura ſit. Satis jam, ſuperque Parens Optimus, Devotiſſimuſque Filius repugnante animo altercantur. Nos quidem, Beatiſſime Pater, ut gratias agimus, quas poſſumus maximas, quod Jura quarundam Eccleſiarum, quæ nobis omnibus communia facit ipſa Fraternitas, ſarta tectaque eſſe vultis, ita noſtra cauſa concuti Orbem, Pacemque Chriſtianam conturbari nolumus: quare eo quoque, quidquid inerat, Jure deceſſimus: id in Regem Optimum, atque Beneficentiſſimum ultro contulimus: (1) *Et ſi forte propter Canonum rigorem minus licebat, factum eſt tamen, quia Eccleſiaſticæ paci ſic expediebat; cum enim plenitudo legis ſit Charitas, in hoc legibus obtemperatum eſſe credimus, in quo opus impletum eſſe cognovimus.*

Quæ a nobis acta, ſi Veſtra Sanctitas dignetur inſpicere, probaturam eſſe pro ſua æquitate confidimus. Sane ſumma conſenſione, pronaque omnium noſtrum voluntate geſta eſſe teſtamur; cum præſertim nemo ſit, qui rebus noſtris intellectis, ac perpenſis omnibus, quæ recens nobis ſupplicantibus a Rege Maximo ſtatuta ſunt, non ultro fateatur, plura, & ampliora conceſſa, quam dimiſſa, atque Eccleſiæ cauſam Regia æquitate, ac liberalitate, meliore nunc omnino conditione eſſe: quamobrem obſecramus, ut quæ a noſtra humilitate, non modo publicæ pacis intuitu, ſed maximo Eccleſiæ emolumento geſta ſunt, quæque Rex Maximus, tanto Religionis ſtudio, tantaque omnium noſtrum obteſtatione conceſſit, Regiis Magiſtratibus nequicquam reclamantibus, ſic Veſtra Sanctitas complectatur, ut Sacerdotii Regnique concordiam æternum firmet & ſanciat.

Quid enim luctuoſius, quam ſub tanto Pontifice, ac tanto Rege, quorum conſenſione tot in Eccleſiam bona redundatura ſint, per inviſa, & importuna diſſidia eludi expectationem Orbis, & publica commoda retardari? Sane ex quo Eccleſia eſt, Sede Apoſtolica, Regnoque Francorum nihil conjunctius fuiſſe, & maximo honori ducimus, & Veſtri Anteceſſores libentiſſime prædicant; hanc vero perpetuam conjunctionem animorum noſtris quoque temporibus auctam oportuit. Quid enim videt Orbis Magno Ludovico majus? Quem Turcæ ſævienti graviorem hoſtem? Quam expeditiorem manum? Quem animum promptiorem? Quem idoneum magis, qui cum ea, quæ Vos aſſidue pulſant, coercendi hoſtis, atque amplificandæ Eccleſiæ, communicare conſilia? Quem ad ardua quæque jam ſponte currentem incitare poſſitis? Ne vero prohibeat Veſtram Sanctitatem Eccleſiarum aliquarum haud tantis ſane motibus digna libertas: ſolet Eccleſia Chriſti quædam omittere, ut alia, eaque potiora ſervet, multa quoque in melius ferendo, commutare. Ipſa Regalia quantum imminuta eſt, cum pii Principes a potiundis fructibus jam abſtinuerint, & graviſſima onera alendorum militum, ac Procurationum ſponte remiſerint, ut jam illi a nobis, ſi neceſſe ſit, meliorem animum ſuo quodam jure repoſcere videantur? Quid attinet commemorare in Epiſcopis, atque Abbatibus eligendis, Inveſtituris, in juſſionibus, permiſſionibus, aſſenſionibus Regiis, in Epiſcopatuum, & Abbatiarum conceſſione, & dono, in Hominiis quoque, & Sacramentis fidelitatis, quam multa primum cenſuris graviſſimis reprobata, mox ultro conceſſa ſint? Ipſa Apoſtolica Sedes, arx Eccleſiaſticæ libertatis, quam multa Principum in ſeipſam quoque jura tolerarit, imo aliquando conceſſerit, ipſa temporum mora excuſſa cervicibus, & in optimum ſtatum ſponte reſtituta? An ergo Eccleſia (a) *levitate uſa eſt? fuitque in illa eſt & non?* Abſit, ſed ſatis ſibi conſcia æternitatis ſuæ, ipſique veritati ſemper immobili animo adhæreſcens, aliqua ſui parte humanis ſe rebus utcunque accommodat, nec tam temporibus, quam animarum ſaluti ſervit. (3) *Hæc dicendo doctam Paternitatem Veſtram non docemus, ſed eamdem conſulendo, & rogando monemus, ut ibi conſilii, & pietatis ſtudeatis viſceribus abundare, ubi fas non eſt, fortitudinem exercere.*

Quare, Beatiſſime Pater, ad ſacros Veſtros pedes rite provoluti, atque Apoſtolicam Benedictionem expectantes, Summum illum Eccleſiæ, Veſtrique unici Primatus Auctorem oramus, obſecramus, uti mentem Veſtram ad pacis conſilia inflectat, & quæ pacis ſtudio, exemplo Majorum, Sanctitas Veſtra geſſerit, ea in Veſtram gloriam, quam in Chriſto habetis, totique Eccleſiæ utilitati vertat.

Datum Pariſiis tertio Nonas menſis Februarii, Anno MDCLXXXII.

Obſequentiſſimi & devotiſſimi Filii, ac Servi Veſtri,

*Archiepiſcopi, Epiſcopi, & alii Eccleſiaſtici Viri in Comitiis Generalibus Cleri Gallicani Pariſiis congregati.*

*Franciſcus Archiep. Pariſienſis Præſcr.*

De Mandato Illuſtriſſimorum & Reverendiſſimorum Archiepiſcoporum, totiuſque Cœtus Eccleſiaſtici in Comitiis Generalibus Cleri Gallicani Pariſiis congregati.

## Reſponſio Innocentii XI. Pontificis Maximi ad Epiſtolam Cleri Gallicani.

### *Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis Eccleſiaſticis viris, in Comitiis Generalibus Cleri Gallicani Pariſiis Congregatis.*

PAternæ Charitati, qua Chariſſimum in Chriſto Filium noſtrum Ludovicum Regem Chriſtianiſſimum, Eccleſias veſtras, vos ipſos, & univerſum Regnum iſtud amplectimur, permoleſtum accidit, ac plane acerbum, cognoſcere ex veſtris Litteris die tertia Februarii ad Nos datis, Epiſcopos, Clerumque Galliæ, qui Corona olim, & gaudium erant Apoſtolicæ Sedis, ita ſe erga illam in præſens gerere; ut cogamur multis cum lacrymis uſurpare Propheticum illud: *Filii matris meæ pugnaverunt adverſus me.* Quamquam adverſus vos ipſos potius pugnatis, dum Nobis in ea cauſa reſiſtitis, in qua Veſtrarum



(1) Ivo Carnotenſis Epiſtola 190. (2) 2. ad Corinthios cap. 1. v. 17. (3) Ivo Carnotenſis Epiſtola 190.

Digitized by Google

rum Eccleſiarum ſalus, ac libertas agitur, & in qua Nos pro Juribus, & Dignitate Epiſcopali in iſto Regno tuendis, ab aliquibus Ordinis Veſtri piis, & fortibus Viris appellati, abſque mora inſurreximus, & jam pridem in gradu ſtamus, nullas privatas Noſtras rationes ſecuti, ſed debitæ Eccleſiis omnibus ſolicitudini, & intimo amori erga vos Noſtro ſatisfacturi.

Nihil ſane lætum, & veſtris nominibus dignum eas Litteras continere, in ipſo earum limine intelleximus. Nam præter ea, quæ de norma in Comitiis convocandis, peragendiſque ſervata afferebantur, animadvertimus, eas ordiri a metu Veſtro, quo ſuaſore, numquam Sacerdotes Dei eſſe ſolent, in ardua, & excelſa pro Religione, & Eccleſiaſtica libertate, vel aggrediendo fortes, vel perficiendo conſtantes: quem quidem metum falſo judicaviſtis poſſe vos *in ſinum Noſtrum effundere*. In ſinu enim Noſtro hoſpitari perpetuo debet Charitas Chriſti, quæ foras mittit, & longe arcet a ſe timorem. Qua Charitate erga vos, Regnumque Galliæ paternum cor Noſtrum flagrare, multis jam, ac magnis experimentis cognoſci potuit, quæ hic referre non eſt neceſſe. Si quid eſt autem, in quo benemerita de vobis ſit Charitas Noſtra, eſſe imprimis putamus hoc ipſum Regaliæ negotium, ex quo, ſi ſerio res perpendatur, omnis Ordinis veſtri Dignitas, atque Authoritas pendet. Timuiſtis ergo, ubi non erat timor. Id unum timendum vobis erat; ne apud Deum, hominesque redargui jure poſſetis, loco, atque honori Veſtro, & Paſtoralis Officii debito defuiſſe. Memoria vobis repetenda erant, quæ antiqui Illi Sanctiſſimi Præſules, quos quamplurimi poſtea quaslibet ætate ſunt imitati, Epiſcopalis conſtantiæ, & fortitudinis exempla in hujuſmodi caſibus, ad veſtram eruditionem ediderunt. Intuendæ Imagines Prædeceſſorum veſtrorum, non ſolum qui Patrum, ſed qui noſtra quoque memoria floruerunt: & qui Ivonis Carnotenſis dicta laudaſtis, debuiſtis facta etiam, cum res poſceret, imitari. Noſtis quæ is ſecerit paſſuſque ſit, in turbulenta illa, & periculoſa contentione, inter Urbanum Pontificem, & Philippum Regem, muneris ſui eſſe arbitratus, contra Regiam indignationem ſtare, bonis ſpoliari, carceres, & exilia perferre, deſerentibus aliis cauſam meliorem. Officii Veſtri erat, Sedis Apoſtolicæ auctoritati ſtudia Veſtra adjungere, & Paſtorali pectore, humilitate Sacerdotali, cauſam Eccleſiarum Veſtrarum apud Regem agere, ejus conſcientiam de tota re inſtruendo, etiam cum periculo Regium in vos animum irritandi; ut poſſetis in poſterum ſine rubore in quotidiana pſalmodia, Deum ſiloquentes, Davidica verba proferre: *Loquebar de teſtimoniis tuis in conſpectu Regum, & non confundebar*. Quanto magis id vobis faciendum fuit tam perſpecta, atque explorata optimi Principis juſtitia, & pietate, quem ſingulari benignitate Epiſcopos audire, Eccleſiis favere, Epiſcopalem poteſtatem intemeratam velle, vos ipſi ſcribitis, & Nos magna cum voluptate legimus in veſtris Litteris? Non dubitamus, ſi ſtetiſſetis ante Regem pro cauſæ tam juſtæ defenſione, neque defutura vobis verba, quæ loqueremini, neque Regi cor docile, quo veſtris annueret poſtulatis. Nunc cum muneris veſtri, & Regiæ æquitatis quodammodo obliti, in tanti momenti negotio ſilentium tenueritis; non videmus, quo probabili fundamento ſignificetis, vos ad ita agendum adductos, quod in controverſia victi ſitis, quod cauſa cecideritis. Quomodo cecidit, qui non ſtetit? Quomodo victus eſt, qui non pugnavit? Ecquis veſtrum tam gravem, tam juſtam cauſam, tam ſacroſanctam oravit apud Regem? cum tamen Prædeceſſores veſtri eam in ſimili periculo conſtitutam non ſemel apud ſuperiores Galliæ Reges, imo apud hunc ipſum libera voce defenderint, victoreſque a Regio conſpectu diſceſſerint, relatis etiam ab æquiſſimo Rege præmiis Paſtoralis Officii ſtrenue impleti? Quis veſtrum in arenam deſcendit, ut opponeret murum pro Domo Iſrael? Quis vel vocem unam emiſit memorem priſtinæ libertatis? Clamaverunt interim, ſicut ſcribitis, & quidem in mala cauſa pro Regio jure, clamaverunt Regis Adminiſtri; cum vos in optima pro Chriſti honore ſileretis. Neque illa ſolidiora, quod reddituri Nobis rationem, ſeu verius excuſationem allaturi rerum in hujuſmodi Comitiis per vos actarum, exaggeratis periculum, ne Sacerdotium & Imperium inter ſe collidantur, & mala, quæ exinde in Eccleſiam, & in Rempublicam conſequi poſſent: proinde exiſtimaſſe vos, ad Officium veſtrum pertinere aliquam inire rationem tollendi de medio gliſcentis diſſidii: nullam vero commodiorem apparuiſſe, remedio ab Eccleſiæ Patribus indicato, uti condeſcenſione Canones temperandi pro temporum neceſſitate, ubi neque Fidei veritas, neque morum honeſtas periclitentur: deberi ab Ordine veſtro, deberi a Gallicana, imo ab univerſa Eccleſia plurimum Regi, tam præclare de Catholica Religione merito, & in dies magis mereri cupienti; propterea vos jure veſtro decedentes illud in Regem contuliſſe. Mittimus hic commemorare, quæ ſignificatis de appellato a vobis ſeculari Magiſtratu, a quo victi diſceſſeritis: cupimus enim ejus facti memoriam aboleri, & volumus, ea vos verba e Litteris veſtris expungere, ne in actis Cleri Gallicani reſideant ad dedecus veſtri nominis ſempiternum. Quæ de Innocentio Tertio, Benedicto Duodecimo, Bonifacio Octavo in veſtram defenſionem adducitis; non defuere, qui doctis lucubrationibus oſtenderint, quam frivola, atque extranea ſint huic cauſæ. Et magis notum eſt, quam ut opus ſit commemorare, quo zelo, qua conſtantia eximii illi Pontifices Eccleſiæ libertatem defenderint adverſus ſeculares poteſtates: tantum abeſt, ut eorum exempla poſſint errori veſtro ſuffragari.

Ceterum ultro admittimus, & laudamus conſilium relaxandi Canonum diſciplinam, pro temporum neceſſitate, ubi fieri id poſſit ſine Fidei, & morum diſpendio. Imo addimus cum Auguſtino: *Toleranda aliquando pro bono unitatis, quæ pro bono æquitatis odio habenda ſunt: neque eradicanda zizania, ubi periculum ſit, ne ſimul etiam triticum eradicetur*. Id ita tamen accipi oportet, ut in aliquo tantum peculiari caſu, & ad tempus, & ubi neceſſitas urget, licitum ſit, ſicuti factum eſt ab Eccleſia; cum Arianos & Donatiſtas Epiſcopos, ejurato errore, ſuis Eccleſiis reſtituit, ut populos, qui ſecuti eos fuerant, in officio contineret. Aliud eſt, ubi diſciplina Eccleſiæ per univerſum ampliſſimi Regni ambitum, ſine temporis termino, & cum manifeſto periculo, ne exemplum latius manet, labefactatur, imo evertitur ipſius diſciplinæ & hi-

hierarchiæ Eccleſiaſticæ fundamentum, ſicut evenire neceſſe eſſet, ſi quæ a Rege Chriſtianiſſimo in negotio Regaliæ nuper acta ſunt, conniventibus, imo etiam conſentientibus vobis, contra ſacrorum Canonum, & præſertim generalis Concilii Lugdunenſis authoritatem, contra notam jam pridem vobis in ea re mentem Noſtram, & contra ipſam Jurisjurandi religionem, qua vos Deo, Romanæ, veſtriſque Eccleſiis obligaſtis, cum Epiſcopali charactere imbueremini, hæc Sancta Sedes executioni mandari, & malum invaleſcere, diutius differendo permitteret, ac non ea Nos, pro tradita divinitus humilitati Noſtræ ſuprema in univerſam Eccleſiam poteſtate, ſolemni more, Prædeceſſorum Noſtrorum veſtigiis inhærentes, improbaremus; cum præſertim per abuſum Regaliæ non ſolum everti diſciplinam Eccleſiæ res ipſa doceat, ſed etiam Fidei ipſius integritatem in diſcrimen vocari facile intelligatur ex ipſis Regiorum Decretorum verbis, quæ jus conferendi beneficia Regi vindicant, non tamquam profluens ex aliqua Eccleſiæ conceſſione, ſed tamquam ingenitum, & coævum Regiæ Coronæ. Illam vero partem Litterarum veſtrarum non ſine animi horrore legere potuimus, in qua dicitis, vos jure veſtro decedentes, illud in Regem contuliſſe: quaſi Eccleſiarum, quæ curæ veſtræ creditæ fuere, eſſetis arbitri, non cuſtodes; & quaſi Eccleſiæ ipſæ, & ſpiritualia earum Jura poſſent ſub poteſtatis ſecularis jugum mitti ab Epiſcopis, qui ſe pro earum libertate in ſervitutem dare deberent. Vos ſane ipſi hanc veritatem agnoviſtis, & confeſſi eſtis, dum alibi pronuntiaſtis: *Jus Regaliæ ſervitutem quamdam eſſe, quæ in eo præſertim, quod ſpectat Beneficiorum collationem, imponi non poteſt, niſi Eccleſia concedente, vel ſaltem conſentiente.* Quo Jure vos ergo Jus illud in Regem contuliſtis? Cumque ſacri Canones diſtrahi vetent Jura Eccleſiarum; quomodo ea vos diſtrahere in animum induxiſtis, quaſi eorumdem Canonum authoritati derogare liceat vobis? Revocate in memoriam, quæ inclytus ille conterraneus veſter Clarevallenſis Abbas non Gallicanæ modo, ſed etiam univerſalis Eccleſiæ lumen a vobis merito nuncupatus, Eugenium Pontificem officii ſui admonens reliquit ſcripta præclare: *Meminiſſet, ſe eſſe, cui claves traditæ, cui oves creditæ ſunt. Eſſe quidem & alios Cæli Janitores, & gregum paſtores, ſed eum habeant illi aſſignatos greges, ſinguli ſingulos; ipſi univerſos creditos, uni unum, nec modo ovium, ſed & paſtorum Eugenium eſſe paſtorem: ideoque juxta Canonum Statuta alios Epiſcopos vocatos fuiſſe in partem ſolicitudinis, ipſum in plenitudinem poteſtatis.* Ex quibus verbis quantum vos admoneri par eſt de obſequio, & obedientia, quam debetis huic Sanctæ Sedi, cui Nos, Deo authore, quamquam immeriti præſidemus; tantumdem Paſtoralis Noſtra ſollicitudo excitatur ad inchoandam tandem aliquando in hoc negotio, quam nimia fortaſſe longanimitas Noſtra, dum pœnitentiæ ſpatium damus, hactenus diſtulit, Apoſtolici muneris executionem.

Quamobrem per præſentes Litteras, tradita Nobis ab omnipotenti Deo authoritate, improbamus, reſcindimus, & caſſamus, quæ in iſtis veſtris Comitiis acta ſunt in negotio Regaliæ cum omnibus inde ſecutis, & quæ in poſterum attentari contigerit, eaque perpetuo irrita, & inania declaramus; quamvis cum ſint ipſa per ſe manifeſte nulla, caſſatione, aut declaratione hujuſmodi non egerent: ſperamus vos quoque ipſos, re melius conſiderata, celeri retractatione conſulturos conſcientiæ veſtræ, & Cleri Gallicani exiſtimationi, ex quo Clero ſicuti hucuſque non defuere, ita in poſterum non defuturos confidimus, qui boni Paſtoris exemplo, libenter animam ponere parati ſint pro ovibus ſuis, & pro teſtamento Patrum ſuorum. Nos quidem pro Officii Noſtri debito parati ſumus, Dei adjutrice Gratia, ſacrificare ſacrificium juſtitiæ, & Eccleſiæ Dei jura, ac libertatem, atque hujus Sanctæ Sedis Authoritatem, Dignitatemque defendere, nihil de Nobis, ſed omnia de eo præſumentes, qui Nos confortat, & operatur in Nobis, & qui juſſit Petrum ſuper aquas ad ſe venire. Præterit enim figura hujus mundi, & dies Domini appropinquat. Sic ergo agamus, Venerabiles Fratres, ac Dilecti Filii, ut cum ſummus Paterſamilias, & Princeps Paſtorum rationem ponere voluerit cum ſervis ſuis, ſanguinem peſſumdatæ, & laceratæ Eccleſiæ, quam ſuo acquiſivit, de Noſtris manibus non requirat. Vobis interim omnibus Apoſtolicam benedictionem, cui cæleſtem accedere optamus, intimo paterni amoris affectu impartimur.

Datum Romæ die xi. Aprilis 1682.

## *Alia Cleri Gallicani Epiſtola ad Sanctiſſimum Dominum Noſtrum Innocentium XI. Pontificem Maximum.*

BEATISSIME PATER.

QUantum olim a Majoribus noſtris Sedi Apoſtolicæ delatum eſt, tantum nos, qui Honoris Sacerdotalis Succeſſores, Patriique animi hæredes ſumus, Veſtræ Sanctitati debere, ſolemniter profitemur; neque id modo, quod Veſtra Beatitudo in præcelſo editoque Eccleſiæ loco poſita eſt, ſed & quod illam videmur ſingulari pietate, & religione ſumma, loci auctoritatem exæquare. Cum enim Petri Cathedram ea qua debemus veneratione proſequimur, & pariter nobis ante oculos proponimus virtutes eximias, quibus V. S. ornata eſt, ſeveritatem ſcilicet Inſtitutorum, ſtudium amplificandæ Eccleſiæ, conſtantem retinendæ veteris diſciplinæ ſententiam, quotidianam ſollicitudinem omnium Eccleſiarum, obfirmatam non acquieſcendi carni, aut ſanguini voluntatem, non poſſumus non admirari, & ſummam in honoribus gloriam, & parem in moribus diſciplinam. Hæc, & alia, quæ magnifica ſunt, magnam de Veſtro Pontificatu ſpem omni Eccleſiæ injecerunt; quiſque ſtatim Veſtri Nominis merita prædicare, ſibi quiſque polliceri cœpit, fore ut Summo Pontifice Innocentio Undecimo Eccleſia Provincias reciperet, quas Patrum noſtrorum memoria Hæreſis abſtulerat, & Fides Romana prolatis longe finibus amiſſam recuperaret poſſeſſionem. Ea ſpes Orbis Chriſtiani fuit, eaque opinio hoc magis apud nos invaluit, quod paribus votis, & ſimili animorum conſenſione cum Veſtra Sanctitate conveniret Rex Chriſtianiſſimus, qui, qua Religione, & qua præditus eſt potentia, impietatem diſturbare, & ſolus inter Principes Chriſtianos domitam hæreſim Romanis ſubjicere faſcibus poteſt; neque fruſtra eſt hæc expectare

ab

ab invictiſſimo Principe, qui jam non minus religione, quam armis, Magni Nomen implevit. Ille domi hæreſis tanquam alicujus hydræ innumera capita Edictorum pondere oppreſſit; Ille jam pridem foris ſubactis Provinciis, & Civitatibus expugnatis, Romanæ Eccleſiæ religionem intulit, & nuper in Argentoratenſem Civitatem, ſtupente Europa, & frendente hæreſi Fidem ab exilio reduxit, expiatoque Dei Sanctuario, ſigna Catholica ſacris affixit poſtibus, quos tot annos hæreticorum polluerat impietas. Hæc Chriſtianiſſimus Rex, cujus ſpectata virtus, ſumma in rebus gerendis Prudentia, in exequendis Fortitudo admirabilis, Magnitudo animi, Juſtitia, Fides, Religio, tanquam ſagittæ in arcu brachii potentis, ad tollendam hæreſim, delendum mendacium. Cum hæc inter Sanctiſſimum Pontificem, & Regem Maximum incredibilis eſſet virtutum, & voluntatum conſpiratio, quid aliud nos augurari oportebat, quam Fidei victorias, & gloriam Eccleſiæ. Verumtamen, Beatiſſime Pater, hæc contra omnium expectationem perverſis quibuſdam hominum improborum artibus interpellata ſunt: vix præ dolore hæc meminiſſe, nedum commemorare poſſumus. Etenim dum Rex Chriſtianiſſimus pro ſua pietate rem Eccleſiæ bene, & feliciter gerit, ecce per Provincias, & Civitates Galliarum Litteræ Apoſtolicæ divulgatæ ſunt, quibus ſacra Regis Chriſtianiſſimi Majeſtas offenditur, acerbis minacibuſque Litteris impetitur ille Rex, Prædicator Fidei, Defenſor Eccleſiæ, Regionum Præſul, Patriæ Cuſtos, Triumphator Gentium; convelluntur Jura Regni, tolluntur ſacra majorum noſtrorum Depoſita, pulſantur Eccleſiæ Gallicanæ libertates, cæditur reverentia Sacerdotalis, Provinciarum Eccleſiarumque Privilegia violantur, ſubvertitur Juriſdictio Epiſcoporum, perruptiſque terminis, quos Patres noſtri conſtituerunt, ex antiqua Patrum noſtrorum hæreditate immeriti dejicimur. Ingemuit, Beatiſſime Pater, Clerus Gallicanus, cum videret, contra Canonem Eccleſiaſticum, & contra formam Judiciorum condemnatum eſſe Illuſtriſſimum Archiepiſcopum Tholoſanum; exhorruit diſtrictum, & minitantem Capiti Collegæ excommunicationis gladium, demum contra fidem Concordatorum Litteræ Pontificiæ abſque Canonica cauſa denegantur rite nominato ad Apamienſem Epiſcopatum; unde accidit, ut non ſuccurratur Eccleſiæ ſciſſura laboranti, quoniam non adeſt Epiſcopus, qui & pro munere inſtitutionis ſuæ tollat ſchiſma, & diſſidentes ad unitatem revocet.

Unde vero, Beatiſſime Pater, tot & tantæ in nos irarum cauſæ? quos olim unus ex Veſtræ Sanctitatis Prædeceſſoribus appellabat Gentem ſanctam, Regale Sacerdotium, Populum acquiſitionis, cui Deus Iſrael benedixit. Nonne nobis eadem, quæ Majoribus noſtris fuit in Summum Pontificem devotio? Nonne erga Sanctitatem Veſtram reverentiæ, & obedientiæ obteſtatio ſimilis? idemque nos, quos illos olim ejuſdem communionis vinculum Sedi Apoſtolicæ adſtrictos tenet? Dolemus, Beatiſſime Pater, nihilominus ex veſtris Litteris in Eccleſia ſeri diſcordias; cumque in dies malum ingraveſceret, huic tandem obviam ire cœpimus; habitoque Generali Eccleſiæ Gallicanæ Conventu in commune providere, ne quid detrimenti Chriſtiana res caperet. Audivimus itaque Regem Chriſtianiſſimum, & qua Legatione pro Chriſto fungimur, tanquam Deo exhortante per nos, obſecravimus, ne ex unius negotii cauſa ædificationem Dei diſſolvi ſineret. Eum vero, Beatiſſime Pater, qui pacandi Orbis gratia, gloriæ, & magnitudini ſuæ, quibus nihil fortiſſimo Principi pretioſius eſt, ultro modum fecit, tranquillitati Eccleſiæ, & felicitati Sacerdotum nihil non condonaturum eſſe, rogationis noſtræ eventus comprobavit.

Quoniam vero paci, & quieti Eccleſiæ Gallicanæ, non modo inpræſentiarum, ſed etiam in poſterum proſpiciendum eſt, talia nempe præceſſerunt, ut ſimilia, vel etiam graviora præcaveri oporteat; præmiſſo erga Sedem Apoſtolicam, quod decet, reverentiæ, & obedientiæ officio, impenſius deprecamur Sanctitatem Veſtram, ne Jura, Privilegia, mores, & inſtituta Majorum convelli, aut minui patiatur, ea præſertim, quæ ſacris Canonibus, & Patrum Decretis ſtabilia nobis ſemper in honore, & uſu fuerunt, & quæcunque Eccleſia Gallicana auctoritate conſuetudinis, & vetuſtatis poſſeſſione defendit: idque eo ardentioribus votis expoſcimus, quo nulla temporum interruptione, nullaque definitione Patrum hac in re Eccleſiæ Gallicanæ derogatum eſt. Ejuſmodi autem ſunt Epiſcoporum Judicia, quæ ex Patrum Decretis, & ex moribus noſtris in his partibus a nobis tractari, quin etiam interjectis ad Sedem Apoſtolicam appellationibus finiri debent; ea quoque, quæ ad juriſdictionem Metropolitanorum, & Epiſcoporum attinent, Jura Regni, Libertates Eccleſiarum, negotia Eccleſiaſtica, quæ omnia intra limites Diœceſeos Galliarum æſtimari, agitari, & judicari conductum eſt. Prudentiſſime enim, & juſtiſſime, ut in ſimili prope negotio Patres Africani ad Cæleſtinum Papam ſcribebant, Nicæni Patres providerunt, quæcumque negotia, ubi orta, ſunt finienda, nec unicuique Provinciæ gratiam Sancti Spiritus defuturam, qua æquitas a Chriſti Sacerdotibus, & prudenter videatur, & conſtantiſſime teneatur.

Oramus itaque Sanctitatem Veſtram, & omnibus precibus obteſtamur, ut ſuam, quam Veſtris Fratribus Deus tribuit portionem, intactam illibatamque eſſe velit, ut paterno animo ſuam filiis hæreditatem ſartam tectamque cuſtodiat, ut vulneribus Eccleſiæ Matris noſtræ pia, & ſalubri eorum, quæ geſta ſunt, ratione medeatur; nec interceſſionem Cleri Gallicani minus æquis auribus accipiat, dum præſertim periculum eſt, ne quid diſpendii res noſtræ, nobis tacentibus, patiantur. Neque hæc pro Juribus noſtris defendendis repentina ſupervenerunt ſubſidia: antiqua Majorum noſtrorum documenta ſunt, quæ ut hauſimus ab iis, ea pariter hoc Eccleſiaſtici vigoris, & Sacerdotalis animi exemplo, ad poſteros tranſmittimus. Quin etiam æmulamur ſapientiam Patrum, qui in ſimilibus cauſis, ſimili modo ſuis inſtitutis providerunt, neque id ægre tuliſſe Summos Pontifices Bonifacium, & Cæleſtinum, quin & hiſce poſtremis temporibus Innocentium X. accepimus; ſperamus quoque, Beatiſſime Pater, fore ut Veſtra Sanctitas æqui bonique conſulat hanc noſtram conteſtandæ, & dirimendæ cauſæ rationem, ubi ſine honoris erga Veſtram Sanctitatem diminutione, ſine ulla Charitatis offenſione, decertata jura ſuis poſſeſſoribus aſſeruntur. Nobis enim hoc inprimis de

de Veſtra Sanctitate pollicemur, ut ille, cujus ad Pontificatum felix ortus, & læti dies fuerunt, cujus vita omnis virtutibus tanquam fauſtis ſyderibus fulget, amotis procul, vel levium diſſidiorum nebulis, tranquillitatem Eccleſiæ Gallicanæ afferat, & ſerenitatem. Hoc omnium noſtrum votum, & hoc cum Apoſtolica benedictione optant, expectantque.

Datum Pariſiis pridie Nonas menſis Maji, anno MDCLXXXII.

*Sanctitatis Veſtræ.*

Obſequentiſſimi & devotiſſimi Filii, ac Servi Veſtri,

*Archiepiſcopi, Epiſcopi, & alii Eccleſiaſtici Viri in Comitiis Generalibus Cleri Gallicani Pariſiis congregati.*

*Franciſcus Archiepiſcopus Pariſienſis Præſes.*

De Mandato Illuſtriſſimorum & Reverendiſſimorum Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, totiuſque Cœtus Eccleſiaſtici in Comitiis Generalibus Cleri Gallicani Pariſiis congregati.

XXIII. Atque hæc ſatis ſint pro explicatione Canonis hujus XII. Concilii II. Œcumenici Lugdunenſis; longe plura legi poſſunt apud laudatum Cæleſtinum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem Sfondratum in citata Gallia vindicata, ac præſertim apud Dominicum Berninum in ſua Hæreſum Hiſtoria Italica lingua exarata, Seculo XVII. Cap. X. ubi varia de ea re edita a ſanctæ memoriæ Innocentio XII. Pontifice Maximo Diplomata recenſet; aitque inter alia, conſuevifſe ipſum Pontificem in Litteris Proviſionis Eccleſiarum Galliæ hanc clauſulam apponere: *Eidemque injungentes, quod memor ſanctionis Œcumenici Concilii Lugdunenſis abſtinere debeat a quocumque actu, ex quo tacite, vel expreſſe inferri poſſit approbatio extenſionis Regaliæ.* Porro non modo in Anglia, & in Gallia, uti hactenus dictum fuit, ſed in aliis quoque Regnis viguiſſe Regaliæ abuſum a Principibus uſurpatum teſtantur alii Scriptoris, inter quos videri poſſunt Spondanus, & Raynaldus in Annalibus ſuis Eccleſiaſticis, itemque eruditus Dufreſne in ſuo Gloſſario, verbo, *Regalia.*

# CANON XIII.

Licet Canon a felicis recordationis Alexandro Papa III. Prædeceſſore noſtro editus, inter cetera ſtatuerit, ut nullus regimen Eccleſiæ Parochialis ſuſcipiat, niſi vigeſimumquintum annum ætatis attigerit, ac ſcientia, & moribus commendandus exiſtat, quodque talis ad regimen aſſumtus hujuſmodi, ſi monitus, non fuerit præfixo a Canonibus tempore in Presbyterum ordinatus, a regiminis ejuſdem amoveatur officio, & alii conferatur: quia tamen in obſervatione Canonis memorati ſe multi exhibent negligentes, Nos periculoſam illorum negligentiam volentes juris exequutione ſuppleri, præſenti Decreto ſtatuimus, ut nullus ad regimen Parochialis Eccleſiæ aſſumatur, niſi idoneus ſcientia, moribus, & ætate. Decernentes, collationes de Parochialibus Eccleſiis, iis, qui non attigerunt vigeſimumquintum annum de cetero faciendas, viribus omnino carere. Is etiam, qui ad hujuſmodi regimen aſſumetur, ut gregis ſui crediti diligentius gerere curam poſſit, in Parochiali Eccleſia, cujus Rector extiterit, reſidere perſonaliter teneatur; & infra annum a ſibi commiſſi regiminis tempore numerandum ſe faciat ad Sacerdotium promoveri. Quod ſi infra idem tempus promotus non fuerit, Eccleſia ſibi commiſſa, nulla etiam præmiſſa monitione, ſit præſentis Conſtitutionis auctoritate privatus. Super reſidentia vero, ut præmittitur, facienda, poſſit Ordinarius gratiam diſpenſative ad tempus facere, prout cauſa rationabilis id expoſcet.

## COMMENTARIUS.

I. Confirmat hoc Canone, ampliatque Gregorius Papa X. Canonem III. ab Alexandro Papa III. in Concilio Generali III. Lateranenſi editum, quo ſtatuerat, *ut nullus regimen Eccleſiæ Parochialis ſuſcipiat, niſi vigeſimum quintum annum ætatis attigerit, ac ſcientia, & moribus commendandus exiſtat, quodque talis ad regimen aſſumtus hujuſmodi, ſi monitus, non præfixo a Canonibus tempore in Presbyterum ordinatus, a regiminis ejuſdem amoveatur officio, & alii conferatur.* Cauſam innovandi hunc Canonem, novoque robore muniendi edicit mox idem Gregorius his verbis: *Quia tamen in obſervatione Canonis memorati ſe multi exhibent negligentes, Nos periculoſam illorum negligentiam volentes juris exequutione ſuppleri, præſenti Decreto ſtatuimus, ut nullus ad regimen Parochialis Eccleſiæ aſſumatur, niſi idoneus ſcientia, moribus, & ætate.* Eadem plane hæc ſunt, quæ olim, uti jam dictum eſt, ſtatuerat in Canone III. Concilii III. Œcumenici Lateranenſis Alexander III. Pontifex Maximus; cujus Conſtitutio-

tutionem merito innovavit noſtro hoc Canone relato in Cap. *Licet*, XIV. *De Electione &c.* in VI. Gregorius Papa X. *quia in obſervatione Canonis memorati ſe multi exhibebant negligentes*.

II. Novo antem robore, atque additamento munivit Gregorius Canonem ipſum Lateranenſem, ubi ſtatuit, *Collationes de Parochialibus Eccleſiis, iis, qui non attigerunt vigeſimum quintum annum, de cetero faciendas, viribas omnino carere*. Notat Gloſſa, citato Lateranenſi Canone prohibitum quidem fuiſſe, Collationem Parochialis Eccleſiæ fieri minoribus vigintiquinque annis; at vero nova hac Geegorii X. Conſtitutione, irritam omnino decerni. Rurſus pee illum Canonem moneri debebant Parochialibus Eccleſiis donati ad Ordines Presbyteratus ſuſcipiendum, per hunc autem novum Canonem non eſt opus monitione. Per illum denique negligentes privandi per ſententiam erant; per iſtum autem privati ſunt ipſo jure, uti in ipſo Capite, *Licet*, inter alios Canoniſtas notat Joannes Andreas citatus a Gloſſa ibidem.

III. Sed audiamus nunc quæſo verba ipſa noſtri Canonis: *Is etiam qui ad hujuſmodi regimen aſſumetur, ut gregis ſui crediti diligentius gerere curam poſſit, in Parochiali Eccleſia, cujus Rector extiterit, reſidere perſonaliter teneatur, & infra annum a ſibi commiſſi regiminis tempore numerandum ſe faciat ad Sacerdotium promoveri: quod ſi infra idem tempus promotus non fuerit, Eccleſia ſibi commiſſa, nulla etiam præmiſſa monitione, ſit præſentis Conſtitutionis auctoritate privatus*; ipſo jure ſcilicet, ut docet Gloſſa, quamvis olim pee ſententiam; additque mox etiam illud, nec pee aliquot dies poſſe moram purgari elapſo anno. Porro noſtro huic Canoni adhæſit Concilium Tridentinum Seſſione VII. *De reformatione*, Cap. XII. ubi ſtatuit, ut *facultates de non promovendo, præter quam in caſibus a Jure expreſſis, conceſſæ ad annum tantum ſuffragentur*.

IV. Celebeis caſus in Jure expreſſus eſt certe ille, quem declaravit Bonifacius Papa VIII. in Capite, *Cum ex eo*, XXXIV. *De Electione &c.* in VI. ubi poſt eelatum noſtrum Canonem a Gregorio X. in Concilio II. Lugdunenſi editum, nova ſua Conſtitutione ſancivit, ut Epiſcopi, eorumque Superiores, cum his, qui ſubjectas ſibi Parochiales Eccleſias obtinent, vel obtinuerint, in futurum diſpenſare poſſint libere, *quod uſque ad ſeptennium*, ait, *litterarum ſtudio inſiſtentes, promoveri minime teneantur, niſi ad Ordinem Subdiaconatus dumtaxat*, infra annum omnino ſuſcipiendum; quem etiam niſi perceperint, pœna illos percelli eo ipſo mandat noſtro hoc Canone Lugdunenſi contenta, ut nempe abſque monitione alia Parochialibus ipſis Eccleſiis ſint ipſo facto privati. Sane ex eadem Bonifacii Papæ VIII. Conſtitutione cautum & illud eſt, ut ſeptennio prædicto durante iidem Epiſcopi ſollicite provideee procurent, ut per bonos, & ſufficientes Vicarios ab eis in ejuſmodi Eccleſiis deputandos animarum cura diligenter exerceatur, & deſerviatur laudabiliter in divinis; quibus de ipſarum Eccleſiarum proventibus neceſſaria congrue miniſtrentue.

V. Quamquam vero ex noſtro hoc Canone, *ſuper reſidentia, ut præmittitur, facienda, poſſit Ordinarius gratiam diſpenſative ad tempus facere, prout cauſa rationabilis id expoſcet*; tam neceſſaria tamen eſt prædicta ætas vigintiquinque annorum ad Beneficia curata, ut Epiſcopus ſuper ea diſpenſare non poſſit; non enim poteſt Epiſcopus in legibus a Romanis Pontificibus Maximis, & a Conciliis Generalibus editis diſpenſationem impertiri. Conſtitutiones autem eam diſpenſationem prohibentes, ſunt non modo Canon III. Concilii III. Œcumenici Lateranenſis, relatus in Cap. *Cum in cunctis, De Electione &c.* & Canon hic noſtee Lugdunenſis II. Concilii Generalis, eelatus in Capite, *Licet*, eodem Titulo in VI. verum etiam nova Concilii Tridentini ſanctio, Seſſione XXIV. *De reformatione*, Cap. XII. ubi inter alia expreſſe edicit, ut *nemo deinceps ad Dignitates quaſcumque, quibus animarum cura ſubeſt, promoveatur, niſi qui ſaltem XXV. ſuæ ætatis annum attigerit, & in Clericali Ordine verſatus, doctrina ad ſuum munus exequendum neceſſaria, ac morum integritate commendetur juxta Conſtitutionem Alexandri III. in Concilio Lateranenſi promulgatam, quæ incipit*, Cum in cunctis.

VI. Canonem noſtrum Concilii II. Lugdunenſis, ſicut & Canonem XIII. Concilii III. Lateranenſis, & Canonem XXX. Lateranenſis IV. Concilii innovavit tandem confirmavitque idem Concilium Tridentinum Seſſione VII. *De reformatione*, Cap. III. ubi de Beneficiorum curatorum collatione ita ſtatuit: *Inferiora Beneficia Eccleſiaſtica, præſertim curam animarum habentia, perſonis dignis, & habilibus, & quæ in loco reſidere, ac per ſe ipſos curam ipſam exercere valeant juxta Conſtitutionem, quæ incipit*, Quia nonnulli, *& aliam Gregorii X. in Generali Lugdunenſi Concilio, quæ incipit*, Licet Canon, *editam, conferantur*. Additque mox: *Aliter autem facta collatio, ſive proviſio omnino irritetur, & Ordinarius collator pœnas Conſtitutionis Concilii Generalis, quæ incipit*, Grave nimis, *ſe noverit incurſurum*. Citatas Conſtitutiones utriuſque Concilii Lateranenſis III. & IV. jam nos ſuo loco, noſtro Tomo III. Conciliorum explicuimus, in Commentariis ſcilicet ad Canonem XIII. Concilii III. Lateranenſis, & ad Canonem XXX. Lateranenſis IV. Concilii. In ipſum autem Concilii Tridentini Decretum videri Adnotationes poſſunt, quas Joannes Gallemartius ex variis Auctoribus, & ex Decretis Sacræ Congregationis Tridentini Concilii Interpretum recenſet.

## C A N O N XIV.

Nemo deinceps Parochialem Eccleſiam alicui non conſtituto in ætate legitima, & Sacerdotio commendare præſumat. Nec tali etiam niſi unam, & evidenti neceſſitate, vel utilitate ipſius Eccleſiæ ſuadente. Hujuſmodi autem Commendam, ut præmittitur, rite factam declaramus ultra ſemeſtris

tem-

temporis ſpatium durante. Statuentes quicquid ſecus de Commendis Eccleſiarum Parochialium actum fuerit, eſſe irritum ipſo jure.

## COMMENTARIUS.

I. Mandat hic Canon, qui relatus eſt in Cap. *Nemo*, XV. *De Electione &c.* in VI. Parochialem Eccleſiam non commendari niſi in ætate legitima, ideſt annorum XXV. & Sacerdotio conſtituto, ut tempore interim poſſit ipſi Eccleſiæ in Sacerdotali Ordine deſervire; eique nonniſi unam, & illam tunc demum, cum neceſſitas, vel utilitas Eccleſiæ id exigeret; Commendam autem hujuſmodi licet rite factam, non ultra ſex menſes durare; conſtituta pœna, ut quicquid ſecus de Commendis Parochialium Eccleſiarum actum fuerit, irritum eſſet ipſo jure. Atque hæc ſunt, quæ noſter ſtatuit Canon de ipſis Eccleſiarum Parochialium Commendis, eas ad tempus permittens, quia ſcilicet Epiſcopus non haberet ad manus idoneam perſonam, vel ubi forte Patroni de Jurepatronatus contenderent, uti obſervat Gloſſa in citato Capite, *Nemo*.

II. Antiquum Commendarum abuſum jam nos aliàs profligavimus, de eoque paſſim Scriptores Eccleſiaſtici conqueſti ſunt, quinimo Synodi ipſæ, ac Romani Pontifices Maximi, uti videre eſt apud Thomaſſinum, Parte II. *Diſciplinæ*, Lib. III. Cap. X. & pluribus ſequentibus. Sane quod Parochialium Eccleſiarum Commendas ſpectat, potuit ea corruptela, Canonumque ludificatio, uti laudatus Auctor docet Cap. XIX. Num. VIII. inde initium duxiſſe, cum plures Parochiæ minuſculæ uni credebantur Parocho, quod duobus ſuſtentandis haudquaquam ſufficerent. Id Canones non vetebant, & nec vitare quidem poterant. Jure meritoque Salmurienſis Synodus anni MCCLIII. in Galliis habita, Can. XXVIII. ſuccenſuit Epiſcopis, Collatoribuſque aliis, qui pinguiſſimas conferebant iis Parochias, qui jam alias regebant; unde & quas in titulum non poterant, in Commendam dabant: *Nonnulli Epiſcopi, & alii Prælati propriis lucris, & commodis ſuorum inhiantes, Eccleſias Parochiales, quæ proprios poſſunt habere Sacerdotes, Clericis, & aliis perſonis Eccleſiaſticis habentibus alias Eccleſias Parochiales, vel competenter Beneficiatis, ut poſſint eos pluribus onerare Beneficiis, commendant unam, vel duas Eccleſias Parochiales, in animarum ſuarum periculum, & ſcandalum plurimorum; ut ſic habeant commendatas, quas ſecundum Canones habere non poſſunt intitulatas; quod fieri de cetero prohibemus; ſtatuentes, ut qui taliter Eccleſias commendatas recepit, vel de cetero receperit, careat Eccleſia ſic commendata; & conferens poteſtate conferendi illam Eccleſiam illa vice ſit privatus.*

III. Ut alias Synodos omittam ſordidam eorum avaritiam perſtringentes, qui licentia abutebantur a Canonibus conceſſa duplicis retinendi Beneficii, alterius in titulum, alterius in Commendam, dum ſcopus ejus Commendæ non alius eſſet, quam Eccleſiæ neceſſitas, utilitaſve, proſcriptæ fuere omnino, & exciſæ Commendæ Parochiarum hoc noſtro Canone XIV. Œcumenici II. Concilii Lugdunenſis, dum vetuit, ne eæ deinceps darentur, niſi aſſequutis ætatem legitimam XXV. annorum, & Presbyteratu initiatis ad urgentem aliquam Eccleſiæ neceſſitatem, vel utilitatem, & in ſex non amplius menſes. Atque hoc Decretum innovavit anno MCCLXXIX. Redingenſis Synodus habita in Anglia, Can. II. Nec poſthac obviam uſquam ſunt Parochiarum Commendæ, uti notat laudatus Thomaſſinus loco citato, ubi etiam obſervat, vel ex eo deduci poſſe, *eas penitus oppreſſas fuiſſe auctoritate Concilii Lugdunenſis, quamquam revixerint poſt annum milleſimum treceteſimum*. Verum Commendæ hæ potius fuerunt Epiſcopatuum, Abbatiarum, & Prioratuum, quam Eccleſiarum Parochialium, ut vel ex eodem Auctore addiſcere licet toto ſequenti Cap. XX.

IV. Duo ſunt tandem hic nobis notanda de ſemeſtris ſpatio, quo commendari Parochialis Eccleſia poteſt alicui conſtituto in ætate legitima, annorum ſcilicet XXV. & Sacerdotio, ob evidentem nempe neceſſitatem, vel utilitatem ipſius Eccleſiæ, quæ commendatur. Primum eſt, quod notat Gloſſa in dicto Cap. *Nemo*, XV. *De Electione &c.* in VI. dubiam olim fuiſſe illam noſtri Canonis literam, ſemeſtris, *quia quidam Libri habebant* trimeſtris, *quidam vero* ſemeſtris, *& literam* trimeſtris *dicebat Dominus Gulielmus ſe habuiſſe de Bulla*. Notat autem marginalis Gloſſa ibidem, quod *in omnibus Exemplaribus, quæ videre contingit, legitur ſemeſtris*. Alterum eſt, finitis ſex menſibus, non poſſe iterum Parochialem ipſam Eccleſiam ab Ordinario alii commendari, tametſi in ætate legitima, & Sacerdotio conſtituto; quia ſcilicet, ut ait Gloſſa, mens hujus Conſtitutionis contradicit, quæ quidem expreſſe edicit, Commendam Parochialis Eccleſiæ *rite factam ultra ſemeſtris temporis ſpatium non durare*; ſtatuitque mox etiam, *quicquid ſecus de Commendis Eccleſiarum Parochialium actum fuerit, eſſe irritum ipſo jure*. Vide quæ & de Parochiarum Commendis dicemus infra in Seſſionem Concilii Œcumenici V. Lateranenſis, ubi in peculiari Bulla Reformationis Curiæ inter alia edixit Leo Papa X. ne Parochiæ, primæ Dignitates Capitulorum, aliaque Beneficia, quorum annui reditus non ſunt ducentorum amplius Ducatorum auri, commendari unquam poſſint, uti nec Xenodochia, & Leproſorum Ædes, quamvis pinguiſſimis ſint reditibus.

## CANON XV.

Eos, qui Clericos Parochiæ alienæ abſque Superioris Ordinandorum licentia, ſcienter, ſeu affectata ignorantia, vel quocumque alio figmento quæſito, præſumſerint ordinare, per annum a collatione Ordinum decernimus eſſe fu-

ſuſpenſos: iis, quæ Jura ſtatuunt contra taliter Ordinatos in ſuo robore duraturis. Clericis quoque Parochiæ taliter ſuſpenſorum, poſtquam eorum ſuſpenſio fuerit manifeſta, abſque ipſorum etiam licentia interim recipiendi Ordines ab aliis vicinis Epiſcopis, alias tamen Canonice, liberam concedimus facultatem.

## COMMENTARIUS.

I. EXtat hic Canon in Cap. II. *De temporibus Ordinationum, & qualitate Ordinandorum*, in VI. ſtatuitque, eos, qui ſcienter alienum Clericum ordinaverint, per annum a collatione Ordinum eſſe ſuſpenſos; ſtatutis contra hoc modo Ordinatos in ſuo robore duraturis; & poſtquam ſuſpenſio fuerit manifeſtata, poſſe ſubditos ſine ipſorum licentia a vicinis Epiſcopis ordinari. Tria itaque hic Canon ſtatuit. Primo enim punit ordinantes Clericos alienæ Diœceſis. Secundo ratam habet pœnam a Sacris Canonibus contra ſic ordinatos conſtitutam. Tertio facultatem præbet ſubditis Ordinariorum jam ſuſpenſorum, ut a vicinis Epiſcopis ordinari poſſint.

II. Quod primum ſpectat, jam non expreſſe, ac nominatim Epiſcopos Canon dicit, ſed generaliter loquitur, & ait: *Eos qui*, ut comprehendat nedum Patriarchas, Archiepiſcopos, & Epiſcopos, verum etiam Abbates, & quoſcumque alios, qui vel de Jure, vel ex Privilegio facultatem habeant ordinandi; nullus enim horum poteſt non ſuum ſubditum ordinare; eſtque hæc vetus Eccleſiæ diſciplina, quam nos non uno in loco explicuimus, & in Commentariis ad præcedentes Synodos, & in iis, quibus Romanum Pontificale illuſtravimus. Loquitur præterea hic Canon de Clericis Parochiæ alienæ, abſque Superiorum ſuorum licentia non ordinandis; tametſi nec laici poſſint juxta diſciplinam, quæ poſt annum Chriſti milleſimum invaluit, ab aliis Clericatu initiari, niſi a propriis ſuæ Diœceſis Epiſcopis; idque inter alios ſtatuit Bonifacius Papa VIII. in Cap. IV. citato Titulo, *De temporibus ordinationum &c.* in VI. Certe Canones, qui decem prioribus ſeculis conditi ſunt, cum vetant, ne alieni ordinentur ſine proprii Epiſcopi conſenſu, de ſolis Clericis loquuntur, itant probibeant, ne quis inconſulto, ac invito Epiſcopo, a quo primum Clericus factus eſt, ad Ordines promoveatur. Sed de hac diſciplina ſuſe jam diſſeruimus Tomo I. Romani Pontificalis, Titulo II.

III. Vetantur ergo Epiſcopi *Clericos Parochiæ alienæ abſque Superioris Ordinandorum licentia, ſcienter, ſeu affectata ignorantia, vel quocumque alio figmento quæſito ordinare*. Explicanda ſunt ſingula verba pro majoris hujus Canonis, aliorumque ſimilium dilucidatione. Parochia hic idem eſt, ac Diœceſis, pluribuſque oſtendit Fileſacus in Opuſculo, *De origine Parœciarum*, Cap. I. Parœciam, ſeu Parochiam, Eccleſiæ naſcentis temporibus, & ſequentibus ſeculis aliquot nec paucis, *pro Diœceſi, & ut vocant, Epiſcopatu*, uſurpatam fuiſſe. Verba illa, *abſque Superioris Ordinandorum licentia*, jam non modo Epiſcopum, ſed omnes Superiores comprehendunt, Prælatoſque etiam Regulares reſpectu ſuorum ſubditorum; non enim ipſi ſine Præſulum ſuorum licentia ordinari poſſunt, uti edicit Gelaſius Papa in Can. *Siquis Monachum*, XVI. Quæſtione I. Lucius III. in Cap. *Ad aures*, V. *De temporibus Ordinationum &c.* & noviſſime Synodus Tridentina, Seſſione XIV. Capite II. Porro illa alia verba, *ſcienter, ſeu affectata ignorantia, vel quocumque alio figmento quæſito*, exponit pluribus Gloſſa in citato Capite II. & ibidem Paſſerinus; dicitur affectata ignorantia, ex quo Epiſcopus potuit, ſed noluit, imo diſſimulavit. Figmenti vero, ſeu fictionis plura exempla ab ipſa Gloſſa afferuntur, ut quia forte Ordinans dicit, quod Ordinandus tanquam ſcholaris poteſt ordinari, cum hoc alias ſit falſum; vel fingit licentiam datam fuiſſe; vel dicit Epiſcopum Ordinandi eſſe amicum ſuum, ratamque eam Ordinationem habiturum; vel ſcire diſſimulavit, Litteras dimiſſorias ſubreptitias eſſe; & id genus alia exempla, quæ tamen non omnia bene applicantur, ut idem Paſſerinus loco citato oſtendit.

IV. Quod pœnam ſpectat, decernit quidem noſter Canon, eum qui ſcienter alienum Clericum ordinaverit, per annum a collatione Ordinum eſſe ſuſpenſum. Id quod etiam ſtatuit Concilium Tridentinum Seſſione XXIII. *De reformatione*, Cap. VIII. Licet autem arbitretur Gloſſa, noſtro Canone prohiberi etiam conferri primam Tonſuram, certiorem puto eſſe eorum ſententiam, qui contrarium docent. Noſter enim Canon ſolum prohibet ordinari Clericos alienæ Diœceſis, nihilque de laicis ſtatuit, ſi illi prima Tonſura ſine licentia proprii Epiſcopi initientur. Sic etiam cum Tridentinum Concilium citata Seſſione XXIII. Cap. VIII. eandem pœnam ſtatuerit adverſus Epiſcopos alienos ſubditos ſine Teſtimonialibus ſuorum Ordinariorum ordinantes, ſub eo Decreto non comprehendi primam Tonſuram, declaravit Sacra Congregatio Concilii Tridentini interpres. Cum enim, teſte Fagnano in Cap. *Cum contingat*, *De ætate, & qualitate &c.* Num. XXXVIII. Epiſcopus Hieracenſis dubitaſſet, an incidiſſet in pœnam ſuſpenſionis, quia cuidam extraneo ſubdito alterius Epiſcopi primam Tonſuram contulerat, Sacra ipſa Congregatio cenſuit, non incidiſſe, nec Caput VIII. Seſſione XXIII. loquens de ordinationibus habere locum in conferentibus primam Tonſuram, quæ a Concilio non habetur pro Ordine, uti patet ex Capite IV. Seſſione XXIII. juncto Cap. V. & VI. ejuſdem Seſſionis. Non ergo nomine Ordinis, ex mente Sacræ Congregationis venit prima Tonſura.

V. Circa ordinatos ab alieno Epiſcopo, ut omittam antiqua Jura, quæ Canon hic jubet in ſuo robore duratura, quæque exponit Gloſſa in Cap. II. verbo, *Statuunt*, ſancitum eſt a Concilio Tridentino, Seſſione XXIII. Cap. VIII. ut ordinati ipſi a ſuſceptorum Ordinum exequutione, quandiu proprio Ordinario videbitur expedire, ſint ſuſpenſi. Quamobrem ceſſat nunc ea Quæſtio, quis hujuſmodi ab alieno Epiſcopo ordinatos abſolvere poſſit a ſuſpenſione, & cum

illis

illis diſpenſare; conſtat enim ex laudato Concilii Tridentini Decreto, poſſe id fieri a proprio Epiſcopo. Porro Clericis ſubditis Epiſcoporum taliter ſuſpenſorum concedit Canon, *poſtquam eorum Suſpenſio fuerit manifeſta, abſque ipſorum etiam licentia, interim recipiendi Ordines, alias tamen Canonice, liberam facultatem*. A vicinis itaque Epiſcopis ordinari quidem eo caſu poſſunt Clerici alienæ Parochiæ, non tamen ab omnibus, quia ſcilicet per vicinos facilius, ac melius mores Ordinandorum cognoſci poſſunt. Ait Canon, *interim*, ideſt, durante anno Suſpenſionis. Addit deinde, *Canonice*, nimirum prævio examine, tempore debito, & in ætate legitima, atque ſervatis alias de Jure ſervandis, ut notant Gloſſa, aliique Interpretes.

# C A N O N XVI.

**Altercationis antiquæ dubium præſentis declarationis oraculo decidentes, Bigamos omni privilegio Clericali declaramus eſſe nudatos, & coercitioni Fori ſecularis addictos: conſuetudine contraria non obſtante. Ipſis quoque ſub anathemate prohibemus deferre Tonſuram, vel Habitum Clericalem.**

## C O M M E N T A R I U S.

I. CUm antiquitus, ut notat Gloſſa in Capite unico, *De Bigamis*, in VI. in quod noſter hic Canon relatus eſt, inter Hugonem, & alios ex una parte, & Jo: ac ejus ſequaces ex altera diſputaretur, an Clericus effectus Bigamus *vere*, vel interpretative, eſſet privatus omni privilegio Clericali, negante id inter alios Hugone, & affirmante Jo: hanc controverſiam definivit Gregorius Papa X. præſenti hoc Canone, quo ſtatuitur, Bigamum nudatum eſſe omni privilegio Clericali, & adſtrictum Foro ſeculari, conſuetudine contraria non obſtante, ac ſub pœna anathematis prohibitum eſſe Tonſuram, vel Habitum Clericalem deferre. Bigamos autem tam veros, quam interpretativos hoc Canone comprehendi, ajunt Gloſſa, & Canonici Juris Interpretes paſſim.

II. Bigamia, quæ ſtricte ſumta, eſt Matrimonii multiplicatio, ut Doctores eam definiunt, ſecundum Canones multiplex eſt; dividiturque in veram, interpretativam, & ſimilitudinariam. Prima in eo reperitur, qui duabus uxoribus ſucceſſive nubit; de eaque loquitur Apoſtolus in Epiſtola I. ad Timotheum, Can. III. & Innocentius Papa I. in Epiſtola II. Cap. VI. ubi ait: *Ne is, qui ſecundam duxit uxorem, Clericus fiat &c.* Altera locum habet in eo, qui unicam quidem, ſed viduam duxerit: *Viduam*, ait idem Innocentius, *Clericus non ducat uxorem*. In eo quoque locum habet, qui putans virginem ducere, cum corrupta nubit, quocumque tandem id modo contigerit; itemque in eo, qui commiſcetur cum conjuge, quæ poſt Matrimonium adulterata fuerit, uti ex S. Leone in Epiſtola LXXXVII. & ex Canone VIII. Neocæſarienſis Concilii addiſcere licet. Tertia Bigamiæ ſpecies, quæ ſimilitudinaria appellatur, in iis eſt, qui aut poſt ſolemne votum ſive Religioſæ profeſſionis, ſive poſt continentiam ſuſcepto Ordini ſacro adnexam contraxerit, & conſummavit Matrimonium, ſive valide, obtenta nimirum a Pontifice Maximo diſpenſatione, ſive invalide, ſeu ea diſpenſatione minime obtenta. Illius meminit Alexander Papa III. in Capite IV. *De Clericis conjugatis*.

III. Fuſe de hiſce Irregularitatibus agunt paſſim tum Theologi, tum Canonici Juris Conſulti, egimuſque non ſemel nos, ubi ſe ſe nobis dedit occaſio in noſtris Commentariis ad præcedentes Synodos, & ad Romanum Pontificale. Quod autem noſtrum hunc Canonem ſpectat Concilii II. Lugdunenſis, opportune admonet, & illud Gloſſographus, altercationem Doctorum, cujus meminit Gregorius Papa X. auctor ipſius Canonis, fuiſſe quidem ſuper antiquo Canone, *Quiſquis*, Diſtinctione LXXXIV. ubi ex Epiſtola Siricii Papæ ad Himerium Tarraconenſem Epiſcopum, ſtatutum profecto fuerat, ut *quiſquis Clericus, aut viduam, aut certe ſecundam uxorem duxerit, omni Eccleſiaſticæ Dignitatis privilegia mox nudetur; laica ſibi tantum communione conceſſa*. Subdit autem Gloſſographus: *Per illud* nudetur, *videbatur non eſſe privatus, ſed privandus; præſens ergo Conſtitutio*, Canon ſcilicet noſter, *hoc declarat*. Quia ergo Canon, *Quiſquis*, loquitur tam de eo, qui viduam, quam qui binas ſucceſſive uxores duxit, etiam Conſtitutio pro illius declaratione edita, de utriuſque intelligi debet, & ita hodie obtinet; tam enim maritus viduæ, quam duarum ſucceſſive uxorum, omni privilegio Clericali cenſetur nudatus.

IV. Sed neque hodierna diſciplina Bigamum etiam ob contractum Matrimonium cum vidua ad ullum Ordinem vel Minorem, ejuſque functiones, aut ad Beneficium ullum Eccleſiaſticum admittit; imo nec ad ulla quantumvis infima Eccleſiæ miniſteria Bigamos admittendos expreſſe declarat Tridentina Synodus, Seſſione XXIII. *De reformatione*, Cap. XVII. Permittens enim, *quod ſi miniſteriis quatuor Ordinum Minorum exercendis Clerici cœlibes præſto non erunt, ſuffici poſſint etiam conjugati vitæ probatæ*; eam cautionem mox addit: *dummodo non Bigami*. Ex quo addiſcimus, quod alias communis docet Canoniſtarum opinio, quam ſequitur, & pluribus probat Fagnanus in Cap. *Super eo*, *De Bigamis non ordinandis*, Epiſcopum ſcilicet cum Bigamo ne ad Minores quidem Ordines, aut ad ſimplicia Beneficia diſpenſare poſſe; atque ita declaraſſe affirmat Sixtum Papam V. Cum enim Congregatio Concilii Tridentini Interpretum, excuſari poſſe Epiſcopum cenſeret, qui primam Tonſuram, & Beneficium ſimplex ſuo ſubdito vero Bigamo ordinaria auctoritate contulerat, reſpondit in Conſiſtorio Pontifex ſignificandum eſſe Epiſcopo, ipſum eſſe ſuſpenſum a Collatione Ordinum, promotumque incidiſſe in pœnas, privationis ſcilicet Beneficii, & ne ſe pro Clerico ge-

gerat. Ait tamen Pontifex, ſe benigne cum utroque acturum, ubi abſolutionem, & diſpenſationem peterent.

V. Dicet autem forte quiſpiam, Apoſtolum quidem prohibere criminoſos in Epiſcopos, & Diaconos aſſumi, & tamen licitum eſſet Epiſcopis cum criminoſis diſpenſare, ut expreſſe reſpondit Innocentius III. in Cap. VI. *De Bigamis non ordinandis*, circa Sacerdotem in fornicationem prolapſum; pari ergo, & fortiori ratione permiſſum videri Epiſcopis diſpenſare cum Bigamo, quia ſcilicet minus inordinatum apparet, Bigamum, qui cotrahendo ſecundas nuptias non peccavit, quam prolapſum in fornicationem ad Ordines promoveri. Verum reſpondet huic argumento poſt Gloſſam Fagnanus loco citato, ubi ita difficultatem ſolvit: *Criminoſus poſt peractam pœnitentiam reſtitutus videtur in priſtinum ſtatum, & incipit eſſe, quod non fuit; Can.* Ferrum, *Can.* Ponderet, *Can.* Domino ſancto, *Diſtinctione* L. *& ideo cum talibus diſpenſatur. Sed Bigamus non prohibetur promoveri propter crimen, ſed propter Sacramenti defectum: ut in Cap.* Debitum, *infra eodem, & Cap.* Acutius, *Diſtinctione* XXVI. *quia carnem ſuam diviſit in plures, ab unitate recedendo, & hoc Sacramentum amplius reſtitui non poteſt per aliquam ſatiſfactionem, cum non ſit crimen; & ita aliud conſideravit Apoſtolus, cum dixit*, non Bigamum; *& aliud, cum dixit*, non criminoſum. *Ita Gloſſa, cujus opinionem communiter ſequuntur Doctores.* Hucuſque Fagnanus.

VI. Porro Clericorum Ordinatio eſt adinſtar Matrimonii ſpiritualis, quod initur cum Eccleſia. Par igitur eſt, ut exhibeat ſolemnes illas nuptias, quas Chriſtus cum eadem Eccleſia, & Verbum Divinum cum humana natura per ſui Incarnationem contraxit. Bigamia autem, ut Sancti Patres docent apud Jueninum, *De Sacramentis*, Diſſertatione XII. Quæſtione VI. Cap. I. Articulo VI. illud Chriſti, & Eccleſiæ Sacramentum non continet, ac proinde merito inter ea impedimenta, quæ arcent ab Ordinibus, a Paulo Apoſtolo, a Patribus, & a Conciliis recenſita eſt. Audiendus hic plane, ut alios omittam, S. Auguſtinus, qui in Libro, *De bono conjugali*, Cap. XVIII. ita inquit: *Propterea Sacramentum nuptiarum temporis noſtri ſic ad unum maritum, & unam uxorem redactum eſt, ut diſpenſatorem Eccleſiæ non liceat ordinari, niſi unius uxoris virum. Quod acutius intellexerunt, qui nec eum, qui Catechumenus, vel Paganus habuerit alteram, ordinandum eſſe cenſuerunt.* Addit mox hanc rationem: *De Sacramento enim agitur, non de peccato; nam in Baptiſmo peccata omnia dimittuntur. Sed qui dixit:* Si acceperis uxorem, non peccaſti; &, ſi nupſerit, non peccaverit, & quod vult faciat, non peccat ſi nubat; *ſatis declaravit, nuptias nullum eſſe peccatum. Propter Sacramenti ſanctitatem, ſicuti femina etiamſi Catechumena fuerit vitiata, non poteſt poſt Baptiſmum inter Virgines conſecrari; ita non abſurde viſum, eum qui exceſſit uxorum numerum ſingularem, non peccatum aliquod commiſiſſe, ſed normam quandam Sacramenti amiſiſſe, non ad vitæ bonæ meritum, ſed ad Ordinationis Eccleſiaſticæ ſignaculum neceſſarium.* Conſtat itaque ex Auguſtino, Irregularitatem, quæ ex Bigamia oritur, non in aliquam incontinentiæ labem refundi, ſed in quendam Sacramenti defectum, eo quod contrahens ſecundas nuptias, Sacramenti quandam normam amiſiſſe viſus ſit.

VII. Docet deinde idem S. Doctor, quæ ſit hæc Sacramenti norma, ſic inquiens: *Ac per hoc ſicut plures uxores antiquiorum Patrum ſignificaverunt futuras noſtras ex omnibus gentibus Eccleſias uni Viro ſubditas Chriſto, ita noſter Antiſtes unius uxoris vir ſignificat ex omnibus gentibus unitatem uni Viro ſubditam Chriſto; quæ tunc perficitur, cum revelaverit occulta tenebrarum, & manifeſtaverit cognitiones cordis, ut tunc laus ſit unicuique a Deo. Nunc ſunt manifeſtæ, ſunt latentes diſſenſiones, etiam ſalva charitate, inter eos, qui unum, & in uno futuri ſunt: quæ tunc utique nullæ erunt. Sicut ergo Sacramentum pluralium nuptiarum illius temporis ſignificavit multitudinem futuram Deo ſubjectam in terrenis omnibus gentibus: ſic Sacramentum nuptiarum ſingularum noſtri temporis ſignificat unitatem omnium noſtrum ſubjectam Deo futuram in una Cæleſti Civitate.* Myſticam hanc S. Auguſtini rationem non obſcure probavit S. Leo Epiſtola I. Cap. 118. Editionis Queſnellianæ, ubi inter rationes præcepti Apoſtolici de non ordinando Epiſcopo, niſi fuerit unius uxoris vir, hanc adducit, quod ſi in Sacerdotibus etiam in Veteri Teſtamento figurabatur Chriſti, & Eccleſiæ ſpirituale conjugium, illud vel magis ſervandum in Novo. Cum enim ſecundæ nuptiæ hanc perfectam unitatem Chriſti cum Eccleſia, tanquam unici cum unica immaculata ſponſa repræſentare nequeant, utpote non unius cum unica immaculata Sponſa, videtur Sacramentum ſecundarum nuptiarum aliquem defectum pati, ſeu quandam Sacramenti normam amiſiſſe, ut loquitur S. Auguſtinus; vim nempe repræſentativam iſtius conjunctionis, ſeu conjugii ſpiritualis Chriſti cum Eccleſia. Atque in hoc defectu hanc Irregularitatem, quæ oritur ex Bigamia, poſitam eſſe credidit laudatus S. Doctor, ubi indecens eſſe exiſtimavit, ut is eſſet Sacramentorum diſpenſator, qui ipſum in ſuſcepto Sacramento defectum patiebatur.

VIII. Notat hæc eruditus Vaneſpen Parte II. *Juris Eccleſiaſtici*, Tit. X. Cap. II. ſciteque addit, eam hujus Irregularitatis fundamentalem rationem a tanto Doctore Eccleſiæ propoſitam, ſenſim ita invaluiſſe, tanto præſertim in Eccleſia Latina applauſu receptam eſſe, ut nequaquam dubitatum ſit, quin hinc omnis Bigamiæ Irregularitas eſſet deſumenda; atque ratio moralis ab incontinentia, ejuſve ſuſpicione, quaſi ad hanc Irregularitatem impertinens, neglecta quodammodo fuerit; nullaque tandem reputata vera, & proprie dicta Bigamia, niſi quando vere defectus hic Sacramenti occurrit. Fuſe, eleganterque, ac perdocte hanc eandem ſententiam expreſſit, declaravitque Cæleſtinus Papa III. in Epiſtola ſua ad Epiſcopum Metenſem, relata in Cap. V. *De Bigamis non ordinandis*.

IX. Reliquum eſt, ut duo in Canonem noſtrum notemus, quæ poſt Gloſſam, & alios Canoniſtas obſervat, ac docet Paſſerinus in Capite, *Altercationis*, *De Bigamis*, in VI. Primum eſt, quod ſtatuit Canon, Bigamos omni Privilegio Clericali eſſe nudatos, & coercitioni Fori ſecularis addictos, vetarique ſub anathemate deferre Tonſuram, vel Habitum Clericalem: intelligendum eſſe de ordinatis ad Minores Ordines. Nam alias Bigamus ſi promoveretur ad Sacrum Or-

Digitized by Google

Ordinem, valeret quidem Ordinatio, & non eſſet privatus privilegio illo Clericali ex capite Bigamiæ; Ordinatus quippe in Sacris non poteſt redire ad ſeculum, uti ex Cap. *Tuæ Fraternitati, De Apoſtatis &c.* habent Doctores. Alterum eſt, excommunicationem latam contra Bigamum deferentem Tonſuram, vel Habitum Clericalem, ferendæ eſſe ſententiæ, ut notat Gloſſa in dicto Cap. *Altercationis*; ex qua etiam quidam Canonici Juris Interpretes deducunt, ea etiam verba, *ſub interminatione anathematis*, continere ſententiam ferendam,

## C A N O N  XVII.

Si Canonici a Divinis ceſſare voluerint, prout in Eccleſiis aliquibus ſibi ex conſuetudine, vel alias vindicant, antequam ad Ceſſationem hujuſmodi quoquo modo procedant, in inſtrumento publico, vel patentibus Litteris ſigillorum ſuorum, aut alterius authentici munimine roboratis, Ceſſationis ipſius cauſam exprimant, & illud, vel illas, ei, contra quem ceſſare intendunt, aſſignent. Scituri, quod ſi hoc prætermiſſo ceſſaverint, vel cauſa, quam expreſſerint, non fuerit inventa Canonica, omnia, quæ de quibuſcumque proventibus illius Eccleſiæ, in qua ceſſatum fuerit, Ceſſationis tempore perceperunt, reſtituent. Illa vero, quæ pro eodem tempore debent eiſdem, nullo modo percipient, ſed ipſi Eccleſiæ cedere, ac nihilominus ei, contra quem ceſſaverant, de damnis, & injuriis ſatisfacere tenebuntur. Si autem cauſa eadem Canonica fuerit judicata, is, qui occaſionem Ceſſationi dederat, ad omne intereſſe dictis Canonicis, & Eccleſiæ, cui debitum officium ejus eſt culpa ſubtractum, ad certam quantitatem taxandam, & in Divini cultus augumentum convertendam, Superioris arbitrio condemnetur. Ceterum deteſtabilem abuſum horrendæ indevotionis illorum, qui Crucis, Beatæ Virginis, aliorumve Sanctorum Imagines, ſeu Statuas irreverenti auſu tractantes, eas in aggravationem Ceſſationis hujuſmodi proſternunt in Terram, urticis, ſpiniſque ſupponunt, penitus reprobantes, aliquid tale de cetero fieri diſtrictius prohibemus. Statuentes, ut in eos, qui contrafecerint, ultrix procedat dura ſententia, quæ delinquentes ſic graviter puniat, quod alios a ſimilium præſumtione compeſcat.

## C O M M E N T A R I U S.

I. De Ceſſatione a Divinis, quæ eſt Canonis huius materia, ſtatuerat jam Innocentius Papa III. in Concilio Generali IV. Lateranenſi, Canone VII. ut *ſi Canonici abſque manifeſta, & rationabili cauſa, maxime in contemtum Epiſcopi, ceſſaverint a Divinis, Epiſcopus nihilominus, ſi voluerit, celebret in Eccleſia Cathedrali, & Metropolitanus ad querelam ipſius, tanquam ſuper hoc delegatus a Nobis*, a Romano ſcilicet Pontifice Maximo, *taliter eos per Cenſuram Eccleſiaſticam cognita veritate caſtiget, quod pœnæ metu talia de cetero non præſumant*. Noſtro hoc autem præſenti Canone docet primo Gregorius Papa X. formam ſervandam in inducenda Ceſſatione a Divinis; ſecundo pœnam imponit contra ceſſantes ſine cauſa legitima; tertio ſtatuit pœnam contra eos, qui cauſam Ceſſationi eidem dederunt; quarto demum abuſum damnat, qui in hujuſmodi Ceſſationum adgravationem irrepſerat.

II. Antequam hæc explicemus, pro majori noſtri hujus Canonis intelligentia, adnotandum eſt illud, ſub nomine Canonicorum venire tam Canonicos Seculares, quam Regulares, contra nonnullos Canonis hujus Interpretes, quos confutat Gloſſa in Capite, *Si Canonici*, II. *De officio Ordinarii*, in VI. advertitque Paſſerinus poſt Barboſam, & alios Canoniſtas, Canonicos Regulares eſſe proprie Canonicos, Textumque iſtum intelligi de Canonicis, ſeu Capitulis, & Collegiis tam Secularium, quam Regularium Canonicorum; idque locum præſertim habere ajo in iis Canonicis etiam Monachis, qui Senatum Epiſcopi conſtituunt, quales inter alios ſunt Benedictini Caſinenſes Monachi Regii Monaſterii Montis Regalis in Sicilia, qui quidem, ut diximus Tomo III. Conciliorum in Commentario ad Canonem XXIII. Concilii IV. Œcumenici Lateranenſis, vere Canonici ſunt, & Senatus Antiſtitis Montis Regalis, habentque jus eligendi Sede vacante non modo exterum, ſed & aliquem etiam de ſuo Monachorum gremio in Vicarium Capitularem, idque jus confirmatum eſt ipſis Decreto Caroli Regis utriuſque Siciliæ edito die XV. Julii anni MDCCXLVII. excluſis penitus Presbyteris Secularibus memoratæ Metropolitanæ Eccleſiæ Montis Regalis inſervientibus, qui licet & ipſi Canonici aliquando dicti ſunt, ex alio tamen recentiori Regis ejuſdem Decreto edito die XV. Februarii anni MDCCXLIX. nequeunt deinceps

ceps Canonicorum nomine appellitari, nec Roechetto, & Mozaetta ullo unquam tempore uti, ſed vocari debent Presbyteri Præbendati, quia ſcilicet veri, ac ſoli Canonici prædictæ Metropolitanæ Eccleſiæ ſunt Benedictini Monachi celeberrimi Monaſterii Montis Regalia inclytæ Congregationia Caſinenſis. Sed de his alias fuſius.

III. Notandum præterea & illud eſt, Ceſſationem nempe a Divinis cujus noſter hic Canon meminit, ita appellari, quod ejus tempore Clerici a publica celebratione Divinorum Officiorum ceſſent, ſilentque Organa, atque Campanæ; definiri autem hæc Ceſſatio a Doctoribus ſolet, ut ſit ſuſpenſio Organorum, ſeu ſilentium Miniſtrorum Eccleſiaſticorum; ſive, ſimplex prohibitio, qua Miniſtri Eccleſiæ vetantur Divina Officia publice perſolvere, miniſtrare Sacramenta, & ſepelire mortuos in loco ſacro. Ita ex Navarro docet Suarez, *De Cenſuris*, Diſputatione XXXVIII. Sectione I. & alii relati a Paſſerino in Cap. *Si Canonici*, in quod noſter Canon relatus eſt, *De officio Ordinarii*, in VI. Dicitur autem ſimplex prohibitio, ut ab Interdicto Eccleſiaſtico diſtinguatur, quæ Cenſura eſt, & aliquando ipſo facto incurritur, cum alias Ceſſatio a Divinis nunquam ipſo facto incurratur. Tempore quoque Interdicti celebrari quidem poteſt ſervato moderamine juxta Textum in Capite, *Alma Mater*, *De ſententia excommunicationis*; non vero in ipſa a Divinis Ceſſatione; ideoque, uti notant Doctores, conceſſum privilegium celebrandi tempore Interdicti, non extenditur ad Ceſſationem a Divinis, vel e contra.

IV. Nunc ut Canonem per ſuas ſingulas partes explicemus, ſtatuit hic primo, ut *ſi Canonici a Divinis ceſſare voluerint, prout in Eccleſiis aliquibus ſibi ex conſuetudine, vel alias vindicant, antequam ad Ceſſationem hujuſmodi quoquo modo procedant, in inſtrumento publico, vel patentibus litteris ſigillorum ſuorum, aut alterius authentici munimine roboratis, Ceſſationis ipſius cauſam exprimant, & illud, vel illas, ei, contra quem ceſſare intendunt, aſſignent*. De jure Ceſſationem quidem imponere poſſunt Papa, & Epiſcopus, qui Foro contentioſo præſunt, & ſic etiam Concilium Provinciale, vel Diœceſanum, uti habetur ex Clementina I. *De ſententia excommunicationis*; itemque Capitulum Sede vacante, quod ſuccedit Epiſcopo in iis, quæ ordinariæ juriſdictionis ſunt. Delegati quoque juxta delegatam ſibi facultatem, uti ex iis conſtat, quæ tradunt Doctores agentes de Cenſuris in communi, & videri inter alios poſſunt Sylveſter, verbo, *Ceſſatio*, Sayrus Lib. V. *De Cenſuris*, Cap. XVIII. & alii, quos in Tractatu, *De Cenſuris*, refert Bonacina, Diſputatione VI. Parte II. Qui vero non ſunt Prælati habentes in utroque Foro juriſdictionem, non poſſe eos de jure Ceſſationem a Divinis inferre, notat inter alios Paſſerinus loco citato.

V. De jure autem communi non habere Canonicos eam facultatem imponendi Ceſſationem a Divinis, ſed ex conſuetudine illam in aliquibus locis ſibi vendicaſſe, perſpicue noſter Canon docet; *vel alias*, ut idem Canon inquit, nempe ex privilegio Papæ, vel ex conceſſione Epiſcopi, vel ex Conſtitutione Synodali, vel ex præſcriptione legitima, uti laudatus Sylveſter, & alii Canoniſtæ obſervant; qui etiam recte advertunt, Canonicorum nomine intelligi quidem debere Capitulum; non enim in paucorum Canonicorum poteſtate eſt Ceſſationem a Divinis inferre; ut bene notat Gloſſa ex Capite, *Quæſivit*, *De his quæ fiunt a majori parte Capituli*; ſed requiritur, ut ſaltem major Capituli pars conſentiat, ubi ſcilicet adſit conſuetudo, vel privilegium, ut Canonici poſſint eam Ceſſationem imponere. Præter Canonicos, Conventus quoque alios Secularium, vel Regularium Eccleſiarum aliquando etiam ex conſuetudine, vel alias, ad repellendas injurias eis factas, Ceſſationem ipſam ſibi vendicare, ex Decretali Bonifacii VIII. Conſtitutione in Cap. *Quamvis* VIII. *De officio Ordinarii*, in VI. & ex laudata Clementina I. addiſcere licet, atque ex iis, quæ ibidem Gloſſa, & alii Interpretes docent.

VI. Porro ubi adſit ea facultas, quod Canonici a Divinis ceſſare poſſint, ut id legitime faciant, vult noſter Canon, ut *Ceſſationis ipſius cauſam exprimant*, & quidem quæ gravis ſit, ut notant Doctores; quia ſcilicet gravis aliqua offenſa, vel injuria facta ſit Eccleſiæ, vel Clericis illius, ut exempli gratia, ſi fiant Statuta contra libertatem Eccleſiæ, vel imponantur Clericis talliæ, ſeu collectæ, vel detineatur Canonicus, ſeu Clericus per ſecularem Balivum, uti notat Gloſſa in dicto Cap. *Si Canonici*, ubi etiam ait, debere cauſam ipſam eſſe manifeſtam, ac notoriam; alioquin nulla conſuetudo prodeſſet ceſſandi a Divinis, quia eſſet irrationabilis, & Eccleſiis oneroſa, uti obſervat Sylveſter, probatque ex Cap. I. & Cap. *Cum venerabilis*, *De conſuetudine*. Eſt autem & ejus opinionis Archidiaconus, ſat eſſe, ſi cauſa ſit rationabilis, & manifeſta, nec requiri, quod ſit notoria, quia ſcilicet cauſa examinari debet, idque minime fieret, ſi eſſet notoria, quia notoria examinatione non indigent, ex Can. *Quia manifeſta*, Cauſa XII. Quæſtione I. Sane monent alii, procedere hanc opinionem, quum ſit Ceſſatio de jure communi, ſecus quando ex privilegio, & conſuetudine, ubi ſcilicet privilegium, ſeu conſuetudo, ex qua ſit Ceſſatio, cauſam notoriam requirat.

VII. Quicquid ſit, vult Canon, ut & hanc Canonici in Ceſſatione a Divinis ſervent formam, ut nimirum non modo cauſam rationabilem, ac manifeſtam ceſſandi habeant, ſed ut eandem exprimant *in inſtrumento publico, vel patentibus litteris ſigillorum ſuorum, aut alterius authentici munimine roboratis*. Neceſſaria itaque eſt ſcriptura, & quidem ſigillis Canonicorum munita, aut alterius ſigillo authentico, quod quidem, uti habetur in Cap. II. *De fide inſtrumentorum*, fidem facit ſine teſtium ſubſcriptione. Putant nonnulli, debere ſingulos Canonicos ſigilla ſua in ea ſcriptura, ſeu inſtrumento apponere, quia ſcilicet Canon loquitur in plurali, utiturque verbo, *ſigillorum ſuorum*; ſed recte alii tradunt, intelligi Canonem de Canonicis diverſarum Eccleſiarum, ſeu de ſingulis Capitulis, ut prædictæ ſcilicet litteræ patentes munitæ eſſe debeant ſigillo totius Capituli; atque hunc ſenſum tutiorem eſſe germanioremque, notavit inter alios Archidiaconus. Inſtrumentum quoque, ſeu Litteras præfatæ cauſam Ceſſationis continentes, mandat Canon ut *ei, contra quem ceſſare intendunt, aſſignent*; ut ille nimirum, contra quem ceſſandum eſt, deliberare poſſit de removenda Ceſſationis cauſa, & ſatisfactione Capitulo impendenda.

VIII. Cum

VIII. Cum ergo antequam Canonici a Divinis ceſſent, tria hactenus explicata requirantur, ac primo legitima, & manifeſta cauſa ſecundo cauſæ hujus inſcriptio in inſtrumento publico, vel in authenticis Litteris, & tertio ejuſdem inſtrumenti exhibitio ei, contra quem ceſſare Canonici intendunt: jam ſi alterum horum omittant, jubet Canon, ut ipſi Canonici triplicem pariter pœnam incurrant, quia, uti notant Doctores, disjunctive Canon loquitur; & primo quidem reſtituere omnia, quæ *de quibuſcumque proventibus illius Eccleſiæ, in qua ceſſatum fuerit, Ceſſationis tempore perceperunt*; ſecundo, *illa, quæ pro eodem tempore debentur eiſdem, nullo modo percipient, ſed ipſi Eccleſiæ cedere debent*; tertio vero *ei, contra quem ceſſaverant, de damnis, & injuriis ſatisfacere tenebuntur*. Agit de his pœnis Sylveſter in ſua Summa, verbo, *Ceſſatio*, eaſdemque fuſe inter alios enarrat Paſſerinus in Capite II. *De officio Ordinarii*, ubi etiam, quod pœnam tertiam ſpectat, obligationem nempe ſatisfaciendi ei, contra quem ceſſatum eſt, poſt Gloſſam advertit, diſtingui damnum, & injuriam, quia illud conſiſtit in diminutione patrimonii, & ſic petitio damnorum competit ei, qui diminutionem patrimonii paſſus eſt, uti habetur ex Lege, *damnum*, §. 1. ff. *De damno infecto*. Actio vero injuriarum ad vindictam datur juxta Textum in Lege, *Prætor*, §. 1. ff. *De injuriis*; & ideo una non impedit aliam, ut docet Taxtus in Lege, *Si pro fure*, §. *Cum furti*, ff. *De condictione furtiva*. Ceterum, quamvis, ut ait Gloſſa, aliud ſit damnum, & aliud expenſæ, nihilominus factæ ex neceſſitate cauſæ injuſte ab alio inductæ ad damna pertinent, cum importent & ipſæ diminutionem patrimonii, cui alterius injuſtitia occaſionem dedit. Juxta Doctorum ſententiam, quid reſtituendum pro damnis, & injuriis ſit, Judicis erit taxare.

IX. Pergit noſter Canon, & contra dantem juſtæ Ceſſationi occaſionem ita ſtatuit: *Si autem cauſa eadem Canonica fuerit judicata, is qui occaſionem Ceſſationi dederat, ad omne intereſſe dictis Canonicis, & Eccleſiæ, cui debitum officium ejus eſt culpa ſubtractum, ad certam quantitatem taxandam, & in Divini cultus augumentum convertendam, Superioris arbitrio condemnetur*. Tria itaque Superiori committuntur notante Gloſſa in dicto Cap. *Si Canonici*, condemnatio ſcilicet ad reſtituendum, taxatio quantitatis reſtituendæ, & converſio reſtitutæ quantitatis in id, quod ſit Divini cultus. Nam quæ Eccleſiæ reſtituenda ſunt, in Dei cultum ad arbitrium Superioris ſunt applicanda. Plura & de hac re videri poſſunt apud Archidiaconum in citato Capite, *Si Canonici*, ubi etiam & illud tradit, quod & alii quoque Interpretes docent, unica nempe inſtantia, unicaque ſententia condemnari eum poſſe, qui occaſionem dedit Ceſſationi a Divinis, ut ſimul ſcilicet declaretur, injuſte illum egiſſe, & ſatisfacere debere Canonicis, & Eccleſiæ, & quidem in quantitate arbitrio Superioris taxanda. Sane Guido Baiſius, alias de Bayſo Patricius Regienſis, quod Bononiæ, ubi Jus Canonicum interpretatus eſt, ſub annum MCCLXXXIII. Archidiaconus creatus fuit, ex ea dignitate cognomen apud poſteros meruit.

X. Damnat demum, ac penitus reprobat; fierique de cetero Canon prohibet *deteſtabilem abuſum horrendæ indevotionis illorum, qui Crucis, Beatæ Mariæ Virginis, aliorum Sanctorum Imagines, ſeu Statuas irreverenti auſu tractantes, eas in aggravationem Ceſſationis hujuſmodi proſternunt in terram, & urticis, ſpiniſque ſupponunt*. Fuit quippe & is antiquus mos, quem fuſe oſtendimus ſupra Tomo III. Conciliorum in Commentario ad Canonem LVIII. Concilii IV. Œcumenici Lateranenſis, ut in generali Interdicto, cujus ſpecies quædam eſſe videtur Ceſſatio a Divinis, non modo Officia Divina ſuſpenderentur, ſed & Altaria Sacris veſtibus denudata cilicio operirentur in ſignum luctus, Cruceſque, ac Sanctorum Reliquiæ ſpinis accingerentur, aliaque agerentur, quæ Eccleſiæ mœrorem fidelibus cunctis ſignificarent. Probatus fuit jam olim ritus non modo exemplis Sapientiſſimorum Antiſtitum, ſed & complurium Sacrorum Canonum auctoritate, ac veterum Monachorum Statutis, uti videre eſt apud eruditum Martene, de antiquis eorum Ritibus tractantem. Verum quod poſtea in deteſtabilem abuſum horrendæ indevotionis tranſiſſet, merito ritum ipſum ſicut & alios complures primitus uſitatos Sacri Canones, atque religioſi Antiſtites penitus reprobarunt.

XI. Sciendum nunc illud eſt, quod quamvis ſuper Ceſſationibus a Divinis, quæ a Capitulis, Conventibus, ſive Collegiis Secularium, vel Regularium Eccleſiarum ſine cauſa rationabili attententur, perſpicuæ ſatis ab Innocentio Papa III. in Concilio Lateranenſi IV. Can. VII, & a Gregorio X. Pontifice in hoc noſtro præſenti Can. Conſtitutiones editæ fuerint; quia tamen poſt ipſas ſaluberrimas Sanctiones plerumque compertum eſt, Ceſſationes eaſdem irrationabiliter eſſe factas; ad tam pernicioſum evitandum abuſum Bonifacius Papa VIII. novam edidit Conſtitutionem, quæ extat in Cap. *Quamvis*, VIII. *De officio Ordinarii*, in VI. In ea autem Conſtitutione diſtrictius inhibuit, ne a Seculari, vel Regulari Capitulo, Collegio, ſeu Conventu Eccleſiæ cujuſcumque, Ceſſationes ipſæ, niſi vocatis omnibus, prout ſunt pro Electionis negotio evocandi, & deliberatione habita diligenti, atque Epiſcopo, aliove quocumque Clerico, ſive Laico, cujuſcumque dignitatis, præeminentiæ, conditionis, aut ſtatus exiſtat, propter cujus injuriam vel offenſam eadem videatur Ceſſatio facienda, poſt prædictas vocationem, & deliberationem de ceſſando habitam, requiſito, quod irrogatam injuriam, vel offenſam emendet, aliquatenus attententur; neque tunc etiam, ſi emendam inde habuerint, vel per eos ſteterit, quo minus habeant competentem.

XII. Rurſus mandat Pontifex in ipſa citata Conſtitutione, ut ſi præmiſſis ſervatis, Capitulum, Collegium, vel Conventus alicujus Eccleſiæ ad Ceſſationem eandem duxerint procedendum, ex tunc infra unius menſis ſpatium para utraque, videlicet ii, qui ceſſant, & illi etiam, propter quorum factum a Divinis ceſſatur, niſi ſuperveniente concordia inter eos Ceſſatio illa ceſſet, iter arripiant per ſe, vel per Procuratores idoneos cum munimentis, & Actis ad negotium ipſum ſpectantibus, ad Sedem Apoſtolicam veniendi, & continuatis dietis quamcito commode poterint, ſe Apoſtolico conſpectui repræſentent; ut partibus præſentibus, aut una præſente, altera non veniente, vel mittente, exa-

examinato negotio apud Sedem eandem, pars quæ culpabilis inventa ſuerit in præmiſſis, præter alias pœnas a dictis Canonibus inſtitutas, ſi Romano Pontifici videbitur expedire, pœna docente, cognoſcat, quantum exceſſerit, quæ Ceſſationi factæ rationabiliter cauſam dedit; vel quæ ſine rationabili, & manifeſta cauſa ceſſavit. Parte inſuper a Divinis ceſſante, ſupraſcripta, tam in ceſſando, quam in veniendo, ſive mittendo ad Sedem Apoſtolicam non ſervante, non ſervetur Ceſſatio, ſed ea non obſtante, ut prius, in ipſa Eccleſia celebretur.

XIII. Hactcons Bonifacii VIII. Conſtitutio relata in dicto Capite, *Quamvis*, *De officio Ordinarii*, in VI. in quam videri poſſunt, quæ in eandem obſervaot Canonici Juris Interpretes. Videri etiam poteſt de ipſis Ceſſationibus Clementis Papæ V. Conſtitutio relata in Clementina 1. *De ſententia excommunicationis &c.* & Canoniſtæ ibidem.

# C A N O N XVIII.

Ordinarii locorum Subditos ſuos, plures Dignitates, vel Eccleſias; quibus animarum cura imminet, obtinentes, ſeu Perſonatum, aut Dignitatem, cum alio Beneficio, cui eura ſimilis eſt annexa, diſtricte compellant, diſpenſationes, auctoritate quarum hujuſmodi Eccleſias, Perſonatus, ſeu Dignitates, Canonice tenere ſe aſſerunt, infra tempus, pro facti qualitate ipſorum Ordinariorum moderandum arbitrio exhibere. Quod ſi ſorte juſto impedimento ceſſante, nullam diſpenſationem infra idem tempus contigerit exhiberi, Eccleſiæ Beneficia, Perſonatus, ſeu Dignitates, quæ ſine diſpenſatione aliqua eo ipſo illicite detineri conſtabit, per eos, ad quos eorumdem collatio pertinet, libere perſonis idoneis conſerantur. Ceterum ſi diſpenſatio exhibita ſufficiens evidenter appareat; exhibens nequaquam in Beneficiis hujuſmodi, quæ Canonice obtinet, moleſtetur. Provideat tamen Ordinarius, qualiter nec animarum cura in eiſdem Eccleſiis, Perſonatibus, ſeu Dignitatibus negligatur, nec Beneficia ipſa debitis obſequiis deſraudentur. Si vero de diſpenſationis exhibitæ ſufficientia dubitetur, ſuper hoc erit ad Sedem Apoſtolicam recurrendum, cujus eſt æſtimare, quem modum ſui Beneficii eſſe velit. In conferendis inſuper Perſonatibus, Dignitatibus, & aliis Beneficiis curam animarum habentibus annexam, iidem Ordinarii diligentiam illam obſervent, ut Perſonatum, Dignitatem, vel aliud Beneficium ſimilem curam habens, alicui plura ſimilia obtinenti non ante conferre præſumant, quam eis ſuper obtentis diſpenſatio evidenter ſufficiens oſtendatur. Qua etiam oſtenſa, ita demum ad collationem procedi volumus, ſi appareat per eandem, quod is cui eſt collatio facienda, hujuſmodi Perſonatum, Dignitatem, vel Beneficium retinere licite valeat cum obtentis, vel ſi ea, quæ ſic obtinet, libere, ac ſponte reſignet. Aliter autem de Perſonatibus, Dignitatibus, & Beneficiis talibus facta collatio nullius penitus ſit momenti.

## C O M M E N T A R I U S.

I. Beneficiorum pluralitatem damnant paſſim Sacri Canones a nobis jam ſuperius ſuſe explicati in noſtris ad præcedentes Œcumenicas Syoodos Commentariis, ac primo quidem Tomo I. Conciliorum in Commentario ad Canonem X. Chalcedonenſem, ubi etiam ejus abuſus originem, atque progreſſum narravimus, & deinde iterum, atque iterum in ſequentibus Tomis, ubi ſe ſe nobis dedit occaſio. Conati profecto ſunt ſemper tum Synodi, tum Romani Pontifices ſanctiſſimis Conſtitutionibus eam luem ab Eccleſia elimioare, ſed malitia hominum factum eſt, ut vel noſtro hoc ſeculo Benedictus XIII. in ſua Romana anni Chriſti MDCCXXV. Synodo coactus ſit, Tit. VI. Cap. V. monere Epiſcopos, ut in faciendis collationibus advigilent, *ne alii eſuriant, & alii ebrii ſint*. Alludit nempe, uti jam notavimus in laudato Commentario ad Canonem X. Chalcedonenſem, Num. II. in fine, ad id quod ait Apoſtolus in Epiſtola I. ad Corinthios, Cap. XI. ubi eoſdem Corinthios ſugillans, quod multi ipſorum in Agape, quod convivium erat inter Fideles in Eccleſia ſolitum exhiberi poſt ſacra peracta Myſteria, jam inde ab Apoſtolorum ævo uſitatum, vino, cibiſque ſe ingurgitarent, ſinentes alios pauperiores eſurire, eam ſententiam protulit: *Alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt*. Atque hanc ſententiam jam alii ante Benedictum XIII. Pontifices ad confodiendam Beneficiorum pluralitatem ſapientiſſime uſurparunt. Sed his omiſſis, ut ea quæ in noſtro hoc Canone continentur,

nunc

nunc explicemus, dividitur hic quidem in duas partes, in quarnm altera decernit, quid facere debeant Ordinarii locorum circa eos, qui actu plura Beneficia poſſident; in altera vero diſponit, quid fieri debeat, ubi plura conferri alicui Beneficia contingat.

II. Vult ergo primum noſtro hoc Canone Geegorius Papa X. ut *Ordinarii locorum ſubditos ſuos plures Dignitates, vel Eceleſiar, quibus animarum eura imminet, obtinentes; ſeu Perſonatum, aut Dignitatem cum alio Beneficio, cui cura ſimilis eſt annexa, diſtricte compellant, diſpenſationes, auctoritate quarum hujuſmodi Eccleſias, Perſonatus, ſeu Dignitates Canonice tenere ſe aſſerunt, infra tempus pro facti qualitate, ipſorum Ordinariorum moderandum arbitrio, exhibere*. Loquitur hic certe Canon de Beneficiis, quibus animarum cura annexa eſt; verum, cum Beneficiorum pluralitas odioſa res ſit, & a Sacris Canonibus improbata, ac præſertim a Teidentina Synodo, Seſſione XXIV. *De reformatione*, Capite XVII. ſcite notant pleriqne Doctores poſt Gloſſam in Capite, *Ordinarii*, III. *De officio Ordinarii*, in quod noſter Canon relatus eſt, poſſe de jure communi ipſos locorum Ordinarios ab iis etiam diſpenſationes petere, atque in examen revocare, qui plura poſſident Beneficia, quæ ſimplicia, vel compatibilia appellantur, ſeu minora; habet namque ſuam Ordinarius & in iſtos Beneficiarios juriſdictionem, ut docet Archidiaconus; neque enim pee diſpenſationem habitam ſuper Beneficiorum pluralitate ab Ordinarii juriſdictione ſubtracti ſunt, argumento Capitis, *Per tuas*, VII. *De majoritate, & obedientia*, ubi Innocentius Papa III. diſerte ait, Ordinatum per Papam non per hoc eximi a juriſdictione ſui Epiſcopi.

III. Juſſi ſunt itaque Ordinarii locorum, quorum nomine nedum Epiſcopi intelliguntur, ſed & Abbates, aliique inferiores quicumque, inſtitutionem, & deſtitutionem in Beneficiis habentes, uti Canonici Juris Conſulti docent, compellere Beneficiarios plura Beneficia poſſidentes, ut diſpenſationes exhibeant, quarum vigore plura illa Beneficia poſſident. Putat Archidiaconus compelli eos poſſe per juris remedia, nempe per excommunicationem, aut privationem fructuum Beneficii, vel per alium ſimilem modum. Sed docent tamen alii, quantum ad effectum noſtro hoc Lugdunenſi Canone intentum, haud eſſe opus illis remediis, cum ex vi ejuſdem Canonis, ſeu Gregorii X. Conſtitutionis, ſatis ſit, ut privatus Beneficiis remaneat Beneficiarius ſi diſpenſationem non exhibeat Ordinario illam petenti. Ceterum Ordinarius ipſe, ut ex boni viri arbitrio, debet Beneficiario competens tempus aſſignare ad diſpenſationem ſuper Beneficiorum pluralitate exhibendam, conſideratis qualitate perſonæ, & circumſtantiis. Nam ſi exempli gratia Beneficiarius alleget, ſe habere diſpenſationis Litteras alibi in loco remoto, longius tempus erit illi aſſignandum, uti advertunt Joannes Monachus, Archidiaconus, & alii in citato Capite, *Ordinarii*. Videri autem ibidem præ ceteris poteſt doctiſſimus Paſſeriuus, qui poſt Gloſſam, & laudatos Interpretes varias Quæſtiones de ea re reſolvit.

IV. Mandat vero & illud noſter hic Canon, ut, *ſi forte juſto impedimento ceſſante, nullam diſpenſationem infra idem tempus contigerit exhiberi, Eccleſiæ Beneficia, Perſonatus, ſeu Dignitates, quæ ſine diſpenſatione aliqua eo ipſo illicite detineri conſtabit, per eos, ad quos eorum collatio pertinet, libere perſonis idoneis conferantur*. Ad hoc igitur, ut conſtet de illicita detentione plurium Beneficiorum, ſufficit, quod non conſtet de diſpenſatione. Litteræ enim, quæ non appacent, non adeſſe cenſentur, ut probat Gloſſa; & non probans intra terminum, qui incumbit, præſumitur juſtam cauſam non habeee; & ut docent Archidiaconus, & Joannes Andreas, qui intra tempus ſibi præfinitum non peobat, cenſetur peobationem non habere; & ſic ex ſola non oſtenſione diſpenſationis intra terminum præſcriptum, Beneficia ipſa vacant. Atque inde eſt, quod Canone noſtro ſtatuitur, ut Beneficia a Beneficiario non exhibente diſpenſationem detenta, tanquam vacantia, ab eis, ad quos ſpectat Collatio, libere conferantur, ideſt, non obſtante ea detinentis contradictione, uti poſt Gloſſam notat Barboſa.

V. Ceterum ſi intra terminum ab Ordinario præſcriptum Beneficiarius diſpenſationem exhibeat, quæ ſufficiens evidenter appareat, duo tunc Canon decernit, ut fiant ab ipſo Ordinario. Primum eſt, ut *exhibens nequaquam in Beneficiis hujuſmodi, quæ Canonice obtinet, moleſtetur*. Alteeum vero, ut *provideat tamen Ordinarius, qualiter nec animarum cura in eiſdem Eccleſiis, Perſonatibus, ſeu Dignitatibus negligatur, nec Beneficia ipſa debitis obſequiis defraudentur*. Jure Divino præcipua animarum cura ad Epiſcopum Diœceſanum ſpectat, ideoque Epiſcopos verbis Apoſtoli monendos duxit Synodus Tridentina Seſſione VI. *De reformatione*, Cap. I. *Ut attendentes ſibi, & univerſo gregi, in quo Spiritus Sanctus poſuit eos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit Sanguine ſuo, vigilent, in omnibus laborent, & miniſterium ſuum impleant*. Innumera pene eam in rem Conciliorum, ac veterum Patrum loca afferri poſſent; ſed his omiſſis, tenendum illud, quod ex hoc Canone addiſcimus, diſpenſationem ſuper pluralitate Beneficiorum curam præſertim animarum habentium alicui conceſſam, nequaquam ipſum eximere a juriſdictione Epiſcopi, nec propter ipſam diſpenſationem liberari Epiſcopum ab obligatione videndi, ne cura animarum negligatur, cum id ſpectet ad ejus officium, uti paſſim Sacri Canones docent, inter quos videri poſſunt Textus in Canone, *Regenda*, Cauſa X. Quæſtione I. Cap. *Dudum*, IV. *De electione*, & Cap. *Irrefragabili*, XIII. *De officio Judicis Ordinarii*. Legi quoque & in ipſos Canones poſſunt Cardinalis Turecremata, Fagnanus, Gonzalez, aliique cum veteres, tum recentiores Canonici Juris Inteepretes.

VI. Rurſus ex Canonis noſtri præſcripto, *ſi de diſpenſationis exhibitæ ſufficientia dubitetur, ſuper hoc erit ad Sedem Apoſtolicam recurrendum, cujus eſt æſtimare quem modum ſui Beneficii eſſe velit*. Ejus quippe eſt Legem interpretari, cujus eſt condere, ut notant Doctoees in Cap. *Inter alia*, XXXI. *De ſententia excommunicationis*. Et ſic ubi eſt dubium de viribus privilegii, aut diſpenſationis Papæ, ad ipſum pertinet interpretatio, & dubii ſolutio, uti poſt Gloſſam tradit inter alios Joannes Monachus in Cap. *Ordinarii Locorum, De officio Ordinarii*, in VI. Sed de his alias opportuniori loco dicemus.

VII. Quod tandem ſpectat alteram noſtri Canonis partem, qua edicitur, quid fieri debeat ubi plura inpoſterum conferri Beneficia contingat, quibus animarum cura eſt annexa, duo præcipue decernuntur. Primum eſt, *ut iidem Ordinarii diligentiam illam obſervent, ut Perſonatum, Dignitatem, vel aliud Beneficium ſimilem curam habens animarum, alicui plura ſimilia obtinenti non ante conferre præſumant, quam ejus ſuper obtentis diſpenſatio evidenter ſufficiens oſtendatur.* Alterum vero eſt, quod etiam conſtito de diſpenſatione legitima habendi plura ejus naturæ Beneficia, adhuc Ordinarius non conferat aliquod ex prædictis Beneficiis, niſi altera ex his duabus conditionibus exiſtente, ut ſcilicet vel habeat diſpenſationem ad hoc, ut cum pluribus præhabitis poſſit obtinere, & detinere libere hujuſmodi novam Dignitatem, aut Perſonatum, aut Beneficium, cui animarum cura eſt annexa; vel priora, quæ habet, libere, & ſponte reſignet: *Qua etiam oſtenſa*, nempe diſpenſatione, *ita demum ad collationem procedi volumus, ſi appareat per eandem, quod is, cui eſt collatio facienda, hujuſmodi Perſonatum, Dignitatem, vel Beneficium retinere libere valeat cum obtentis: vel, ſi ea, quæ ſic obtinet, libere, ac ſponte reſignet.* Additque mox etiam Lugdunenſis noſter hic Canon, atque concludit, quod *aliter de Perſonatibus, Dignitatibus, & Beneficiis talibus facta collatio, nullius penitus ſit momenti.*

VIII. Scitiſſime autem obſervat Paſſerinus in dicto Cap. *Ordinarii*, quod cum in Cap. *De multa, De Præbendis*, dicatur, accipientem Beneficium ſecundum curatum, eo ipſo eſſe primo privatum, nunc in hoc ſtandum ſit Extravaganti Conſtitutioni Joannis Papæ XXII. quæ incipit: *Execrabilis, De Præbendis*, ubi in §. *Qui vero*, ſtatuitur, ut qui receperint Dignitatem, aut Perſonatum, aut Beneficium Curatum, ſi antea ſimile Beneficium obtinebant, illo privati ſint, poſtquam ſecundi poſſeſſionem obtinuerint, vel per eos ſtetit quo minus habuerint, ipſique præterea illud reſignare teneantur abſque moræ diſpendio in manibus Ordinariorum; & ſi id non faciant, etiam ſecundo ſint privati ipſo jure, & inhabiles ad Ordines & ad Beneficia recipienda. Porro ſtandum hodie eſt ſaluberrimæ determinationi Concilii Tridentini, Seſſione VII. *De reformatione*, Cap. IV. & Seſſione XXIV. *De reformatione*, Cap. XVII. quo confirmatum fuit, quod ſtatuit Innocentius Papa III. in Concilio Generali IV. Lateranenſi, Can. XXIX. qui relatus eſt in Cap. *De multa, De Præbendis*. Et ſic modo habens quodcumque Beneficium incompatibile, ſi recipiat aliud ſimile, vacat ipſo jure primum; & ſi primum retinere voluerit, ſpoliatur etiam ſecundo. Atque hic finis Commentario noſtri Canonis, qui, ut notat Natalis Alexander in ejus relatione, in Lugdunenſi Concilio non eſt conditus.

# C A N O N XIX.

Properandum nobis viſum eſt, ut malitioſis Litium protractionibus occurratur, quod ſperamus efficaciter provenire, ſi eos qui circa Judicia miniſterium exhibent, ad id congruis remediis dirigamus. Cum igitur ea quæ ad hoc ſalubriter fuerant circa Patronos Cauſarum Legali Sanctione proviſa, deſuetudine abolita videantur: Nos Sanctionem eandem præſentis redivivæ Conſtitutionis ſuffragio, cum aliqua tamen adjectione, necnon & moderatione, renovantes, ſtatuimus, ut omnes, & ſinguli Advocationis officium in Foro Eccleſiaſtico, ſive apud Sedem Apoſtolicam, ſive alibi, exercentes, præſtent, tactis Sacroſanctis Evangeliis, juramentum, quod in omnibus Cauſis Eccleſiaſticis, & aliis in eodem Foro tractandis, quarum aſſumſerunt patrocinium, vel aſſument, omni virtute ſua, omnique ope, id quod verum, & juſtum exiſtimaverint, ſuis Clientulis inferre procurent; nihil in hoc ſtudii, quod eis ſit poſſibile, relinquentes, quodque in quacumque parte Judicii eis innotuerit, improbam fore Cauſam, quam in ſua fide receperant, amplius non patrocinabuntur eidem, imo ab ea omnino recedent, a communione illius ſe penitus ſeparantes: reliquis, quæ circa hæc ſunt in eadem Sanctione ſtatuta, inviolabiliter obſervandis. Procuratores inſuper juramento ſimili adſtringantur. Hujuſmodi quoque juramentum tam Advocati, quam Procuratores in Foro, in quo idem aſſumſerunt officium, teneantur annis ſingulis iterare. Qui vero ad eandem Sedem veniunt, vel ad Curiam cujuslibet Eccleſiaſtici Judicis, in qua nondum tale præſtiterant juramentum, accedunt; in aliquibus ſingularibus Cauſis patrocinium, vel procurationis miniſterium præſtituri, præſtent in ſingulis Cauſis eiſdem mota controverſia ſimile juramentum. Advocati autem, & Procuratores, qui juxta prædictam formam jurare noluerint, executionem officiorum ſuorum, hujuſmodi voluntate durante, ſibi noverint interdictam. Quod ſi juramentum

præ-

Digitized by Google

præſtitum violare præſumſerint, præter reatum perjurii, Conſiliarii etiam, qui ſcienter iniquam Cauſam foverint, divinam, & noſtram maledictionem incurrant, a qua non aliter liberentur, niſi duplum ejus reſtituerint, quod pro tam iniquis Advocatione, Procuratione, vel Conſilio receperunt; ac nihilominus de damnis, quæ per iniqua hujuſmodi miniſteria partibus irrogarunt, illis ſatisfacere teneantur. Ceterum, ne cupiditatis ardor aliquos ad hæc ſalubria Statuta contemnenda præcipitet, diſtrictius inhibemus, ne aliquis Advocatus in quacumque Cauſa ultra viginti, Procurator vero ultra duodecim Libras Turonenſes recipere Salarii nomine, vel etiam ſub Palmarii colore præſumat. Qui autem ultra receperint, nequaquam dominium eorum, quæ prædictam quantitatem excedunt, acquirant; ſed ad reſtitutionem integram teneantur illorum. Ita quod nihil horum, ad quæ reſtituenda eos teneri præmiſimus, in fraudem præſentis Conſtitutionis remitti poſſit eiſdem. Et inſuper Advocati Conſtitutionem præſentem taliter violantes, ab Advocationis officio triennio ſuſpendantur. Procuratores vero ex tunc ſibi ſciant cujuslibet Procurationis in Judicio licentiam denegatam.

## COMMENTARIUS.

I. QUum circa Seculum Chriſti XII. in Tribunalibus Eccleſiaſticis Cauſæ more, & ſtylo Forenſi inſtrui, ſecundum Legum etiam Civilium rigorem examinari, & decidi, ſicut in Tribunalia ipſa Eccleſiaſtica ad exemplum Civilium Tribunalium intrarunt Aſſeſſores, ita quoque Advocati ex Foro Civili una cum ſtylo Forenſi admiſſi ſunt, eodemque munere fungi in utroque Tribunali cœpere. Id obſervat, docetque Vaneſpen, Parte III. *Juris Eccleſiaſtici univerſi*, Titulo VI. Cap. II. ubi etiam notat, voluiſſe aliquando Innocentium III. in Capite XIV. *De Judiciis*, relatum, *ut principales perſonæ*, nimirum, Actor, & Reus, *non per Advocatos, ſed perſeipſos factam proponant, niſi forte ſint adeo indiſcretæ, ut earum defectus de Judicis licentia per alios ſuppleatur.* Statutum id fuiſſe ab Innocentio, ait Altaſerra, *optimo conſilio, ut evitetur cavillatio Advocatorum, qui veritati ſæpius imponunt.* Ideoque interrogatus in Jure, non debet reſpondere per alium, ſed per ſeipſum, juxta Textum in Lege, *Si ſine*, §. *Alius por alio*, ff. *De interrogationibus in jure faciendis.*

II. Sed audiendus eſt eruditiſſimus Cujacius, qui ad eam Innocentii III. Decretalem ita inquit: *Utinam ſervaretur Lex hujus Capituli, quæ vult litigatores ipſos per ſe, ſi intellectum capiant, factum, de quo eſt controverſia, ſive quæſtio, narrare apud Judicem, non per Advocatos. Ii enim plerumque in facto narrando callide nimis, & faſtidioſe ſe gerunt, & decipiunt Judicum religionem, & fidem, quia & ſæpius numero ad Cauſam orandam accedunt facto nondum bene perſpecto, & percepto, de quo, ut Ammianus Marcellinus Libro XXX. ſcribit, ſub ore Judicis inter ipſos conſtictuum articulos tunc demum inſtruatur, quod hodie fit vulgo: hiſce hominibus committas jura tua, cauſos tuas, qui ad eas nondum cognitas accedunt temere, ac tunc demum incipiunt cognoſcere, cum & agere.* Rectiſſime autem loco citato notat Vaneſpen, attenta hodierna praxi, officium eſſe boni Advocati, de facto, ſive quæſtione rite inſtrui, ipſumque Clientem monere, ut exacte, & ſincere facta, & ſtatum quæſtionis exponat; oſtendendo, quod non poſſit de juſtitia Cauſæ recte judicare, juſtumque Judicium formare, niſi omnia fideliter, & veraciter exponantur. Celebre eſt, quod in hanc rem de ſe ipſo, Lib. II. *De Oratore*, Tullius narrat, quodque utinam Advocati hodierni attenderent: *Soleo*, inquit, *dare operam, ut de ſua quiſque re me ipſe doceat, & ut nequis alius adſit, quo liberius loquatur, & agere adverſam cauſam, ut ille agat ſuam, & quicquid de re ſua cogitaverit, in medium proferat. Itaque cum ille diſceſſit, tres perſonas unus ſuſtineo ſumma animi æquitate, meam, adverſarii, Judicis.*

III. Quod hodiernos Advocatos ſpectat, debent profecto ipſi vel eo exactius Cauſæ juſtitiam, priuſquam ejus patrocinium ſuſcipiunt, examinare, & diſcutere, quod non tantum Jure naturali vetante injuſtæ Cauſæ quacumque ratione patrocinari, ſed & ſpeciali vinculo juramenti conſtringantur, nullam Cauſam defendendam ſuſcipere, quam noverint injuſtam. Eſt enim is ritus in omnibus paſſim Tribunalibus, ut juramentum illud ſemel in ſua ad officium Advocati admiſſione præſtent. Porro antiquo Romanorum Jure debebant in ſingulis Cauſis utriuſque partis Advocati jurare, ſe Cauſam injuſtam non tueri; idque conſtat ex Juſtiniani Imperatoris Conſtitutione in Lege, *Rem non novam*, §. *Patroni*, Cod. *De Judiciis*, ubi etiam jurisjurandi formula continetur, quod nempe ſedulo Clientibus ſervient; nec tamen ullam injuſtam Cauſam ſuſcipient; & ſi quam procedente Lite, injuſtam cognoverint, dimittent. Meminit hujus Conſtitutionis idem Juſtinianus in Lege II. Cod. *De jurejurando propter calumniam dando*; & in fine Novellæ ſuæ Conſtitutionis XC. omnium judicialium ſacramentorum rationem addit.

IV. Alludit haud dubie ad has Conſtitutiones Gregorius Papa X. quas etiam noſtro hoc Canone, ſeu Conſtitutione renovare ſe ait, *cum aliqua tamen adjectione, necnon & moderatione.*



Digitized by Google

ne. Statuit ergo, *ut omnes, & ſinguli Advocationis officium in Foro Eccleſiaſtico, ſive apud Sedem Apoſtolicam, ſive alibi, exercentes, præſtent tactis Sacroſanctis Evangeliis juramentum, quod in omnibus Cauſis Eccleſiaſticis, & aliis in eodem Foro tractandis, quarum aſſumſerunt patrocinium, vel aſſument, omni virtute ſua, omnique ope, id quod verum, & juſtum exiſtimaverint, ſuis Clientulis inferre*, (alias, *fore*) *procurent; nihil in hoc ſtudii, quod eis ſit poſſibile, relinquentes; quodque in quacumque parte Judicii eis innotuerit improbam fore cauſam, quam in ſua fide receperunt, amplius non patrocinabuntur eidem, imo ab ea omnino recedent, a communione illius ſe penitus ſeparantes; reliquis quæ circa hæc ſunt in eadem Sanctione ſtatuta, inviolabiliter obſervandis*. Hactenus juramenti Formula a noſtro hoc Canone Advocatis æque, ac Procuratoribus præſcripti, dum ſtatim ſubdit: *Procuratores inſuper juramento ſimili adſtringantur*. Tum vero etiam mandat, ut *hujuſmodi quoque juramentum, tam Advocati, quam Procuratores in Foro, in quo idem aſſumſerunt officium, teneantur annis ſingulis iterare: Qui vero ad eandem Sedem veniunt, vel ad Curiam cujuslibet Eccleſiaſtici Judicis, in qua nondum tale præſtiterant juramentum, accedunt, in aliquibus ſingularibus Cauſis patrocinium, vel procurationis miniſterium præſtituri, præſtent in ſingulis Cauſis eiſdem mota controverſia ſimile juramentum*.

V. Pergit Canon, & ait, Advocatis ipſis, & Procuratoribus, qui juxta prædictam formam jurare noluerint, *executionem officiorum ſuorum, hujuſmodi voluntate durante*, eſſe interdictam; & ſi juramentum præſtitum violare præſumſerint, præter reatum perjurii, debere & ipſos *duplum ejus* reſtituere, *quod pro tam iniquis Advocatione, Procuratione, vel Conſilio receperunt; ac nihilominus de damnis, quæ per iniqua hujuſmodi miniſteria partibus irrogarunt, illis ſatisfacere*. Sane tametſi nullum Advocati juramentum præſtent, nefas ſemper eis eſt Cauſam injuſtam defendere; docetque Sanctus Thomas in ſua Secunda Secundæ Quæſtione LXXI. Advocatum, qui ſcienter injuſtam Cauſam tuetur, non ſolum graviter peccare, ſed & teneri parti de damno illato per ejus auxilium contra juſtitiam; ſi vero ignoranter, excuſari ſecundum modum, quo excuſari ignorantia poteſt; ſi autem principio credidit Cauſam juſtam, & in proceſſu appareat Cauſa non juſta, debere Cauſam deſerere, vel eum, cujus Cauſam agit, ad cedendum inducere, ſive ad componendum ſine damno adverſarii. Notat hæc S. Thomas, & Sylveſter in ſua Summa, verbo, *Advocatus*, aliaque addit, quæ reſtitutionem ſpectant, ad quam Advocati, & Procuratores tenentur, qui injuſtas Cauſas defendunt. Interim tamen, quum vel numquam, vel raro admodum Cauſidici ob injuſtæ Cauſæ defenſionem mulctentur, aut ſuis Salariis fruſtrentur, hinc difficile inveniuntur, qui Cauſas quantumvis injuſtas rejiciant, aut juſtitiam aliquam in ipſis non fingant, ubi ſcilicet vident ſibi non incertam ſpem lucri offerri. Auget periculum hodierna Advocatorum prodigioſa multitudo: *Dum enim*, uti obſervat Van-eſpen in loco citato, *Cauſæ juſtæ non ſufficiunt tantæ Advocatorum multitudini, ut ex Cauſarum patrociniis victum ſibi parare queant, Lites multiplicare debent, & Cauſas haud difficulter juſtas judicant, dum alias Cauſis, quibus patrocinarentur, deſtituerentur*. Notat etiam tum paulo poſt, certum fuiſſe olim Advocatorum numerum, qui excedi non poterat, ex Lege VIII. & Lege XI. Cod. *De Advocatis diverſorum Judiciorum*; at moribus noſtris ſine numero omnes, qui licentiæ dumtaxat gradum adepti ſunt, ad officium Advocatorum recipi.

VI. Quicquid ſit de hac Advocatorum turba, quorum non pauci, & Cauſas injuſtas tuentur, & Lites etiam variis cavillationibus, maliſque artibus in longum protrahunt, inhibet inſuper, & quidem diſtrictius noſter Canon, *ne aliquis Advocatus in quacumque Cauſa ultra viginti, Procurator vero ultra duodecim libras Turonenſes*, ideſt, monetæ Turonenſis, ut docet Dufreſne, *recipere Salarii nomine, vel etiam ſub Palmarii colore præſumat*. Salarium idem eſt, ac ſervitii ſtipendium; Palmarium vero mercedem ſignificat, ſeu honorarium, quod Advocato, qui Cauſam vicit, concedi vel olim ſolitum fuit, præſertim in Regno Neapolitano, ubi Advocati ob victam Cauſam multum lucri a parte, quam defendebant, conſequebantur. Cæterum quod ſæpe contingat, ut nec ipſum, quod vincitur, ſatis ſit ſolvendis Advocatorum functionibus, optarunt nonnulli, ut Cauſarum Patronis hodie Reſpublica careret. Etenim, ut inter alios inquit eruditus Nicolaus Vernulæus in Diſſertatione, *De Litibus*, Oratione V. *ubi Cauſidicorum turba ſtrepit, ibi Litium incendiis tota Civitas ardet, nec ulla propemodum a contentione Domus vacare poteſt. Illi ut vivant, Lites ſerunt, ac fovent, & cum lucri ſint mancipia, id unum illis eſt votum replere ſua marſupia*.

VII. Eodem teſte Auctore, Zamorenus vidiſſe ſe populoſiſſimas in Germania Civitates ait, in quibus nullæ Lites eſſent, atque iccirco, quod nulli in iis eſſent Advocati; exiſtimatque Vir prudentiſſimus, quod & hodie cordati omnes norunt, minus Reipublicæ perniciolum fore, ſi quidam injuſte ob Advocatorum, & defenſionis inopiam opprimantur, quam ſi infinitis Litium contentionibus reliqui omnes Cives, atque adeo tota Reſpublica concutiatur primum, deinde miſerrime ſubvertatur. Denique refert idem Vernulæus, nonnullos Reges, ac Principes ad ſuas ditiones Cauſidicos admittere noluiſſe, aut introductos expuliſſe, ne per illos Litibus omnia implerentur; recitatque Columellæ effatum: *Sine Cauſidicis felices olim fuere, futuræque ſunt Urbes*. Sed hoc remedium, cum nimis acerbum videri poſſet, præſertim cum laudabile, & honorificum ſit Advocatorum officium, qui glorioſæ vocis confiſi munimine, in laborantium ſpem, vitam, & poſteros defendunt, ut loquuntur Imperatores in Lege XIV. Cod. *De Advocatis diverſorum Judiciorum*, optandum ſaltem eſſet, ut ſint quidem Advocati, ſed pauci, excellenti ingenio, multiplici doctrina, fidi, opulenti, non avari, non fraudulenti, non cupidi, non egentes: non pauci enim inveniuntur, quos etiam vulgo de Ordine Mendicantium appellant, quia ſcilicet importune a Procuratoribus Cauſarum petunt, ut eorum opera ad ſcribendum in Litibus utantur, ut inde aliquid mercedis pro ſuo labore bene, vel male, uti non ſemel accidit, impenſo percipiant, non ſine Clientum detrimento.

CA-

# C A N O N XX.

Abſolutionis beneficium ab Excommunicationis ſententia, vel quamcumque revocationem ipſius, aut Suſpenſionis, ſeu etiam Interdicti, per vim, vel metum extortam, præſentis Conſtitutionis auctoritate omnino viribus vacuamus. Ne autem ſine vindicta violentiæ creſcat audacia, eos, qui abſolutionem, ſive revocationem hujuſmodi, vi, vel metu extorſerint, Excommunicationis ſententiæ decernimus ſubjacere.

## C O M M E N T A R I U S.

I. IMpiorum quorumdam audacia hoc Canone refellitur, qui vi, & metu abſolutionem a Cenſuris, quas incurrerant, extorquere ſoliti erant. Huic malo, abuſuique Seculo XIII. multum graſſanti, ut occurreret Gregorius Papa X. præſenti Canone, quem in hoc Lugdunenſi II. Generali Concilio promulgavit, ſtatuit primum, hujuſmodi abſolutiones nullas eſſe ipſo jure, ut nimirum impii homines, ac Magiſtratus præſertim laici, ſcientes vim, & metum nullius eſſe fructus, a violentiis ipſis inferendis abſtinerent. Tum vero etiam voluit, *eos, qui abſolutionem, ſive revocationem hujuſmodi, vi, vel metu extorſerint, excommunicationis ſententiæ ſubjacere*. Habetur hic Canon in Capite unico, *De his quæ vi metuſve cauſa fiunt*, in VI. Duo itaque ſtatuit Pontifex, primum quidem, abſolutionem, ſeu revocationem excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti per vim, aut metum exortam, eſſe ipſo jure nullam; alterum vero eſt, ut qui hujuſmodi abſolutionem, ſeu revocationem extorſerit, ſit ipſo facto excommunicationi ſubjectus.

II. Notanda eſt autem inter abſolutionem, & revocationem Cenſurarum diſtinctio. Abſolutio enim ſolemnis fit ſervata forma Eccleſiæ conſueta *cum Pœnitentiali Pſalmo, & Oratione Dominica*, aliiſque Ritibus, quorum meminit Innocentius III. in Epiſtola ſua ad Abbatem S. Andreæ, relata in Cap. *A nobis*, XXVIII. *De ſententia excommunicationis*. Revocatio autem fit abſque ulla ſolemnitate. Vel quia, ubi excommunicatio tenuit, locum habeat abſolutio, & ubi non tenuit, Revocatio; vel quia Abſolutio reſpicit Cenſuram latam abſolute, Revocatio vero Cenſuram latam ſub conditione, ut ſic ante diem, & conditionem impletam, Excommunicatio revocari dicatur; vel demum quia Abſolutio datur ab excommunicatione, Suſpenſio vero, & Interdictum revocantur. De quibus omnibus, ſicut & de aliis, quæ hunc Canonem ſpectant, videri poſſunt Gloſſa in laudato Capite, *Abſolutionis*, *De his quæ vi metuſve cauſa fiunt*, & ibidem Joannes Monachus, Archidiaconus, Butrius, & inter alios recentiores Canonici Juris Interpretes doctiſſimus Paſſerinus.

III. Præterea notandum & illud eſt, ſolam Abſolutionem, ſeu Revocationem Cenſuræ, ſi ſit extorta per vim, & metum, juxta Deciſionem hujus Canonis irritari. Eſt autem vis majoris rei impetus, cui non poteſt reſiſti, Lege I. & II. ff. *De his quæ vi &c.* & docet Gloſſa in dicto Capite, *Abſolutionis*, ubi etiam metum definit ex citata Lege I. his verbis: *Metus eſt trepidatio mentis, inſtantis vel futuri periculi cauſa*. Metus vero ad incurrendam pœnam, jam non intelligitur ille, qui large acceptus eſt, ſeu vanus, vel levis, ſed metus gravis, ſeu cadens in conſtantem virum, qualis eſt timor mortis, vel mutilationis membrorum, vel gravis damni in bonis temporalibus; aut animi, de quo inter alios Auctores fuſe differit laudatus Paſſerinus in celebri Tractatu; *De electione Canonica*, Cap. IV. Ceterum neceſſe eſt, ut ſit timor damni injuſte inferendi; nam alias ſiquis Epiſcopo minaretur repetitionem crediti ſibi jure debiti, vel ſe non daturum amplius, & collaturum beneficia, quæ liberaliter ſolitus ei erat conferre, non incuteret timorem gravem, & cadentem in conſtantem virum; nec Abſolutio Cenſuræ diceretur extorta per juſtum timorem; ſicut nec dicitur Aſolutio extorta, ſi Epiſcopus non ex timore illato ſibi ab extrinſeco, ſed ab intrinſeco, & veluti ſibi innato aliquem abſolvit, quando ſcilicet timet, non habens juſtam cauſam timendi, ut notat Cajetanus in ſua Summa, verbo, *Excommunicatio*, Cap. XLI.

IV. Jam neque intereſt, quod Abſolutio fuerit extorta ab ipſo Excommunicato, vel ab alio; quia ſcilicet noſter Canon abſolute loquitur, & Abſolutionem extortam indiſtincte decernit eſſe irritam. Rurſus non intereſt, quis ſit qui extorqueat; an ſcilicet ſit vir, vel mulier; an vero ſit is, qui eſt Cenſura ligatus, vel alius; ſed ſolus, qui extorquet, Excommunicationem incurrit. Docet nihilominus Gloſſa in dicto Capite, *Abſolutionis*, quam etiam alii Canoniſtæ ſequuti ſunt, ſi is, qui extorquet Abſolutionem, eſt ille, qui ligatus eſt Cenſura, duplici jam ipſum vinculo manere ligatum, excommunicationis nimirum, aut Suſpenſionis, vel Interdicti Cenſura, qua prius fuerat innodatus, & qua fuit nulliter abſolutus, ac nova pariter Excommunicatione, quam incurrit, ex quo Abſolutionem extorſit. Porro, ut docent plerique Auctores, ſiqui extorſit Abſolutionem fuit alius, ille quidem eſt excommunicatus, non vero qui eſt abſolutus, niſi tamen & hic per vim, & metum Abſolutionem extorqueri mandarit, vel ratam habuerit eam Abſolutionis extorſionem. Atque hæc eſt ſententia Joannis Monachi in recitato Capite, *Abſolutionis*, aliorumque Doctorum complurium, licet non deſint, qui aliter ſentiant, uti videre eſt apud laudatum Paſſerinum, qui etiam varia ſcitu digna enarrat, quæ praxim ſpectant. Unum eſt, quod hoc loco adnotemus, quod nempe tradit Lupus in Scholio ad Canonem III. Concilii Quintilinoburgenſis, vigere hodie hanc in quibuſdam Senatibus violentiam, ut Epiſcopales, imo & Papales Anathematis ſententias audeant examinare, judicare, caſſare, abſolvere.

CA-

# C A N O N XXI.

Statutum felicis recordationis Clementis Papæ IV. Prædeceſſoris noſtri de Dignitatibus, & Beneficiis in Curia Romana vacantibus nequaquam per alium, quam per Romanum Pontificem conferendis, decrevimus taliter moderandum, ut ii, ad quos eorumdem Beneficiorum, & Dignitatum ſpectat collatio, Statuto non obſtante prædicto, demum poſt menſem, a die quo Dignitates, ſeu Beneficia ipſa vacaverint, numerandum, ea conferre valeant tantummodo per ſeipſos; vel, ipſis agentibus in remotis, per ſuos Vicarios Generales in eorum Diœceſibus exiſtentes, quibus id Canonice ſit commiſſum.

## COMMENTARIUS.

I. Primus omnium e Romanis Pontificibus Maximis Clemens IV. qui anno Chriſti MCCLXV. Petri Sedem implere cœpit, celebrem illam Decretalem Conſtitutionem promulgavit, qua diſpoſitioni Apoſtolicæ Sedis reſervaret Beneficia omnia, quæ in Romana Curia vacarent. Relata eſt hæc Conſtitutio in Capite II. *De Præbendis, & Dignitatibus*, in VI. ubi inter alia teſtatum facit, perantiquam eam fuiſſe conſuetudinem, & eam a ſe tantummodo confirmari: *Licet Eccleſiarum, Perſonatuum, Dignitatum, aliorumque Beneficiorum Eccleſiaſticorum plenaria diſpoſitio ad Romanum noſcatur Pontificem pertinere, ita quod non ſolum ipſa cum vacant, poteſt de jure conferre, verum etiam jus in ipſis tribuere vacaturis: collationem tamen Eccleſiarum, Perſonatuum, Dignitatum, & Beneficiorum apud Sedem Apoſtolicam vacantium ſpecialius ceteris antiqua conſuetudo Romanis Pontificibus reſervavit.* Eam conſuetudinem novo auctoritatis pondere idem laudatus Pontifex roborans, prohibet non Ordinariis modo, ſed privilegio etiam quopiam donatis Collatoribus, ut ne Beneficia vacantia in Curia conferant, niſi conceptis verbis conceſſum eis ſit, ut hæc etiam conferant: *Nos itaque laudabilem reputantes hujuſmodi conſuetudinem, & eam auctoritate Apoſtolica approbantes, ac nihilominus volentes, ipſam inviolabiliter obſervari, eadem auctoritate ſtatuimus, ut Eccleſias, Dignitates, Perſonatus, & Beneficia, quæ apud Sedem ipſam deinceps vacare contigerit, aliquis præter Romanum Pontificem, quacumque ſuper hoc ſit auctoritate munitus, ſive jure ordinariæ poteſtatis ipſorum electio, proviſio, ſeu collatio ad eum pertineat, ſive Litteras ſuper aliquorum proviſione generales, vel etiam ſpeciales ſub quacumque forma verborum receperit, niſi ei ſit ſuper conferendis eiſdem in Curia Romana vacantibus ſpecialis, & expreſſa ab ipſo Pontifice Summo auctoritas attributa, conferre alicui, ſeu aliquibus non præſumat. Nos enim, ſi ſecus actum, ſeu attentatum fuerit, decernimus irritum, & inane.*

II. Scitiſſime obſervat Thomaſſinus, Parte II. *Diſciplinæ*, Lib. I. Cap. XLVIII. Num. II. hujus antiquæ conſuetudinis, cujus memoratus Pontifex Clemens IV. meminit, monumentum nullum exiſtere, ac ne veſtigium quidem in Decretalibus Gregorii Papæ IX. Si Præventionis jus viguiſſet, initium ſumſiſſet a vacantibus in Curia Beneficiis; verum cum multo recentior ſit præventio Pontificatu Clementis IV. dicendum potius cenſet laudatus Auctor, cœpiſſe Præventionem a Beneficiis in Curia vacantibus, ex quibus deinde ad alia gradum fecit. Multo ergo probabilius eſt, cum percrebuiſſent Mandata Apoſtolica, quibus ſcilicet Romani Pontifices mandabant Epiſcopis, ut Beneficia iis conferrent, quos commendabant, nec jam poſſent Epiſcopi eis refragari, ſatius viſum eſſe Romanis ipſis Pontificibus Maximis, ut ipſi conferrent ea Beneficia, quæ vacarent in Curia, quam ut ea ſibi reſervarent, & Epiſcopis reſcriberent, quo ea Mandatariis conferrent. Inter Gregorium IX. & Clementem IV. quatuor Sedem Petri tenuere Pontifices, nempe Cæleſtinus IV. Innocentius IV. Alexander IV. & Urbanus itidem IV. ex quibus facile potuerunt Innocentius IV. & Alexander IV. conſuetudinis a Clemente IV. memoratæ fundamenta jeciſſe, ut jam ſub ipſo Clemente IV. antiqua ea dici poſſet conſuetudo.

III. Quicquid vero de hac conjectura ſit, certum illud eſt, Clementem IV. e Romanis Pontificibus primum fuiſſe, qui generaliter Beneficia, quæ in Curia Romana vacare contigerit, Apoſtolicæ Sedi reſervavit; docetque Gloſſa in Cap. *Statutum, De Præbendis, & Dignitatibus*, in VI. in quod noſter Canon relatus eſt, eo adductum eſſe Clementem, ut ne inpoſterum præveniretur a Procuratoribus Epiſcoporum in Curia degentibus, & ad id unum eo delegatis, ut Beneficia conferrent, cum primum ea in Curia vacarent: *Habebant Epiſcopi ante Conſtitutionem Clementis Procuratores in Curia, qui ſtatim, cum vacabant Beneficia, conferebant illa, & ſic præveniebant Papam: unde motus Clement promulgavit Conſtitutionem ſupradictam.* Jure præventionis ſpectabat quidem collatio Beneficiorum omnium, quæ in Curia vacarent, vel non longe a Curia Pontificia. Callidiores quidam Collatores ipſam Papæ præventionem præveniebant, Procuratoribus ſuis in Curia conſtitutis. Huic calliditati obviavit Clemens IV. reſervatis ſibi, quæ in Curia vacarent, Beneficiis. Hæc autem Gloſſæ conjectura, uti ibidem obſervat Thomaſſinus, Num. IX. non levis, aut arbitraria eſt, ſed innixa, ut videtur, dicto Capiti, *Statutum*, ſeu noſtro huic præſenti Canoni in Concilio II. Lugdunenſi promulgato, quo Gregorius Papa X. ſtatuit, niſi intra menſem Pontifex Romanus Beneficia in Curia vacantia conferat, poſſe ea conferri ab Epiſcopis, aut per ſeipſos, aut ſi abſint, per Vicarios Generales reſidentes in Diœceſi cum poteſtate conferendi:

rendi: *Poſt menſem a die, quo Dignitates, ſeu Beneficia ipſa vacaverint, numerandam, ea conferre valeant, tantummodo per ſe ipſos; vel ipſis agentibus in remotis, per ſuos Vicarios Generales in eorum Diœceſibus exiſtentes, quibus id Canonice ſit commiſſum*. Quæ cautio, ut non conferantur, niſi per Vicarios Generales in Diœceſi reſidentes, illis jure obviare videtur Procuratoribus, ſeu Vicariis Epiſcoporum, qui aſtute Romæ alebantur ad eas proviſiones peragendas.

IV. Rurſus vel ex noſtro Canone conjicere pronum eſt, ante Clementem IV. tentatam magis, & inchoatam fuiſſe eam diſciplinam, ut Romanus Pontifex ſcilicet Beneficia vacantia in Curia conferret, quam perſectam: Decretum vero de ea re primum edidiſſe Clementem ipſum IV. Pontificem. Nec abhorret a vero, expoſtulatum de ea conſuetudine in hoc noſtro Concilio Lugdunenſi II. fuiſſe, cum in hoc eodem Concilio Gregorius Papa X. temperamenti aliquid adjicere tentarit, ubi nempe Statutum Clementis *de Dignitatibus, & Beneficiis in Curia Romana vacantibus nequaquam per alium, quam per Romanum Pontificem conferendis*, decrevit, *taliter moderandum, ut ii, ad quos eorundem Beneficiorum, & Dignitatum ſpectat collatio, Statuto non obſtante prædicto, demum poſt menſem, a die, quo Dignitates, ſeu Beneficia ipſa vacaverint, numerandum, ea conferre valeant &c.* Edidit deinde Boniſacius Papa VIII. aliquas in hanc poteſtatem, & proviſiones Apoſtolicæ Sedis declarationes, quæ habentur in Capite XXXIV. & Cap. XXXV. *De Præbendis, & Dignitatibus*, in VI. nec tamen in ipſis ab altiore rem ducit origine, quam a memorato Clementis IV. Decreto. Fuit autem Clemens, ut omnes ejus Vitæ Scriptores docent, eximiæ pietatis Pontifex, & a rerum terrenarum, ſeu propinquorum amore omnino alienus, ut proinde non ſit cuipiam avaritiæ illius Conſtitutio tribuenda, ſicut nec illa Gregorii X. quem Ptolomæus Lucenſis Lib. XXII. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, Cap. IV. inter alia ſummopere commendat, quod *non intendebat pecuniarum lucris, ſed pauperum eleemoſynis*.

V. Porro quod Boniſacii VIII. declarationes ſpectat, quas in ipſum Clementis IV. Statutum promulgavit, prima exſtat in citato Cap. XXXIV. *De Præbendis &c.* ubi contineri quidem Statuto Clementis ait Legatos, Nuntios, & Beneficiarios omnes, qui ad Romanam ventitabant Curiam, ad eamque accedentes, vel ab ea recedentes, in locis vicinis diem ſuum obibant, quæ ultra duas diætas legales non exiſtebant: *Præſenti*, inquit, *declaramus Edicto, Statutum felicis recordationis Clementis Papæ Prædeceſſoris noſtri, de Beneficiis apud Sedem Apoſtolicam vacantibus per alium, quam per Romanum Pontificem minime conferendis, locum habere in Beneficiis, quæ Legati, aut Nuntii Sedis ejuſdem, vel quivis alii ad Romanam Curiam venientes, vel etiam recedentes ab ipſa, retinere noſcuntur, ſi eos in locis vicinis ipſi Curiæ mori contingat, quemadmodum ſi in loco, ubi eadem Curia reſidet, morerentur. Idem eſt, ſi aliquis Curialis, etiam Eccleſia Romana vacante, peregrinationis, infirmitatis, aut recreationis, ſeu alia quavis cauſa ad locum Curiæ vicinum ſeccedens, in hujuſmodi loco vicino decedat, dummodo ibi, etiamſi erat ad ipſam Curiam reverſurus, ejus domicilium, ſeu domus propria non exiſtat. Loca vero intelliguntur vicina eidem Curiæ in præmiſſis, quæ remota ultra duas diætas legales, quas hoc caſu ſic ſpecialiter volumus computari, a loco, ubi moratur ipſa Curia, non exiſtant.* Addit etiam mox illud, ſiquis in loco, ubi degit Curia, ſuæ originis domum habens, diem claudat extremum in ea, ipſius Beneficia ſub prædicto non aliter includi Statuto, quam ſi Curialis eſſet antea, & ibidem occaſione Curiæ moraretur. Concludit tandem, & ait, cum Curiam de loco ad locum transferri contingit, ſi Curiales in itinere, dum Curiam ſequuntur eandem, vel in loco, unde recedit ipſa Curia, forſitan remanentes infirmi, rebus inibi eximantur humanis, præmiſſum Statutum, quantumcumque locus, ubi decedunt, ab ipſa Curia ſit remotus, ad illorum Beneficia ſe extendere.

VI. Boniſacii Papæ VIII. altera declaratio, quæ legitur ſequenti Cap. XXXV. citato Titulo, *De Præbendis &c.* in VI. ait, ſiquo tempore vacaret Apoſtolica Sedes, vacarent in Curia Parochiales Eccleſiæ, poſſe tunc eas ab Ordinariis conferri, ſicut & illas, quas ante obitum ſuum Papa non contuliſſet, quod nempe res plena periculi eſſet, ſi diutius Parochiæ Paſtoribus, qui animarum curæ attendere debent, orbentur: *Si Apoſtolica Sede vacante, aliquas Parochiales Eccleſias vacare de cetero contigerit apud ipſam: ſtatuimus, ut de eis, ne ipſarum vacatio diutina periculum valeat animabus afferre, per eos ad quos pertinet, poſſit libere ordinari: Conſtitutione felicis recordationis Clementis Papæ Prædeceſſoris noſtri de Beneficiis apud Sedem ipſam vacantibus, per alium, quam per Romanum Pontificem minime conferendis, vel alia quavis contraria ſuper hoc edita non obſtante*. Additque mox: *Idem volumus & de illis, quæ ibidem ipſo Romano Pontifice vivente vacabant, ſi de ipſis per eum ante, ipſius obitum non fuerit ordinatum.* Plura in hanc Boniſacii VIII. declarationem docet Gonzalez, ubi Regulas Cancellariæ exponit; inter alia autem notat, Regulam IX. Cancellariæ, in qua diſponitur de Beneficiis vivente Papa vacantibus in Curia, ſed non proviſis, locum in Parochialibus non habere.

VII. Non omittenda hoc loco alia ejuſdem Boniſacii Papæ VIII. Conſtitutio, quæ incipit, *Piæ ſolicitudinis*, legiturque inter Extravagantes communes Lib. III. Titulo II. Cap. I. ubi reſervationem renovans Beneficiorum in Curia vacantium, teſtatum facit, ea reſervatione non aliud ſibi cordi eſſe, quam ut digniſſimos aſſignet Miniſtros iis Eccleſiis, quæ Romæ vacaverint: *Piæ ſolicitudinis ſtudio ducimur, ut Dignitates, Perſonatus, Præbendæ, aliaque Beneficia Eccleſiaſtica cum cura, vel ſine cura, quæ apud Sedem Apoſtolicam vacare noſcuntur, perſonis conferantur idoneis, per quas in eis debita impendantur obſequia, & divinorum cultus exerceatur ſolicite in eiſdem*. Non aliter loquutus eſt Clemens Papa V. non multo poſt Boniſacii VIII. ſucceſſor, ubi Conſtitutionem & ipſe edidit, quæ inter eaſdem Extravagantes habetur, Cap. III. *Cum juxta Canonicas Sanctiones nihil ſit, quod Eccleſiæ Dei magis officiat, quam quod indigni aſſumantur in regimen animarum &c.* Porro queſti ſunt aliquando Galliæ Barones in Epiſtola ad Cardinales data, quod memoratus Boniſacius VIII. plures reſervationes, & Beneficiorum proviſiones in Regno Galliæ feciſſet, quas etiam acrio-

Digitized by Google

acriore ſtylo depingunt. Sed eorum Epiſtolæ reſpondentes Cardinales pluribus docent, eas a Pontifice in Eccleſiæ Regnique utilitatem ſactas fuiſſe. Extant hæ Litteræ, uti & illæ Baronum Tomo IV. *Hiſtoriæ Univerſitatis Pariſienſis*, Pagina 22. & ſeqq. ac deinde Pag. 31. refertur Epiſtola ipſius Boniſacii, qua ad Epiſtolam Baronum reſpondet, atqne inter alia ait, nt conferantur inter ſe proviſiones præbendarum factæ a Rege, & Epiſcopis, & proviſiones factæ a Pontifice, expendaturque poſtea, quænam magis in utilitatem Eccleſiarum, & Regni cedant.

VIII. Præ ceteris Romanis Pontificibus eam poteſtatem latius effudit Joannes XXII. Clementis V. immediatus Succeſſor. Cum enim Boniſacius VIII. reſervaſſet ſibi qnidem omnes Dignitates, Perſonatus, & alia Beneficia, quæ vacarent in Curia; Clemens vero V. Eccleſias etiam Cathedrales, Monaſteria, Prioratus, Adminiſtrationes, Officia, quæ vacarent eodem modo; Joannes ipſe ex conſilio Cardinalium a ſe decretum eſſe ait, ut non ſolum eas reſervationes omnes confirmaret, ſed definiret etiam vacare in Curia tum Beneficia, cum qui ea obtinebant, Romæ exauctorabantur, & privabantur Beneficiis; itemque cum reſcindebantur Electiones, vel poſtulationes rejiciebantur; cum abdicabant ſe ſe Beneficiarii, vel cum ab aliis ad alias Eccleſias transferebantur. Poſtremo quocumque demum loco occumberent Cardinales, Officiarii, & Commenſales Curiæ Romanæ, eorum Beneficia in Curia vacare cenſebantur.

IX. Qui Joanni XXII. in Pontificatu ſucceſſit Benedictus XII. eaſdem, quas laudatus Joannes, reſervationes fecit, auxitque, uti videre eſt in ejus Conſtitutione, quæ incipit, *Ad regimen*, & habetur Lib. III. earundem Extravagantium Communium, Tit. II. Cap. XIII. Ceterum tametſi tum Clementis V. tum Joannis XXII. tum denique Benedicti XII. reſervationes ad eorum vitæ tempus arctarentur, præludia nihilominus, & quaſi prævia tentamenta politiæ novæ fuerunt, ut in perpetuam deinde legem ſancirentur, & in Regulas Cancellariæ tranſirent, quas fuſe egregieque explicavit Doctiſſimus Joannes Baptiſta Rigantius, cujus Opus poſthumum in quatuor Tomos diſtributum nuper ejus ex fratre nepos Clariſſimus utriuſque Juris Conſultus Nicolaus Rigantius edidit in lucem ſummæ Romanæ Curiæ utilitati.

# C A N O N XXII.

Hoc conſultiſſimo prohibemus Edicto, univerſos, & ſingulos Prælatos Eccleſias ſibi commiſſas, bona immobilia, ſeu jura ipſarum laicis ſubmittere, ſubjicere, ſeu ſupponere, abſque Capituli ſui conſenſu, & Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali, non concedendo bona ipſa, vel jura in emphyteuſim, ſeu alias alienando, in forma, & caſibus a jure permiſſis; ſed conſtituendo, vel recognoſcendo, ſeu profitendo ab illis ea tanquam a Superioribus ſe tenere, ſeu ab ipſis eadem advocando, prout in quibuſdam partibus vulgariter dicitur *Avober*, vel ipſos Patronos, ſive Advocatos Eccleſiarum, ſeu bonorum ipſarum perpetuo, aut ad tempus non modicum, ſtatuendo. Contractus autem omnes, etiam juramenti, pœnæ, vel alterius cujuslibet firmitatis adjectione vallatos, quos de talibus alienationibus, ſine hujuſmodi licentia, & conſenſu contigerit celebrari, & quicquid ex eis ſequutum fuerit, decernimus adeo viribus omnino carere, ut nec jus aliquod tribuant, nec præſcribendi etiam cauſam pariant. Et nihilominus Prælatos, qui ſecus egerint, ipſo facto, Officio, & adminiſtratione, Clericos etiam, qui ſcientes contra inhibitionem prædictam aliquid eſſe præſumtum, id Superiori denunciare neglexerint, a perceptione Beneficiorum, quæ in Eccleſia ſic gravata obtinent, triennio ſtatuimus eſſe ſuſpenſos. Laici vero, qui Prælatos, vel Capitula Eccleſiarum, ſeu alias perſonas Eccleſiaſticas, ad ſubmiſſiones hujuſmodi faciendas hactenus compulerunt, niſi poſt competentem monitionem, remiſſa ſubmiſſione, quam per vim, vel metum exegerant, Eccleſias, & bona Eccleſiaſtica eis ſubmiſſa taliter in ſua libertate dimittant; illi etiam, qui de cetero Prælatos, vel perſonas eaſdem ad talia facienda compulerint, cujuſcumque ſint conditionis, aut ſtatus, excommunicationis ſint ſententia innodati. Ex contractibus præterea ſuper præmiſſis, hujuſmodi licentia, & conſenſu intervenientibus, hactenus initis, vel quos in futurum iniri contingat, ſeu occaſione illorum: laici, ultra id quod eis ex natura contractuum ipſorum, vel adhibita in illis lege permittitur, aliquid non uſurpent. Qui vero ſecus egerint, niſi legitime moniti, ab hujuſmodi uſurpatione deſtiterint, reſtituendo etiam

quæ

quæ taliter uſurparunt, eo ipſo ſententiam Excommunicationis incurrant; & ex tunc ad ſupponendum Terram ipſorum, ſi opus fuerit, Eccleſiaſtico Interdicto libere procedatur,

## COMMENTARIUS.

I. EDitum eſt hoc Decretum a Gregorio Papa X. in præſenti Lugdunenſi II. Concilio occaſione Toparcharum, ſeu Caſtellanorum quorundam, qui Viros Eccleſiaſticos opprimebant, miſſis ad eorum prædia militibus. Qui, ut ab ea vexatione liberarentur, poſſeſſiones Eccleſiaſticas ipſis Toparchis, aut aliis perſonis laicis potentioribus ſubjiciebant, & ſe ab illis eas tenere profitebantur, vel ipſos Patronos, aut Advocatos Eccleſiarum conſtituebant. Huic malo, turpique abuſui, qui in Gallia invaluerat, ex Concilii ſententia remedium attulit Gregorius ipſe X. hocce edito Canone, quem legere eſt in Cap. II. *De rebus Eccleſiæ non alienandis*, in VI. ubi obſervat Gloſſa, quod jam notatum eſt, refelli hoc Canone Toparchas, ſive Caſtellanos, qui Viros Eccleſiaſticos opprimendo, eoſdem compellebant, ut ad redimendam vexationem, ipſis Eccleſiarum advocationem, vel cuſtodiam, in perpetuum, vel ad tempus committerent; & ratione advocationis, aut cuſtodiæ hoc modo ſibi commiſſæ, imo potius uſurpatæ, bona Eccleſiarum vacantium occupare præſumebant.

II. Huic ergo abuſui occurrens Gregorius X. conſultiſſimo Edicto prohibet primum, *univerſos, & ſingulos Prælatos Eccleſias ſibi commiſſas, bona immobilia, ſeu jura ipſarum laicis ſubmittere, ſubjicere, ſeu ſupponere, abſque Capituli ſui conſenſu, & Apoſtolicæ Sedis licentia ſpeciali, non concedendo bona ipſa, vel jura in emphyteuſim, ſeu alias alienando in forma, & cauſis a jure permiſſis; ſed conſtituendo, vel recognoſcendo, ſeu profitendo ab illis, ea tanquam a Superioribus ſe tenere; ſeu ab ipſis eadem avocando, prout in quibuſdam partibus*, in Galliis ſcilicet, uti notat Gloſſa, *vulgariter dicitur* Avoher; *vel ipſos Patronos, vel Advocatos Eccleſiarum, ſeu bonorum ipſarum perpetuo, aut ad tempus non modicum ſtatuendo.* Plura in hoc Decretum notat Gloſſa in expoſitione Capitis II. *De rebus Eccleſiæ non alienandis*, in VI. Inter alia autem obſervat, ad modicum tempus vocari poſſe laicos in Patronos, vel defenſores Eccleſiarum, quia tunc in modico tempore non eſt periculum. De hoc hominum genere, eorumque rapinis, ac deprædationibus videri poſſunt quæ ſcripſimus nos Tomo III. Conciliorum in Commentario ad Canonem XLV. Concilii IV. Lateranenſis. Quod autem vocem, *Avober*, ſpectat, videri poteſt Duſreſne verbo, *Avoberia*, quæ idem eſt, ac tutela, ſive tuitio.

III. Reſcindit deinde noſtro hoc Canone Lugdunenſi Gregorius Pontifex contractus contra iſtius Decreti diſpoſitionem peragendos: *Contractus autem omnes, etiam juramenti, pœnæ, vel alterius cujuslibet firmitatis adjectione vallatos, quos de talibus alienationibus ſine hujuſmodi licentia*, nempe Apoſtolicæ Sedis, *& conſenſu*, ſcilicet Capituli, *contigerit celebrari, & quicquid ex eis ſequutum fuerit, decernimus, adeo viribus omnino carere, ut nec jus aliquod tribuant, nec præſcribendi etiam cauſam pariunt.* Tertio Prælatos, qui ſecus fecerint, ipſo facto ab Officio, & adminiſtratione: Clericos vero, qui id denunciare Superiori neglexerint, a Beneficiorum perceptione, quæ in Eccleſiis ſic oppreſſis obtinent, ad triennium ſuſpendit: *Et nihilominus Prælatos, qui ſecus fecerint, ipſo facto ab Officio, & adminiſtratione: Clericos etiam qui ſcientes contra inhibitionem prædictam aliquid eſſe præſumtum, id Superiori denunciare neglexerint, a perceptione Beneficiorum, quæ in Eccleſia obtinent ſic gravata, triennio ſtatuimus eſſe ſuſpenſos.* Quarto laicos horum gravaminum auctores excommunicatione percellit, niſi Eccleſiis novas hujuſmodi ſervitutes remiſerint: *Laicos vero, qui Prælatos, vel Capitula Eccleſiarum, ſeu alias perſonas Eccleſiaſticas ad ſubmiſſiones hujuſmodi faciendas hactenus compulerunt, niſi poſt competentem monitionem, remiſſa ſubmiſſione, quam per vim, vel metum exegerant, Eccleſias, & bona Eccleſiaſtica eis ſubmiſſa taliter in ſua libertate dimittant.* Occaſione tandem contractuum cum debitis conditionibus hac in materia initorum, vel quos in futurum iniri contigerit, laicos aliquid uſurpare vetat, præter id quod ex natura contractuum ipſorum, ut adhibita in illis Lege permittitur, ſub pœna Excommunicationis, niſi moniti reſtituant quæ ita uſurparunt; &, ſi opus fuerit, ſub pœna etiam Interdicti adverſus ipſorum Terram.

## CANON XXIII.

Religionum diverſitatem nimiam, ne confuſionem induceret, Generale Concilium conſulta prohibitione vetuit. Sed quia non ſolum importuna petentium inhiatio, illarum poſtmodum multiplicationem extorſit, verum etiam aliquorum præſumtuoſa temeritas diverſorum Ordinum, præcipue Mendicantium, quorum nondum approbationis meruere principium, effrenatam quaſi multitudinem adinvenit, repetita Conſtitutione diſtrictius inhibemus, ne aliquis de cetero novum Ordinem, aut Religionem inveniat, vel Habitum novæ Religionis aſſumat. Cunctas affatim Religiones, & Ordines Mendicantes poſt dictum Concilium adinventos, qui nullam confirmationem Sedis Apoſtoli-

ſtolicæ meruerunt, perpetuæ prohibitioni ſubjicimus, & quatenus proceſſerant, revocamus. Confirmatos autem per Sedem eandem poſt tamen idem Concilium inſtitutos, quibus ad congruam ſuſtentationem reditus, aut poſſeſſiones habere Profeſſio, ſive Regula, vel Conſtitutiones quælibet interdicunt, ſed per quæſtum publicum tribuere victum ſolet incerta mendicitas, modo ſubſiſtere decernimus infraſcripto: ut Profeſſoribus eorumdem Ordinum ita liceat in illis remanere, ſi velint, quod nullum deinceps ad eorum Profeſſionem admittant, nec de novo domum, aut aliquem locum acquirant, nec domos, ſeu loca, quæ habent, alienare valeant, ſine Sedis ejuſdem licentia ſpeciali. Nos enim ea diſpoſitioni Sedis Apoſtolicæ reſervamus in Terræ Sanctæ ſubſidium, vel Pauperum, aut alios pios uſus per Locorum Ordinarios, vel eos, quibus Sedes ipſa commiſerit, convertenda. Si vero ſecus præſumtum fuerit, nec perſonarum receptio, nec domorum, vel locorum acquiſitio, aut ipſorum, ceterorumque bonorum alienatio valeat: & nihilominus contrarium facientes ſententiam excommunicationis incurrant. Perſonis quoque ipſorum Ordinum omnino interdicimus quoad extraneos Prædicationis, & audiendæ Confeſſionis officium, aut etiam Sepulturam. Sane ad Prædicatorum, & Minorum Ordines, quos evidens ex eis utilitas Eccleſiæ univerſali proveniens perhibet approbatos, præſentem non patimur Conſtitutionem extendi. Ceterum Carmelitarum, & Eremitarum Sancti Auguſtini Ordines, quorum inſtitutio dictum Concilium Generale præceſſit, in ſuo ſtatu manere concedimus, donec de ipſis fuerit aliter ordinatum. Intendimus ſiquidem tam de illis, quam de reliquis etiam non Mendicantibus Ordinibus, prout animarum ſaluti, & eorum ſtatui expedire viderimus, providere. Ad hæc perſonis Ordinum, ad quos Conſtitutio præſens extenditur, tranſeundi ad reliquos Ordines approbatos licentiam concedimus generalem: ita quod nullus Ordo ad alium, vel Conventus, ſe, ac loca ſua totaliter transferat, Sedis ejuſdem permiſſione ſuper hoc ſpecialiter non obtenta.

## COMMENTARIUS.

I. Lateranenſis Concilii IV. Œcumenici Canonem XIII. a nobis jam Tomo III. explicatum, qui eſt de novis Religionibus prohibitis, renovat præſenti hoc Canone Gregorius Papa X. legiturque in Capite unico, *De Religioſis Domibus*, in VI. & prohibet, *ne aliquis de cetero novum Ordinem, aut Religionem inveniat*, ideſt, inſtituat, *vel Habitum novæ Religionis aſſumat*. Dolet Pontifex, queriturque initio Canonis, quod non ſolum importuna petentium inhiatio Religionum multiplicationem poſt laudati Lateranenſis Concilii Decretum extorſerat, verum etiam, quod aliquorum præſumtuoſa temeritas diverſorum Ordinum, præcipue Mendicantium, quorum nondum approbationis meruerant principium, effrenatam quaſi multitudinem adinvenerat. Hinc non modo vetat, ne quis novum Ordinem inſtituat, vel novæ Religionis Habitum aſſumat; verum etiam Ordines omnes Mendicantium poſt Concilium illud inſtitutos, & nondum confirmatos abrogat: *Cunctas affatim Religiones*, inquit, *& Ordines Mendicantes poſt dictum Concilium adinventos, qui nullam confirmationem Sedis Apoſtolicæ meruerunt, perpetuæ prohibitioni ſubjicimus, & quatenus proceſſerant, revocamus*.

II. Itaque ſolius Romani Pontificis eſt Religioſorum Ordines approbare, quod etiam habetur in Capite I. *De voto, & voti redemtione*, in VI. eſtque hæc una e majoribus Cauſis, quas ſibi Apoſtolica Sedes reſervavit, uti jam notavimus in Commentario ad memoratum Canonem XIII. Concilii IV. Lateranenſis. Sane Eccleſiæ in Religioſis Ordinibus approbandis indeficientiam a Melchiore Cano negatam Lib. V. *De locis Theologicis*, Cap. V. plerique Auctores volunt, ejuſque de ea re judicium ſummæ temeritatis arguunt, atque audaciæ. Sic porro ille eo loci: *Ordines igitur vel probare, vel refellere, quoniam non e ſcientia id ſolum, ſed etiam e prudentia pendet, non ad ea pertinet, in quibus Summus Pontifex errare nequit*. Quod ſubinde multis oſtendit argumentis. At vero Cani mentem egregie explicat præſtantiſſimus Theologus Hyacinthus Serry in ejuſdem inclyti Auctoris Vindicationibus, Cap. XI. ubi ſcite notat, duo omnino in ipſis Ordinibus inſtituendis eſſe obſervanda. Primum, quod ad ſubſtantiam Ordinum ſpectare dicunt, Vota ſcilicet, Legeſque, quibus Viri Religioſi ad Chriſtianam perfectionem veluti manu ducuntur. Alterum, quod ad circumſtantias inſtitutorum Ordinum, multitudinem

nem ſcilicet, neceſſitatemque, pro temporum, locorumque ratione, pertinere volunt. Hoc ipſum dedita opera propugnat Franciſcus Suarez, ex iis ſcilicet unus, qui in laudatum Melchiorem Canum liberius declamant, Tomo III. *De Religione*, Lib. II. Cap. XVII. Numero XVIII. *Omnino ſentiendum, & dicendum eſt*, inquit, *non poſſe errare Pontificem in approbatione Religionis, quoad judicium de honeſtate, & ſufficientia talis modi vivendi, ut ſit ſtatus perfectionis acquirendæ, ſeu Religionis; quicquid ſit de approbatione practica, quoad licentiam, & facultatem introducendi de novo aliquam Religionem, & quoad judicium prudentiale, in quo talis conceſſio fundatur*.

III. Explicat hanc rem diſertius quidem luculentiuſque doctiſſimus Dominicus Bannes in Secundam Secundæ, Quæſtione II. Articulo X. Dubio VIII. Concluſione V. ſic inquiens: *Poſſibile eſt, Summum Pontificem ex negligentia, aut ignorantia, aut falſa informatione, aliquo modo errare, ſecundum prudentiam, in approbatione, & confirmatione plurium Religionum, quam opus erat in Eccleſia Dei. Nunquam tamen hujuſmodi error cedet in perniciem Eccleſiæ, quamvis quibuſdam poſſit eſſe nocivus. Utraque pars concluſionis facile a nobis probabitur*. Tum paulo poſt ſubjicit: *Noſtra concluſio ita eſt intelligenda, ut error, qui contingere poteſt, in confirmandis Religionibus non ſit major, quam qui accidere poteſt in multiplicatione Legum Eccleſiaſticarum, de iis rebus, quæ ad ſalutem neceſſariæ non ſunt, ut ita, vel aliter fiant, niſi ſolum propter Legis obligationem. Cum igitur in hujuſmodi communibus Legibus juxta communem etiam opinionem Doctorum, poſſit Summus Pontifex minus prudenter procedere, non eſt, quare timeamus aſſerere, quod etiam in confirmandis tot, tamque variis Religionibus, ex quibus in Eccleſia confuſio poteſt oriri, & talia incommoda ad perfectam Eccleſiæ, & tranquillam gubernationem emergere, poſſit etiam Summus Pontifex minus caute aliquam, vel aliquas Religiones approbare, & confirmare*. Ita Bannes; nec aliud plane docuit Canus, cujus hæc perſpicua ſunt verba, quæ alias ſupra recitavimus: *Ordines*, inquit, *vel probare, vel refellere, quoniam non e ſcientia id ſolum, ſed etiam e prudentia pendet, non ad ea pertinet, in quibus Summus Pontifex errare nequit*. Ea igitur parte Pontificii judicii deficientiam admittit, in qua non ſcientia, ſed prudentia duce decernit. Scientia porro duce de Religioſi ſtatus ſubſtantia judicat, prudentia vero de accidentibus.

IV. Et vero, uti in memoratis Vindicationibus notat clariſſimus Serry, jam nihil aliud inculcat Religioſiſſimus æque atque Eruditiſſimus Canus, quam de accidentibus, & circumſtantiis, multitudine ſcilicet, & utilitate Religionum verti quæſtionem. Duplici enim capite aſſertionem ſuam evincit: primo, quod nimia Religionum multitudine nonnunquam exortæ ſint querimoniæ in Conciliis, ſcilicet Lateranenſi IV. uti conſtat ex ejus Canone XIII. & hoc II. Lugdunenſi, cujus Canonem XXIII. de ea re hic explicamus: ſecundo, quod nonnullæ primitus approbatæ, ſucceſſu temporis, mutatiſque rerum conditionibus, uti noxiæ, vel certe ut inutiles extinctæ ſint. Quapropter dum ait: *Imbecillum eorum argumentum eſt, qui ex hujuſmodi privilegiis, quæ iis facile temporibus vel conceduntur, vel potius extorquentur, novas Religiones non aliter, ac de Cælo lapſas excipiendas eſſe confirmant; eas quoque, quæ nullam Regulam ex approbatis habent, nullam vel a ſuis editam profitentur*: non ipſam novarum Religionum ſubſtantiam inſectatur, ſed conſectaria accidentia, ex privilegiis extortis conſequuta, quibus demum evenire ſolet, ut noxiæ tandem, & inutiles habeantur. Unde & concludit idem laudatus Canus: *Noſtro hoc ſeculo tam multæ ſunt Religiones a Pontificibus confirmatæ, ut qui eas omnes tueri voluerit, tanquam Eccleſiæ vel utiles, vel neceſſarias, hic imprudentiæ, ne dicam ſtultitiæ nomine, jure optimo, ſummiſque rationibus arguatur*. Quod quam verum, certumque ſit, paulo poſt probavit eventus, dum Pius V. Pontifex Sanctiſſimus Ordinem Humiliatorum ab Eccleſia ſuſtulit, aliique ſubinde Pontifices alios uti inutiles ſuſtulere, ut hic omittam Ordinem Templariorum, quem uti Eccleſiæ noxium, ut dicemus infra in Hiſtoria Concilii Viennenſis, jam ante S. Pium V. Clemens Papa itidem V. extinxerat.

V. Nihil ergo aliud a Melchiore Cano de hoc argumento dictum eſt, quam quod Theologi de more docent. Commoveri autem aliquos in eum vehementius, quod ſuum fortaſſe Inſtitutum oblique ab eo vellicatum putent, cujus, ut arbitrantur confirmationem ætate ſua recentem moleſte tulerit, recte autumat memoratus Serry, qui etiam ſcite ſubjungit, quod cum id Cani verba non poſtulent, non eſt de Religioſiſſimo Viro Epiſcopoque digniſſimo temere pronuntiandum: nec interni animi ſenſus incuſandi ſunt, ubi innoxia verba ſe produnt. Ceterum quamvis non deſint, qui ut majorem Cano invidiam creent, factam eo loci in prioribus ejus editionibus de Societate Jeſu recens confirmata expreſſam mentionem dictitant, quæ tamen e poſterioribus, a prudentioribus curatoribus expuncta ſint. Sed hanc calumniam egregie refellit idem Serry, evidentibuſque argumentis oſtendit, ne ullum quidem verbum in prioribus Cani editionibus deprehendi, quod a poſterioribus diſſideat; ſed omiſſa demum hac controverſia, ut ad hunc Canonem Lugdunenſem redeam, prohibet Gregorius X. Pontifex novum Ordinem, ſeu Religionem adinvenire; eoſque tangit, qui ad vivendum collegialiter, ut ajunt, ſub certa Regula, aut Legibus a ſe, vel ſimul cum Sociis conſtituta, vel præſcriptis, ſequaces convocarent, atque ad Habitum religioſum, & ad Profeſſionem reciperent. Nam alias, uti recte advertit Gloſſa in dicto Capite unico, *De religioſis Domibus*, ſingularis perſona ſectas non inveniens, & ſeorſum habitans, novum Habitum inducere ſibi poſſet; citatque Canonem VI. Diſtinctionis XLI. qui eſt quidem Canon XXI. Concilii Gangrenſis: *Parſimoniam*, inquit, *cum veſte humili non reprobamus &c.*

VI. Tranſit mox Pontifex ad ipſos Ordines per Apoſtolicam Sedem confirmatos, poſt idem tamen Concilium Lateranenſe inſtitutos, *quibus* ſcilicet *ad congruam ſuſtentationem reditus, aut poſſeſſiones habere Profeſſio, ſive Regula, vel Conſtitutiones quælibet interdicunt, ſed per quæſtum publicum tribuere victum ſolet incerta mendicitas*; eoſque ſubſiſtere poſſe ait, *modo infraſcripto*, ſeu ſub hiſce conditionibus. Primo, *ut*

*videlicet Profeſſoribus eorumdem Ordinnm ita licoat in illis remanere, ſi velint, quod nullum deinceps ad eorum Profeſſionem admittant.* Atque hic eſt optimus modus extinguendi Ordines Regulares, quando id opus eſt, ut ſcilicet præſeotes non afficiantur aliqua injuria, ſed loco ipſorum prohibeator alios ſubrogari, ot ſic deficiant in ſeipſis. Secundo, ut *nec de novo domum, vel aliquem locum acquirant.* Tertio, ut *nec domos, ſeu loca, quæ habent, alienare valeant ſine Sedis ejuſdem licentia ſpeciali*, quia ſcilicet *ea diſpoſitioni Sedis Apoſtolicæ* reſervat *in Terræ Sanctæ ſubſidium, vel pauperum, vel alior pios uſus per locorum Ordinarios, vel eos, quibus Sedes ipſa commiſerit, convertenda.* Quarto, ut, *ſi ſecus præſumtum fuerit, nec perſonarum receptio, nec domorum, vel locorum acquiſitio, aut ipſorum, ceterorumque bonorum alienatio valeat.* Quinto, ut *nihilominus contrarium facientes, ſententiam excommunicationis incurrant.* Sexto, ut ipſi Extraneis nec prædicare, nec eorum Confeſſiones audire, nec eos ad Sepulturam recipere poſſint: *Perſonis quoque ipſorum Ordinum omnino interdicimus quoad extraneos, Prædicationis, & audiendæ Confeſſionis officium, aut etiam Sepulturam.*

VII. Sane ab hac diſpoſitione excipit Pontiſex *Prædicatorum, & Minorum Ordines, quos evidens ex eis utilitas Eccleſiæ univerſali proveniens perhibet approbatos .... Cæterum Carmelitarum, & Eremitarum Sancti Auguſtini Ordines, quorum inſtitutio dictum Concilium Generale præceſſit, in ſuo ſtatu manere* concedit, *donec de illis fuerit aliter ordinatum.* Quamquam duo hi poſtremi Ordines, Carmelitarum ſcilicet, atque Eremitarom S. Auguſtini, tolerentur potius noſtro hoc Canone a Gregorio Papa X. quam prohibentur, dum concedit eos in ſuo ſtatu manere, donec de ipſis fuerit aliter ordinatum, eiſdem tameo Ordinibus favit poſtea Boniſacius Papa VIII. quippe qoi noſtrum hunc Canonem Sexto Decretalium inſerens, legiturque in dicto Capite unico, *De Religioſis Domibus*, particulam illam detraxit, *donec &c.* abſoluteque voluit, eos *in ſolido ſtatu permanere*; uti in ipſo Capite unico videre eſt, & notat Gloſſa ibidem, ubi etiam ex aliorum dictis refert, quod idem Gregorius volebat, exceptis Prædicatorum, & Minorom Ordinibus, alios Mendicantes extinguere; de non Mendicantibus autem tres admittere, nempe Ciſtercienſem Ordinem, & Ordinem Nigrorum, nempe S. Benedicti; & de Templariis tandem, & Hoſpitalariis unum Ordinem facere.

VIII. His omiſſis, ot de Ordinibus Mendicantibus, qoorum nominatim in noſtro hoc Canone mentio habetur, aliquid dicam, Prædicatorum Ordinem inſtituit S. Dominicus Calarogæ in Hiſpaoia natus anno MCLXX. ex nobiliſſima Guſmanorom familia, oti non ita pridem adverſus Bollandianos eam nobilitatem S. Dominico abjudicantes doctiſſimus Theologus F. Antoninus Bremond nunc Ordinis Prædicatorum Generalis Magiſter ſuo pecoliari Tractatu, qui inſcriptus eſt: *De Guzmana Stirpe S. Dominici Fundatoris FF. Prædicatorum*, evidenter oſtendit. Ergo S. Dominicos magnis in pietatis, ac litterarum ſtudio factis progreſſibus, a Didico Oxomenſi in Hiſpania Epiſcopo in numerom Canonicorum Eccleſiæ ſoæ, qoos ad præſcriptum Regulæ S. Auguſtini, Canonicæ Religionis obſervantiam profiteri induxerat, cooptatus, & ab eodem comes Romanæ peregrinationis deductus, in reditu, doctrina, pietate, miraculis, omnes, quibuſcum congreſſus eſt in Provincia Narboneſi, convicit, permultos convertit, ibique ab eo relictus, ſumma fortitudine, nec minori prodentia multis annis contra hæreticos Albigenſes verbis, ſcriptis, prodigiis, ac vita Apoſtolica, etiam cum immenſis vitæ ſuæ periculis. Inquiſitoris officio auctoritate Arnaldi Abbatis Ciſtercienſis, atque Apoſtolicæ Sedis Legati, ipſoque prædicationis initio quaſdam nobiles feminas a laqueis hæreticorum eductas in loco Pruliano dicto incluſit; cœpto jam jaci fundamento Ordinis. Anno itaque MCCXV. una cum Fulcooe Epiſcopo ad Concilium Generale Lateranenſe IV. acceſſit, petiitque confirmationem ſui Ordinis ab Innocentio Papa III. qui cum difficilem ſe exhiberet, proxima nocte vidit in ſomnis labentem Eccleſiam Lateranenſem Dominici humeris ſuſtentari, ac propterea, commendato ejus propoſito, remiſit eum ad Fratres ſuos, ot Regulam aliquam approbatam ſimul deligerent, quam profiterentur, ab ipſo poſtea Pontifice una cum Odine confirmandam.

IX. Verum quum interim Innocentios vita migraſſet, Honorius III. ejus Soceeſſor Diplomate dato *Romæ apud S. Sabinam* XI. *Kal. Jan. Pontificatus anno primo*, ideſt, anno MCCXVI. novum Prædicatorom Ordinem confirmavit ſub Regula S. Auguſtini, quam Dominicus, qui eam olim inter Canonicos Oxomenſes profeſſus fuerat, elegit. Docent hæc Theodoricus, aliique Scriptores Vitæ S. Dominici. Diploma autem Confirmationis prædicti Ordinis incipit: *Religioſam Vitam*, extatque in Romano Bullario Tomo I. & in Bullario Ordinis Prædicatorum a laudato F. Antonino Bremond ſumma diligentia collecto, Tomo I. Inter alia vero ita inqoit Pontiſex: *Nos attendentes, Fratres Ordinis tui, futuros pugiles Fidei, & vera Mundi Lumina, confirmamus Ordinem tuum cum omnibus Caſtris, & poſſeſſionibus habitis, & habendis, & ipſum Ordinem, ejuſque poſſeſſiones, & jura ſub noſtra gubernatione, & protectione ſuſcipimus.* Ex quo refelluntur, qui ſcribunt, S. Dominicum ante confirmatum Ordinem poſſeſſiones abdicaſſe. Id enim dumtaxat factum eſſe poſt quadriennium ab Ordinis confirmatione, in primis Comitiis Generalibus Bononiæ celebratis anno MCCXX. ejuſdem Ordinis Scriptores tradunt.

X. Quod Ordinem Minorum ſpectat, fuit ejus Inſtitutor S. Franciſcus Aſſiſienſis, qui mercaturæ primum una com patre attendens, anno Chriſti MCCVIII. ætatis vero ſuæ XXVIII. inchoato, cum quadam die ex Evangelio in Miſſa audiſſet dictum a Chriſto diſcipulis, ne poſſiderent aurom, vel argentom, nec duas tonicas, nec calceamenta haberent, eam ſibi Regolam ſervandam propoſuit; adjunctiſque ondecim aliis Sociis, quos Fratres Minores appellari voluit, Romam cum illis anno MCCX. accedens, ejus novi Ordinis Confirmationem ab Innocentio Papa III. primum ſubdubitante, ſed mox & ipſo in ſomnis viſionibus palmæ ſuccreſcentis, & Eccleſiæ Lateranenſis a ruina ſuſtentatione hominis deſpecti ſervatæ divinitus monito, obtinuit; creſcenteſque paulatim magno nomero Fratres vitæ Apoſtolicæ cupidi, diffuſi brevi ſunt per univerſum Orbem, in-

Digitized by Google

ingenti Eccleſiæ bono, & animarum ſalute. Porro Honorius Papa III. anno MCCXXIII. Regulam ipſam Fratrum Minorum Ordinis S. Franciſci jam ab Innocentio III. approbatam, rurſumque eidem S. Patriarchæ divinitus traditam, ad literam, & ſine Gloſſa obſervandam confirmavit, Diplomate dato III. Kal. Decembris de quo, ſicut & de tribus Ordinibus ejus Inſtituti, nempe horum Fratrum Minorum, Sororum Monialium, quæ S. Claræ dictæ ſunt a S. Virgine Clara, quæ prima omnium feminarum Inſtitutum illud a S. Franciſco ſuſcepit, ac tandem Tertiariorum, quos *Fratres pœnitentiæ* vocant, legendi Annales Minorum a Luca Wadingo conſcripti.

XI. Nunc ut de Carmelitis, & de Eremitis S. Auguſtini dicamus, quos hoc Canone Gregorius Papa X. *in ſuo ſtatu manere* conceſſit, *donec de ipſis fuerit aliter ordinatum*; fateri oportet, Auctores, qui ex profeſſo de eiſdem Commentarios, & magnæ etiam molis volumina edidere, conciliatu quidem eſſe difficiles ob multiplices difficultates, quæ in ſerie ipſorum Ordinum, ac præſertim Carmelitarum occurrunt. Sane Carmelitæ, ſeu Carmelitani Fratres, ut quidam Auctores referunt, cum antea ſparſim per Montem Carmelum agerent, temporibus primum Alexandri III. ſimul conveniſſe dicuntur: deinde vero Innocentii III. auctoritate ab Alberto Patriarcha Hieroſolymitano circa annum MCCV. Regulam ex S. Baſilii, aliorumque præceptis compoſitam accepere, quæ ab Honorio III. confirmata, ab Innocentio deinde IV. mitigata eſt. Narrat ſiquidem ex Tractatu Stephani de Salagnaco, de Regulis diverſarum Religionum Bernardus Guidonis in *Speculo Sanctorali*, ſeu Sanctorum, quod in Bibliotheca Fratrum Prædicatorum Toloſatium ſe vidiſſe ms. ait Spondanus ad annum MCCXLV. & Oudinus aſſerit etiam extare in Bibliotheca eorundem Prædicatorum Avenionenſium, veniſſe Lugdunum ad Innocentium IV. tempore Concilii Lugdunenſis I. aliquos ex Fratribus Carmelitanis pro difficultatibus Regulæ ſuæ; & Pontificem rem commiſiſſe duobus Ordinis Prædicatorum alumnis, Hugoni de Sancto Caro S. R. E. Cardinali, & Gaillelmo Epiſcopo Antadarenſi, a quibus nova, mitior, ac dilucidior data eſt eis Regulæ forma, quam Innocentius ipſe IV. Conſtitutione ſua, quæ extat in Romano Bullario, confirmavit.

XII. At vero cum Ordo ipſe Carmelitarum in noſtro hoc Generali II. Lugdunenſi Concilio non ſatis probatus fuiſſet, hunc ab Honorio IV. Papa, primo ſui Pontificatus anno, ideſt, anno Chriſti MCCLXXXV. confirmatum ajunt Paulus Langius in Chronico Citizenſi, & Onuphrius Panvinius in Chronico Eccleſiaſtico; & mutatis palliis rotundis, ac brevibus, quæ antea Religioſi illi ferebant, datum eis eſſe ab hoc Pontifice Habitum, quem nunc deferunt, albam videlicet, & amplam Cappam, & deſuper nigram tunicam deferendam, mutatis ſcilicet eorum clamydibus, quæ ex albo panno latis faſciis pullis, ſive canuſinis intertextis variatæ erant, tanquam oculis Chriſtianis minus gratis, in pure albas: *Ordinem Carmelitarum*, inquit de laudato Honorio Ptolomæus Lucenſis Lib. XXIV. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, Cap. XIII. *ſolidavit, qui prius in Concilio remanſerat in ſuſpenſo: inter alias Cappas variatas mutaverunt in Cappas albas*. Quibus ex verbis, & ex Conſtitutione III. quæ extat Tomo I. Romani Bullarii, intelligi datur, Honorium quidem conceſſiſſe Fratribus prædicti Ordinis, Habitum Religionis, ob varietatem ipſius minus decentem in alium decentiorem commutare, non tamen, qualis eſſe deberet, deſignaſſe; verum ipſos poſtmodum in ſuo generali Capitulo deliberaſſe, Cappis pure ſibis inpoſterum uti: quam mutationem idem demum Bonifacius VIII. confirmavit VII. Kal. Decembris. Scribunt autem Villanius Lib. VII. Cap. CVIII. S. Antoninus Tit. XX. Capite V. atque Continuator Belli Sacri, Lib. V. Cap. III. Soldanum Saracenorum adeo hac veſtis reformatione offenſum fuiſſe, ut, cum antea Fratres illos venerationi haberet ob reverentiam Eliæ Prophetæ, qui Montem Carmeli, a quo ſic denominati ſunt, incoluerat, jam eos in contemtum Pontificis, & Chriſtianæ Religionis ejecerit de Monte, locumque ſuis colendum tribuerit, ad quem tamen poſtliminio ſunt reſtituti, & eundem Montem adhuc habitant, ut docet Pagius in Vita Honorii IV. Num. VIII.

XIII. Ordinem demum Eremitarum S. Auguſtini anno MCCLVI. Alexander Papa IV. ſi fides Jacobo Philippo Bergomenſi Eremitæ Auguſtiniano Lib. XIII. Chronici, quod Supplementum Supplementi anni MDIII. vocavit, Sancti Auguſtini ſibi per quietem apparentis monitu, quod Innocentius Papa IV. ejus deceſſor inchoaverat, impigre perficiens, multas Congregationes Eremitarum, quorum alii S. Guillelmi, alii Joannis Boni, alii aliis nominibus appellabantur, diverſis regulis, titulis, & veſtibus viventes, ad tollendam omnem confuſionem, in unam Ordinis, & Regulæ S. Auguſtini obſervantiam, & uniformem in ſpontanea paupertate vivendi, & nigro habitu veſtiendi modum redegit, primo ei dato Priori Generali Lanfranco Septalano Mediolanenſi. Qua de re extat Tomo I. Bullarii Conſtitutio ipſius Alexandri IV. data Laterani IV. Nonas Maji. Unitas ipſas Congregationes enumerant Pamphilus in Chronico Ordinis Eremitarum, & Maurolicus in Oceano omnium Religionum. Ceterum quod & Ordo ipſe Eremitarum non ſatis in Generali II. Lugdunenſi Concilio fuiſſet probatus a Gregorio Papa X. Pariſiis vero per id temporis etiam improbatus, confirmavit illum denique Honorius Papa IV. ut ſcribunt Platina in ipſo Honorio, atque laudatus Auctor Chronici Citizenſis. Favit & ipſi Eremitarum Ordini, ſicut & Carmelitarum Bonifacius Papa VIII. qui, uti ſupra notatum fuit, noſtrum hunc Canonem Sexto ſuo Decretalium inſerens, nempe in Capite unico, *De Religioſis Domibus*, eam noſtri Canonis clauſulam, *donec de ipſis fuerit aliter ordinatum*, detraxit; abſoluteque voluit, eos *in ſolito ſtatu permanere*.

XIV. Statuit vero & illud noſtro hoc Canone Gregorius Pontifex, tam de Ordinibus Mendicantium, quam de reliquis non Mendicantibus Ordinibus, prout animarum ſaluti, & eorum ſtatui expedire videret, providere; volebat quippe, uti ſuperius ex Gloſſa notatum fuit, ad paucos Ordines ingentem Religionum tam Mendicantium, quam non Mendicantium numerum coarctare. Quod Mendicantes Ordines ſpectat, ingentem certe eorum numerum reduxit Gregorius ipſe, & hoc Concilium Generale II. Lugdunenſe, uti notat Fagnanus in Capite, *Cum ſit ars artium*, XIV. *De ætate, & qualitate*.

Nu-

Numero xv. ubi etiam ait, ab eo tempore uſque adeo excreviſſe, *ut a multis piis Viris Apoſtolicæ Sedis proviſio hac in re deſideretur*. Sane collapſæ Diſciplinæ Regularis cauſa conſueverunt Romani Pontifices Maximi tum veteres, tum recentiores Ordines Regulares delere, & inter alios Clemens Papa V. & Pius V. quorum alter Templariorum Ordinem, alter Ordinem Humiliatorum extinxit; ut cæteri ſcilicet diſcant, ſibi diligentius cavere, & ſuſceptæ, ac Voto promiſſæ Vitæ Regulam ſtudioſus tenere. De extinctione utriuſque Ordinis nonnihil jam diximus in noſtris ad Humbertum de Romanis Notis, ubi agit de modo promte cudendi ſermones Libro II. Tractatu v. Pag. 122. in fine, & Pag. 125. pariter in fine.

XV. Tandem ait Pontifex noſtro hoc eodem Canone, *perſonis Ordinum, ad quos Conſtitutio præſens extenditur, tranſeundi ad reliquos Ordines approbatos licentiam* ſe concedere *generalem: ita quod nullus Ordo ad alium, vel Conventus ad Conventum, ſe, ac loca ſua totaliter transferat, Sedis ejuſdem*, Apoſtolicæ ſcilicet, *permiſſione ſuper hoc ſpecialiter non obtenta*. De tranſitu ab una Religione ad aliam fuſe agit Fagnanus in Cap. *Dilecti*, xv. *De renunciatione*, ubi varias Quæſtiones reſolvit, viderique poſt eum poteſt Vanеſpen, Parte 1. *Juris Eccleſiaſtici univerſi*, Titulo xxvii. Cap. iii. ubi poſtquam oſtendit, liberum fuiſſe primitus, ac frequentem de uno ad aliud Monaſterium Monachorum tranſitum, docet deinde inter alia ex teſtimonio Cardinalis de Luca, Diſcurſu xli. ad Concilium Tridentinum, *neque a laxiore adſtrictiorem tranſeundi licentiam concedi ſine licentia Sacræ Congregationis Regularium, quæ audito Superiore primæ Religionis, id concedere ſolet, certas præſcribendo Religiones, in quibus benevoli Receptores inveniantur, pro facti qualitate, ac ſingulorum caſuum circumſtantiis*. Quod hic dicitur, Sacram Congregationem hanc licentiam non concedere, niſi *audito Superiore primæ Religionis*, conſentaneum eſt celebri Regulæ S. Benedicti, quæ Capite lxi. ita inquit: *Caveat autem Abbas, ne aliquando de alio noto Monaſterio Monachum ad habitandum ſuſcipiat ſine conſenſu Abbatis ejus, aut litteris commendatitiis, quia ſcriptum eſt*: Quod tibi non vis, alteri ne feceris.

XVI. Ceterum cum experientia conſtaret, nonnullos e Religioſis Mendicantibus ad alios Ordines præſertim Monaſticos convolare, fucatis quidem coloribus, aſſerentes ob frugem melioris vitæ, aut arctioris obſervantiæ, id a ſe fieri, ſed revera, ut liberius viverent, Dignitateſque, & Beneficia Monaſtica conſequi valerent, & ex certis aliis cauſis honeſtati minime conſonis, uti loquitur Martinus Papa IV. in Capite 1. Extravagantium communium, *De Regularibus &c.* generaliter prohibitus fuit Fratribus Mendicantibus tranſitus ad alium quemcumque Ordinem non Mendicantium, excepto ſolo Ordine Carthuſianorum, ſine licentia Papæ, idque ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ, & ſoli Papæ reſervatæ, ut in citato Capite videre eſt.

## CANON XXIV.

Exigit perverſorum audacia, ut non ſimus ſola delictorum prohibitione contenti, ſed pœnam etiam delinquentibus imponamus. Conſtitutionem itaque felicis recordationis Innocentii Papæ Quarti Prædeceſſoris noſtri editam ſuper non recipiendis in pecunia procurationibus, & ſuper receptione munerum, viſitantibus, eorumque familiis interdicta, quam multorum fertur temeritas præterire, volentes inviolabiliter obſervari, eam decrevimus pœnæ adjectione juvandam: ſtatuentes, ut univerſi, & ſinguli, qui ob procurationem ſibi ratione viſitationis debitam, exigere pecuniam, vel etiam a volente recipere, aut alias Conſtitutionem ipſam, recipiendo munera, ſive viſitationis officio non impenſo, procurationem in victualibus, aut aliquid aliud procurationis occaſione, violare præſumſerint, duplum ejus, quod receperint, Eccleſiæ, a qua id receptum fuerit, infra menſem reddere teneantur: alioquin ex tunc Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, duplum ipſum ultra prædictum tempus reſtituere differentes, ingreſſum ſibi Eccleſiæ interdictum ſentiant. Inferiores vero ab Officio, & Beneficio noverint ſe ſuſpenſos, quouſque de duplo hujuſmodi gravatis Eccleſiis plenariam ſatisfactionem impendant. Nulla eis in hoc dantium remiſſione, liberalitate, ſeu gratia valitura.

## COMMENTARIUS.

I. QUamquam de procurationibus occaſione viſitationis accipiendis tum Alexander III. in Concilio Lateranenſi Generali iii. Canone iv. tum Innocentius III. in Generali iv. Lateranenſi Concilio, Can. xxxiii. ſua Decreta ediderint, quæ nos Tomo iii. Conciliorum abunde explicuimus; confirmat nihilominus noſtro hoc præſenti Canone Gregorius Papa X. Conſtitutionem Innocentii IV. quam una cum hoc Canone legere eſt in Titulo, *De cenſibus, exactionibus, & procurationibus*, in vi. Ergo laudatus Innocentius ſua Conſtitutione,

quæ

quæ incipit, *Romana Eccleſia*, legiturque Capite I. ibidem, ita inter alia ſtatuit §. v. de procurationibus Viſitatori dandis: *Procurationes autem recipiat ſecundum quod eſt in Canonibus conſtitutum: nullam tamen pecuniam ipſe, vel aliquis de ſua familia, occaſione alicujus officii, aut conſuetudinis, ſeu quolibet alio modo earum nomine, ſed in victualibus expenſas tantum recipiat moderatas. Caveat inſuper, ne ipſe, vel quiſquam ſuorum aliquod munus, quodcumque ſit, & qualitercumque offeratur, præſumat recipere; ut, non quæ ſua ſunt, videatur quærere, ſed quæ Jeſu Chriſti. Quod ſi fuerit contra præſumtum, recipiens maledictionem incurrat, a qua nunquam, niſi duplam reſtituat, liberetur; volumus enim in his fraudem quamlibet penitus evitari.*

II. Plura alia ſtatuit quidem in ſua Conſtitutione laudatus Pontifex Innocentius IV. ſed recitatum hactenus ejuſdem Conſtitutionis Capitulum, quo præcipit procurationes in victualibus, non in pecunia recipi, & non recipi munera, ne etiam procurationes in victualibus a locis non viſitatis, confirmat in præſenti Gregorius X. pœnamque adverſus tranſgreſſores adjicit; mandat enim, ut *duplum ejus, quod receperint, Eccleſiæ, a qua id receptum fuerit, infra menſem reddere teneantur*; & differentes duplum ipſum ultra prædictum tempus reſtituere, ipſo facto ſint Interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, ſi ſunt Patriarchæ, Archiepiſcopi, vel Epiſcopi; inferiores vero ab Officio, & Beneficio ſint ipſo facto ſuſpenſi, *quouſque de duplo hujuſmodi gravatis Eccleſiis plenariam ſatisfactionem impendant: nulla eis in hoc dantium remiſſione, liberalitate, ſeu gratia valitura*. Quæ omnia per Concilium Tridentinum Seſſione XXIV. *De reformatione*, Cap. III. confirmata fuerunt, ubi etiam noſtri hujus Canonis, ſeu Conſtitutionis a Gregorio Papa X. in hoc II. Generali Concilio Lugdunenſi promulgatæ expreſſa fit mentio: *Quod ſi quiſquam*, ait, *quod abſit, aliquid amplius in ſupradictis omnibus caſibus accipere præſumſerit: is præter dupli reſtitutionem infra menſem faciendam, aliis etiam pœnis juxta Conſtitutionem Concilii Generalis Lugdunenſis, quæ incipit*, Exigit, *necnon & aliis pœnis in Synodo Provinciali, arbitrio Synodi, abſque ulla ſpe veniæ, multetur*.

III. Ceterum tametſi Gregorius X. noſtro hoc Canone expreſſe vetet, nequis *ob procurationem ſibi ratione viſitationis debitam, exigere pecuniam, vel etiam a volente recipere* præſumat; quum tamen rerum experientia monſtraret, ex hoc Gregorii Decreto, tam perſonis viſitantibus, quam locis, atque Eccleſiis viſitatis, multa incommodorum diſpendia provenire; conceſſit jam olim Bonifacius Papa VIII. ſua edita Conſtitutione, quæ habetur Capite III. *De cenſibus &c.* in VI. *ut Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & alii, quibus ex officio competit viſitare, a volentibus Eccleſiarum, & locorum viſitatorum Rectoribus, ſeu perſonis pecuniam licite recipere valeant, pro ſumtibus moderatis faciendis in victualibus, diebus, quibus viſitationis officium perſonaliter exercebunt*. Atque hanc conceſſionem Bonifacii Papæ VIII. confirmavit quidem laudatum Concilium Tridentinum loco citato, ubi ita inquit: *Sit tamen in optione eorum, qui viſitantur, ſi malint, ſolvere id, quod erat ab ipſis antea ſolvi, certa pecunia taxata, conſuetum, an vero prædicta victualia ſubminiſtrare &c.* Certe, ut Canoniſtæ plerique hic notant, ſi ex conſuetudine Populus ſubminiſtrat victualia Epiſcopo viſitanti, poteſt ſervare conſuetudinem Eccleſiæ utilem; laudabile tamen eſt, ut Epiſcopus illum minus gravet. Si vero Populus ſubminiſtrabat ante Concilium ſingulis trienniis, Epiſcopus non debet exigere, ſi ſingulis annis viſitaverit, niſi pro tempore, quo ante præſtabat Populus; quod ſi ipſe recuſaret, cogendus non eſt.

IV. Quod noſtrum hunc Canonem ſpectat Concilii Generalis II. Lugdunenſis, addit & mox Gregorius Papa X. pœnam, ut nempe aliter exigentes, atque ab ipſo præſcriptum fuit, *duplum ejus, quod receperint*, Viſitatores ſcilicet, *Eccleſiæ, a qua id receptum fuerit, infra menſem reddere teneantur*. Voluitque inſuper Pontifex, ut differentes reſtituere ultra menſem, ipſo facto ſint interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, ſi ſint Patriarchæ, Archiepiſcopi, vel Epiſcopi; inferiores vero ſint ipſo facto ab Officio, & Beneficio ſuſpenſi, quouſque duplum gravatæ Eccleſiæ reſtituerint, *nulla eis in hoc dantium remiſſione, liberalitate, ſeu gratia valitura*. Quæ omnia per laudatum Concilium Tridentinum in dicta Seſſione XXIV. Capite III. confirmata fuerunt. Notat autem & illud Gloſſa in Capite, *Exigit*, II. *De cenſibus &c.* verbo, *Suſpenſos*, hujuſmodi interdictos, ſi interim celebrent in Eccleſia, fieri Irregulares, nec diſpenſari poſſe in ea Irregularitate, niſi ab Apoſtolica Sede; obſervatque mox etiam in poſtrema recitata noſtri Canonis clauſula caſum peculiarem, in quo Dominus rei ipſam rem ſuam, ſeu ſibi debitam donare, vel remittere valide non poteſt: *nulla eis in hoc dantium remiſſione &c. valitura*.

# C A N O N XXV.

Decet Domum Domini ſanctitudo, decet, ut cujus in pace factus eſt locus ejus, ſit cultus cum debita veneratione pacificus. Sit itaque ad Eccleſias humilis, & devotus ingreſſus. Sit in eis quieta converſatio, Deo grata, inſpicientibus placida, quæ conſiderantes non ſolum inſtruat, ſed reficiat. Convenientes ibidem, Nomen illud, quod eſt ſuper omne Nomen, a quo aliud ſub Cælo non eſt datum hominibus, in quo ſalvos fieri credentes oporteat, Nomen videlicet Jeſu Chriſti, qui ſalvum fecit populum ſuum a peccatis eorum, exhibitione reverentiæ ſpecialis attollant, & quod generaliter ſcribitur, ut *in Nomine Jeſu omne genuflectatur*, ſinguli ſingulariter in ſe ip-

ipſis implentes, præcipue dum aguntur Miſſarum ſacra Myſteria, glorioſum illud Nomen, quandocumque recolitur, flectant genua cordis ſui, quod vel capitis inclinatione teſtentur. Attendantur in locis eiſdem intentis præcordiis ſacra Solemnia, devotis animis orationibus intendatur. Nullus in locis eiſdem, in quibus cum pace, & quiete vota convenit celebrari, ſeditionem excitet, conclamationem moveat, impetumve committat. Ceſſent in illis Univerſitatum, & Societatum quarumlibet conſilia, conciones, & publica parlamenta. Ceſſent vana, & multo fortius fœda, & profana colloquia. Ceſſent confabulationes quælibet. Sint poſtremo quæcumque alia Divinum turbare poſſunt Officium, aut oculos Divinæ Majeſtatis offendere, ab ipſis prorſus extranea; ne ubi peccatorum eſt venia poſtulanda, ibi peccandi detur occaſio, aut deprehendantur peccata committi. Ceſſent in Eccleſiis, earumque Cœmeteriis negotiationes, & præcipue nundinarum, ac Fori cujuſque tumultus. Omnis in eis ſecularium Judiciorum ſtrepitus conquieſcat. Nulla inibi cauſa per Laicos, criminalis maxime, agitetur. Sint loca eadem a laicorum cognitionibus aliena. Ordinarii locorum hæc faciant obſervari, ſuadenda ſuadeant, interdicta hujus Canonis auctoritate compeſcant: ad hæc alios etiam in Eccleſiis ipſis magis aſſiduos, & ad præmiſſa idoneos deputando. Et nihilominus proceſſus Judicum ſecularium, ac ſpecialiter ſententiæ prolatæ in eiſdem locis, omni careant robore firmitatis. Qui vero præmiſſas inhibitiones animo petulanti contemſerint, præter proceſſum Ordinariorum, & deputandorum ab ipſis, Divinæ ultionis, & noſtræ poterunt acrimoniam formidare, donec ſuum confeſſi reatum, a ſimilibus firmato propoſito deliberaverint abſtinere.

## COMMENTARIUS.

I. Eccleſiarum venerationem ſancit hic Canon relatus in Cap. II. *De immunitate Eccleſiarum &c.* in VI. Eccleſia autem vox Græca proprie concionem, ſive Fidelium Congregationem ſignificans, jam a temporibus Apoſtolorum frequenter etiam ſumta fuit pro Æde ſacra, publico pietatis exercitio, & cultui Divino deſtinata, ut conſtat ex Apoſtolo in Epiſtola I. ad Corinthios, Cap. XI. ubi ait: *Convenientibus vobis in Eccleſiam, audio ſciſſuras eſſe inter vos.* Tum paucis interjectis etiam ſubdit: *Numquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum, aut Eccleſiam Dei contemnitis?* Hic Apoſtolum loqui de loco, ad quem Fideles conveniunt, evidens eſt, ejuſque verba poſt Sanctum Baſilium in Regulis brevioribus, Interrogatione CCCX. ita exponit S. Auguſtinus Lib. III. Quæſtione LVII. in Leviticum: *Eccleſia dicitur locus, quo Eccleſia congregatur; nam Eccleſia homines ſunt, de quibus dicitur, ut exhiberet ſibi glorioſam Eccleſiam. Hanc tamen vocari etiam ipſam Domum orationum, idem Apoſtolus teſtis eſt, ubi ait:* Numquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum, an Eccleſiam Dei contemnitis? *Et hoc quotidianus loquendi uſus obtinuit, ut in Eccleſiam confugere non dicatur, niſi qui ad locum ipſum, parieteſque prodierit, quibus Eccleſiæ congregatio continetur.* Varios antiquos Patres, qui Eccleſiam pro Æde Sacra, in quam Fideles conveniebant olim ad orandum, audiendum Dei Verbum, & percipienda Divina Myſteria, uſurparunt, citat inter alios Rerum Liturgicarum Scriptores eruditiſſimus Stephanus Durantus in celebri Opere, quod inſcripſit, *De ritibus Eccleſiæ Catholicæ*, Libro I. Capite I.

II. Quin & Chriſtiani multo tempore loca, ad quæ orationis, & cultus divini cauſa conveniebant, Eccleſias potius, quam Templa dixiſſe, imo a Templi vocabulo prudentiſſime abſtinuiſſe, ut non ſolum a ritibus Ethnicorum, verum & a vocabulis ſe abhorrere indicarent, notavit inter alios doctiſſimus Joannes Cardinalis Bona Lib. I. *Rerum Liturgicarum*, Cap. XIX. Num. II. Uſus quippe eo tempore obtinebat, in primitiva nempe Eccleſia, ut Templi nomine intelligeretur locus ad Sacrificia, & ad cultum falſis gentium Diis exhibenda deſtinatus; atque hoc ſenſu Octavius, apud Minutium Felicem, Arnobius, Lactantius, Origines, Clemens Alexandrinus, Optatus Milevitanus, & alii priſci Patres negabant, Chriſtianos habere Templa, uti monet præſtantiſſimus Bellarminus Lib. III. *De cultu Sanctorum*, Capite IV. & laudatus Bona loco citato. Porro loca jampridem ſpecialiter fuiſſe deſtinata, ad quæ Fideles convenirent, Orationis, Sacrificii incruenti offerendi, aliaque Religionis, & pietatis opera peragendi gratia, perſpicue evincitur ex memoratis ſuperius Apoſtoli locis, & ex præclariſſimis veterum Scriptorum teſtimoniis, atque ex iis, quæ nos abunde attulimus Tomo II. Romani Pontificalis, in Commentario ad Titulum I. qui eſt, *De benedictione, & impoſitione primarii lapidis pro Eccleſia ædificanda.*

III. Ad noſtrum quod ſpectat Canonem, jam multa hic ſtatuit de veneratione Eccleſiis exhiben-

hibenda, ac primo quidem, *ut ſit ad Eccleſias humilis, & devotus ingreſſus*. Certe propter Eccleſiæ honorem, ac debitum ei cultum, olim mos fuit ut Chriſtiani ſumma religione, ac pietate Eccleſiam adirent, ejuſque Liminibus pia oſcula figerent, uti oſtendimus Tomo III. in Commentario ad Canonem XVI. Concilii I. Generalis Lateranenſis. Ob eam cauſam ipſæ Eccleſiarum Portæ Sacris Reliquiis, & Martyrum exuviis honeſtabantur, ut vel inde ingredientium animi ſancto metu, & Religione perfuſi, ad modeſtiam, & pietatem commoverentur. Ejus antiqui ritus meminit quidem Ludovicus Pius in ſuo Capitulari, Libro IV. Cap. XIII. ubi etiam facit diſcrimen inter Eccleſiam, *cujus porta Reliquiis Sanctorum conſecrata eſt*, & Eccleſiam, cujus porta *non eſt conſecrata* hujuſmodi Sanctorum Reliquiis. Egimus nos & de hoc ritu in citato II. Tomo Romani Pontificalis in Commentario ad §. II. Tituli II. laudabilemque veterem morem jam alibi memoravimus, qui in Eccleſiis Chriſtianorum ſervabatur, ut nempe earum januis Oſtiarii adſtarent, qui arcerent indignos, eoſque ingredi prohiberent, de quibus poterat eſſe ſuſpicio, quod reliquos pietati incumbentes eſſent perturbaturi.

IV. Vult ſecundo Canon, ut in Eccleſiis *ſit quieta converſatio, Deo grata, inſpicientibus placida*, alias placita, *quæ conſiderantes non ſolum inſtruat, ſed & reficiat*. Inſtruat ſcilicet per bonum exemplum, & reficiat per doctrinam, nam anima cibo Spirituali nutritur, ut variis allatis Canonibus notat Gloſſa in citato Capite II. *De Immunitate Eccleſiarum &c.* in VI. Deplorandus eſt plane abuſus, quod plerique Chriſtiani eodem modo ſe habent in Templis, ac in privatis Ædibus, neque minus in Eccleſiis, quam in privatis Domibus criminum laxant habenas. Id quod non ſine ſummo animi ſenſu exprimit S. Joannes Chryſoſtomus Homilia XXXIII. in Matthæum ſic inter alia inquiens: *Domus priſcis temporibus Eccleſiæ erant, nunc ipſa etiam Eccleſia in Domum redacta eſt. Nihil autem in privata Domo carnale loquebantur; nihil nunc in Eccleſia Spirituale memoratur. Cumque Deus loquatur, non modo ipſum cum ſilentio non auditis, verum etiam contraria inferentes inculcatis. Quas ob res acerbe fleo, & numquam flendi finem facio*. Flendum plane eſt ob eam etiam cauſam, quia ſcilicet vel ipſi Sacri Concionatores plerumque populum ad ſuas ipſorum Eccleſias confluentes non Chriſtiana quidem doctrina, & pabulo Verbi Dei nutriunt, ſed fabellis anilibus ad riſum excitare plurimum ſtudent, præſertim vero ubi Divina Oracula exponunt.

V. Mandat tertio Canon, *ut convenientes ibidem, Nomen illud, quod eſt ſuper omne Nomen, a quo aliud ſub Cælo non eſt datum hominibus, in quo ſalvos fieri credentes oporteat, Nomen videlicet Jeſu Chriſti, qui ſalvum fecit populum ſuum a peccatis eorum, exhibitione reverentiæ ſpecialis attollant; & quod generaliter ſcribitur*, ut in Nomine Jeſu omne genuflectatur, *ſinguli ſingulariter in ſeipſis implentes, præcipue dum aguntur Miſſarum ſacra Myſteria, glorioſum illud Nomen quandocumque recolitur, flectant genua cordis ſui, quod vel capitis inclinatione teſtentur*. Hoc Decretum confirmarunt, novoque additamento munierunt variæ Synodi, præſertim vero Avenionenſis anni MCCCXXVI. cui trium Provinciarum, nempe Arelatenſis, Aquenſis, & Ebredunenſis Præſules Suffraganei una cum eorum Archiepiſcopis interfuerunt. Canone ſiquidem IV. non modo mandant, ut juxta ipſam Gregorii Papæ X. Conſtitutionem, *ſinguli Rectores Eccleſiarum, & Vicarii ſuarum Diœceſum ad hoc ipſum faciendum*, ut nempe audito Nomine Jeſu devotius ſe inclinent, *plebes ſibi ſubjectas moneant efficaciter, & inducant*; verum etiam decem dierum Indulgentiam vere pœnitentibus, & confeſſis concedunt, qui eam Sanctiſſimo ipſi Nomini reverentiam exhibent: *Ut illud libentius faciant, quo uberius retributionis præmium exinde ſenſerint proventurum, nos ſingulis in illius glorioſi Nominis memoriam Jeſu ſe inclinantibus reverenter, ubique vere pœnitentibus, & confeſſis decem dierum concedimus Indulgentiam, qui, ut præfertur, id fecerint, valituram*, Quod ipſum in Concilio Biterrenſi, anni MCCCLIX. & in aliis multis legitur.

VI. Extat & in Bullario Ordinis Prædicatorum non ita pridem a Viro doctiſſimo, Fratre Antonino Bremond, nunc ejuſdem Ordinis Generali Magiſtro ſumma diligentia collecto, ac Notis illuſtrato egregium laudati Gregorii Papæ X. Diploma Lugduni datum anno MCCLXXIV. atque Magiſtro prædicti Ordinis inſcriptum, legiturque Tomo I. Pag. 524. quo eidem mandat, ut conſentanee ad noſtrum hunc Lugdunenſem Canonem XXV. cujus etiam verba ad literam refert, ut nimirum de reverentia, ac veneratione ſacris Ædibus, ac Nomini Jeſu debita populos in ſuis Concionibus admonerent, ut hi nimirum quandocunque glorioſum illud Nomen recolitur, præſertim dum aguntur Miſſarum ſacra Myſteria, cordis ſui erga illud obſequium, capitis inclinatione teſtentur: *Ideoque*, ait inter alia in eo Diplomate Pontifex, *dilectionem tuam rogamus, & hortamur attente, per Apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus tu, & Fratres tui, cum vos populis contigerit proponere Verbum Dei, populos ipſos ad præmiſſa efficacibus rationibus inducatis, ita quod proinde retributionis die præmium poſſitis promereri*.

VII. Teſte Fontana Parte I. Monumentorum Dominicanorum, Cap. VI. Pag. 107. *Pontificis juſſa promto animo implevit Magiſter Generalis, omnibus Provinciarum Provincialibus Prioribus Apoſtolicum Decretum annuntians datis ad eoſdem litteris*, quas legere eſt apud eundem Fontanam, qui etiam deinde ita ſubjicit: *Pontificis Maximi, & Magiſtri Generalis mandatis executionem daturi Patres noſtri debitam reverentiam exhibendam Sanctiſſimo Nomini Jeſu prædicavere ubique, fundantes etiam Societates in Eccleſiis noſtris ſub invocatione Nominis Dei, & Domini noſtri Jeſu Chriſti, maximo cum fidelium profectu in via ſalutis, quibus Pontifices Maximi amplas Indulgentias conceſſere*. Hæc Fontana ex Taegio, & ex Actis Capituli Generalis Fratrum Ordinis Prædicatorum Lugduni celebrati anno MCCLXXIV. idemque docent alii Scriptores ejuſdem Ordinis apud laudatum Bremond in Notis ad ipſum Gregorii X. Diploma, citato Tomo I. & Tomo ultimo in Tractatu, *De conſenſu Bullarum*, Titulo XV. ubi de ea re egregie diſſerit. Porro, ut ſcite notat Vir Clariſſimus Franciſcus Eques Victorius in erudito ſuo Opuſculo, *De Monogrammate SS. Nominis Jeſu*, Pag. 27. & ſeq. Sacellum vetuſtum hujus Sodalitii, ſive Societatis Nominis Jeſu Romæ in

Sacra Æde S. Mariæ ſuper Minervam nuncupata, modo S. Roſæ Virgini Limanæ, Tertii Ordinis Prædicatorum ſacrum eſt, in eoque etiamnum ſua peragunt officia pietatis, cum pro Inſtituti ſui ratione ſtatis temporibus Sodales conveniunt. Teſte Bartholomæo Piazza, inter alios Viros ſanctiſſimos, qui prædictæ Societati Nominis Jeſu, ſeu Dei in ipſa Eccleſia Cœnobii Minervitani nomen dedere, fuit & ipſe Societatis Jeſu Fundator S. Ignatius (1) Loiola, qui etiam Societati ipſi Jeſu Nomen indidit: *Quam tamen deinde*, ut in ejus Vita ait Maffeius Lib. II. Cap. v. *verbo ſcriptoque minimam vocare ſolitus eſt; quod reliquis Religioſorum Familiis (quas item Societates Jeſu licet optimo jure appellare) cunctis omnino tum de ſplendore, tum de antiquitate concederet*. Ita ille in fine citati Capitis.

VIII. At vero cum ope, & aſſiduo zelo Fratrum Ordinis Prædicatorum magis magiſque aucta eſſet Fidelium devotio erga Sanctiſſimum Jeſu Nomen, inter alios Summos Pontifices, qui Confraternitatem ipſam in Eccleſiis Fratrum Prædicatorum erectam eximiis privilegiis ornarunt, Pius IV. in Conſtitutione ſua, quæ incipit, *Injunctum nobis*, edita die XIII. Aprilis anni MDLXIV. non modo eidem Confraternitati Indulgentiam conceſſit *die Feſto Circumciſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti annis ſingulis in perpetuum*, quia ſcilicet Feſtum præcipuum hujus Confraternitatis eſt ipſummet Feſtum Circumciſionis Chriſti; verum etiam id privilegii largitus eſt, ut vel Eccleſiaſtici Interdicti tempore poſſit ipſa Confraternitas eam Feſtivitatem celebrare. Rurſus S. Pius V. ſuo Diplomate edito die XXI. Junii anni MDLXXI. incipitque: *Decet Romanum Pontificem*, ad tollendam confuſionem voluit, ut memoratæ Societates nonniſi in Eccleſiis Fratrum Ordinis Prædicatorum erigerentur, vel, ubi ipſi non ſint, nonniſi de licentia Superiorum dicti Ordinis inſtituerentur. Porro inter alia declaravit Pontifex in ipſo Diplomate Societatem ipſam Sanctiſſimi Nominis Dei, *originem, & ortum habuiſſe ab Ordine Prædicatorum*: celebrari autem apud ipſos debere ejus Feſtum *in die Circumciſionis Domini*.

IX. Hinc cum anno MDCCXX. Patres Societatis Jeſu Monopolis, quæ eſt Civitas Regni Neapolitani, prætenſionem excitaſſent celebrandi ipſam Sanctiſſimi Nominis Jeſu Feſtivitatem die Feſto Circumciſionis Dominicæ, quo privative quoad alios, uti ajunt, celebrare memoratam Feſtivitatem ſoliti erant Fratres Dominicani ejuſdem Civitatis, hi facto ad Ordinarium recurſu, qui tunc temporis erat Epiſcopus Centomanus, obtinuere hoc Decretum, ut nempe ſolitum ſervaretur, & quod prædicti Patres Societatis Jeſu ſolummodo poſſent ultimo die anni MCCXX. Sermonem habere, & Hymnum, *Te Deum*, in propria Eccleſia canere. Quia vero hoc Decreto Ordinarii non obſtante, laudati Societatis Jeſu Presbyteri in prætenſione celebrandæ prædictæ Feſtivitatis SS. Nominis Jeſu in die Circumciſionis perſiſtebant, mandavit mox Ordinarius ſub pœnis, & cenſuris, ut omnino a celebratione ejuſdem Feſtivitatis ſe abſtinerent; id quod confirmatum fuit pro anno etiam ſequenti. Verum delata demum hac controverſia ad Sacram Rituum Congregationem, concordatoque Dubio, An liceat Collegio, & Patribus Societatis Jeſu Civitatis Monopolis celebrare Feſtum Sanctiſſimi Nominis Jeſu in die Circumciſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti in Caſu &c. Reſpondit Sacra ipſa Rituum Congregatio die XIII. Martii anni MDCCXXIII. licere.

X. Nuper cum Regularis quidam nomine Epiſcoporum Hiberniæ, a SS. BENEDICTO XIV. Litteras obtinuiſſet, quibus facultatem impertiebat, ut in Civitatibus, & locis eorum Diœceſum unam, ſeu plures Confraternitates, vel Sodalitates utriuſque ſexus Chriſtifidelium ſub invocatione Sanctiſſimi Nominis Jeſu, auctoritate Apoſtolica erigere valerent, diſpoſitione Conſtitutionis Clementis Papæ VIII. ſuper diſtantiam ab una ad aliam Confraternitatem ejuſdem Inſtituti requiſitam editæ minime ſervata; horum conſcius Generalis Ordinis Prædicatorum Magiſter Frater Antoninus Bremond zelantiſſimus Privilegiorum, ac Jurium ſui incliti Ordinis cuſtos, curavit protinus, ut idem Sanctiſſimus Pontifex novas ad ipſos Hiberniæ Epiſcopos Litteras ſcriberet, quæ ſunt hujuſmodi.

*Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis Epiſcopiſque Regni Hiberniæ nunc & pro tempore exiſtentibus.*

BENEDICTUS PAPA XIV.

*Ven. Fratres ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.*

Alias Nos ad ſupplicationem Fraternitatum Veſtrarum, quo deteſtabile vitium jurandi & maledicendi e cordibus Chriſtifidelium Regni Hiberniæ, quod pluribus ab hinc annis invaluerat, penitus eradicetur, per quaſdam noſtras in ſimili forma Brevis die XXX. Auguſti proxime præteriti expeditas Literas Vobis, ac cuilibet Veſtrum facultatem impertiti fuimus, ut Vos in propriis Civitatibus, & Locis reſpective Veſtrarum Diœceſum unam, ſeu plures Confraternitates, vel Sodalitates utriuſque ſexus Chriſtifidelium ſub invocatione Sanctiſſimi Nominis Jeſu contra deteſtabilem jurandi, & maledicendi conſuetudinem nuncupandas, diſpoſitione Conſtitutionis felic. record. Clementis Papæ VIII. Prædeceſſoris Noſtri die VII. Decembris MDCIII. ſuper diſtantia ab una ad aliam Confraternitatem ejuſdem Inſtituti requiſitam editæ minime ſervata, authoritate Noſtra Apoſtolica, erigere, & conſtituere valeretis, ac Veſtrum quilibet valeret, & Confratribus Confraternitatum ſic erigendarum quaſdam peculiares indulgentias conceſſimus, & alias, prout in dictis noſtris Literis, quarum tenorem præſentibus pro expreſſo haberi volumus, uberius continetur. Nuper vero dilectus Filius Antoninus Bremond Magiſter Generalis Ordinis Fratrum Prædicatorum Nobis exponi fecit, quod antiqua, & ſaluberrima Confraternitas ſub invocatione Sanctiſſimi Nominis Jeſu, ſeu Nominis Dei

(1) Bartholomæus Piazza in Opere Italice exarato, cujus Titulus eſt, *Emerologio di Roma &c.* Clementi Papæ XI. dicato anno 1713. ad diem 1. Januarii Pag. 3. ita ait: *Alla Minerva all' Altare del Santiſſimo Nome di Dio, in cui vi è una divota Compagnia inſtituita dal Padre Franceſco Vittoria, chiamato dal Cardinal Sforza Pallavicino, Gran lume della Teologia, Spagnuolo, arricchita di molte grazie, e privilegi ſpirituali, a queſto fine d'impedir le beſtemmie. E perche nel ſuo principio mirabilmente fiorì queſto Santo Inſtituto per togliere da i Fedeli queſto così eſecrando eccesso, ſi fece in eſſo arruolare per Fratello, e Operario di così bell'impreſa S. Ignazio, da cui preſe il motivo, dice il P. Daniel Bartoli nella di lui Vita di nominare con queſto Auguſtiſſimo Nome la ſua illuſtre Compagnia, tutta indrizzata a promovere la maggior gloria, & onor di Dio.* Ita ille.

Dei contra blaſphemias, perjuria, & illicita juramenta a Fratribus dicti Ordinis inſtituta, & ab eis ſemper exculta, & per univerſum terrarum Orbem propagata fuit: Quapropter Romani Pontifices Prædeceſſores Noſtri Confraternitatem præfatam variis gratiis, privilegiis, & indulgentiis ditarunt, ac enixe hortati fuerunt Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & Locorum Ordinarios, ut ubi, & quando opus fuiſſet, ac quoties pro Confratrum dictæ Societatis parte requiſiti fuiſſent, eidem Confraternitati faverent, & aſſiſterent, eamque promovere curarent. Inter cætera ejuſdem Confraternitatis privilegia illud reperitur, quo ſanctæ memoriæ Pius Papa V. Prædeceſſor itidem Noſter per ſuas in pari forma Brevis die xxi. Junii MDLXXI. Literas expeditas, quarum initium eſt: *Decet &c.* Motu proprio, ac ex certa ſcientia decrevit, ac ſtatuit, ne deinceps nova Societas, ſeu Confraternitas hujuſmodi inſtitueretur in Civitatibus, Oppidis, & Locis, in quibus non eſſet dicti Ordinis Domus, aut in finitimis Eccleſiis abſque licentia Prioris Provincialis, ſeu Conventualis dicti Ordinis, in cujus Diſtrictu ſita eſſet Eccleſia, in qua dicta Confraternitas, ſeu Societas eſſet, vel ſoret erigenda, quod ſi ſecus ſactum fuiſſet, Confratres taliter admiſſi dictæ Confraternitatis, ſeu Societatis indulgentias non conſequerentur, nec favoribus, & gratiis, ac privilegiis gauderent, quæ Confratribus legitime adſcriptis per Sedem Apoſtolicam conceſſa forent, perpetuo etiam ſtatuit, ordinavit, ac etiam diſtrictius inhibuit, ſicque voluit, & præcepit, quas quidem Literas ſubinde confirmavit rec. mem. Gregorius Papa XIII. per alias ſuas ſimiles Literas incipientes: *Alias*, ix. Julii MDLXXX. expeditas. Et ſubinde fel. rec. Paulus Papa V. Prædeceſſor quoque Noſter per alias ſuas die xxxi. Octobris MDCVI. expeditas Literas incipientes: *Cum certa*, Magiſtro Generali dicti Ordinis, eoque abſente illius Vicario in Alma Urbe Noſtra commoranti conceſſit, ut Confraternitates prædictas extra dictam Urbem ubique locorum erigere, & inſtituere valeret, iiſque omnes ſupradictss indulgentias, & gratias ſpirituales ſervata forma tradita in ſupradicta Clementis Prædeceſſoris Conſtitutione ſuper dictarum Confraternitatum aggregationibus, & inſtitutionibus edita communicare ſimiliter libere, & licite poſſet, quam quidem facultatem rec. mem. Innocentius Papa XI. Prædeceſſor pariter Noſter per ſuas itidem Literas incipientes: *Cum dudum*, die xviij. Aprilis MDCLXXVIII. editas confirmavit, & alias prout in dictorum Prædeceſſorum Literis, quarum tenores præſentibus pro expreſſis haberi volumus, plenius continetur. Hinc eſt, quod Nos, qui per memoratas noſtras Literas nullum præjudicium privilegiis dicto Ordini, illiuſque Msgiſtro Generali, quos paternis complectimur affectibus, conceſſis afferre, aut irrogari intendimus, exempla Prædeceſſorum Noſtrorum præfatorum ſectantes, authoritate Apoſtolica, tenore præſentium Vobis præcipimus, & mandamus, ut Vos in erectionibus, & inſtitutionibus Confraternitatum ſub invocatione Sanctiſſimi Nominis Jeſu contra deteſtabilem jurandi, & maledicendi conſuetudinem vigore dictarum noſtrarum Literarum ſaciendis, operam Prioris Provincialis, ſeu Priorum Domorum Regularium dicti Ordinis in Regno prædicto exiſtentium omnino adhibeatis, & ſi ſecus fieri contingat, Confratres Confraternitatum ſic erigendarum indulgentias in eiſdem noſtris Literis pro Confratribus conceſſas minime lucrari poſſe decernimus, & declaramus, perinde ac ſi dictæ noſtræ Literæ minime emanaſſent. Quibuſcumque in contrarium facientibus non obſtantibus. Volumus autem, quod præſentium Literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis manu Magiſtri Generalis dicti Ordinis ſubſcriptis, illiuſque Sigillo munitis, eadem prorſus fides, tam in Judicio, quam extra illud, ubique locorum adhibeatur, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi ſorent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die xxx. Septembris MDCCXLVIII. Pontiſicatus Noſtri Anno Nono.

XI. Porro quum ante S. Ignatium Loiolam inclytæ Societatis Jeſu Fundatorem inſtitutæ jam eſſent vel ſecularium hominum Societates, quæ dicebantur Sanctiſſimi Nominis Jeſu, quarum inter alios meminit Eruditiſſimus Eques Victorius in Opuſculo, *De Monogrammate S.S. Nominis Jeſu*, Pag. 26. & ſeq. mirari mihi ſubeat, cur nonnulli, & quod percipi vix poteſt, Viri pii, atque doctiſſimi Jeſuitas naſcentes momorderint, quod illum ſibi Societatis Jeſu titulum aſſumſiſſent. Certe ſcribens Melchior Canus Libro IV. *De locis Theologicis*, Cap. II. *De Eccleſia*, hujus Nominis poteſtatem expendens ex Epiſtola 1. ad Corinthios Cap. 1. ita habet: *Fidelis Deus, per quem vocati eſtis in Societatem Filii ejus Jeſu Chriſti: Quæ ſine dubio Societas, cum Chriſti Eccleſia ſit, qui titulum illum ſibi arrogant, ii videant, an hæreticorum more penes ſe Eccleſiam exiſtere mentiantur*. Quo loco Jeſuitas ob arrogatum ſibi Societatis Jeſu Nomen, tacite ſugillari perſpectum eſt, uti notat doctiſſimus Serry in Vindicationibus Cani, Cap. x. ubi Canum ipſum excuſans, quod nomen illud in S. Ignatii Loiolæ filiis vellicare auſus ſit, Canum ait ea ætate temporum ſcripſiſſe, qua rebus nondum ad liquidum perductis, ſiniſtræ de naſcente Societatis Jeſu Inſtituto ſuſpiciones, Virorum etiam inſignium ingenia occupaverant, quas ſucceſſu temporis Religioſa Societas eluit. Nec mirandum iccirco ſubdit, ſi ſiniſtrum quidpiam de arrogato ſibi, ut plurimis videbatur, ſuperbo Societatis Jeſu Nomine fuerit ſuſpicatus Vir alias prudentiſſimus. Fuit enim hæc illi tum temporis cum aliis multis ſuſpicio communis, cujus & domeſtici ipſius Societatis Jeſu, & extranei teſtes fidem plurimam faciunt.

XII. Inter Jeſuitas Franciſcus Suarez Theologus præſtantiſſimus Tomo IV. *De Religione*, Tractatu x. Lib. 1. Cap. 1. Num. IX. *Non defuere*, inquit, *Viri Catholici, & docti arrogantiæ Patrum Societatis tribuentes, quod Nomen univerſæ Catholicæ Religionis ſibi uſurparent. .... Atque hic primus dicitur fuiſſe Articulus Cenſuræ, quam contra Societatem Univerſitas Pariſienſis edidit*. Idipſum teſtatur ejuſdem Societatis Scriptor inſignis Cardinalis Sfortia Pallavicinus in Vindicationibus Societatis Jeſu, Capite VI. his verbis: *Certarunt nonnulli invidiam creare huic Nomini tanquam ſuperbiori .... Accuſatio hæc levior videretur, quam ut in ejus purgatione immoraremur, niſi grandia Theologorum nomina illam nobis intentaſſent*. Quod Pariſienſem Academiam ſpectat, cujus cenſuræ in illum Societatis Jeſu titulum Suarez ſuperius lau-

datus meminit, ea quidem in judicio, quod inſtante Galliarum Senatu de naſcente ipſa Societate Jeſu tulit anno MDLIV. die 1. Septembris, cujus fragmentum exſcribit Nicolaus Orlandinus Jeſuita in Hiſtoria ſuæ Societatis, Parte 1. Lib. XV. Num. XLV. *Hæc nova Societas*, inquit, *inſolitam Nominis Jeſu appellationem ſibi vendicans &c.* Conventus etiam Epiſcoporum Galliæ Piſſiaci congregatorum anno MDLXI. Patres Societatis Pariſiis admittendos cenſuit ea inter alias conditione, ac lege, ut Jeſuitarum, aut Societatis Jeſu Nomen deponerent, uti jam fuſius legere eſt apud Stephanum Paſquier in Oratione pro Academia Pariſienſi, habita in auguſtiſſimo Galliæ Senatu anno MDLXIV. quam ex integro inſeruit Libro III. Diſquiſitionum, ſeu, ut Gallice ſcribit, *Des Recherches*.

XIII. Omnia hæc refert citato loco eruditiſſimus Serry, non quidem, ut vel id Nominis Religioſis Viris ereptum velit, vel etiam jure a quoquam vellicatum exiſtimet: ſed ut omnes intelligant, hanc primitus inſediſſe Viris etiam Maximis opinionem, quæ Melchiori Cano, antequam ſubobſcuris initio rebus nonnihil lucis accederet. Nec iccirco laudatiſſimo Theologo ſuccenſendum, ſiquid ſuperbiæ ea in appellatione initio ſuſpicatus ſit, tot, ac tantis in eandem ſuſpicionem adductis Viris variorum Ordinum ſpectatiſſimis, antequam Gregorius XIV. anno Chriſti MDXCI. ſuſpicionem demum omnem amoviſſet, ita ſuo peculiari Diplomate decernendo: *Statuimus, Nomen Societatis Jeſu, quo laudabilis hic Ordo naſcens a Sede Apoſtolica nominatus eſt, & hactenus inſignitus, perpetuis futuris temporibus in eo retinendum eſſe*. Imo præ ceteris venia dignior habendus eſt doctiſſimus Epiſcopus Canus, qui quod de nova illa Societatis Jeſu appellatione judicium fecit, modeſte admodum, & oblique dumtaxat innuit, quod alii plerique apertis, & invidioſis declamationibus prodiderunt. Ita ille loco citato.

XIV. Sed revertamur ad noſtrum Canonem, qui mandat quarto, ut *attendantur in locis eiſdem intentis præcordiis Sacra Solemnia*; *devotis orationibus inſiſtatur*; ut nempe nil animus cogitet, quam quod precatur, ad quod Sacerdos populum excitat, *Surſum corda*, dicendo, uti notat Gloſſa in citato Capite, *Decet*, verbo, *intentis*; ubi etiam citat Canonem, *Quando*, De conſecratione, Diſtinctione 1. deſumtum ex Sancto Cypriano, qui in aureo Libro, *De Oratione Dominica*, ita ad rem inquit: *Quando autem ſtamus ad Orationem, Fratres dilectiſſimi, vigilare, & incumbere ad preces toto corde debemus. Cogitatio omnis carnalis, & ſecularis abſcedat, nec quidquam tunc animus, quam id ſolum cogitet quod precatur. Ideo & Sacerdos ante Orationem, Præfatione præmiſſa, parat Fratrum mentes, dicendo,* Surſum corda; *ut dum reſpondet plebs,* Habemus ad Dominum, *admoneatur, nihil aliud ſe quam Dominum cogitare debere*. Tum etiam mox addit: *Claudatur contra adverſarium pectus, & ſoli Deo pateat, nec ſe ad hoſtem Dei adire patiatur, Obrepit enim frequenter, & penetrat, & ſubtiliter fallens preces noſtras a Deo avocat, ut aliud habeamus in corde, aliud in voce, quando intentione ſincera Dominum debeat non vocis ſonus, ſed animus, & ſenſus, orare &c.*

XV. Conſtat itaque ex S. Cypriano, antiquiſſimas eſſe Præfationes in Miſſa, de eoque ritu fuſe diſſerunt eruditiſſimi Auctores, Stephanus Durantus, Lib. II. *De Ritibus Catholicæ Eccleſiæ*, Cap. XXXI. Joannes Cardinalis Bona, Libro II. *Rerum Liturgicarum*, Cap. X. Lebrun, Martene, aliique de Sacra Liturgia tractantes. Certe Concilium Milevitanum habitum anno CDXVI. cui interfuit S. Auguſtinus, Canone XII. inter alia & Præfationum meminit, ita inquiens: *Placuit etiam & illud, ut Preces, vel Orationes, ſeu Miſſæ, quæ probatæ fuerint in Concilio, ſive Præfationes, ſive Commendationes, ſeu manus impoſitiones ab omnibus celebrentur*. Varia ad rem S. Auguſtini loca affert loco citato laudatus Bona Cardinalis, hiſque ſuffragantur non modo Cæſarius Arelatenſis, aliique Patres Latini, verum etiam Græci, inter quos S. Joannes Chryſoſtomus in Homilia, *De Eucbariſtia*, ut alia complura ejus teſtimonia omittam, ſic ait: *Quid facis o homo? Non promiſiſti Sacerdoti, qui dixit*: Surſum mentem, & corda; *& dixiſti*: Habemus ad Dominum. Concinit his Anaſtaſius Synaita in Sermone, *De ſacra Synaxi*, ubi ita inquit: *Hæc teſtatur nobis Sacerdos, dicens*: Surſum corda. *Deinde quid nos ad iſta reſpondemus?* Habemus ad Dominum. *Quid ais? Quid facis? Mens tua ad corruptibilia, & temporalia temere attollitur; & tu dicis, Habeo ad Dominum*. Occurrunt paſſim eadem de re S. Cyrilli Hieroſolymitani, aliarumque Patrum teſtimonia, ſed in re clariſſima ſuperflua ſunt.

XVI. Sane vult inter alia Canon, ut in Eccleſia *devotis orationibus inſiſtatur*. Eſt enim hoc Chriſti Domini monitum in Evangelio Matthæi, Cap. XXI. *Domus mea, domus orationis eſt*. Quam vero ſit utilis Oratio in Eccleſia facta, docent paſſim Sancti Patres, inter quos S. Joannes Chryſoſtomus quorundam objectioni ſibi de ea re factæ reſpondens, hæc habet: *Orare vel domi poſſumus, dicunt, ſed Homiliam, doctrinamque audire nonniſi in Eccleſia poſſumus. Te homo decipis. Nam etſi domi quoque orandi Deum eſt facultas; tamen fieri non poteſt, ut domi tam bene ores, quam in Eccleſia, ubi tot Patres, ubi clamor felici ſocietate excitus ad Deum immortalem refertur. Non pariter exoras, cum ſolus Dominum obſecras, atque tuis cum Fratribus. Eſt enim hujuſmodi plus aliquid, verbi gratia, concordia, conſpiratio, copula amoris, & charitatis, Sacerdotum clamores. Præſunt enim ob eam rem Sacerdotes, ut populis orationes, quæ infirmiores per ſe ſunt, validiores illas complexæ, ſimul in Cælum evehantur.* Sane locus ipſe devotionem orandi excitat propter Sanctos, qui ibidem coluntur, eorumque Reliquias, quæ ibi quieſcunt, præſertim vero propter realem Chriſti præſentiam in Sacra Euchariſtia, quæ ex antiquo Eccleſiæ ritu in Eccleſiis aſſervatur. Orationis autem publicæ, & communis efficacia patet ex illa Chriſti Domini promiſſione Matthæi, Cap. XVIII. *Si duo ex vobis*, inquit, *conſenſerint ſuper Terram, de omni re quaecumque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in Cælis eſt*. Facilis ejus impetrationis rationem ſubdit mox etiam Chriſtus ſic dicens: *Ubi enim duo ſunt, vel tres congregati in Nomine meo, ibi ſum in medio eorum*.

XVII. Unum supereſt, quod de communi, ac publica Oratione hoc loco ſubjiciam, commendari ſcilicet a Chriſto, Matthæi Cap. VI. bre-

vem

vem potius Orationem, quam prolixam: *Orantes*, inquit, *nolite multum loqui*. Eadem eſt Patrum doctrina, Auguſtini, Chryſoſtomi, Caſſiani, & aliorum, quibus addi poteſt celebre teſtimonium S. Benedicti, qui in ſua Regula Cap. xx. præſcripſit, ut *Oratio in Conventu brevietur omnino*. Et Angelici Doctoris S. Thomæ Aquinatis ſententia, qui in ſua Secunda Secundæ, Quæſtione LXXXIII. Articulo XIV. ita ſcribit: *Conveniens eſt, ut Oratio tantum duret, quantum eſt utile ad excitandum interioris deſiderii fervorem; cum vero hanc menſuram excedit, ita quod ſine tædio durari non poſſit, non eſt ulterius protendenda*. Et paulo poſt: *Sicut hoc eſt attendendum in oratione ſingulari per comparationem ad intentionem orantis, ita etiam in communi oratione per comparationem ad populi devotionem*. Fateor, neceſſariam eſſe homini Chriſtiano orationem, utilioremque eſſe, ſi quotidie, & in Eccleſia peragatur, ſed puto abuſum eſſe reprehenſione dignum, quod homines non ſemel inveniuntur, qui onuſti familia, & indigentes toto anni ſpatio, neglecta domus cura, & manuum labore, quo ſuſtentari filii poſſint, modo in una, modo in alia Eccleſia bonam diei partem impendunt, ut nunc unius, nunc alterius Sancti Novenas, ut vocant, celebrent.

XVIII. Teſte Baronio ad annum CCCLXI. Maſſiliani hæretici illud primum jecerunt ſtruendæ impietatis fundamentum, ut quod Dominus Lucæ Cap. XVIII. admonuiſſet, ſemper orandum, cætera cuncta eſſe parvi, vel nullius momenti aſſererent; id affirmantes, Orationem eſſe tanti momenti, ut ſola ſufficeret ad omnes poteſtates adverſarias ſuperandas. Ex quo in primis provenit, ut quod erat olim Monaſticæ diſciplinæ conjunctum opus manuum penitus prætermitterent, quod juſſiſſet Dominus Joannis Cap. VI. operari cibum, qui non perit. Sed & jejunium ignorabant, ſatis, dicentes, ſufficere ad mentem expurgandam, Orationem. Iidemque ad preces coibant permixti mulieribus, quod a ſanctis Chriſtianorum inſtitutis penitus abhorrebat. Quin etiam nefandum illud dogma excogitaſſe Theodoretus affirmat, ut dicerent, Sacramenta Eccleſiæ, nec prodeſſe, nec obeſſe, ſed oratione tantum peccata laxari, dæmoneſque fugari; impieque jactabant, ſe habere Baptiſmum adinſtar novaculæ, ut ſicut hæc pilos corradit, & tamen iidem ex radicibus iterum pullulant; ita poſt Baptiſmum remaneret peccatum originale, ſed perpetua Oratione, peccati radicem prorſus evelli. Hæc, & alia inſana dogmata docebant quidem Maſſiliani hæretici, a quibus haud dubie alieni ſunt hodierni vel illi Catholici, qui Oratoria frequentant, & non ita, ut debent, Chriſtiane vivunt, qui Fratres, ubi ſe ſe eis præbet occaſio, in negotio circumveniunt, qui Curios ſimulant, & bacchanalia vivunt. Arguendi hi tamen quammaxime, & juxta Chriſti monitum vitandi veluti antiqui Phariſæi, qui licet in veſtimentis ovium apparerent, intrinſecus autem erant lupi rapaces. Hujuſmodi homines, hypocritaſque ſæpe exagitat S. Hieronymus.

XIX. Jubet quinto Canon, ut *nullus in locis eiſdem, in quibus cum pace, ac quiete vota convenit celebrari, ſeditionem excitet, conclamationem moveat, impetumve committat*. Eadem plane ſunt quæ longe ante hunc Canonem ſtatuit in Lege IV. Cod. *De his, qui ad Eccleſiam confugiunt, vel ibi exclamant*, Marcianus Imperator, ſic inquiens: *Denunciamus vobis omnibus, ut in Sacroſanctis Eccleſiis, & in aliis venerabilibus locis, in quibus cum pace, & quiete vota competit celebrare, abſtineatis ab omni ſeditione: nemo conclamationibus utatur, nemo moveat tumultum, vel conventicula*. Addit tum etiam pœnam, & quidem Capitis, ſive ultimi ſupplicii: *Siquis contra hujus Edicti normam, aut egerit aliquid, aut ſeditionem movere tentaverit, ultimo ſupplicio ſubjacebit*. Putat Navarrus in Tractatu, *De Oratione*, Cap. v. per conclamationes, & impetus, quos in Eccleſia fieri Canon prohibet, intelligi tripudia, choreas, & repræſentationes; ſed errat haud dubie Auctor alias doctiſſimus, præcipue enim in ea parte loquitur Canon de conclamationibus, quæ ad ſeditionem tendunt, & de impetu, qui violentiam aliquam injuſtam inferat; fit enim ſeditio concitando plebem; unde non decet in Eccleſia fieri ſeditiones, aut conclamationes, quæ ad ſeditiones conducunt, & ex ſe Divina Officia impediunt, vel perturbant, aut impetus, quibus alteri infertur vis, atque injuſtitia. Certe in hanc noſtri Canonis partem impingunt utplurimum piarum Sodalitatum Confratres, qui ad Eccleſias ſuas, Oratoriave convenientes, ut ea pertractent, quæ ad pium ſuum ipſorum inſtitutum pertinent, invicem ſe injuriis lacerant, Domumque Dei contentionibus, & conclamationibus implent.

XX. Edicit ſexto Canon, ut *ceſſent in locis illis Univerſitatum, & Societatum quarumlibet Conſilia* (alibi, Concilia) *conciones, & publica Parlamenta*. Seculares omnes actiones arcendas ab Eccleſiis, veteres æque ac recentiores Synodi ſtatuerunt, præſertim vero Tridentina Seſſione XXII. in Decreto, *De obſervandis, & evitandis in celebratione Miſſæ*. Quod de conſiliis, ſive Conciliis ait noſter Canon in Eccleſia non peragendis, intelligitur de Secularium conciliis, & de illis, quæ ab ipſis ſecularibus pro cauſis profanis, & politicis in Eccleſia fierent; non autem de Eccleſiaſticis, ſive etiam de iis, quæ vel a ſecularibus pro aliqua cauſa pia ibidem agerentur, eo ſcilicet tempore, quo Divina Officia minime celebrantur. Porro Parlamenta publica dicuntur conventus publici de rebus publicis deliberandi cauſa coacti; de iiſque fuſe ac erudite agit Dufreſne in ſuo mediæ & infimæ Latinitatis Gloſſario, verbo, *Parlamentum*, ubi etiam pluribus allatis veterum Auctorum teſtimoniis docet, frequentiorem olim fuiſſe uſum, ut Campanæ, quam bannalem vocabant, pulſu ejuſmodi Parlamenta publica congregarentur.

XXI. Statuit ſeptimo Canon, ut in Eccleſiis *eſſent vana, & multo fortius fœda, & profana colloquia, eſſent confabulationes qualibet*. Concinit Concilium Tridentinum Seſſione XXII. in citato Decreto, *De obſervandis & vitandis &c.* ſic inquiens: *Seculares omnes actiones, & vana, atque adeo profana colloquia, deambulationes, ſtrepitus, & clamores arceantur, ut domus Dei, vere domus Orationis eſſe videatur, ac dici poſſit*. Invehuntur paſſim Patres in eum Chriſtianorum abuſum, qui in Templo Dei ſe totos in inutiles, & aniles nugas effundunt, & quod horrendum eſt, etiam in turpia, ac fœda colloquia. Dolet de hoc abuſu inter alios S. Baſilius Homilia in Pſalmum XXVIII. ubi exponens verba illa ejuſdem Pſalmi: *& in Templo ejus omnes dicent gloriam*, ita

Digitized by Google

ita mox ſubjicit: *Audiant hæc Pſalmi verba, & confuſi ſuppudeſcant, qui in Templo prolixiſſima intertexunt colloquia. Quid dicit Pſalmus? Qui in Templo Dei eſt, non maledicentiam, non vanitatem, ac ne obſcœnis rebus diſertos ſermones pronunciet, ſed in Templo ejus quiſque dicat gloriam. Aſſiſtunt verba deſcribentes Angeli: adeſt & Dominus affectus intrantium conſiderans: preces cujuslibet Deo manifeſtæ ſunt.* Eundem Chriſtianorum abuſum reſellit non uno in loco S. Joannes Chryſiſtomus, ſed audi quid ſcribat Homilia in Epiſtolam I. ad Corinthios: *Neque tonſtrina*, inquit, *aut unguentaria taberna Eccleſia eſt, aut officina forenſis, ſed locus Angelorum, locus Archangelorum, Regia Cæli, Cælum ipſum.* Carpit deinde S. Præſul omnes illos, qui ajebant, gaudere ſe cum amicis in Eccleſia confabulari, ſic dicens: *Atqui jucundum eſt loqui cum familiari. Eſto ſane, non veto, ſed domi, ſed foris, ſed in balneis fiat. Eccleſia enim non diſceptandi, ſed diſcendi locus eſt.*

XXII. Præterea mandat Canou, ut *ſint poſtremo quæcumque alia, quæ Divinum poſſunt turbare Officium, aut oculos Divinæ Majeſtatis offendere, ab ipſis prorſus extranea*; rationemque mox eam ſubjicit: *Ne ubi peccatorum eſt venia poſtulanda, ibi peccandi detur occaſio, aut deprehendantur peccata committi.* Jam non deſunt, qui docent, prohibitionem uoſtri Canonis de confabulationibus in Eccleſia non habendis, non eſſe quidem intelligendam de honeſtis confabulationibus, aut actionibus, quæ fierent extra tempus, quo Divina Officia celebrantur, quia non ſemper tenemur eſſe in Templo, ut in Templo. Ita Suarez Tomo I, *De Religione*, Tractatu II. Lib. III. Cap. VI. Hinc non prohibetur, ubi ſcilicet Officia ipſa Divina minime celebrantur, nec Orationes piarum perſonarum, aut Prædicationes impediuntur, non prohibetur inquam haberi in Eccleſia actus ſcholaſticos, Scholareſque laurea Doctorali inſigniri, quia nimirum ſcientia non modo eſt res honeſta, ſed & ſanctiſſima res eſt, uti poſt alios docet Paſſerinus in citato Capite, *Decet*. Porro commendandus eſt uſus ille amovendi ſcilicet Euchariſticum Sacramentum e Tabernaculo, ubi nempe ſcholaſtici ipſi actus in Eccleſia peraguntur.

XXIII. Jubet etiam Canon, *ut ceſſent in Eccleſiis, eorumque Cæmeteriis negotiationes, & præcipue nundinarum, ac Fori cujuſcumque tumultus: omnis in eis ſecularium Judiciorum ſtrepitus conquieſcat: nulla inibi cauſa per Laicos, criminalis maxime agitetur: ſint loca eadem a Laicorum cognitionibus aliena.* Duplici cauſa negotiationes, & nundinæ debent ceſſare in Eccleſia; primo, quia hujuſmodi negotiationes, præſertim ubi permanenter merces expoſitæ ſunt, non fiunt ſine concurſu, clamore, & ſtrepitu, & ſine Divinorum Officiorum impedimento; ſecundo, quia vix exerceri ipſæ negotiationes poſſunt ſine multiplici culpa emtoribus ac venditoribus familiari. Certe notum eſt Chriſti Domini exemplum in Evangelio S. Joannis, Cap. II. expreſſum, ubi dicitur ejeciſſe Chriſtum e Templo, & quidem flagello facto ex funiculis, omnes vendentes, & ementes boves, & columbas. Notat S. Auguſtinus Tractatu X. in Joannem, licet magnum non eſſet peccatum, ſi ea animalia, quæ uſui erant Sacrificiis illius temporis, vendebantur in Templo, ut offerentur in Templo, ejeciſſe tamen Chriſtum de Templo hujuſmodi negotiatores, quod Orationis Domum facerent Domum negotiationis. Quamobrem puto, reprehenſione dignum abuſum illum vendendi emendique in Templis precatorias coronas, ut vocant, aliaque id genus pietatis indicia. Scio, non deeſſe Auctores a Paſſerino allatos, qui docent, vendere in Eccleſia candelas principaliter ad pium uſum ſine clamore, & ſtrepitu, & deceptione, aut injuſtitia, non eſſe illicitum. Sed non adhæreo huic ſententiæ, non enim decet Domum Dei, quæ Domus Orationis eſt, ea negotiatio quamvis honeſta. Ut tandem alios omittam, ait Navarrus in Tractatu, De *Oratione*, Cap. V. laudabilem in hoc eſſe & ſtylum illum ponendi candelas in vaſculo aliquo, ex quo illas excipiunt, qui eaſdem offerre volunt, & ipſi in vaſe pretium ponunt. Verum laudabilius puto, quod hic ſtylus minime hodie ſervetur, optandumque eſſet, ut & ille alius ſtylus, ſeu mos omnino tollatur, qui alicubi viget per totam Commemorationis Defunctorum Octavam ponendi in circulo ferreo candelulas, quas mulieres præſertim, ſoluta prius Miniſtris Eccleſiæ pecunia, faciunt in ſuorum mortuorum ſuffragium accendere.

XXIV. Quod tandem Judicia ſecularia ſpectat, Cauſaſque præſertim criminales, aliena eſſe debere ab Eccleſiis, earumque Cœmeteriis, expreſſe edicit hic Canon; notantque Doctores, non poſſe in iis locis fieri proceſſus, neque exerceri actus Fori Judicialis, neque proferri ſententiam maxime in Cauſa criminali; itemque non poſſe erigi Tribunal, neque aliquem actum Judicialem haberi etiam in Judicio, quod ſummarium vocant; quia ſcilicet Eccleſiam non decet Fori cujuſcumque tumultus. Ceterum quum noſtro hoc Canone expreſſe prohibetur *omnis ſecularium Judiciorum ſtrepitus*; hinc deduci poteſt, non prohiberi proceſſus, & ſententias a Judicibus Eccleſiaſticis in Cauſa Eccleſiaſtica latas, ſicut nec vetatur haberi in Eccleſiis Concilia tam Diœceſana, quam Provincialia, ac Generalia, ſeu alias cognoſci Cauſas Eccleſiaſticas, ut ſcite advertit Gloſſa in citato Capite, *Decet*; & eſt communis Doctorum ſententia, quæ quidem tunc habere locum poteſt, ubi Divina Officia in ipſis Eccleſiis minime peraguntur, tunc enim nec liceret ibidem vel ipſum Concilium celebrari.

XXV. Statuit demum pœnas Canon adverſus noſtri hujus Canonis violatores, atque primum, ut Ordinarii locorum ea, quæ eodem Canone continentur, *faciant obſervari, ſuadenda ſuadeant, & interdicta hujus Canonis auctoritate compeſcant: ad hoc alios etiam in Eccleſiis ipſis magis aſſiduos, & ad præmiſſa idoneos deputando.* Notat Gloſſa, ſuadenda ea intelligi quæ edicit Canon uſque ad §. *Nullus in locis eiſdem &c.* additque mox etiam, poſſe ipſos Ordinarios locorum etiam per Cenſuras immunitatem Eccleſiæ tueri circa ea, quæ fieri in Eccleſiis eſt interdictum. Sed & diligenter inſpici debet quis ſit ſenſus horum verborum: *Ordinarii locorum hoc faciant obſervari.* Et quidem licet iſtud pronomen *hoc* numeri ſingularis referri videatur ad illud ſolum a Concilio prohibitum, ad negotiationes ſcilicet, & proceſſus in Eccleſia minime peragendos, referri tamen omnino debet ad totum id in Decreto contentum per modum unius, uti exponit Paſſerinus, qui etiam ſcite advertit, ſpecialiter in recitato Canone proceſſus, & ſententias

Digitized by Google

tentias ſecularium Judicum in Eccleſias latas irritari; ſic etenim inquit Canon: *Et nihilominus Proceſſus Judicum Secularium, ac ſpecialiter prolatæ ſententiæ in eiſdem locis omni careant robore firmitatis*. Ceterum cum de Proceſſibus, ac Sententiis loquatur Canon, notat Gloſſa, valere quidem contractus in Eccleſia initos, licet peccent contrahentes: *Nam cum tantum Proceſſus, & Sententias Judicum irritet, & pœnalis ſit Conſtitutio, pœnam non extendam*, inquit Gloſſa, citatque Textum in Capite, *In pœnis*, *De Regulis Juris*, in VI.

XXVI. Siquis autem hic roget, cur Canon pœnam nullitatis impoſuit Proceſſibus, & Sententiis a Judicibus laicis in Eccleſia latis, non vero negotiationibus tumultuoſis, & publicis, ſeu etiam aliis, quæ ceſſare debere in Eccleſia dixit? Reſpondet Paſſerinus, voluiſſe Pontificem compeſcere Poteſtatis laicalis violentiam. Quod ſi quis iterum quærat, cum judicare, & juſtum decernere intra Eccleſiam, ſit res indifferens, & laicalia Judicia ſicut Eccleſiaſtica exerceri poſſent in tempore quo Divina Officia non perturbentur, an ſaltem in hoc caſu ea eſſent licita? Reſpondeo licita ea minime eſſe, aut valida, quia ſcilicet expreſſe, & indiſtincte edicit Canon, Proceſſus Judicum ſecularium, ac ſpecialiter prolatas ſententias in Eccleſiis, earumque Cœmeteriis ſacris, omni carere robore firmitatis. Quinimo, ut in ipſo hoc noſtro Canone, ſeu Conſtitutione, ejus Auctor Gregorius Papa X. concludit, *qui præmiſſas inhibitiones animo petulanti contemſerint: præter proceſſum Ordinariorum, & deputandorum ab ipſis* (illorum ſcilicet, quos, uti dictum eſt, debent Ordinarii magis aſſiduos in Eccleſiis, & ad præmiſſa idoneos deputare) *Divinæ ultionis, & noſtræ poterunt acrimoniam formidare, donec ſuum confeſſi reatum, a ſimilibus firmato propoſito deliberaverint abſtinere*.

XXVII. His ita explicatis, unum eſt, quod tandem ſubjungam huic Conſtitutioni, qua tumultus, conclamationes, & *quæcunque alia quæ Divinum poſſunt turbare officium*, prohibentur, obnoxios eſſe & Pauperes petulantes, qui per Eccleſiam in Divinorum tempore Officiorum diſcurrunt, ut ab iis, qui orant, Miſſamque audiunt, eleemoſymam extorqueant. Uſus profecto antiquus fuit vel apud Hebræos uſitatus, ut pauperes non quidem in Templo, ſed ante illius fores eleemoſynam peterent, idque in primis conſtat ex Cap. III. Actuum Apoſtolorum, ubi habetur, claudum, quem ſanavit S. Petrus, poni conſueviſſe *quotidie ad portam Templi, quæ dicitur Speciosa, ut peteret eleemoſynam ab introeuntibus in Templum*. Idem fuit, & apud veteres Chriſtianos mos teſte S. Joanne Chryſoſtomo non uno in loco, præſertim vero Homilia XXVIII. ad Populum Antiochenum: *Ante Eccleſias*, inquit, *præ foribus pauperes ſedent, ut nos ex hujuſmodi ſpectaculo capiamus multum utilitatis*.

XXVIII. Hanc diſciplinam, cujus & alii antiqui Scriptores teſtes ſunt, ſervandam æque Synodi ſacris Canonibus, ac Summi Pontifices repetitis Edictis ſuis, quammaxime inculcant. Verum adeo petulantes, atque irreverentes ſunt hodierni pauperes, ut nec vereantur per Eccleſiam mendicare, in eaque orantes moleſtia afficere, etiam cum Sacra Euchariſtia publicæ Fidelium venerationi eſt ſuper Altari expoſita, vel cum a Sacerdote in Miſſa oſtenditur; cnactuſque ſui non ſemel a Sacra Sede Confeſſinnali ſurgere, illoſque ab Eccleſia ejicere, fortaſſeque una eſt S. Hieronymi Charitatis in tota Urbe Eccleſia, in qua vix inſolentes mendici pauperes conſpiciuntur. Legenda præ ceteris Sanctiſſimi Pontificis Pii V. Conſtitutio, quæ incipit, *Cum primum*, ubi ſub variis pœnis Miniſtris præcipit, ne ſinant pauperes per Eccleſias mendicare præſertim quo tempore Conciones, Miſſæ, vel alia Divina Officia peraguntur. Hanc Conſtitutionem renovarunt paſſim ſequioris ævi Pontifices.

## C A N O N XXVI.

Uſurarum voraginem, quæ animas devorat, & facultates exhaurit, compeſcere cupientes, Conſtitutionem Lateranenſis Concilii contra uſurarios editam, ſub Divinæ maledictionis interminatione præcipimus inviolabiliter obſervari. Et quia quo minor fœnetatoribus aderit fœnerandi commoditas, eo magis adimetur fœnus exercendi libertas: hac generali Conſtitutione ſancimus, ut nec Collegium, nec alia Univerſitas, vel ſingularis perſona, cujuſcunque ſit dignitatis, conditionis, aut ſtatus, alienigenas, & alios non oriundos de Terris ipſorum, publice pecuniam fœnebrem exercentes, aut exercere volentes ad hoc Domos in Terris ſuis conducere, vel conductas habere, aut alias habitare permittant; ſed hujuſmodi uſurarios manifeſtos omnes infra tres menſes de Terris ſuis expellant, nunquam aliquos tales de cetero admiſſuri. Nemo illis ad fœnus exercendum domos locet, vel ſub alio titulo quocunque concedat. Qui vero contrarium fecerint, ſi perſonæ fuerint Eccleſiaſticæ, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Suſpenſionis; minores vero perſonæ ſingulares, Excommunicationis; Collegium autem, ſeu alia Univerſitas, Interdicti ſententiam ipſo facto ſe noverint incurſuros. Quam ſi per menſem animo ſuſtinuerint indurato, Terræ ipſorum, quandiu in eis iidem Uſurarii commorantur, ex tunc Eccleſiaſtico ſubjaceant Interdi-

terdi-

terdicto. Ceterum ſi laici fuerint, per ſuos Ordinarios ab hujuſmodi exceſſu, omni privilegio ceſſante, per Cenſuram Eccleſiaſticam compeſcantur.

## COMMENTARIUS.

I. Canonem xxv. Concilii III. Œcumenici Lateranenſis contra fœneratores latum ac fuſe a nobis jam Tomo III. explicatum, quo ſtatutum fuerat, ut *Uſurarii manifeſti, nec ad Communionem admittantur Altaris, nec Chriſtianam, ſi in hoc peccato deceſſerint, accipiant Sepulturam, ſed nec eorum Oblationem quiſquam accipiat*, renovat hoc Canone Gregorius Papa X. eumque *ſub divinæ maledictionis interminatione inviolabiter obſervari* præcipit. Tum vero cupiens & ipſe uſurarum voraginem, quæ animas devorat, & facultates exhaurit, compeſcere, generali nova ſua Conſtitutione ſancit, *ut nec Collegium, nec alia Univerſitas, vel ſingularis perſona cujuſcumque ſit dignitatis, conditionis, aut ſtatus, alienigenas, & alios non oriundos de Terris ipſorum publice pecuniam fœnebrem exercentes, aut exercere volentes ad hoc domos in Terris ſuis conducere, vel conductas habere, aut alias habitare permittant; ſed hujuſmodi uſurarios manifeſtos omnes infra tres menſes de Terris ſuis expellant, nunquam aliquos tales de cetero admiſſuri*. Relatus eſt hic Canon, ſeu Conſtitutio in Cap. 1. *De uſuris*, in VI. ubi Gloſſa citans Franciſcum Canoniſtam antiquum, illud nos primum docet, quod nempe *hæc Conſtitutio facto fuit propter Florentinos, Senenſes, Piſtorienſes, Lucanos, Aſtenſes, qui circuibant diverſas Provincias ad exercendum uſuras immoderatas; & quia per multos Prælatos, & Principes recipiebantur, ideo hic proviſum*.

II. Providit autem Pontifex, ubi nova hac Conſtitutione præcepit omnibus Dominis, atque Univerſitatibus Terrarum, ne in Terris ſuis permitterent, *alienigenas, & alios non oriundos de Terris ipſorum*, in ipſis Terris conducere domos, aut conductas habere, aut alias habitare ad exercendum fœnus. Alienigena dicitur is, qui in alia genitus eſt patria, ſed in præſenti accipitur pro eo qui genitus eſt in Terra, quæ non eſt ejus dominii ad quod ſe transfert juxta ſententiam Canoniſtarum complurium, quos citat Sylveſter in ſua Summa, verbo, *Excommunicatio* IX. Num. LX. ac præſertim laudati Franciſci; qui ait, ſe hoc *habuiſſe a Compoſitoribus hujus Conſtitutionis apud Lugdunum*. Notat autem & illud Sylveſter, quod non eſt idem eſſe ſub eodem Domino, & ſub eodem dominio, quia aliquando ſub eodem Domino ſunt diverſa dominia, puta Regnum Aragoniæ, & Granatæ ſub eodem Hiſpaniæ Rege. Hæc ergo Conſtitutio non extenditur ad indigenas ſecundum Gloſſam, quæ etiam hanc rationem adducit, *quia majus ſcandalum eſt in alienigena uſuras exercente, quam in indigena; & minus ſcandalum in expulſione illius, quam iſtius*.

III. Vetitum itaque eſt, uſurariis manifeſtis, & alienigenis locare domos, vel eas commodare, ſive titulo depoſiti, donationis, venditionis precarii, pignoris, *vel ſub alio titulo quocunque* concedere, non quidem quomodocumque, ſed uti dictum eſt, ad fœnus exercendum, uti communiter Canoniſtæ docent in Cap. 1. *De uſuris*, in VI. Bene autem inter alios advertit Franciſcus, quod licet pœnas hujus Conſtitutionis minime incurrat qui uſurario manifeſto & alienigenæ locat domum ad ſolam habitationem, vel ad aliam honeſtam negotiationem, intelligi tamen hoc debeat, modo uſurarius ſub alio quæſito colore uſuram non exerceat, puta vendendo mercem ſub certo pretio petenti pecuniam, quam mercem poſtea ille ſtatim recuperat ſub minori pretio. Hoc enim eſt uſuram exercere; meritoque damnata eſt tandem anno MDCLXXIX. inter alias depravatæ Moralis opiniones ab Innocentio Papa XI. hæc propoſitio numero quadrageſima: *Contractus Moathro licitus eſt etiam reſpectu ejuſdem perſonæ, & cum contractu retrovenditionis prævie inito cum intentione lucri*. Dicitur Contractus Moathra, quando quis egens pecunia, emit pecunia credita a mercatore merces ſummo pretio, & ſtatim ei pecunia numerata pretio infimo revendit. Porro docet poſt Gloſſam Sylveſter, jam nec ab eo pœnam noſtræ hujus Conſtitutionis incurri, qui locavit domum alicui uſurario, quem uſurarium ignorabat, ſicut nec ille, qui domum alicui locavit, non quidem ad exercendum fœnus, ſed ad habitandum, licet in alia domo fœnus exerceat; & ratio eſt, quia Conſtitutio pœnalis eſt, & conſequenter reſtringenda.

IV. Quantum ad pœnas, quas locantes prædictis uſurariis domos, vel eos intra tres menſes de Terris ſuis non expellentes incurrunt, diſtinguit Canon ſeculares ab Eccleſiaſticis in tres claſſes; ſicque pro Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis pœnam ſuſpenſionis imponit; pro inferioribus vero, & ſingularibus perſonis, excommunicationis, pro Collegiis vero, aut aliis Univerſitatibus, Interdicti. Epiſcopi itaque, & ſuperiores Prælati ſuſpenſionis Cenſura mulctantur, quam etiam de ſuſpenſione ab Officio, & Beneficio Suarez intelligit in Tractatu, *De Cenſuris*, diſputatione XXX. Sectione V. Num. XV. eſtque id magis conforme noſtro huic Canoni, qui abſolute ipſis Epiſcopis, Præſulibuſque ſuperioribus ſuſpenſionem imponit. Aliæ perſonæ privatæ excommunicatæ dicuntur, atque Univerſitates, uti jam dictum eſt, ipſo facto interdictæ; ita tamen, ut ſi iſti Superiores, & Univerſitates Eccleſiaſticæ per menſem Cenſuram ſuſtinuerint, etiam Terræ illarum ſint Eccleſiaſtico Interdicto ſuppoſitæ: Terræ ſcilicet Prælatorum, Collegiorum, & Univerſitatum, ipſorum Juriſdictioni ſubjectæ, ut notat Gloſſa in citato Capite 1. *De uſuris*, in VI. Ceterum licet aliqui, nempe Archidiaconus, & Ancharanus extendant eam Interdicti pœnam ad Univerſitates etiam ſeculares, hæc tamen opinio aperte Canoni huic noſtro repugnat, qui expreſſe loquitur de ſolis Eccleſiaſticis, uſque ad verſum, *Ceterum ſi Laici*; & ideo ſolas Eccleſiaſticas Univerſitates ex vi hujus Canonis eſſe interdictas, dixerunt Gloſſa, Joannes Andreas, Sylveſter, aliique citati a Paſſerino in dicto Cap. 1. Quantum denique ad Laicos, nulla eſt eis impoſita Cenſura ipſo jure, ſed dicitur, eos per Cenſuras eſſe compellendos, prævia ſcilicet monitione, uti in eodem Cap. 1. idem Joannes Andreas, aliique Canonici Juris Interpretes notant.

CA-

# C A N O N XXVII.

Quamquam Uſurarii manifeſti de uſuris, quas receperint, ſatisfieri expreſſa quantitate, vel indiſtincte in ultima infirmitate mandaverint; nihilominus tamen eis Sepultura Eccleſiaſtica denegetur, donec vel de uſuris ipſis fuerit, prout patiuntur facultates eorum, plenarie ſatisfactum, vel illis, quibus eſt facienda reſtitutio, ſi præſto ſint ipſi, aut aliis, qui eis poſſint acquirere, vel eis abſentibus, Loci Ordinario, aut ejus Viceſgerenti, ſive Rectori Parochiæ, in qua teſtator habitat, coram aliquibus fide dignis de ipſa Parochia: quibus quidem, Ordinario, Vicario, & Rectori, prædicto modo cautionem hujuſmodi, eorum nomine, liceat præſentis Conſtitutionis auctoritate recipere: ita quod illis perinde actio acquiratur, aut ſervo publico de ipſius Ordinarii mandato idonee de reſtitutione facienda ſit cautum. Ceterum ſi receptarum uſurarum ſit quantitas manifeſta, illam ſemper in cautione prædicta exprimi volumus, alioquin aliam recipientis cautionem hujuſmodi arbitrio moderandam. Ipſe tamen ſcienter non minorem, quam veriſimiliter creditur, moderetur; & ſi ſecus fecerit, ad ſatisfactionem reſidui teneatur. Omnes autem Religioſos, & alios, qui manifeſtos Uſurarios contra præſentis Sanctionis formam ad Eccleſiaſticam admittere auſi fuerint Sepulturam, pœnæ in Lateranenſi Concilio contra Uſurarios promulgatæ ſtatuimus ſubjacere. Nullus manifeſtorum Uſurariorum teſtamentis interſit, aut eos ad Confeſſionem admittat, ſive ipſos abſolvat, niſi de uſuris ſatisfecerint, vel de ſatisfaciendo pro ſuarum viribus facultatum præſtent, ut præmittitur, idoneam cautionem. Teſtamenta quoque manifeſtorum Uſurariorum aliter facta non valeant, ſed ſint irrita ipſo jure.

## C O M M E N T A R I U S.

I. ITerum & hoc Canone Gregorius Papa X. Uſurarios manifeſtos compeſcit, & ubi in præcedenti Canone ſolos alienigenas tetigit, & ne exigantur uſuræ providit; hic omnes manifeſtos Uſurarios coercet, & ut *exactæ* reſtituantur, providet. Qui ſint Uſurarii manifeſti, jam alias diximus. Patres Concilii Colonienſis anni MCCLXXX. Canone XIV. manifeſtos Uſurarios eſſe dicunt, & vocant, *qui per ſententiam, vel confeſſionem factam in jure, vel evidentiam rei, quæ tergiverſatione celari non poteſt, comprobantur*. Statuit ergo primum de his Pontifex, ut *quamquam de uſuris, quas receperint, ſatisfieri expreſſa quantitate, vel indiſtincte, in ultima infirmitate mandaverint, nihilominus tamen eis Sepultura Eccleſiaſtica denegetur, donec de uſuris ipſis fuerit, prout patiuntur facultates eorum, plenarie ſatisfactum &c.* Ex vi Conſtitutionis Alexandri Papæ III. quæ habetur in Canone XXV. Concilii III. Generalis Lateranenſis, jam non privabantur Sepultura Eccleſiaſtica Uſurarii manifeſti, niſi in uſuræ peccato deceſſiſſent, adeoque niſi mandaſſent, ut exactæ uſuræ reſtituerentur. At vero Gregorius X. ea Alexandri Papæ III. diſpoſitione non contentus, nova hac ſua Conſtitutione voluit, ut non ſufficiat, quod Uſurarius mandet uſuras reſtitui, ſed quod vel eas ſolvat, vel det idoneam cautionem de illis ſolvendis, privandus alias Eccleſiaſtica Sepultura, & validitate ſui teſtamenti.

II. Sane vult hic noſter Canon, ut Uſurariis manifeſtis *Sepultura Eccleſiaſtica denegetur, donec vel de uſuris ipſis fuerit, prout patiuntur facultates eorum, plenarie ſatisfactum, vel illis, quibus eſt facienda reſtitutio, ſi præſto ſint ipſi, aut aliis, qui eis poſſint acquirere*, quales ſunt filii in poteſtate exiſtentes, ſervi proprii, itemque illi, in quibus habemus uſumfructum, vel ſervi alieni, aut liberi homines, quos bona fide poſſidemus, ut ſervos. Hi enim ſunt, per quos nobis acquiri poteſt juxta Textum in Lege, *Acquiritur*, ff. *De acquirendo rerum dominio*, & videri poteſt Titulus IX. Libro II. Inſtitutionum Juris Civilis, qui inſcriptus eſt, *Per quas perſonas nobis acquiritur*. Primum itaque reſtitutio facienda eſt ei, a quo aliquid injuſte eſt acceptum, ſi dominus illius erat, ſive juſtus poſſeſſor, vel adminiſtrator, aut cuſtos, ut Theologi communiter docent; defuncto autem rei injuſte acceptæ domino, reſtitutio fieri debet ejus hæredibus: ſi nulli compareant legitime, poſt diligentem inquiſitionem, in pios uſus, maxime ad pauperum neceſſitatem ſublevandam converti debet, ſicut & eorum bonorum, quorum incertus, vel ignotus eſt dominus. Ita plane docet Sanctus Thomas in Secunda Secundæ, Quæſtione LXII. Articulo V. in Reſponſione ad III. *Si ille*, inquit, *cui debet fieri reſtitutio, ſit omnino ignotus, debet homo reſtituere ſecundum quod poteſt, ſcilicet dando in eleemoſynas pro ſalute ipſius, ſive ſit mortuus, ſive ſit vivus: præmiſſa tamen diligenti inquiſitione de perſona ejus, cui eſt re-*

*ſtitutio facienda. Si vero ſit mortuus ille, cui eſt reſtitutio facienda, debet reſtitui hæredi ejus, qui computatur quaſi una perſona cum ipſo.* Ubi nulla, vel miuime ſufficienti facta inquiſitione veri domini, vel ejus hæredis, bona in pios uſus quis converteret, reſtitutionis ouere eum nequaquam liberari, ſed cognito poſtea domino teneri bona ipſa in integrum reſtituere, docet nos in Capite, *Sicut dignum, De homicidio*, Alexander Papa III. qui de iis loquens, qui bona S.Thomæ Cantuarienſis Archiepiſcopi poſt ejus Martyrium occupaverant, ita inquit: *Qui occupaverunt, eis, quorum fuerunt, tenentur in integrum reſtituere, ſi habent in facultatibus, unde poſſint ea reddere: quia licet quædam ex his, quæ occupaverunt, fateantur, ſe pauperibus erogaſſe, non tamen aliena, cum ipſa potuiſſent eis, quorum fuerint, reſtituere, debuerunt pauperibus erogare.*

III. Confirmant hanc doctrinam variæ Synodi, inter quas legi poteſt, quod de ea re ſtatuit Provincialis Beneventana Synodus ſub Hugone II. Guidardin Beneventi Archiepiſcopo habita anno MCCCXLVII. Titulo VI. Cap. XII. & duobus ſequentibus, quibus inter alia edixit, ut quum dominus, vel ejus hæredes diligenter inquiſiti, & expectati, non inveniuntur, tunc de licentia proprii Epiſcopi, *ſi res illa exceedat valorem decem carlenorum*, & ſi eam ſummam non excedat, *cum licentia, & conſilio Archipresbyteri, vel Sacerdotis Parochialis*, res ipſa *diſtribuatur in pias cauſas, & maxime in pauperibus, ad ſalutem animæ illius, cujus fuit.* Juſſit tamen laudata Synodus, *quod dicti Archipresbyteri, & Sacerdotes ſic arbitrentur, ut nihil penitus ad eorum manus, ſeu utilitatem propriam deveniat, aut convertatur.* Hinc reprehenſione digni quammaxime ſunt Sacerdotes nonnulli, qui etiam ubi certi ſunt domini, vel eorum hæredes, bona eiſdem ablata faciunt, ut pœnitentes ſui illorum raptores detentoreſque, in elemoſynas Miſſarum, vel in Templi ornatum, aut in ſuum proprium commodum impendant. Iniquum id plane eſt, tenenturque haud dubie ipſi talia conſulentes ad reſtitutionem. Ceterum ubi incerti ſunt domini, debere bona ablata potius ad ſublevandam pauperum neceſſitatem converti, quam in Templorum ornatum, innumeris pene Patrum locis probari poſſet, qui etiam compluries ſacra ipſa vaſa in pauperum uſus fregere; ſatiſque erit ſi de hac re legatur, quod ſcribit S. Ambroſius Libro II. *De Officiis*, Cap. XXVIII.

IV. Sed hiſce omiſſis, pergit noſter Canon, & ait, quod ubi memoratæ perſonæ, ideſt, domini, aut alii qui eis poſſent acquirere, non adeſſent, fieri debeat reſtitutio *Loci Ordinaris, aut ejus Viceſgerenti, ſive Rectori Parochiæ, in qua teſtator habitat, coram aliquibus fide dignis de ipſa Parochia.* Nnmine Ordluarii in hoc Canone venit nedum Epiſcopus, ſed quicumque Prælatus etiam inferior Epiſcopo, qui habeat proprium Territorium ſeparatum, & exemtum, juriſdictionemque in eo quaſi Epiſcopalem habeat; imo Gloſſa, aliique id etiam extendunt ad Decanum, & ad Archipresbyterum, & Abbatem, qui alias de conſuetudine juriſdictionem in ſpiritualibus haberent. Varia de ipſo loci Ordinario, Viceſgerente, ac Rectore Parochiæ, quorum noſter hic Canon meminit, docet ad rem noſtram Paſſerinus, in Cap. *Quamquam*, II. *De uſuris*, in VI. Quicquid autem de iis ſit, vult & illud Gregorius Papa, ut ipſis quidem *Ordinario, Vicario, & Rectori, prædicto modo cautionem hujuſmodi, eorum nomine*, quibus ſcilicet reſtitui acceptum ex uſuris debet, *liceat præſentis Conſtitutionis auctoritate recipere; Ita quod illis perinde actio acquiratur, aut ſervo publico de ipſius Ordinarii mandato idonee de reſtitutione facienda ſit cautum.* Servus publicus hoc loco idem eſt, ac Tabellio, ideſt, Notarius; appellatur autem eo nomine, quod publicum exerceat officium, non quod ſit ſervus publicus, ut ex Lege *Generali*, Cod. *De Tabulariis &c.* Lib. X. Porro Tabellio, ſeu Notarius, uti ſcite obſervat Gloſſa in dicto Cap. II. non acquirit hoc caſu actionem extraneo ex ſua ſtipulatione, niſi eam faciat *de ipſius Ordinarii mandato.* Cautio autem illa idonea dicitur, quæ fit per pignora, vel fidejuſſores, ubi ſcilicet dari queant; alias jurabit, ſe facturum, quod cavet.

V. Duo adhuc ſunt, quæ de ipſa cautione decernit Pontifex. Primum eſt, *ſi receptarum uſurarum ſit quantitas manifeſta, illam ſemper in cautione prædicta* exprimendam; *alioquin aliam recipientis cautionem hujuſmodi arbitrio moderandam.* Alterum eſt, ut qui cautionem ipſam moderatur, *ſcienter non minorem, quam veriſimiliter creditur, moderetur; & ſi ſecus fecerit, ad ſatisfactionem reſidui teneatur*, ideſt, propter ſui malitiam parti læſæ reſarcire tenetur, litemque ſuam facit, ut notat Gloſſa, quæ etiam docet, quod ubi nullam quantitatem moderatur, tunc tenetur in totum; nam & reſidui commemoratio totum admittit. Caute ergo faciet, ſi in cautione certam veriſimilem exprimet quantitatem, & præterea adjicit, quod etiam ultra illud ſatisfaciet, in quantum conſtabit, eum uſurarum ratione teneri. Ceterum, in ipſa expreſſione, & moderatione quantitatis de qua noſter Canon loquitur, conſiderare Judex debet, quanto tempore ille uſuras exercuerit, & quantum tunc habet in bonis, quantumque habebat tempore quo fœnerari incœpit; & ſuper hoc conſiderabitur etiam ſama viciniæ, & an alias mercationes exercuerit; & an in eis fortuna ei proſpere cœperit; itemque, an fuerit improbus exactor, an Curialis fœnerator; hæ enim, & aliæ ſimiles circumſtantiæ ſunt circa hoc negotium conſiderandæ, & ſecundum eas magis, vel minus arbitrandum.

VI. Longum eſſet varias eam in rem quæſtiones diſcutere: videri hæ plane poſſunt, ſuſe ac ſolide explicatæ a laudato Paſſerino loco citato, & a Sylveſtro in Summa, verbo *Uſura*, IX. Quod ergo ſpectat alteram noſtri Canonis partem, ſtatuit ipſe Gregorius Papa, *omnes Religioſos, & alios, qui manifeſtos Uſurarios contra præſentis ſanctionis formam, ad Eccleſiaſticam admittere auſi fuerint ſepulturam, pœnæ in Lateranenſi Concilio contra Uſurarios promulgatæ ſubjacere*: Suſpenſionis ſcilicet pœnæ, uti habetur in Canone XXV. Concilii III. Generalis Lateranenſis, ad quem noſter hic Canon alludit. Verum hodie ex Clementina I. *De Sepulturis*, ſepelientes, ipſi excommunicati ſunt ipſo facto, non obſtantibus exemtionibus, vel privilegiis. Sepelientium nomine jam non modo tumulantes, ſed etiam Clericos portantes cereos, comitantes, aſportantes funus, aperientes, ac fodientes ſepulcrum, alioſque hujuſmodi intelligi, Auctores pleriqun aſſerunt: Eccleſiaſticam vero ſepulturam

eam

eam eſſe Scriptores docent, quæ habetur in loco Sacro ad ſepeliendos Fideles deputato. Ita plane inter alios tradit Suarez, *De Cenſuris*, Cap. II. Diſputatione XII. Sectione IV. Num. XIII.

VII. In tertia tandem hujus noſtri Canonis parte tres aliæ pœnæ ſtatuuntur adverſus ipſos Uſurarios manifeſtos. Prima eſt, ut *nullus manifeſtorum Vſurariorum teſtamentis interſit*; Altera vero, ut *teſtamenta quoque* manifeſtorum Uſurariorum *aliter facta*, ideſt, non præmiſſa reſtitutione, aut idonea cautione, *non valeant*, *ſed ſint irrita ipſo jure*. Id quud etiam verum eſt, ſi teſtamentum conditum fuit, antequam teſtator exerceret manifeſte uſuras, quia ſcilicet illud eſt teſtamentum Uſurarii, quod morte firmatur & perficitur, & tempore mortis nou habuit quod ad Teſtamenti valorem requiritur. Docent hæc paſſim Scriptores ubi de uſuris tractant, adduntque alii, quod nec Princeps Laicus poteſt hujuſmodi teſtamentum validare. De codicillis an valeant, ſi ab Uſurariis facti ſint, quæſtio eſt inter Doctores. Sed dicendum, nec ipſos valere, ſi contra formam a noſtro Canone præſcriptam conditi ſunt. Ut enim initio Canonis habetur, Pontifex ultimam voluntatem Uſurarii manifeſti reſpexit; volens, ut etiam ſi ille in ultima voluntate mandaverit, reſtitui uſuras, hoc non ſufficiat, niſi vel actu reſtituat, vel idonee de reſtitutione facienda caveat. De mente ergo Pontificis ultima voluntas, & diſpoſitio Uſurarii non eſt valida, niſi forma hujus Conſtitutionis ſervata, & ſic Pontifex accepit teſtamentum in latiori ejus ſignificatione, ut comprehendit ultimam Uſurarii manifeſti diſpoſitionem, ſive hæc fiat per teſtamentum, ſive per codicillum. Donatio quoque cauſa mortis, quæ vim habet ultimæ voluntatis ab hujuſmodi Uſurariis facta ex multorum Auctorum ſententia eſt etiam nulla, tametſi alii contrarium teneant, uti videre eſt apud Paſſerinum, alioſque Interpretes Capitis, *Quamquam*, *De Vſuris*, in VI.

VIII. Pœna tertia eſt, ut nullus Sacerdos ad audiendas ſacramentales Confeſſiones approbatus, Uſurarios manifeſtoa *ad Confeſſionem admittat*, *ſive ipſos abſolvat*, *niſi de uſuris ſatisfecerint*, *vel de ſatisfaciendo pro ſuarum viribus facultatum præſtent*, *ut præmittitur*, *idoneam cautionem*. Putat Gloſſa, Uſurarium neque ad Confeſſionem a Sacerdote admitti poſſe, ob illam dictionem *ſive* in Canone poſitam, quo prohibetur, ut nullus Uſurarios manifeſtos *ad Confeſſionem admittat*, *ſive ipſos abſolvat*. Sed hæc opinio merito dura viſa eſt aliis Canonis hujus expoſitoribus; quod enim Uſurarii Confeſſio audiatur, utile profecto eſt tam Uſurario, quam ejus creditoribus, quia ſcilicet Confeſſarius Uſurarium illum confitentem hortari poteſt, ut reſtituat, quod injuſte accepit. Ceterum quod Canon utatur ea dictione *ſive*, dicunt nonnulli, quod ſumſit eam, ut eſt declarativa. Et ſic ſenſus eſt, ut Uſurarius non ſervata forma præſcripta, non admittatur ad perfectam Confeſſionem itaut abſolvatur. De uſuris jam unn unn in loco egimus nos in Commentariis noſtris ad Synodos præcedentes; qui autem plura ſcitu digna deſiderat, legere præ aliis poteſt aureum Tractatum, *De Synodo Diœceſana*, quem non ita pridem veluti pretioſum totius Eccleſiaſticæ diſciplinæ theſaurum, communi Theologorum, & Canoniſtarum utilitati, publici juris fecit Sanctiſſimus Dominus Noſter BENEDICTUS XIV. Libro VII. Capite XLVII.

IX. Sane variis doctis zelantibuſque Auctoribus ſcribendi Tractatus, *De uſuris*, occaſionem dedit noſtra hac tempeſtate Marchionis Scipionis Maffei Opuſculum vulgari Idiomate exaratum, cui Titulus, *Dell'impiego del danaro*. Cum enim is Auctor turpem illam a ſanioris doctrinæ Theologis alias improbatam opinionem, quæ permittit moderatum lucrum ex Mutuo a divite, & negotiatore exigi poſſe, iterum refricare non dubitaret, idem Sanctiſſimus Dominus Noſter BENEDICTUS Papa XIV. de Chriſtiana & Litteraria Republica ob eximiam pietatem, eruditionemque profundam, quibus ejuſdem Opera ſole clariora referta ſunt, optime meritus, ne Catholicæ doctrinæ puritas, cujus depoſitum ei uti Pontifici Maximo, & Apoſtolorum Principis Succeſſori a Chriſto Domino, cujus vices in Terris agit, concreditum eſt, ea erroris labe fœdaretur, datis ad Italiæ Epiſcopos Encyclicis Litteris die 1. Novembris MDCCXLV. hæc inter cetera declaravit. Primo, omne lucrum ex Mutuo ratione Mutui uſurarium, & illicitum eſſe: ſecundo, ad uſuræ labem purgandam, nullum arceſſiri poſſe ſubſidium, vel ex eo quod id lucrum non exceſſivum, & nimium, ſed moderatum; non magnum, ſed exiguum ſit, vel ex eo quud is, a quo id lucrum ſolius cauſa Mutui depoſcitur, non pauper, ſed dives exiſtat, nec datam ſibi Mutuo ſummam relicturus otioſam, ſed ad fortunas ſuas amplificandas, vel novis coemendis prædiis, vel quæſtuoſis agitandia negotiis, utiliſſime ſit impenſurus: tertio, quamquam una cum Mutui contractu poſſint quandoque alii tituli, ut ajunt, forte concurrere ipſi Mutuo extrinſeci, e quibus juſta oriatur cauſa aliquid ultra ſortem ex Mutuo debitam exigendi; attamen falſo & temere affirmari Pontifex dicit, ejuſmodi titulos ſemper reperiri, ac ubique præſto eſſe, itaut illorum ratione, quotieſcumque pecunia, frumentum, aliudve id generis, alteri cuicumque creditur, toties ſemper liceat auctarium moderatum, ultra ſortem integram Mutuo datam ſalvamque recipere.

X. Tandem, quod idem Maffeus pro ſua conſtabilienda ſententia S. Baſilii locum ex Homilia II. in Pſalmum XIV. perperam allegavit, locum ipſum egregie vindicavit, explicuitque adverſus memoratum Auctorem præſtantiſſimus Sacræ Theologiæ Magiſter, totiuſque inclyti Baſiliani Ordinis Præſes P. D. Joſephus del Pozzo in Vita S. Baſilii Magni Italice exarata, Cap. XL. ubi ex profeſſo magno argumentorum pondere falſam memorati nuperi Auctoris Maffei Viri cæteroqui eruditi, ac Litterariæ Reipublicæ operibus ſuis noti interpretationem omnino convellit.

# C A N O N XXVIII.

Etſi pignorationes, quas vulgaris elocutio repreſalias nominat, in quibus alius pro alio prægravatur, tanquam graves, Legibus, & æquitati naturali contra-

riæ, Civili ſint Conſtitutione prohibitæ: ut tamen earum prohibitio in perſonis Eccleſiaſticis tanto amplius timeatur, quanto in illis ſpecialius inhibentur, eas concedi contra perſonas prædictas, ſeu bona ipſorum, aut quantumcumque generaliter, prætextu cujuſvis conſuetudinis, quam potius reputamus abuſum, forte conceſſas, ad illas extendi præſenti Decreto diſtrictius inhibemus. Illi autem, qui contra fecerint, adverſus perſonas eaſdem, pignorationes, ſeu repreſalias concedendo, vel extendendo ad eas, niſi præſumtionem hujuſmodi revocaverint, a conceſſionis, vel extenſionis tempore, infra menſem, ſi perſonæ ſingulares fuerint, ſententiam excommunicationis incurrant; ſi vero Univerſitas, Eccleſiaſtico ſubjaceat Interdicto.

## COMMENTARIUS.

I. Pignorationes, quæ vulgo repreſaliæ vocantur, in quibus alius pro alio prægravatur, tanquam Legibus, & æquitati naturali contrarias, Civili etiam Jure prohibitas, meritoque damnandas, contra perſonas Eccleſiaſticas prætextu cujuſvis conſuetudinis, concedi, aut extendi, prohibet hoc Canone, qui habetur in Capite unico, *De injuriis, & damno dato*, in VI. Gregorius Papa X. eaſque concedentibus, vel extendentibus, Cenſuras Eccleſiaſticas interminatur, *niſi præſumtionem hujuſmodi revocaverint a conceſſionis, vel extenſionis tempore infra menſem*. Pro intellectu hujus Canonis docet Gloſſa in dicto Capite unico, pignorationem hoc loco accipi, *quando aliud pro alio exigitur, & appellatur repreſalia; ut quando eſt guerra inter duos Principes, & fiunt treugæ, ſi aliquis ſubditus unius Principis delinquat, & non poſſit haberi juſtitia de eo apud ſuum Dominum, Princeps alterius dabit ei repreſalias, ideſt, dabit ei poteſtatem accipiendi aliquem de illa ſocietate, ſeu Patria*. Hoc malum, teſte Durando, in Italia quidem graſſabatur, potiſſimum vero in Galliis, *tempore guerrarum inter Regem Francorum, & Regem Angliæ*; ut ait Gloſſa loco citato.

II. Certe vel non multo poſt hoc Generale Lugdunenſe II. Concilium viguiſſe eum in Gallia abuſum, ut non modo Eccleſiaſticorum bona, ſed & ipſarum Eccleſiarum, in pignorationem, ſeu repreſaliam abducerentur, conſtat ex Avenionenſi Concilio anni MCCLXXIX. Can. II. ubi ſtatutum eſt, ut *ſi contingat, vel homines, vel res quaslibet, animalia quævis Eccleſiarum, ſive perſonarum Eccleſiaſticarum, ſive hominum, aut locorum ſuorum quorumlibet abduci per aliquos, aut aliquas in prædictam pignorationem, aut repreſaliam: abductores hujuſmodi, & eorum fautores, & autorizatores, excommunicationi ſubjaceant ipſo facto: qui tandiu per Capellanos Eccleſiarum Civitatis, & Diœceſis, ubi prædicta commiſſa fuerint, auctoritate præſentis Concilii denuncientur excommunicati cum campanis pariter & candelis, ſingulis Dominicis diebus, & Feſtivis, quouſque de damnis, & injuriis irrogatis fuerit eas paſſis plenarie ſatisfactum*. Vult præterea hic Canon, ut Civitates, Caſtra, Loca, & Villæ, in quibus prædicta hujuſmodi recepta fuerint, ſeu admiſſa, Eccleſiaſtico ſubjaceant Interdicto, *ſi requiſiti, qui fuerint inibi requirendi, a ſe noluerint abjicere prædicta eadem*. Addit, debere ad hæc exequenda Diœceſanos ſingulos, & Officiales eorum, ſe promtos ſine contradictione aliqua exhibere: *ut iidem faciant fieri per Capellanos ſuos, cum per illum, in cujus Civitate, vel Diœceſi res ſic deteſtabilis commiſſa extiterit, fuerint requiſiti*. Concludit vero tandem, & mandat, ut *nihilominus ſuper iis etiam obſervetur attente novella Conſtitutio Gregoriana*, quam nempe Gregorius Papa X. edidit in hoc II. Generali Concilio Lugdunenſi, eſtque hic noſter præſens Canon XXVIII. quem inter alias renovavit Pariſienſis Synodus anni MCCCXIV. apud eruditum Edmundum Martene Tomo VII. ampliſſimæ ſuæ Collectionis Anecdotorum, Columna 302.

III. Quod noſtrum Canonem ſpectat, duæ in eo actiones vetantur, conceſſio ſcilicet repreſaliarum quæ ad Superiores pertinet, & earum extenſio, quæ ad inferiores exequentes ſpectat, quibus non licet repreſalias conceſſas ad perſonas, & bona Eccleſiaſtica extendere, ut notat Gloſſa loco citato; adeoque ſi repreſaliæ conceſſæ ſunt in genere contra Provinciam aliquam, vel Civitatem, non comprehenduntur Eccleſiaſtici, nec poſſunt ad illos extendi. An autem ſit locus noſtræ huic Conſtitutioni, qua excommunicantur concedentes repreſalias contra perſonas Eccleſiaſticas, vel bona ipſarum, aut generaliter conceſſas prætextu cujuſvis conſuetudinis ad eaſdem extendentes, ſi nimirum captus ſit Clericus principalis debitor, ratione cujus repreſaliæ ſunt conceſſæ, affirmat quidem in ſua Summa Sylveſter, verbo, *Excommunicatio*, IX. Num. LXII. quia ſcilicet Clericus ſemper dignitatem tenet perſonæ Eccleſiaſticæ. Verum rectius alii negant, quos & ſequitur Paſſerinus in dicto Cap. unico, *De injuriis, & damno dato*, in VI. Et ratio eſt, quia ceſſant eo caſu repreſaliæ, quæ quidem fieri dicuntur, ubi *alius pro alio prægravatur*, ut noſter Canon docet; ſive ubi prægravatur non debitor pro debitore; in caſu autem propoſito qui gravatur, eſt principalis debitor.

IV. Sed hac quæſtione omiſſa, aliiſque multis, quæ videri poſſunt apud laudatum Sylveſtrum citato loco, & verbo, *Repreſaliæ*, quamvis ipſæ repreſaliæ æquitati naturali repugnent, quia iniquum eſt, quod alter alterius odio gravetur, & quod quis locupletetur cum alterius damno, & alteri non faciat, quod ſibi fieri non vult, ut habent Regulæ juris; ac præterea, quia ſanctius eſt nocentem impunitum relinquere, quam innocentem condemnare, ut docet Textus in Lege, *Abſentem*, ff. *De pœnis*: licite nihilo-

minus

minus ſunt repreſaliæ, ubi nempe concurrunt belli juſti conditiones, nempe publica auctoritas, juſta cauſa, & recta intentio: *Juſta bella ſolent diffiniri, qaæ ulciſcuutur injurias; ſic Geus, & Civitas petenda eſt, qaæ vel vindieare neglenerit, quod a ſuis improbe ſactum eſt; vel reddere quod per injurias ablatum eſt*. Verba ſunt Canonis, *Dominus noſter*, Canſa XXIII. Qnæſtione II. & deſumta ſunt a S. Auguſtino Libro LXXXIII. Qnæſtionnm, Quæſtione X. in Joſue; eumque laudat S. Thomas in Secunda Secundæ, Quæſtione XL. Articulo I. ubi eam doctrinam tradit, nt nimirum ad jnſtum bellum tria illa ſuperius notata cequirantuc, anctocitas pnblica, juſta cauſa, & intentio recta. Hæ conditiones ubi concurrant, Theologi æque, ac Canoniſtæ docent, poſſe & ipſas cepceſalias, quæ ſpeciem belli habent, concedi.

V. Illud vero iterum, atque iterum Canones vetant, ac præ ceteris noſter hic Canon, repceſalias ſcilicet coneedi coutra perſonas Eccleſiaſticas, ſeu beua ipſorum, aut quantumcunque generalitec conceſſas, ad illas extendi; ſtatuta hac pœna adverſus contra facientes, ut nimirum, *niſi præſumtionem bujuſmodi revocaverint a conceſſionis, vel eutenſionis tempore infra menſem, ſi perſonæ ſingulares fuerint, ſenteuſiam excommunicationis incurrant; ſi vero Univerſitas, Eccleſiaſtico ſabjaceat Interdicto*. Quod hic de menſe dicitur, debet ſic intelligi, ut ſi prima die menſis ſuerunt conceſſæ repreſaliæ, menſis duret uſqne ad primam diem altecius menſis, etiamſi menſis ille habeat dies XXXI. & ſi ſecunda, vel tertia die menſis Martii coneeſſæ ſunt repræſaliæ, dnret uſqne ad ſecundam, vel tertiam diem menſis Aprilis. Atque ita doeent inter alios Gloſſa in Cap. *Quam ſit, De electione &c.* in VI. & Sylveſter, verbo, *Excommunicatio*, IX. Num. LXIII. Præ ceteris autem Canonis hnjus Expoſitoribus videri poteſt doctiſſimus Paſſerinus in Cap. unico, *De injuriis, & damno dato*, in VI. ubi varias Quæſtiones reſolvit.

## CANON XXIX.

Conſtitutionem felicis recordationis Innocentii Papæ IV. Prædeceſſoris noſtri, quæ prohibet participantes excommunicatis ea participatione, quæ ſolam minorem excommunicationem inducit, monitione Canonica non præmiſſa, majori excommunicatione ligari, decernens promulgatam aliter excommunicationis ſententiam non tenere: ad tollendam omnem ambiguitatis ſcrupulum declarantes, decernimus, ita demum monitionem eſſe Canonicam in hoc caſu, ſi aliis rite ſervatis, eos, qui monentur, exprimat nominatim. Statuimus quoque; ut inter monitiones, quas, ut Canonice promulgetur excommunicationis ſententia, ſtatuunt Jura præmitti, Judices, ſive monitionibus tribus utantur, ſive una pro omnibus, obſervent aliquorum dierum competentia intervalla, niſi facti neceſſitas ea ſuaſerit aliter moderanda.

## COMMENTARIUS.

I. STatuecat jam Innocentins Papa IV. in Concilio Generali I. Lugdunenſi, Canone XII. *ut nullns Judicum participantes eum excommunicatis ab eo, in loeutione, & aliis, quibus ligatur participans excommunicatione minori, ante commonitionem Canonicam, excommunicare majori excommunicatione præſumat: ſalvis Conſtitutionibus contra illos legitime promulgatis, qui in crimine præſumunt participare damnato*. Eam Conſtitutionem declarare ſe hoc Canone ait Gcegorius X. *ad tollendum omnem ambiguitatis ſcrupulum*; quia nempe ante iſtam novam Conſtitutionem, uti ait Gloſſa in Cap. IX. *De ſententia excommunicationis &c.* in VI. ſi Judex monebat in genere, quod nullns communicacet, dicebant quidam talem monitionem Canonicam, alii contra. Atque hoe dubium declarat hoc Canone Gcegorius Papa, & ſtatnit, illam monitionem eo caſu dici Canonicam, qnando fnecunt participantes moniti nominatim, ut ab ea participatione deſiſtecent: *Decernimus, ita demum monitionem eſſe Canonicam in hoc caſu, ſi aliis rite ſervatis, eos, qui monentur, exprimat nominatim*, ſcilicet pcopris nominibus expceſſis, vel aliis indnbitabilibus ciccumſtantiis, quæ vicem pcoprii nominis habeant, ut citato loco docet Gloſſa ab hujus Capitis Expoſitocibus cecepta varios utriuſqne Juris Textus allegans.

II. Vult quoque & illud in præſenti Pontifex, *ut inter monitiones, quas, ut Canonice promulgetur excommunieationis ſentcntia, ſtatuunt Jura præmitti, Judices, ſive monitionibus tribus utantur, ſive una pro omnibus, obſervent aliquorum dierum competentia intervalla, niſi facti neceſſitas ea ſuaſerit aliter moderanda*. Ut monitio Canonica dicatur, tcina plane eſſe debet, ideſt ſacta tribus Edictis, vel uno pecemtorio pro omuibus; ac præterea trinæ illæ monitiones debeut habere intervalla aliquocnm dierum, & nequaquam fieri iucontinenti; *niſi facti neceſſitas ea ſuaſerit aliter moderanda*, ut ſapientiſſime noſtec Canou ſtatuit, & notat Gloſſa ibidem, afferens inter alia & hoc exemplum, *ut ſiquis moneatur, at reſtitaat uxorem alienjus, vel deſiſtat a participatione ipſius; ſi daretur intervallum dieram, iſte detinens uxorem interim teneret eandem, licet injuſte, & infra illud tempus non poſſet excommunieari*. Moderanda itaque ſunt ea intecvalla pro perſonarum, & negotii qualitate, factive neceſſitate; ut quia ſcilicet partes ſunt ad rixam, vel arma paratæ, & monitiones Epiſcopi minime curant.

CA-

# C A N O N XXX.

Præſenti generali declaramus Edicto, beneficium relaxationis ad cautelam, quoad Interdicti ſententias in Civitates, Caſtra, vel quælibet alia Loca, ſive Terras aliquas, generaliter promulgatas, locum aliquatenus non habere.

## C O M M E N T A R I U S.

I. RElaxationem ad cautelam in generali Interdicto locum non habere, hic Canon declarat. Cauſam huic declarationi dedit quorumdam ſententia, qui contrarium aſſerebant, docentes ſcilicet, ſicut in excommunicatione, ita & in generali Interdicto habere locum beneficium relaxationis ad cautelam. Probabant autem ſuam aſſertionem, ut teſtatur Gloſſa in Cap. x. *De ſententia excommunicationis*, in VI. cui Canon hic noſter inſertus fuit, quod excommunicatio, & Interdictum paribus paſſibus ambulare videbantur; ideoque ſicut excommunicatio poteſt tolli ad cautelam, ita etiam Interdictum, præſertim quia per Interdictum puniuntur utplurimum innocentes, per excommunicationem ii tantum qui peccarunt. Cur autem excommunicatis abſolutio ad cautelam interdum concedatur, non vero interdictis, rationem affert in ſuo Commentario Guillelmus Durandus; quia nimirum in excommunicatione fit mortis æternæ damnatio, & anima traditur ſatanæ; ideoque feſtinandum eſt, ut mortuus, & a Chriſti Corpore ſeparatus, eidem redintegretur per beneficium abſolutionis; majoribus enim malis ſincera caritas ſubvenire debet. In Interdicto autem minus periculum eſt, cum Sacramenta ſimpliciter neceſſaria miniſtrentur; unde minus feſtinandum eſt. Accedit his, quod excommunicationis ſententia ſuſpendi non poteſt, niſi penitus relaxetur: Interdictum autem ſuſpendi poteſt.

II. Ceterum ut aliquid hic dicam de Abſolutionibus ipſis, quæ ad cautelam dari ſolitæ ſunt, ac de earum origine, ignotæ hæ quidem fuiſſe videntur uſque ad Seculum IX. aut X. quando excommunicationes frequentiores eſſe cœperunt; quia nempe olim hoc jure utebantur, inquit Cujacius in Cap. I. *De Judiciis*, nequis excommunicatus abſolveretur ante diſcuſſam, finitamque excommunicationis cauſam; qui & ibidem notat, S. Raymundum Decretalium Collectorem immutaſſe verba Canonis Africani, qui in dicto Cap. I. refertur, ut eum ad ſui temporis diſciplinam inflecteret, addendo hanc clauſulam, *donec ſatisfactione præmiſſa fuerit abſolutus*, quæ deſumta eſt ex Capite XXIII. *De verborum ſignificatione*, ubi Innocentius Papa III. reſpondit, excommunicatum ob contumaciam abſolvendum eſſe ſtatim ac ſatisfecerit, puta præſtita cautione judicio ſtandi etiamſi criminalis Cauſa nondum peracta fuerit. Notat hæc Vaneſpen in ſuo ad Canonem LXXXVII. Codicis Africani Scholio, & Parte III. *Juris Eccleſiaſtici*, Titulo XI. Cap. XI. Num. XVII. poſtquam ſcilicet numero præcedenti obſervaſſet, abſolutionis ad cautelam mentionem fieri in Cap. IX. *De exceptionibus*. Cum enim quidam Canonici Pragenſes vellent apud Sedem Apoſtolicam proſequi ordinationem Eccleſiæ Pragenſis, eiſque objicerentur quædam ſuſpicionis & amotionis a Beneficiis ſententiæ, quas, ut ipſi dicebant, poſſent probare per teſtes idoneos, & inſtrumenta: *Ne tamen*, ait relatus ibidem Gregorius Papa IX. *ordinationem Pragenſis Eccleſiæ, propter quam veneratis, hujuſmodi objectionis obſtaculo contingeret retardari, ſententias ipſas relaxamus ad cautelam*. Porro notat eruditus Dufreſne, verbo, *abſolutio ad cautelam*, nullam ejus haberi mentionem ante Cæleſtinum Papam III. qui anno MCXCV. ad Epiſcopum Lincolnienſem ſcribens, quoſdam abſolvi permittit *ad majorem cautelam*.

III. Quamquam vero Abſolutio ipſa ad cautelam concedi ſoleat ad petitionem partis, cum nimirum dubitatur, an excommunicationem incurrerit, vel excommunicatio injuſta ſit, aut ob periculum mortis, & in multis etiam aliis caſibus, ſemper hodie a Sacerdote in Sacramento pœnitentiæ etiam non petenti, neque de aliqua a ſe contracta Cenſura hæſitanti, aut ſuſpicanti impenditur; ſemperque ſolet præmitti Abſolutioni Sacramentali, ne alias Abſolutio Sacramentalis propter Cenſuram a pœnitente contractam invaliditatis periculo exponatur. Similiter & omnibus Reſcriptis, Bullis, & Privilegiis Apoſtolicis inſeri conſuevit; ut nimirum hac mediante Abſolutione, effectum ipſius privilegii, vel alterius gratiæ conceſſæ conſequi poſſit, non obſtante excommunicatione, ſiquam incurriſſe potuiſſet; unde & additur: *Ad effectum præſentium Litterarum conſequendum, & non alias*. Hæ Abſolutiones vocari etiam ſolent generales, eo quod nullam Cenſuram ſpecialem reſpiciant, uti obſervat laudatus Vaneſpen loco citato. Ceterum de hac ſpecie Abſolutionis de qua occaſione noſtri hujus Canonis jam quædam notavimus, videri poteſt Joannes Tournetius in Tractatu, *De Abſolutione ad cautelam*, inter Opera Franciſci Florentis.

# C A N O N XXXI.

Quicumque pro eo, quod in Reges, Principes, Barones, Nobiles, Ballivos, vel quoſcumque Miniſtros eorum, aut quoſcumque alios, Excommunicationis, Suſpenſionis, ſeu Interdicti ſententia fuerit promulgata, licentiam alicui dederint occidendi, capiendi, ſeu alias in perſonis, aut bonis ſuis, vel

ſu-

ſuorum, gravandi eos, qui tales ſententias protulerunt, ſive quorum ſunt occaſione prolatæ, vel eaſdem ſententias obſervantes, ſeu taliter excommunicatis communicare nolentes, niſi licentiam ipſam re integra revocaverint, vel ſi ad bonorum captionem occaſione ipſius licentiæ ſit proceſſum, niſi bona ipſa ſint infra octo dierum ſpatium reſtituta, aut ſatisfactio pro ipſis impenſa, in excommunicationis ſententiam incidant ipſo facto. Eadem quoque ſint ſententia innodati omnes, qui auſi fuerint prædicta licentia data uti, vel aliquid præmiſſorum, ad quæ committenda licentiam dari prohibuimus, alias committere ſuo motu. Qui autem in eadem ſententia permanſerint duorum menſium ſpatio, ex tunc ab ea non poſſint, niſi per Sedem Apoſtolicam, abſolutionis beneficium obtinere. Datum Lugduni Kalendis Novembris anno tertio.

## COMMENTARIUS.

I. QUæ cauſa fuerit hujus edendi Canonis, docent nos veteres Canonici Juris Interpretes, & Gloſſa ad Textum in Capite XI. cui Canon ipſe inſertus fuit, *De ſententia excommunicationis &c.* in VI. Ajunt quippe, ideo editum fuiſſe hunc Canonem, ſeu Conſtitutionem, *quod multi Prælati timebant quandoque exercere Cenſuram propter gravamina, quæ eis, vel ſuis inferebantur*. Huic ergo malo, immanique impietati ſui, ac noſtri pariter ævi occurrens Gregorius Papa X. hunc in Generali II. Lugdunenſi Concilio Canonem promulgavit, quo primum ſtatuit, ut *quicunque pro eo quod in Reges, Principes, Barones, Nobiles, Ballivos, vel quoslibet Miniſtros eorum, aut quoſcunque alios, Excommunicationis, Suſpenſionis, ſeu Interdicti ſententia fuerit promulgata, licentiam alicui dederint occidendi, capiendi, ſeu alias in perſonis, aut bonis ſuis, vel ſuorum, gravandi eos, qui tales ſententias protulerunt, ſive quorum ſunt occaſione prolatæ, vel eaſdem ſententias obſervantes, ſeu taliter excommunicatis communicare nolentes, niſi licentiam ipſam re integra revocaverint, vel ſi ad bonorum captionem occaſione ipſius licentiæ ſit proceſſum, niſi bona ipſa ſint infra octo dierum ſpatium reſtituta, aut ſatisfactio pro ipſis impenſa, in excommunicationis ſententiam incidant ipſo facto*.

II. Quædam plane ſunt, quæ in hanc primam Canonis partem notemus. I. Ballivos idem eſſe hoc loco, ac Magiſtratus. II. verba illa, *vel quoslibet Miniſtros eorum*, referri ad Clericos, qui Miniſtri Principum erant, eorumque Tribunalibus addicti; nec enim in alios Suſpenſionis ſententia, cujus Canon meminit, quam in Clericos ferri poteſt. III. ea verba *infra octo dierum ſpatium &c.* reſpicere tempus ipſius Conſtitutionis latæ a Gregorio Papa, ut ſi tempore ſcilicet iſtius Conſtitutionis, prætextu illius licentiæ aliqua erant occupata, niſi infra octo dies reddantur, habeat locum pœna in ipſa Conſtitutione ſtatuta. Ita Gloſſa in dicto Cap. XI. *De ſententia excommunicationis &c.* in VI. ubi etiam aliam in eum locum explicationem affert. Obſervans enim, literæ illi noſtri Canonis, *re integra*, ſequentem literam contradicere, ubi dicitur, quod licet res non ſit integra, infra octo dies poteſt fieri emendatio, ita eam contradictionem mox explicat: *Poteſt dici, quod hoc locum habet in injuria perſonali, illud in reali; ut in prima ſtatim ſit excommunicatus; in ſecunda tunc, quando infra octo dies non reſtituerit*. Ait hanc eſſe Archidisconi ſententiam, eamdemque videri voluiſſe Gulielmum; Joannem autem Monachum verba illa, *re integra*, exponere: *ideſt, injuria nondum illata in perſona, vel rebus*.

III. Omiſſis his quæſtionibus, ſtatuit altera noſtri Canonis parte Gregorius Pontifex, ut *eadem quoque ſint ſententia innodati*, excommunicationis ſcilicet ipſo facto incurrendæ, *omnes qui auſi fuerint prædicta licentia data uti*, mandatarii nempe, ut notat Gloſſa, *vel aliquod præmiſſorum, ad quæ committenda licentiam dari prohibuimus, alias committere ſuo motu*, ideſt præter aliquam licentiam; *qui autem in eadem ſententia permanſerint duorum menſium ſpatio, ex tunc ab ea non poſſint, niſi per Sedem Apoſtolicam, abſolutionis beneficium obtinere*. Atque hæc ſunt, quæ Gregorius Papa X. noſtro hoc Canone ſtatuit, quo juriſdictio Eccleſiaſtica ſua religione tuta, & incolumis vigere poſſet. Summa enim erat tunc temporis, ſicut & noſtra hac tempeſtate quorundam Principum, ac Magiſtratuum inſolentia, atque impietas in Eccleſiam, ejuſque Antiſtites; quos dire affligebant, occidebantque, ubi ab eiſdem ob ſua ipſorum facinora, juſto anathemate percellebantur. Sed nec deerant, ſicut hodieque, puſillanimes Epiſcopi, qui metu gravaminum ſibi ſuiſque a Principibus, vel eorum Miniſtris, aut Magiſtratibus inſerendorum, eoſdem ſinebant ſua poteſtate abuti, & inter alia ſacrilegia, juriſdictionem etiam Eccleſiaſticam per omnia evacuare.

IV. Sunt qui Edicta non modo Principum, ſed & privilegia Apoſtolica obtendunt, ne Officiales Regii excommunicari poſſint, pro actu exercitii Juriſdictionis temporalis; ſed ſcite monet eruditiſſimus Altaſerra Lib. VII. *De Juriſdictione Eccleſiaſtica*, Cap. XIII. Edicta Principalia, & privilegia civiliter eſſe interpretanda; puta, uti ſi Magiſtratus quid fecerit officio Magiſtratus, non tenetur Lege Aquilia, vel injuriarum, ſed ſi per injuriam quid fecerit fiducia Magiſtratus, nihil vetat, eum conveniri, ut in Lege, *Quemadmodum*, §. *Magiſtratus*, ff. *Ad Legem Aquiliam*, Lege, *Injuriarum*, §. *Quæ jure poteſtatis*; & Lege, *Nec Magiſtratibus*, ff. *De injuriis*; ita & ſi idem officio Magiſtratus ex neceſſi-

ceſſitate officii quid faciat, non debet excommunicari; ſed ſi fiducia poteſtatis quid violentius fecerit, & in Juriſdictionis Eccleſiaſticæ fines irruperit, non video, quo pacto poſſit effugere excommunicationem. Eſto parcatur dignitati Magiſtratus, ut tutus ſit ab excommunicatione lata ab homine, qua tamen ratione evitaturus eſt excommunicationem latam a Canone? Non pertinet ad Edictum injurioſa rapina Juriſdictionis Eccleſiaſticæ, ne impune liceat Magiſtratibus conculcare Juriſdictionem Eccleſiaſticam. Beneficium autem Principis non eſt interpretandum in necem, & injuriam Eccleſiæ, quia nimirum boni Principis eſt tueri, & defenſare Eccleſiam, Can. *Boni Principis*, Diſtinctione XCVI. Can. *Maximianus*, & Can. *Principes*, Cauſa XXXII. Quæſtione V.

V. Certe ab Innocentio Papa III. inſtante Henrico Rege Hungariæ, conceſſum privilegium fuit, ne ipſius Conſiliarii, vel Familiares excommunicentur; ſed hoc tamen modo adhibito, ne excommunicentur, niſi pro manifeſta, & rationabili cauſa, & poſt Canonicam monitionem, ut tradit ipſemet Innocentius III. Libro I. Epiſtola DVII. ad Epiſcopos Hungariæ: *Sane poſtulavit nuper concedi ſibi a nobis adinſtar bonæ memoriæ Clementis Papæ*, nempe Tertii, *Prædeceſſoris noſtri Regia Celſitudo, ut nullus Archiepiſcopus, vel Prælatus quilibet, in Familiares, & Conſiliarios ſuos, de quorum abſentia, & privatione tam Regnum Hungariæ, quam perſona Regis poſſit incurrere detrimentum, excommunicationis ſententiam promulgaret: Nos ergo de benignitate Sedis Apoſtolicæ, Magnificentiæ Regiæ uberiorem volentes favorem, & gratiam impertiri, Univerſitati veſtræ auctoritate præſentium duximus inhibendum, ut in Conſiliarios, & Familiares ipſius, quorum in hac tempeſtate conſilio, & familiaritate ſine magno ſui diſpendio carere non poteſt, nullus veſtrum, niſi pro manifeſta, & rationabili cauſa, & Canonica monitione præmiſſa*, excommunicationis, *vel interdicti ſententiam audeat promulgare*. An injurioſum, & grave erit Magiſtratibus, privilegio, ne excommunicari poſſint, hunc modum imponi, ut non excommunicentur, niſi pro manifeſta cauſa, & poſt Canonicam monitionem?

VI. Ita plane argumentatur, & quidem ſapientiſſime religioſiſſimus, & præſtantiſſimus laudatus Auctor Gallus; ſed eo res pervenit, ut paſſim impune peſſumdetur Juriſdictio Eccleſiaſtica, atque in ea præſertim parte, quæ Eccleſiaſticas Cenſuras ſpectat. Pietati, & Religioni Chriſtianiſſimorum, atque Catholicorum Regum, ac Principum omnium convenit, ut Eccleſiaſticæ Juriſdictioni ab eorum Magiſtratibus, ac Miniſtris jam fere proſtratæ conſulatur. Rem dignam providentia Regum agnovit unus e clariſſimis Senatoribus Galliæ Coſmas Guiſinierius in Pragmatic. ubi in Proœmio, §. *Cum itaque*, verbo, *libertatis*, ita ſcripſit: *Cum autem Rex Franciæ ſit pugil Eccleſiæ, & inter omnes Chriſtianos Chriſtianiſſimus, debet cuſtodire Juriſdictiones, & libertates Eccleſiaſticas in prædictis, ita quod niſi Deus provideat, tandem Juriſdictio, & libertates Eccleſiæ evaneſcent*. Porro quod Laici Magiſtratus, Principumque Secularium Miniſtri Juriſdictionem Eccleſiaſticam per omnia evacuare niterentur, officii plane ſui, atque Chriſtianæ Religionis immemores, neceſſe habuit Eccleſia ſuam Juriſdictionem, variis pœnis tum ſpiritualibus, tum temporalibus tueri, atque defendere, uti ex variis Sacris Canonibus, atque exemplis zelantiſſimorum Epiſcoporum addiſcimus, quæ & in Sacris Conciliis, & in Hiſtoria Eccleſiaſtica paſſim occurrunt.

VII. Ut alia omittam, eos & diro anathemate percellit Canon, qui *pro eo, quod in Reges, Principes, Barones, Nobiles, Ballivos, vel quoſlibet Miniſtros eorum, aut quoſcumque alios Excommunicationis, Suſpenſionis, ſeu Interdicti ſententia fuerit promulgata, licentiam alicui dederint occidendi, capiendi, ſeu alias in perſonis, aut bonis ſuis, vel ſuorum gravandi eos &c.* Antiquam fuiſſe hanc diſciplinam, ut hujuſmodi homines Excommunicatione mulctarentur, docet nos exemplum S. Thomæ Archiepiſcopi Cantuarienſis, qui, uti ad annum MCLXXI. ſcribit Pariſius, Nigellum de Sackevilla incubatorem Eccleſiæ de Hergea, & Robertum de Broc, quod equum ſaginarium ipſius per injuriam cauda detruncaſſet, ſolemni plane ritu excommunicavit: *Beatus Thomas Cantuarienſis Archiepiſcopus ſermonem habiturus ad Populum in die Dominicæ Nativitatis Pulpitum aſcendit; & Sermone completo, Nigellum de Sackevilla Eccleſiæ de Herges violentum incubatorem, & ejuſdem Vicarium Eccleſiæ, Robertum quoque de Broc, qui equum quendam ipſius Archiepiſcopi victualia deferentem, ad dedecus, & ignominiam ejus decurtaverat, ſolemniter excommunicavit*.

VIII. Viget hodieque abuſus ille antiquus, quem tantopere & hic noſter Canon damnat, cum ſcilicet ab Epiſcopis excommunicati Principes, eorumve Miniſtri, vel Barones locorum, ubi hi Epiſcopos ipſos vexare nequeunt, in illorum familiares, & conſanguineos ſæviunt. Excommunicatione & iſtud hominum perfidum genus mulctat Canon relatus in Capite, *Quicumque*, *De ſententia excommunicationis*, in VI. ubi etiam Gloſſa verbo, *ſuorum*, quos conſanguineos, vel familiares eſſe intelligendos ait, caſum notat, *in quo percutiens, & mandans percuti laicum, excommunicatus eſt*. Porro ejus crudelitatis exemplum habemus in impio Henrico II. Angliæ Rege, qui, uti legitur in Vita S. Thomæ Archiepiſcopi Cantuarienſis Lib. II. Cap. XIV. *res omnes Archiepiſcopi, ſuorumque confiſcari præcepit; totam ejus cognationem, omnes, qui eum familiaritate, vel quovis titulo contingebant, proſcriptos addixit exilio: non infanti vagienti, non decrepito ſeni, non in puerperio mulieri decubanti parcebatur*. Sed notanda hic potiſſimum ſunt ab Epiſcopis meticuloſis noſtri ævi carni, & ſanguini ſuo addictis quæ mox ejuſdem Vitæ S. Thomæ Auctor ſubjicit: *Vir Apoſtolicus*, ideſt Papa, *& Potentatus, Nationes, & Regna, audientes hæc mox obſtupuerunt, & factum admodum profanantes, Archipreſuli, & tali, ac tantæ ejectorum turbæ totis pietatis viſceribus compaſſi ſunt*. Teſtatur denique idem Auctor, omnibus illis ab impio Henrico proſcriptis, quos religioſiſſimus Archiepiſcopus variis principibus commendaverat, ac præſertim pientiſſimo Romano Pontifici, cujus quotidiana inſtantia eſt ſollicitudo omnium Eccleſiarum, ſic fuiſſe propitiante Domino proviſum in brevi, *ut inter ipſos egens nullus eſſet; plurimi etiam felicius in exilio, quam in patria degerent*. Ita ille, ſimiliaque exempla occurrunt paſſim in Eccleſiaſtica Hiſtoria.

# HISTORIA
## CONCILII VIENNENSIS OECUMENICI XV.

I. Vienneuſe Concilium inter Œcumenica decimumquintum convocatum fuiſſe a Clemente Papa V. quatuor de cauſis, docet idem Pontifex in ſuo Diplomate convocationis ipſius Concilii, quod incipit, *Regnans in Cœlis*, datumque eſt *Pictavis ſecundo Idus Auguſti*, *Pontificatus anno tertio*, Ideſt, anno Chriſti MCCCVIII. Cum enim Philippus cognomento Pulcher, Franciæ Rex ab ipſo Clemente V. Papa Pictavis exiſtente anno MCCCVII. poſtulaſſet, ut Bonifacium Papam VIII. deleret de catalogo Romanorum Pontificum, & combureret corpus ejus, & oſſa; aſſerens, ſe poſſe probare contra illum per Clericos ſuos, ipſum fuiſſe hæreſi infectum, & pluribus aliis ſceleribus irretitum, Clemens turbatus, cum alia via hanc petitionem eludere minime poſſet, quam ſignificando Regi, Summum Romanum Pontificem damnari non poſſe, niſi in Œcumenica Synodo legitime accuſatum, & convictum, Litteras ipſas convocationis Concilii Philippo Regi Francorum ſcripſit, ejuſdemque tenoris alias multas ad varios alios Reges, atque ad omnes ubique Prælatos, incipiuntque, ut ſupra, *Regnans in Cœlis*. Sed Bonifacii Papæ accuſationem, aut defenſionem, fuiſſe unam ex cauſis indictionis hujus Concilii, neque Clemens Pontifex, neque ipſa Concilii Acta, vel antiqui Auctores aliqualiter innuunt. Porro luis Litteris Concilium ipſum univerſale indixit Clemens Kalendis Octobris anni MCCCX. Viennæ Allobrogum celebrandum; ſed illud tamen poſtea ex certis, ac legitimis cauſis uſque ad Kalendas Octobris anni MCCCXI. prorogavit, binis Litteris ad omnes ubique Prælatos datis, alteris nempe ſecundo Nonas Aprilis anni quinti ſui Pontificatus nondum finiti, alteris vero decimo Kalendas Decembris anno ſexto Avenione datis, Chriſti MCCCX. quæ legi poſſunt apud Labbæum Tomo XIV. Conciliorum editionis Venetæ; iiſque præcepit, ut omnes convenirent Viennam Allobrogum; quam Civitatem a Clemente electam ſcribunt Joannes Villanius Lib. VIII. Cap. XCI. & S. Antoninus Titulo XXI. Cap. I. §. II. quod eſſet extra memorati Regis Philippi territorium, & juriſdictionem, ac proinde liberiora futura eſſent Patrum vota circa res ibi tractandas.

II. Clemens itaque Papa V. circa medium menſem Septembrem dicti anni MCCCXI. cum Cardinalibus Viennam perrexit, ut diſerte ſcribit Ptolomæus Lucenſis in ejus Vita. Præter Cardinales interfuiſſe Concilio pluſquam trecentos Epiſcopos, ultra alios Prælatos de diverſis Orbis partibus, ſcribunt Joannes Villanius, Libro IX. Cap. XXII. & S. Antonius Titulo XXI. Cap. III. Joannes vero Marius Belga, qui claruit labente Seculo XV. Lib. I. *De Schiſmate, & Concilio*, Cap. XX. ait, huic Concilio, quod *magnum, & generale totius Eccleſiæ* vocat, plures quam trecentos Eccleſiaſticos Patres ex variis partibus Chriſtiani Orbis interfuiſſe. Verum Continuator Chronici Guillelmi Nangii, qui hoc ipſo tempore vivebat, quique extat Tomo XI. Spicilegii Dacheriani, ad annum MCCCXI. hæc habet: *Concilium Generale, quod Papa Clemens fecerat convocari prima die menſis Octobris apud Viennam Urbem Provinciæ, centum quatuordecim Prælatorum cum Mitris, abſque ceteris non Mitratis, & abſentium Procuratoribus congregatur*. Sed ſive trecenti, ſive centum tantum quatuordecim Prælati Mitrati ei interfuerint, ſcitiſſime inter alios notat Pagius in Vita Clementis Papæ V. Num. XLIII. fuiſſe illud Generale Concilium, atque Œcumenicum, cum quod ita a Scriptoribus appellitatur, tum vero potiſſimum quod Romanus Pontifex Maximus Clemens ipſe V. eidem præfuerit, atque inter alios Alexandrinus, & Antiochenus Patriarchæ Ritus Latini interfuerint. Nec obſtat parvus numerus Epiſcoporum, ſi revera centum tantum quatuordecim interfuerunt, quia, ut idem Pagius obſervat, quando Synodus Octava Generalis Conſtantinopoli Seculo nono incœpta eſt, primæ Actioni interfuerunt Epiſcopi dumtaxat duodecim, & Synodo univerſæ ſubſcripſerunt centum & novem, uti videre eſt noſtro II. Tomo Conciliorum Pag. 365. & ſeqq. quod tamen non impedivit, quin vere hæc Synodus dicta ſit Œcumenica, quia juſſu Hadriani Papæ II. convocata fuit, & ejus Legati eidem præfuerunt. Ceterum præter Epiſcopos, adfuit noſtro huic Viennenſi Concilio magnus ceterorum Prælatorum atque Abbatum, necnon Procuratorum abſentium Epiſcoporum, & Legatorum Principum numerus, acceſſitque etiam ad ſecundam Concilii Seſſionem Philippus Rex Franciæ, una cum Fratribus Carolo Valeſio, & Ludovico Rege Navarræ, Philippo Comite Pictavienſi, & Carolo Marchiano, aliiſque Principibus.

III. Sed ut explicemus nunc quatuor cauſas, ob quas Clemens Pontifex V. convocavit hoc Generale Viennenſe Concilium, prima fuit negotium Templariorum, quorum Ordo publica graviſſimorum criminum infamia laborabat. Cauſa altera fuit grave Fidei Catholicæ negotium variis erroribus laceſſitæ, ſcilicet Petri Joannis, Fraticellorum, Dulciniſtarum, Beguardorum, & Beguinarum. Tertia, ſubſidium Terræ Sanctæ. Quarta vero reſtauratio Eccleſiaſticæ diſciplinæ. Atque has quatuor cauſas enarrat idemmet Pontifex in laudato Diplomate convocationis hujus Concilii, quod incipit: *Regnans in Cœlis*; uti inter alios obſervat Natalis Alexander in Hiſtoriam Eccleſiaſticam Seculi XIV. Diſſertatione X. Quæſtione I. Sic autem inter alia in eo diplomate Clemens Papa Inquit: *Quia ſalubre in his adhiberi remedium intereſt generaliter omnium, Nos cum eiſdem Fratribus noſtris, aliiſque Viris prudentibus, exacto, & frequenti tractatu præhabito, prout tantæ neceſſitatis inſtantia exigebat, de ipſorum Fratrum conſilio, Univerſale Concilium*,

*lium, ſicut imitatione digna Sanctorum Patrum conſuetudo laudabilis longævæ obſervationis exemplo nos inſtruit, proximis Kalendis Octobris ad duos annos immediate ſequentes decrevimus congregandum; ut in eo tam circa dictum Ordinem*, Templariorum ſcilicet, *& perſonas ſingulares, & bona ejuſdem, & alia, quæ ſtatum tangunt Fidei Catholicæ, quam circa recuperationem, & ſubſidium Terræ Sanctæ, & reparationem, ordinationem, & ſtabilitatem Eccleſiarum, & Eccleſiaſticarum perſonarum, & libertatem earum, illa, Deo auſpice, communi conſilio inveniatur proviſio, & ejuſdem approbatione Concilii roboretur, per cujus ſalutiferam exequutionem, virtus Altiſſimi, eliminatis erroribus, roborata Fide, ad tramitem veritatis reductis errantibus, redintegrata ejuſdem Fidei unitate, extirpatis vitiis, virtutibus plantatis, correctis exceſſibus, moribus reformatis, repreſſis oppreſſionibus, libertate ſolida ſtabilitate munita, recuperatis deperditis, & ejuſdem Terræ ſtatu proſpere reparato, occupata reſtituat, vaſtato reſtauret, & reſtaurata conſervet*. Integræ Litteræ legi poſſunt apud Labbæum, & Harduinum in ſuis Conciliorum Collectionibus, & apud Raynaldum in Continuatione Annalium Baronii.

IV. Porro quo facilius collapſa Eccleſiæ diſciplina reſtaurari poſſet, juſſit Pontifex Archiepiſcopis, & Epiſcopis ſingulis, ut per ſe, vel per alios Viros prudentes, Deum timentes, & habentes præ oculis, omnia, quæ correctionis, & reformationis limam expoſcerent, inquirentes ſubtiliter, & conſcribentes fideliter, eadem ad Concilii notitiam perferrent. Id inter alios exequutus eſt Guillelmus Durandus Mimatenſis Epiſcopus, egregio illo Tractatu edito, *De modo Generalis Concilii celebrandi*; ut ipſe teſtatur in illius Præfatione, ſic inquiens: *Cum per Sanctiſſimum Patrem, & Dominum noſtrum Clementem Divina providentia Papam V. ſcriptum fuerit, & mandatum omnibus Archiepiſcopis, & Epiſcopis per ipſum ad futurum Concilium Generale Viennæ evocatum, quod per ſe, & per alios diligenter inquirerent, deliberarent, ſcriberent, & in ſcriptis ad dictum Concilium deferrent omnia, quæ pro bono ſtatu Eccleſiæ, populi Chriſtiani, & exaltatione Fidei, eis utilia viderentur: idcirco ego Gulielmus Divina providentia Epiſcopus Mimatenſis, qui ſum requiſitus ſuper hoc, & vocatus, conſiderans, quod ſicut in majoribus eſt regendi, & jubendi poteſtas, ita in minoribus eſt obſequendi neceſſitas .... perlectis dudum cum diligentia a Sanctis Patribus Conciliis Generalibus, Provincialibus, & aliis pro ſtatu univerſalis Eccleſiæ conſtitutis, a quibus in pluribus eſt receſſum, ſcribendum duxi ea, de quibus juxta parvitatis meæ modulum agendum eſſe videtur in Concilio memorato*. Hactenus in ea Præfatione Durandus, qui Tractatum ipſum, *De modo generalis Concilii celebrandi*, in tres partes diviſit, quarum quælibet multis Titulis conſtat, Catholicam Fidem, & Eccleſiaſticam diſciplinam ſpectantibus, omniaque in eo Tractatu contenta, *dictata fuerunt in Concilio Generali Viennæ celebrato*, per ipſum Durandum Epiſcopum Mimatenſem, uti legitur ad calcem ejuſdem Tractatus Pariſiis editi anno MDXLV.

## S E S S I O I.

*De cauſis celebrandi Concilii.*

V. His obiter dictis, quod celebrationem Concilii ſpectat, prima ejus Seſſio habita eſt die XVI. menſis Octobris *in die Sabbati in Octavis Beati Dionyſii*, in Eccleſia Metropolitana Viennenſi, in eaque facta invocatione Spiritus Sancti, Papa aſſumto Themate iſto Pſalmi centeſimi-decimi, *In Concilio Juſtorum, & Congregatione magna opera Domini, exquiſita in omnes voluntates ejus*, prædicavit, cauſamque triplicem expoſuit convocationis Concilii Generalis, ſcilicet, propter enormes Templariorum exceſſus, propter ſubſidium Terræ Sanctæ, & propter reformationem ſtatus totius Eccleſiæ; ut ait Continuator Nangii, cui conſentiunt Scriptores omnes Vitæ Clementis Papæ V. ex quibus Bernardus Guidonis ita ſcribit: *In Kalendis Octobris fuit per Clementem Papam V. apud Viennam ſupra Rhodanum Generale Prælatorum Concilium convocatum; fuitque prima Seſſio Concilii inchoata* XVII. *Kalendas Novembris, Sabbato ante Feſtum Beati Lucæ. Ubi, Concilio reſidente, Summus Pontifex propoſuit de agendis, videlicet, de ſtatu Ordinis Militiæ Templi, qui de infanda profeſſione graviter culpabatur; de paſſagio etiam transmarino ad recuperationem Terræ Sanctæ; ac generaliter de reformatione totius ſtatus Eccleſiæ, & converſatione Eccleſiaſticæ libertatis; ut Prælati recogitarent ſuper prædictis ſalubriter ordinandis, & circumſpectione provida terminandis*. Sicque terminata eſt prima Seſſio, poſtquam quiſque ad propria remeavit. Sane licet Auctores alii contemporanei, imo & ipſe Guillelmus Durandus, qui Viennenſi huic Concilio adfuit, in relatione, quam de ipſo Concilio edidit, expreſſe aſſerant, Pontificem tres memoratas cauſas expoſuiſſe in hac Seſſione prima, propter quas Concilium celebrandum duxiſſet, videlicet Templariorum, Terræ Sanctæ, & reformationis Eccleſiæ; non eſt tamen dubium, quin & alia cauſa fuerit celebrationis Concilii, cauſa nempe Fidei Catholicæ, cujus expreſſe meminit laudatus Pontifex Clemens V. in recitato convocationis Concilii Diplomate, quod incipit, *Regnans in Cælis*; putatque Pagius in Vita ipſius Papæ, Num. XLV. Scriptores, qui tres cauſas afferunt, ea quæ tangebant ſtatum Fidei Catholicæ, ad illud ultimum caput retuliſſe, ad generalem ſcilicet reformationem totius ſtatus Eccleſiæ. Certum enim eſt, plures errores in hoc Concilio fuiſſe damnatos, ut infra ſuo loco oſtendemus.

VI. Celebrata prima Seſſione, per totam hyemem ſubſequentem, tempus deductum eſt in colloquiis, atque in tractatibus, inter Papam, deputatoſque ab eo Cardinales, Prælatos, Procuratores, & alios, quorum intererat, *multæque deliberationes habitæ, vel factæ fuerunt in præmiſſis, uſque tamen ad adventum Regis Franciæ, qui habitorum a principio contra Templariorum Ordinem, & perſonas proceſſuum ſpecialiter promotor, & zelator præcipuus in favorem Fidei dicebatur*, inquit Nangii Continuator ad annum MCCCXI. qui poſtea ad annum ſequentem MCCCXII. ſcribit, Philippum Regem cum filiis ſuis, ac aliis Viennam adveniſſe *circa Quadrageſimam*, ſive circa initium menſis Februarii: *Sequenti vero menſe Martii*, ait Bernardus Guido, ſeu Guidonis, *Feria quarta in hebdomada ſancta*, XI. *Kalendas Aprilis, Summus Pontifex, multis Prælatis, cum Cardinalibus coram ſe in privato Conſiſtorio convocatis, per proviſionis potius, quam condemnationis viam, Ordinem Templariorum caſſa-*

Digitized by Google

*caſſavit, & penitus annullavit, perſonis, ac bonis ejuſdem Ordinis ordinationi ſuæ, & Eccleſiæ reſervatis*. Teſte itaque Bernardo Guidone, Auctore contemporaneo, quippe qui claruit anno Chriſti MCCCXX. factum id fuit ante ſecundum hujus Viennenſis Concilii Seſſionem.

## S E S S I O II.

### *De Templariis.*

VII. Seſſio ſecunda habita eſt die tertia Aprilis, anno MCCCXII. ineunte, qui tum in Galliis a Paſchate initium ducebat; quod quidem laudatus Bernardus Guido in Chronico Romanorum Pontificum his verbis ſignificavit: *Anno Incarnationis Dominicæ jam mutato* (non vero *notato*, prout corrupte Raynaldus habet, non advertens, Bernardum inchoaſſe annum a Paſchate, more Gallico, ideſt, ab anno MCCCXII.) *fuit ſecunda Seſſio Concilii celebrata, in qua prædicta caſſatio Ordinis Templariorum extitit per Summum Pontificem, Concilio radiante, publice promulgata, præſente Rege Franciæ Philippo, cui negotium erat cordi, ac Domino Karolo fratre ſuo, & tribus liberis ejuſdem Regis, ſcilicet Ludovico primogenito Rege Navarræ, & Philippo, & Karolo; ſicque annihilatus eſt Ordo Templi poſt annos circiter centum octoginta quatuor, quibus militaverat, impinguatus, ac dilatatus nimis, multis libertatibus, ac privilegiis Sedis Apoſtolicæ communitus*. Amalricus Augerii in Sexta Clementis Vita id etiam factum refert *tertia die menſis Aprilis*, quæ, ut ait Continuator Nangii, concurrebat cum *die Lunæ, Quaſi modo*; Paſcha enim celebratum erat die XXVI. Martii. Verba illa, *Quaſi modo*, alludunt ad Introitum Miſſæ, quæ dicitur in Dominica in Albis. Porro in ipſa Seſſione II. ut ait ipſe Nangii Continuator, & ex eo Natalis Alexander loco citato, Pontifex aſſumto Themate ex Pſalmo I. *Non reſurgent impii in judicio, neque peccatores in Concilio juſtorum*, & ad Templarios accommodato, Concionem habuit, Sententiamque de Ordinis Templariorum extinctione promulgavit, *Auctoritate Apoſtolica, Sacro approbante Concilio*.

VIII. Antequam cauſam enarremus, ob quam Ordo ipſe Templariorum deletus fuit, notandum hic illud eſt, quod ubi laudati Auctores, Bernardus Guido, & Amalricus Augerii aſſerunt, Templariorum Ordinem per centum octoginta quatuor annos, aut circiter militaſſe, illius exordium ducunt ab anno MCXXVIII. quo confirmatus eſt in Concilio Trecenſi, ut oſtendit Adnotator Baronii ad annum MCXVIII. Num. XXII. atque ad annum MCXXVII. Num. XI. Novem enim antea annis ejus Inſtitutores fuerant Hugo de Paganis, & Godefridus de ſancto Audemaro Equites, qui cum certum Domicilium non haberent, Balduinus II. Jeroſolymorum Rex locum eis in Palatio, quod ſecus Templum Domini ad Auſtralem plagam ſitum erat, ad habitandum conceſſit, indeque *Fratres Militiæ Templi* dicti ſunt, ut inter alios ſcribit Pariſius. Plura de eorum origine, & exceſſibus diximus jam nos Tomo III. Conciliorum, in Commentario ad Canonem IX. Concilii Generalis III. Lateranenſis. Certe multa fortiter, & feliciter in utilitatem Reipublicæ Chriſtianæ initio Ordinis iſti Milites præſtiterunt, fuitque horum munus ab incurſibus hoſtium, & latrociniis Jeroſolymitanum iter tueri, ut advenæ, & peregrini ad Sancta illa Loca inviſenda tuto poſſent accedere. Multi etiam ex ipſis Chriſti cauſa & ſanguinem profuderunt, & frequenter vitæ diſcrimen ſubjerunt. Sed opum tandem affluentia ubique ditati, ac immenſis privilegiis ab Apoſtolica Sede donati, a primæva diſciplina lapſi, enormiſſimorum criminum facti ſunt rei, ideoque merito a Romano Pontifice Maximo in hoc Generali Viennenſi Concilio, ubi eorum Cauſa agitata fuit, omnino extincti.

IX. Enormia plane ſunt, ac pene incredibilia, quæ de Templariis narrantur ſcelera a coævis Auctoribus, atque ab ipſo Clemente V. Papa in Epiſtola ad Philippum Francorum Regem, quæ incipit, *Regnans in Cælis*, in qua inter alia ita ſcribit: *Dudum circa noſtræ promotionis ad apicem Summi Pontificatus initium, etiam antequam Lugdunum, ubi recepimus noſtræ Coronationis inſignia, veniremus; & poſt, tam ibi, quam alibi, ſecreta quorundam nobis inſinuatio intimavit, quod Magiſter, Præceptores, & alii Fratres dictæ Militiæ Templi, & etiam ipſe Ordo, qui ad defenſionem Patrimonii ipſius Domini noſtri Jeſu Chriſti fuerant in tranſmarinis partibus deputati, contra ipſum Dominum in ſcelus apoſtaſiæ nefandum, deteſtabile idololatriæ vitium, execrabile facinus Sodomorum, & hæreſes varias erant lapſi. Sed quia non erat veriſimile, nec credibile videbatur, quod Viri tam religioſi, qui præcipue pro Chriſti nomine ſuum ſæpe ſanguinem effundere, ac perſonas ſuas mortis periculis exponere credebantur, quique multa, & magna, tam in divinis Officiis, quam in jejuniis, & aliis obſervantiis devotionis ſigna frequentius prætendebant, ſuæ ſic eſſent ſalutis immemores, quod talia perpetrarent: hujuſmodi inſinuationi, ac delationi ipſorum, ejuſdem Domini noſtri exemplis, & Canonicæ Scripturæ doctrinis edocti, aurem noluimus inclinare*. Legenda eſt integra Epiſtola, quæ tota eſt in referendis enormibus Templariorum ſceleribus, quæ etiam ait fuiſſe jurato compluriun ipſorum Templariorum teſtimonio, ac propria confeſſione comprobata.

X. Templariorum crimina immania, & quidem multa refert ad annum MCCCVII. memoratus Nangii Continuator his verbis: *Primo namque, quod dictu nefas eſt, in Profeſſione ſua, quam ut caute facerent, intempeſtæ noctis ſilentio faciebant, ad præceptum Præceptoris, necnon Præceptorem ipſum* (*quod nominandum quaſi turpiſſimum*) *inferius in poſterioribus oſculabantur immunde: inſuper Crucifixi conſpuebant Imaginem, ac etiam conculcabant: quod caput* (ſupple *Idoli*) *ſecrete cum maxima veneratione tanquam Idololatræ colebant: quinimo Sacerdotes eorum, quando celebrare debebant, verba Conſecrationis minime proferebant; & licet a mulieribus abſtinere voverent, concedebatur tamen eis adinvicem modo ſodomitico commiſceri, & hæc omnia de quibus vehementer habebantur ſuſpecti, fecit Rex Dominica ſequenti in Aula Regalis Palatii coram Clero & Populo palam, & publice proclamari: quæ etſi pro horrore, quem continent, & Fidelium imprimunt cordibus, quaſi incredibilia videantur, ipſe tamen Magiſter totius Ordinis præfatus, apud Templum, coram Magiſtris Univerſitatis præſentibus, ductus, ut dicebatur, ſequenti hebdomada recognovit expreſſe, excepto quod dixit ſodomiticum vitium ſe minime commiſiſſe, nec in Profeſſione ſua ſuper Imaginem Crucifixi, ſed magis ſuper terram a latere conſpuiſſe; etiam per ſuas patentes litteras ſuis Fratribus om-*

*omnibus intimaſſe fertur, quod dictam confeſſionem pœnitentia ductus fecerat, & eos ad faciendam ſimiliter hortabatur.* Hactenus Nangii Continuator, eademque referunt Templariorum vitia plane enormiſſima Scriptores alii contemporanei paſſim.

XI. Videri autem præ ceteris poteſt Petrus Puteanus in Hiſtoria damnationis Templariorum, ubi inter alia, refert Inſtrumenta plurima, ſive Acta Inquiſitionum in eorum cauſa factarum a Guillelmo de Pariſiis Ordinis Prædicatorum, Generali per Gallias Quæſitore. Hic enim multis coram teſtibus, & probatiſſimis, centum quadraginta Templarios ex Domo Templi Pariſienſis ad examen vocatos, ac ſuper objectis Ordini ſuo facinoribus interrogatos, confeſſos una voce reos habuit. I. abnegati, cum primum Ordinem ingreſſi ſunt, Jeſu Chriſti: ter conſputæ Imaginis Crucifixi: quod flagitium ſiquis forte Novitiorum execraretur, ad illud triduano carcere, vel gladii faucibus imminentis metu, aliiſve tormentis adigebatur. II. libati in partibus pudendis oſculi. III. conceſſæ a Magiſtro, & Præceptoribus libertatis averſam, & nefariam libidinem impune exercendi. IV. plures habuit ex eiſdem Templariis teſtes, ac reos, qui faſſi ſunt, ſe cranium quoddam deauratum, prolixaque barba adornatum, Ethnico ritu adoraſſe, quod ſolemni Ordinis more in Comitiis dumtaxat Generalibus adorandum proponebatur. Auditi ſunt inter ceteros Magnus Templi Magiſter Jacobus Mola Burgundus, Guido Delphini Viennenſis frater, & Hugo de Peraldo, qui eadem crimina confeſſi ſunt. Tres dumtaxat ex ingenti illo numero, in quos prima habita quæſtio eſt, Ordinem inſontem eſſe, ac nihil inhoneſti in eo ſe vidiſſe ſunt conteſtati. Plerique magnum de criminibus dolorem præſtulerunt, ſe apud Epiſcoporum Pœnitentiarios Confeſſionem ſacramentalem egiſſe nonnulli dixere; alii Romam Jubilæi tempore ſe profectos fuiſſe, ut Abſolutionem, & mutandi Ordinis facultatem a Summo Romano Pontifice impetrarent.

XII. Profectus idem Quæſitor ad alia Galliæ loca, invenit & in eiſdem Templarios memuratis ſceleribus irretitos. Cum centum & undecim Trecis interrogaſſet Templarios, coram duobus Viris nobiliſſimis Campaniæ, ſe quidem, ſuumque Ordinem eorundem criminum reos eſſe, ſponte ſunt confeſſi, uno cranii adorati ſcelere excepto. Eadem ſcelera, habita de Templariis quæſtione Bajocis, & Cadomi in Normannia, quinque teſtimoniis probata habuit. Ad hæc Viri Religioſi ab eodem Inquiſitore Guillelmo delegati ubi tredecim Templarios Cadomi interrogarunt, præſentibus Hugone de Caſtello, & Ingerramno de Villeriis Equitibus a Rege Galliæ deputatis, promiſſa eiſdem ab ipſis Inquiſitoris Commiſſariis Eccleſiæ miſericordia, & a Regiis Miniſtris temporalis pœnæ condonatione; eadem crimina, quæ priores, confeſſi ſunt, Ordini aſſicta non eſſe, ſed iis eſſe vere infectum, ac fœditatem internam, corruptelamque publicæ infamiæ reſpondere. Rurſus decem Templarii ad Pontem Arcuenſem a Petro de Hangeſt Rothomagenſi Prætore, aliiſque Nobilibus Viris auctoritate Regia in quæſtionem vocati, eadem crimina confeſſi ſunt. De ſeptem præterea Templariis Carcaſſone habita quæſtio, ex quibus Joannes de Caſſanhas Præceptor Domus de Noggarda prope Appamias propudioſæ Profeſſionis ritum, abnegationem Chriſti, conſputationem Crucifixi, datam nefariæ commixtionis licentiam, aliaque flagitia confeſſione ſua prodidit. In eorumdem confeſſione criminum concordes fuere quadragintaquinque Templarii, in quos Oduardus de Molendinis Commiſſarius a Rege deputatus Bellicadri, ac in locis finitimis manus injecit, & quæſtionem habuit, ut refert Noſtradamus in Hiſtoria Provinciæ, Pag. 324. Inquiſitionum vero ſingularum, de quibus mox diximus, Inſtrumenta, ſeu Acta authentica, in Archivo Regis Galliæ ſervantur, in arculis, & ſub numeris a Clariſſimo Puteano, qui illa diligenter evolvit, ac edidit, deſignatis.

XIII. Notat hæc Natalis Alexander in Hiſtoriam Eccleſiaſticam Seculi XIV. Quæſtione II. Articulo I. Num. III. obſervatque Numero IV. Clementem Papam V. graviſſime tuliſſe, quod Rex Templarios detineret, ac in eos quæſtionem haberi juſſiſſet, hortatumque idcirco eſſe Regem, ut accuſatorum perſonas, ac bona duobus S.R.E. Cardinalibus, ſcilicet Berengario Titulo Sanctorum Martyrum Nerei & Achillei, & Stephano Titulo S. Cyriaci in Thermis dimitteret; Præſulum etiam, & Inquiſitorum Gallicanorum auctoritate ſuſpenſa cauſæ cognitione ad Sedem Apoſtolicam evocaſſe. Pontificis Litteras ex laudato Regio Archivo recenſet Puteanus, ſicut & Regis Litteras ad ipſum Pontificem, quibus inter alia de injuria Epiſcopali auctoritati illata graviter conqueſtus eſt, ſic inquiens: *Gravis fieret injuria, ſi ſine juſta cauſa miniſterium a Deo ſibi traditum, & defenſionis Fidei meritum auferretur Epiſcopis: nec Prælati talem injuriam meruerunt, nec hanc ferre poſſent; eſſetque peccatum graviſſimum ſpernere eos, quos Deus miſit:* Qui vos enim ſpernit, me ſpernit, *ait Dominus. Quis ergo ſacrilegus vobis, Pater Sancte, præſumet conſulere, quod vos eos ſpernitis, imo potius Jeſum Chriſtum eos mittentem?* Rex nihilominus duorum Cardinalium, ſeu potius Summi Pontificis poſtulatis ſatisfecit; atque ut ſinceritatem ſuam, ac Religionis, juſtitiæque ſtudium, quo uno hac in cauſa ferebatur, probaret, plures Templarios ad Pontificem tunc Pictavis agentem duci curavit. Septuaginta duos, ubi interrogavit Pontifex, confeſſos reos habuit eorumdem flagitiorum, quorum jam convicti erant a Gallicano Inquiſitore. Confeſſiones ſuas in ſcripta redactas, ſibique perlectas coram ipſo Pontifice, & Cardinalibus ratas habuerunt, in eiſque poſtea conſtantes fuerunt; ut idem Pontifex docet in citatis toties Litteris ſuis, quæ incipiunt, *Regnans in Cœlis*; in quibus etiam ait, Equitem Ordinis illius domeſticum familiaremque ſuum ſibi omnia Ordinis crimina, probraque ingenue confeſſum coram Cardinali Raymundo cognato ſuo, idque ſe in Conſiſtorio declaraſſe.

XIV. Conſtat præterea ex laudatis Clementis V. Papæ Litteris, deputatos ab ipſo Pontifice Berengarium SS. Martyrum Nerei & Achillei, Stephanum S. Cyriaci in Thermis, & Landulphum S. Angeli, Cardinales, ad inquirendum in totum Templariorum Ordinem, ac ſingulares perſonas, Magiſtrum ſcilicet, & Præceptores Franciæ, Terræ ultramarinæ, Normanniæ, Aquitaniæ, ac Pictaviæ, eorundem criminum confeſſionem ab ipſis elicuiſſe, & ratihibitionem eorum omnium, quæ coram Generali Inquiſitore depoſuerant. Va-

rias

rias alias in eoſdem Templarios Inquiſitiones decrevit Clemens ipſe Papa V. quo negotium iſtud ſummi momenti accuratiſſime perageretur; poteſtatemqna inquirendi in Provincia Senonenſi commiſit Archiepiſcopo Narbonenſi, ac Bojacenſi, Mimatenſi, & Lemovicenſi Epiſcopis, itemque Matthæo de Neapoli Archidiacono Rothomagenſi, Joanni de Mantua Archidiacono Tridentino, Joanni de Montelauro Archidiacono Magalonenſi, & Guillelmo Agariu Præpoſito Aquenſi; qui habita quæſtione ſecundum articulos a Summo Pontifice tranſmiſſos, Ordinem, & Ordinis Profeſſores longe plurimos reos eſſe memoratorum ſcelerum compertum habuerunt, & probatum. Porro Archiepiſcopi Florentiuus, & Piſanus inquiſitione ſacta per Longobardiam, & Tuſciam univerſam, horrendorum ſcelerum Templarios convicerunt, ſcilicet blaſphemiæ in Deum, Chriſtum, Deiparam; conculcationis, & conſputationis Crucifixi, Idololatriæ; omiſſionis verborum Conſecrationis a Sacerdotibus Ordinis in Miſſæ Sacrificio; propudioſorum oſculorum, & averſæ libidinis, qua promiſcue ſe ſe inquinabant &c. uti conſtat ex Antographo Capitum iſtius Inquiſitionis a dictis Præſulibus Sedis Apoſtolicæ Commiſſariis ad Clementem V. Pontificem miſſo, quod ex ms. Vaticanæ Bibliothecæ Codice deſcripſit Bzovius ad annum MCCCVIII. & ex eo Natalis Alexander loco citato, ubi etiam varia ejus ævi Concilia affert adverſus eoſdem Templarios celebrata.

XV. Inquiſitionum omnium Actis in hoc tandem Generali Vienneſi Concilio examinatis, rogatiſque Patrum ſuffragiis, circa modum procedendi in ipſo Templariorum negotio variæ fuerunt ſententiæ. Quibuſdam videbatur ſervandos eſſe Juris apices, ac dandum Ordini defenſionis locum. Aliis, abſque mora Ordinem tot turpitudinum maculis infamem, & duorum millium teſtium depoſitionibus gravatum, & convictum, qui ſine totius Eccleſiæ ſcandalo ſtare diutins non poterat, abolendum. Obtinuit hæc quidem ſententia; ſed quoniam totus Ordo in jus vocatus & auditus non fuerat, (qui anim defenſionem Ordinis ſuſceperunt Pariſiis enram Apoſtolicis Comiſſariis, P. de Bononia, Humbertus de Sancto Petro, & alii procuratione legitima non erant inſtructi, & ſe Procuratores inſtituere non poſſe, nec debere, nec velle abſque præſentia, conſilio, & aſſenſu Magiſtri, & Conventus, reſponderunt, uti conſtat ex Actis a Notariis publicis exceptis, & a laudato Puteano editis Pag. 142. & ſeqq.) ac præterea quia in quibuſdam Provinciis abſolutus a Synodis Ordo fuerat: viſum eſt Vienneſis Concilii Patribus, ac ſummo Pontifici Clementi V. hujus Concilii Præſidi Definitiva Sententia Ordinem aboleri non poſſe, ſed per viam Proviſionis, & Ordinationis Apoſtolicæ.

XVI. Præſulis inter ceteros Religione, & ſcientia conſpicui, quem Durandum Mimatenſem Epiſcopum fuiſſe quidem conjiciunt, ſuffragium ex ms. Vaticano Codice Bzovius, & Raynaldus ad annum MCCCXI. & Natalis Alexander citato loco exhibent, cujus hæc ſunt verba: *Quantum ad negotium Templariorum, & Ordinis Templi attinet, Eccleſiæ Dei, & toti Fidei Chriſtianæ mirabiliter expediret, quod idem Dominus noſter, ſive de rigore juris, ſive de plenitudine poteſtatis iſtum Ordinem diſſamatiſſimum, qui, ut ita dicamus, odorem nominis Chriſtiani, quantum in ſe fuit, apud incredulos, & infideles fœtere jam fecit, & apud nonnullos Fideles inſtabilitate Fidei titubare, ſine tarditate aliqua, rejectis frivolis, & calumnioſis allegationibus ſuper defenſione tollenda, ex officio ſuo omnino tolleret, Bonis ejus Ordinis, diſpoſitioni Sedis Apoſtolicæ reſervatis. Et ſine tarditate dico, etiamſi a prima ſua inſtitutione fuerit bonus Ordo, cum dicatur,* LXIII. *Diſt. Cap.* Verum; *quod* ſi nonnulli ex Prædeceſſoribus noſtris fecerunt aliqua, quæ illo tempore potuerunt eſſe ſine culpa, & poſtea vertuntur in errorem, & ſuperſtitionem (*ſicut de dicto Ordine apparet*) ſine tarditate aliqua, & ejus magna auctoritate a poſteris deſtruantur, ſicut tam ibi, quam IV. Regum, XVIII. legitur, quod confregit æneum ſerpentem, quem Moyſes Domino jubente conſtruxit. *Et iterum bene, dico, ſine tarditate, ne ex tarditate moroſa ſcintilla hujus erororis prorumpat in flammam, quæ poſſet incendere totum Orbem, & Fidem Catholicam non modicum denigrare, ut accidat quod dicit Hieronymus, quod* Arius una ſcintilla fuit in Alexandria, ſed quia ſtatim oppreſſus non extitit, flamma ejus totum Orbem populata eſt. *Nec multum movere debet Dominum noſtrum, quod dicant aliqui, prædictum Ordinem, qui Eccleſiæ videtur eſſe membrum tam nobile, non debere ſine Juris ordine, & plena diſcuſſione truncari, cum ſalva pace dicentium, & propter grave ſcandalum, quod in Eccleſia Dei ex hoc Ordine jam eſt ortum, & ſemper ubique terrarum ex moroſa dilatione crebreſcit, non videtur tanta diſcuſſio requirenda, Veritate dicente, Matthei* VI. *& etiam* XVIII. Si oculus tuus dexter, vel brachium dextrum ſcandalizant te, erue eos, & projice abs te; expedit enim ut unum membrum tuorum pereat quam totum corpus &c. *Item etiam expedit Ordinem tolli alia ratione, videlicet, ne eo remanente ſemper indigna facti memoria refricetur; unde ſuper illud Levitici* XX. Mulier, quæ acceſſerit ad omne pecus, mulierem interficietis, & pecus morte moriatur, *dicit Auguſtinus*: Inde credendum eſt, pecora juſſa interfici, non quia peccaverint, cum ſint irrationalia, ſed quia tali flagitio contaminata, indignam refricant facti memoriam. *Et eſt Decretum*, XV. *Queſt.* I. *Cap.* Mulier.

XVII. Concilii tandem Œcumenici, ac Summi Pontificis Clementis V. qui eidem præſuit, Sententia, quæ incipit, *Ad providam*, legiturque apud Labbeum, Harduinum, alioſque Auctores complures, extinctus penitus fuit atque abrogatus Templariorum Ordo, in ſcelera enormia prolapſus, & quidem per viam Proviſionis, his verbis: *Dudum ſiquidem Ordinem Domus Militiæ Templi Hieroſolymitani, propter Magiſtrum, & Fratres, ceteraſque perſonas dicti Ordinis in quibuslibet Mundi partibus conſiſtentes, variis, & diverſis, non tam nefandis, quam infandis errorum, & ſcelerum obſcœnitatibus, pravitatibus maculis, & labe reſperſos, quæ propter triſtem, & ſpurcidam eorum memoriam præſentibus ſubticemus; ejuſque Ordinis ſtatum, Habitum, atque Nomen non ſine cordis amaritudine, & dolore, Sacro approbante Concilio, non per modum Diffinitivæ Sententiæ, cum eam ſuper hoc ſecundum Inquiſitiones, & Proceſſus ſuper his habitos ferre non poſſemus de Jure, ſed per viam Proviſionis, & Ordinationis Apoſtolicæ, irrefragabili, & perpetuo valitura ſuſtulimus Sanctione, ipſum prohibitioni perpetuæ ſupponentes; diſtrictius inhiben-*

Digitized by Google

*bibendo, nequit dictum Ordinem intrare, vel ejus Habitum ſuſcipere, vel portare, aut pro Templario ſe gerere præſumeret. Quod ſiquis contrafaceret, Excommunicationis ſententiam incurreret ipſo facto. Univerſa etiam bona Ordinis prælibati, Apoſtolicæ Sedis ordinationi, & diſpoſitioni Auctoritate Apoſtolica duximus reſervanda.* Ea demum quæcunque, & ubicumque exiſterent, Equitibus S. Joannis Hieroſolymitani, qui Rhodii tunc dicebantur, attributa ſunt, ut in eadem Sententia habetur, *exceptis bonis quondam dicti Ordinis Militis Templi conſiſtentibus in Regnis, & Terris chariſſimorum in Chriſto filiorum noſtrorum, Caſtellæ, Aragoniæ, Portugalliæ, & Majoricarum Regum illuſtrium extra Regnum Franciæ, quæ a donatione, conceſſione, unione, applicatione, incorporatione, & annexione prædictis ſpecialiter excipienda duximus, & etiam excludenda: ea nihilominus diſpoſitioni, & ordinationi Sedis Apoſtolicæ reſervantes.*

XVIII. Quod vero Templariorum perſonas ſpectat, decretum & illud in hoc Generali Concilio ſuit, notabiliores ordinationi ſpeciali Romani Pontificis reſervari, ceteros Provincialibus Synodis ita committi, ut ſontibus, qui Judicium detrectaſſent, pro ratione criminum ſupplicia irrogarentur; inſontes, aut qui leviter deliquiſſent, aut ultro confeſſi, vere contriti apparerent, detracto Habitu, in iiſdem Domibus, in quibus profeſſi fuiſſent, vel etiam in aliis Religionibus a Sede Apoſtolica approbatis, quas ipſi eligerent, de bonis quæ fuerant Templariorum, uſque ad finem vitæ alerentur; ita tamen, quod in una Domo, unove Monaſterio multi ſimul nullatenus ponerentur. Quæ pluribus refert Bernardus Guidonis in Vita Clementis Papæ V. apud Balutium in Vitis Paparum Avenionenſium. Sane fuit eorum Habitus albi coloris, cum Cruce rubea, quam eiſdem conceſſit Eugenius III. *ut ſcilicet veſtes albas in ſignum innocentiæ deferentes, per Cruces rubeas Martyrium ob Chriſti Nomen non ſubterfugiendum deſignarent, eo quod ſanguinem proprium ſecundum Inſtituta Regulæ pro defenſione Terræ Sanctæ, effundere eſſent obſtricti, & Chriſti Crucis inimicos viriliter expugnando, a Chriſtianorum finibus propellere;* uti inter alios docet Franciſcus Menennius in Opuſculo, quod inſcripſit: *Militarium Ordinum Origines, Statuta, Symbola, & Inſignia &c.* Pag. 34. & ſequenti, ubi de forma Crucis, quam ipſi Templarii in Habitu geſtabant, mox ſubjicit: *Crucem vero Ordinis teſſeram volunt octogonam, illius inſtar, qua hodie Equites Melitenſes inſigniuntur, & quali Jacobi Molæ ultimi Templariorum Magiſtri effigies in Gallia communiter exhibetur. Hieronymus tamen Romanus Hiſpanus contendit, fuiſſe duplicem, & quaſi Patriarchalem, qualem Inſignia antiqua præferant Hungariæ, & in Republica ſua Mundi ob oculos expreſſam ponit.* Eadem & alii Scriptores referunt.

XIX. Redeo nunc ad Sententiam in Templarios latam, cujus verba illa, *Non per modum Diffinitivæ Sententiæ, cum eam ſuper hoc ſecundum Inquiſitiones, & Proceſſus ſuper hoc habitos, ferre non poſſemus de Jure*, eo quem ſupra expoſuimus ſenſu, intelligenda obſervarunt duo inter alios non incelebres, & antiqui Auctores, Walſingamus nempe, & Guillelmi Nangii Continuator. Ille quidem in Hiſtoria Anglicana, ad annum MCCCXI. ubi ita ſcribit: *Cum in Concilio Viennenſi tractaretur, an propter vocationem ſingularum perſonarum Ordinis Templariorum, vel propter Acta contra eoſdem, poſſet totus Ordo damnari propter ſingularium delinquentium vocationes, cum conſtaret, quod dictus Ordo non fuerat vocatus, definitum fuit per dictum Concilium, quod non de Jure. Ideo Papa Clemens in Bulla ſua condemnatoria Ordinis adjecit hanc clauſulam: Quamquam de Jure non poſſumus, tamen de plenitudine poteſtatis dictam Ordinem reprobamus.* Nangii vero Continuator ad annum ipſum MCCCXI. hæc habet: *Papa aſſumto Themate,* Non reſurgent impii in Judicio, neque peccatores in Concilio Juſtorum; *& per modum prædicationis ad Templarios applicato, Ordinem Templi non per modum Diffinitive Sententiæ, cum Ordo ut Ordo non eſſet adhuc convictus; ſed per modum Proviſionis, & Ordinationis tantum; tamen quia modus recipiendi, quem nec ante voluerant detegere, fuerat ab antiquo ſuſpectus, & per infinitos Fratres Ordinis, & Majores hoc fuerat prolatum, Auctoritate Apoſtolica, Sacro approbante Concilio, delevit, & amovit, & tam ipſius Nomen, quam Habitum penitus annullavit; tum quia de cetero eſſet inutilis Ordo, cum nullus bonus vellet deinceps ipſum intrare; tum propter alia mala removenda, & ſcandala evitanda.* Hactenus Nangii Continuator cui alii adhærent.

XX. Jam non deſunt plerique Auctores, & inter eos Boſcius huic tempori proximus, qui Templarios defendunt, eorumque extirpationis initium in avaritiam Philippi Pulchri Franciæ Regis referunt. Verum hæc calumnia colorem aliquem habere poſſet, ſi in ſola Gallia ipſorum exterminatio facta fuiſſet; at cum in toto Orbe exterminati ſint, ſi res avaritiæ tantummodo fuit, non ſolum ceteri Principes hoc eodem crimine culpandi venirent, verum & ipſe Romanus Pontifex Maximus iniquitatis damnandus eſſet, qui Ordinem florentiſſimum, reique Chriſtianæ adeo utilem tam fœdo fundamento deleri juſſiſſet; ipſaque Synodus univerſalis accuſanda, quæ damnationem approbavit, & confirmavit. Deinde hæc calumnia vel ex eo deſtruitur, quod eorum bona Hoſpitalariis, aliiſque Religioſis Ordinibus Militaribus, tam in Galliis, quam ubivis locorum, immobilia ſaltem attributa fuerint; quantumvis ea Clemens Papa V. qui Templarios extinxit, initio in Terræ Sanctæ ſubſidium deſtinaſſet. Ceterum apoſtaſiæ, idololatriæ, ſodomiæ, & hæreſis crimina ipſis impacta, tametſi incredibilia videantur, publica nihilominus Clementis Papæ Diplomata, Concilii Acta, ac diligens facta eorum criminum indagatio, atque probatio, fidem luculentiſſimam faciunt, fuiſſe Templarios memoratorum ſcelerum reos. Qui plura hac de re cupit, legat Spondanum, & Raynaldum ad annos Chriſti MCCCVII. & MCCCXI. Vitamque Clementis V. apud Baluzium, & hujus Notas ad ipſam Vitam; præ ceteris autem Natalem Alexandrum, in Hiſtoriam Eccleſiaſticam Seculi XIV. Diſſertatione X. Quæſtione II. Articulo I. Num. XIV. & ſeqq. ubi argumenta, quæ in Templariorum defenſionem afferri ſolent, egregie, fuſeque diſſolvit; & Articulo II. quo Philippum Pulchrum Regem Chriſtianiſſimum a calumnia vindicat. Gravi itaque cenſura digna eſt Trithemii in ſuo Hirſaugienſi Chronico, aliorumque Scriptorum quorumdam temeritas, qui Templarios falſis criminibus oppreſſos fuiſſe aſſerere auſi ſunt.

SES-

Digitized by Google

## S E S S I O III.

XXI. Finito in ſecunda Seſſione hujus Vienneſis Concilio Templariorum negotio, atque, uti dictum eſt, omnino deleto, tertia, & ultima Concilii Seſſio celebrata eſt pridie Nonas Maji, ſeu die ſexta Maji anni MCCCXII. uti conſtat ex Auctore Anonymo, cujus fragmentum ex ms. Vaticano Codice refert Raynaldus, atque ex Bernardo Guidonis in Vita Clementis Papæ V. apnd Baluzinm, ubi ita inquit: *In ſequenti vero menſe Maji, pridie Nonas ejuſdem menſis, in Feſto S. Joannis ante Portam Latinam, quod fuit in Sabbato infra Octavas Aſcenſionis Domini, tertia, & ultima Generalis Concilii Seſſio celebrata; fuitque Concilium, quod ſeptem fere menſibus protractum fuerat, terminatum anno Domini prætaxato, præſidente in Concilio Clemente Papa V. Pontificatus ſui anno ſeptimo in Vienna*, ideſt, anno Chriſti MCCCXII. Quid in ea tertia, ac poſtrema Concilii Seſſione agitatum ſit, Scriptores non produnt. Cum tamen certum ſit pleraque alia in ipſo Concilio peracta eſſe, videndum nunc quænam ea fuerint, & hoc loco ex antiquis Auctoribus, atque ex Conſtitutionibus hujus ejuſdem Concilii deſcribenda, quarum nonnullas nos infra explicabimus, ex multis illis quæ corpori Juris Canonici, Codici ſcilicet, qui Clementinarum nomine appellitatur, inſertæ ſunt.

XXII. Ergo Continuator Martini Poloni hujus temporis Auctor ſcribit, Seſſione prima hujus Concilii actum fuiſſe de recuperatione Terræ Sanctæ, decretumque eſſe, ut Crux per univerſum Terrarum Orbem prædicaretur. Continuator vero Nangii, qui & hoc tempore vivebat, loquens de ſecunda Concilii Seſſione, ait Philippum Francorum Regem promiſiſſe, *quod infra annum cum liberis, fratribus ſuis, necnon Procerum Regni ſui, & aliorum Regnorum multitudine copioſa, Crucem aſſumeret, & ab inſtantibus Martii Kalendis ad ſex annos iter arriperet, ad transfretandum in ſubſidium Terræ Sanctæ; quod ſi morte, vel alias eſſet legitimo impedimento excuſandus, primogenitus ſuus ad hoc exequendum ſe ſe fideliter obligavit, ſed nihil fecit*. Ad hoc igitur ſe ſe obligavit Philippus Rex ante ſecundam Seſſionem, quæ habita eſt poſt inſtantes Kalendas Martias; ſed poſtea in ſecunda Seſſione Concilium hoc Viennenſe Œcumenicum conceſſit Regi Decimas in ſexennium pro ea cauſa; idem enim Continuator Nangii ita ſubjicit: *Qua de cauſa Prælati devota affectione Decimas ad ſex annos conceſſerunt eidem*, Philippo nempe Galliæ Regi, *quorum videlicet tam Regis devotionem, quam Decimarum obligationem Summus Pontifex, & Sacrum Concilium approbarunt, & ſic fuit illa Seſſio terminata*. Decimæ ergo in ſecunda Seſſione Philippo Regi ſunt conceſſæ, uti notat Pagius in Vita Clementis Papæ V. Numero LIII. Certe ſubſidium Terræ Sanctæ, unam fuiſſe ex cauſis convocandi hujus Viennenſis Concili Œcumenici, jam nos ſuperius oſtendimus ex ipſis Clementis Papæ Litteris; verum præter laudatum ſuperius Continuatoris Nangii teſtimonium, tradit etiam Albertus Krantzius, deliberationes, conſilia, & promiſſa de eo negotio habita, factaque, in irritum cecidiſſe.

*De erroribus Petri Joannis Olivi.*

XXIII. In hoc eodem Concilio damnatos fuiſſe tres inſignes errores Petri Joannis Olivi, docet nos Clementina I. Conſtitutio, *De Summa Trinitate, & Fide Catholica*, & inter alios Sanctus Antoninus Parte III. Titulo XI. Cap. III. Primus eſt, quod aſſeruit, Chriſti adhuc viventis latus fuiſſe lancea perfoſſum. Alter, quod inficiatus ſit, animam rationalem eſſe formam corporis. Tertius, quod habitus Fidei & virtutum parvulis in Baptiſmo infundi negavit. Contra primum errorem profitetur Pontifex, Synodusque hæc Œcumenica, quod Chriſtus, *emiſſo jam ſpiritu, perforari lancea ſuſtinuit latus ſuum, ut exinde profluentibus undis aquæ & ſanguinis formaretur unica & immaculata, ac Virgo ſancta Mater Eccleſia conjux Chriſti, ſicut de latere primi hominis ſoporati, Eva ſibi in conjugium eſt formata; ut ſic certæ figuræ primi, & veteris Adæ, qui ſecundum Apoſtolum eſt forma futuri, in noſtro noviſſimo Adam, ideſt, Chriſto, veritas reſponderet &c.* Contra ſecundum errorem Pontifex una cum Synodo ſic pronunciat: *Doctrinam omnem, ſeu poſitionem temere aſſerentem, aut vertentem in dubium, quod ſubſtantia animæ rationalis, ſeu intellectivæ, vere, ac per ſe humani corporis non ſit forma, velut erroneam, ac veritati Catholicæ inimicam Fidei, prædicto Sacro approbante Concilio reprobamus: definientes, ut cunctis nota ſit Fidei ſinceræ veritas, ac præcludatur univerſis erroribus aditus, ne ſubintrent, quod quiſquis deinceps aſſerere, defendere, ſeu tenere pertinaciter præſumſerit, quod anima rationalis, ſeu intellectiva non ſit forma corporis humani per ſe, & eſſentialiter, tanquam hæreticus ſit cenſendus.*

XXIV. Contra tertium tandem errorem, poſtquam præmiſit, Baptiſma unicum ab omnibus Fidelibus confitendum, quod celebratum in aqua in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, credimus eſſe tam adultis, quam parvulis communiter perfectum remedium ad ſalutem, ſubdit mox, cum de Baptiſmi effectu variæ ſint Theologorum opinones, dicentibus quibuſdam; parvulis culpam remitti, ſed Gratiam non conferri; aliis culpam remitti, & Gratiam informantem, ac virtutes infundi quoad habitum, etſi non pro illo tempore quoad uſum: poſteriorem iſtam opinionem tanquam probabiliorem, ac Sanctorum Patrum, atque Theologorum doctrinæ magis conſentaneam, altera repudiata, eligendam eſſe, ac propugnandm: *Nos autem*, inquit, *attendentes generalem efficaciam mortis Chriſti, quæ per Baptiſma applicatur pariter omnibus baptizatis, opinionem ſecundam, quæ dicit, tam parvulis, quam adultis conferri in Baptiſmo informantem Gratiam, & virtutes, tanquam probabiliorem, & dictis Sanctorum, ac Doctorum modernorum Theologiæ magis conſonam, & concordem, Sacro approbante Concilio, duximus eligendam*. Hoc Clementis Papæ V. ejuſque Viennenſis Generalis Synodi Decreto damnari Petri Joannis Olivi errores, notat laudatus Natalis Alexander in Hiſtoriam Eccleſiaſticam Seculi XIV Diſſertatione X. Num. III. itemque Capite, quod inſcriptum eſt, *De hæreſibus, & erroribus in Eccleſia exortis*, Seculis XIII. & XIV. Articulo IX. ubi etiam varios alios ejuſdem Auctoris errores recenſet, atque perſtringit. Fuit autem Petrus Ordinis Fratrum Minorum alumnus ex Oppido Sirignano, Diœceſis Biterrenſis oriundus, qui licet inter ſuos primum eruditionis, & Regularis obſervantiæ fama floruerit, hæreſeos deinde laboravit infamia, a qua eum fruſtra purgare

co-

conatus eſt Wadingus, uti inter alios idem Alexander citato loco fuſe oſtendit. Obiit Petrus anno Chriſti MCCXCVII. ejuſque oſſa exhumari deinde juſſit, & concremari Joannes XXII. Pontifex Maximus, ut refert Franciſcus Pegna ex tribus mſſ. probatæ Fidei Codicibus Commentario LI. in Partem II. Directorii Inquiſitorum.

*De Fraticellis, & Dulciniſtis.*

XXV. Petrum ipſum Joannis Olivi uti Patriarcham venerati ſunt hæretici dicti Fraticelli, Beguardi, & Beguinæ, quorum errores, ſicut & Dulciniſtarum refert citato Cap. III. memoratus Natalis Alexander, Articulo X. & XI. Fraticellorum ſectæ, qui & Fratres de paupere vita, Bizochi, & Beguini interdum nominabantur, initium dedere Petrus de Macerata, & Petrus de Foſempronio Ordinis Fratrum Minorum Apoſtatæ, qui Cæleſtini Papæ V. ſimplicitate abuſi, ab ipſo impetrarunt, ut Eremitarum cultu vivere, ac S. Franciſci Regulam ad literam ſervare poſſent. Sectam jam invaleſcentem, erroreſque plurimos publicantem damnavit primum Boniſacius Papa VIII. qui Inquiſitoribus juſſit, ut in eos veluti contra hæreticos agerent. Boniſacii Litteras ad Matthæum de Theate Ordinis Fratrum Minorum, Inquiſitorem hæreticæ pravitatis datas exhibet Raynaldus ad annum MCCXCVII. Numero LIV. Sectæ vires in Galliis addiderat Petrus Joannis Olivi, de quo ſuperius diximus. Religioſis Ordinibus ab Eccleſia approbatis, & præſertim Fratrum Minorum Conventualium ſacræ Familiæ detrahentes, novum Ordinem ſe in Eccleſia profiteri, ſeu potius S. Franciſci ſpiritum, ac Regulam ſe excitaſſe gloriabantur, cultu ſordido incedentes, gyrovagi, hypocritæ, paraſiti, in mulierculàrum devotarum familiaritatem ſe inſinuantes, paupertatis Evangelicæ ſpeciem ſibi arrogabant, ſeque orationi, & contemplationi addictiſſimos mentiebantur, ideoque ad laborem non teneri. Unde ad ſectam ipſam ignavorum hominum colluvies, porcarii, armentarii, pecorarii, cementarii, carbonarii, ſabri, aliique ex infima ſellulariorum ſæce confluebant, panem ut otioſi comederent, & mendicitate, ut ipſis quidem videbatur, non indecora vitam ſuſtentarent. Bizochos porro dictos eoſdem fuiſſe quidam ajunt a *biſacco*, quod oſtiatim panem, & victum mendicantes, biſaccum humeris deferrent.

XXVI. Sectam male pullulantem Clemens V. abolere conatus eſt, Apoſtolica manſuetudine ac mandatis ſegreges Minoritas ad Ordinis unitatem & obedientiam Generali Miniſtro, Provincialibus Cuſtodibus, ac Guardianis exhibendam revocare ſatagens, declaratione etiam dubiorum quorumdam circa ſenſum, & obſervantiam Regulæ edita in Clementina ſua Conſtitutione, quæ incipit, *Exivi de Paradiſo*, *De verborum ſignificatione*, quamque in hoc Viennenſi Concilio publicavit. Spretis Pontificis Mandatis, ac Cenſuris, ex Provincia Tuſciæ, ubi loca quædam Ordinis occupaverant, in Siciliam ſeceſſerunt, ſchiſmaticæque ſuæ Congregationi Henricum de Ceva ejuſdem Ordinis apoſtatam præſecere. Damnavit hos tandem Joannes Papa XXII. in Conſtitutione adverſus has peſtes edita anno MCCCXVIII. ſuſeque de iis agit in Annalibus ſuis Raynaldus ad annum MCCXCVII. & ad annum MCCCXII. MCCCXVIII. & alibi. Legendus præ ceteris Natalis Alexander, qui varios Fraticellorum errores citato loco recenſet non modo ex laudata Joannis XXII. Conſtitutione, ſed & ex aliis Auctoribus contemporaneis plurimis.

XXVII. Ad Dulciniſtas quod ſpectat, dicti ſunt hi a Dulcino Novarienſi Gerardi Segarelli diſcipulo Pſeudoapoſtolorum ſectæ propagatore. Sane Gerardus iſte patria Parmenſis, vir plebejus, illiteratus, & ſtultus, cum poſtulato Fratrum Minorum Habitu repulſam paſſus eſſet, novum ſibi Habitum compoſuit, alboque pallio involutus, cum ſoleis in pedibus, ſecundum quod Apoſtolos depictos viderat, capillitio, barbaque, vendita domuncula, pretioque non in pauperes, ſed in nebulones, qui taxillis ludebant, diſperſo, Chriſtum, & Apoſtolos imitari ſe velle profeſſus eſt. Atque ut Chriſtum æmulari videretur, circumcidi voluit, faſciis etiam involutus in cunabulis jacere, mulierculæ cujuſdam ubera ſugere. Viles deinde homunciones in ſocietatem traxit, quam noxia libertas, & explendæ libidinis licentia facile propagarunt. Apoſtolorum nomen ſibi arrogabant, mendicando vagabantur, omnia communia eſſe debere docebant, etiam uxores. Deum Patrem rexiſſe Mundum in ſeveritate & juſtitia ab ejus creatione uſque ad Incarnationem Filii; tum a Filio gubernari cœpiſſe in gratia & ſapientia; jamque a Spiritu Sancto in amore, & caritate regi. Vigente itaque Regno caritatis, illicitum eſſe denegare quicquid ex caritate poſtularetur; adeoque promiſcuam Virorum feminarumque commixtionem, cum ex caritate fieret, peccatum non eſſe, ſed actum Caritatis. Fœdum illud dogma pluribus hominum millibus afflavit Dulcinus, a quo & deinde orti ſunt Dulciniſtæ. Damnata jam antea fuerat ſecta ipſa pſeudoapoſtolorum ab Honorio IV. anno MCCLXXXV. & a Nicolao IV. anno MCCXC. Honorii IV. Litteras, quæ incipiunt, *Olim felicis*, exhibet Eymericus in Directorio Inquiſitorum Pag. 270. In Dulcinum vero, ab eoque ſeducta ſex hominum millia in Alpibus habitantia, Clemens V. Inquiſitores primum, deinde Crucesſignatos Militea direxit. Captus Hæreſiarcha cum ſcorto, cui Margaritæ nomen, & pleriſque aliis, ac Vercellas ducti, ſæcularis Magiſtratus ſententia flammis addicti ſunt, ut tradunt S. Antoninus Parte III. Chronici, Titulo XXI. Cap. 1. & Bernardinus Corius in Hiſtoria Mediolanenſi, Parte II. ad annum MCCCVII.

*De Beguardis, ac Beguinis.*

XXVIII. Nominatim in hoc Generali Viennenſi Concilio damnati ſunt quidem Beguardi, & Beguinæ, uti conſtat ex Clementina, quæ incipit, *Ad noſtrum, De hæreticis*. Commune fuit iis Nomen cum Fraticellis, qui ex ſciſſione Franciſcani Ordinis prodiere, tum aliis hæreticis ex Segarelli, & Dulcini ſchola. Beguardorum, & Beguinarum ſectam in Alemannia inſurrexiſſe, *procurante ſatore malorum operum*, docet Clemens Papa V. in citata Clementina in Vienneſi hoc Concilio edita, qua octo ipſorum hæreticorum errores refert, ac damnat. Primus error erat, quod homo in vita præſenti tantum, & talem perfectionis gradum poteſt acquirere, quod reddatur penitus impeccabilis, & amplius in gratia proficere non valebit; nam, ut dicebant, ſiquis ſemper poſſet proficere, poſſet aliquis Chriſto perfectior inveniri. Secundus erat error, quod jejunare non oportet hominem, nec orare, poſtquam gradum perfectionis hujuſmodi fuerit aſſequutus, quia tunc ſenſualitas eſt ita perfecte ſpiritui & rationi ſubjecta, quod homo poteſt libere corpori concedere quic-

quicquid placet. Tertius, quod illi, qui ſunt in prædicto gradu perſectionis, & ſpiritu libertatis, non ſunt humanæ ſubjecti obedientiæ, nec ad aliqua præcepta Eccleſiæ obligantur; quia, ut aſſerebant, *ubi ſpiritus Domini, ibi libertas.* Quartus, quod homo poteſt ita finalem beatitudinem ſecundum omnem gradum perfectionis in præſenti aſſequi, ſicut eam in vita obtinebit beata. Quintus, quod quælibet intellectualis natura in ſeipſa naturaliter eſt beata; quodque anima non indiget lumine gloriæ ipſam elevante ad Deum videndum. Sextus, quod ſe in actibus exercere virtutum eſt hominis imperſecti, & perfecta anima licentiat a ſe virtutes. Septimus, quod mulieris oſculum, cum ad hoc natura non inclinet, eſt mortale peccatum; actus autem carnalis, cum ad hoc natura inclinet, peccatum non eſt, maxime cum tentatur exercens. Octavus, quod in elevatione Corporis Jeſu Chriſti, non debent aſſurgere, nec eidem reverentiam exhibere; aſſerentes, quod eſſet imperfectionis eiſdem, ſi a puritate, & altitudine ſuæ contemplationis tantum deſcenderent, quod circa miniſterium, ſeu Sacramentum Euchariſtiæ, aut circa Paſſionem humanitatis Chiiſi aliqua cogitarent.

XXIX. Hæc iſtorum hæreticorum deliramenta damnavit jam in hoc Generali Viennenſi Concilio Clemens Papa V. citata Conſtitutione, quæ incipit, *Ad noſtrum*; in qua etiam addit, nonnulla alia ſub ſimulata quadam ſanctitatis ſpecie ipſos Beguardos, Beguinaſque, dicere, facere, atque committere, quæ oculos Divinæ Majeſtatis offendunt, & grave in ſe continent periculum animarum. Tum vero eoſdem damnat, ſic inquiens: *Cum autem ex debito commiſſi nobis officii, hujuſmodi ſectam deteſtabilem, & præmiſſos ipſius execrandos errores, ne propagentur ulterius, & per eos corda Fidelium damnabiliter corrumpantur, extirpare ab Eccleſia Catholica neceſſario babeamus: Nos Sacro approbante Concilio ſectam ipſam cum præmiſſis erroribus damnamus, & reprobamus omnino, inhibentes diſtrictius, nequis ipſos de cetero teneat, approbet, vel defendat: eos autem, qui ſecus egerint, animadverſione Canonica decernimus puniendos. Porro Diæceſani, & illarum partium Inquiſitores hæreticæ pravitatis, in quibus Beguardi, & Beguinæ hujuſmodi commorantur, ſuum officium circa eos diligenter exerceant, inquirentes de vita, & converſatione ipſorum, qualiterve ſentiant de articulis Fidei, & Eccleſiæ Sacramentis. In illos vero, quos culpabiles repererint, niſi abjuratis ſponte prædictis erroribus pœnituerint, & ſatisfactionem exhibuerint competentem, debitam exerceant ultionem.* Hactenus Clementis V. & univerſalis Viennenſis Concilii Conſtitutio adverſus Beguardos, & Beguinas.

XXX. De eiſdem hæreticis, & eorum erroribus legendus inter alios Alvarus Pelagius ex Ordine Minorum Silvenſis Epiſcopus, coævus Auctor, Libro II. *De Planctu Eccleſiæ*, Cap. LII. ubi & eos ſtrictim refellit.. Sectæ caput Dulcinum, de quo ſupra diximus, fuiſſe ait, a quo peſtiferam illam doctrinam de ſpiritu libertatis didicerunt, qua omnis peccati, & præcipue carnalis conſcientiam extinxere; quem errorem labente Seculo XVII. adoptarunt etiam Quieteſtæ auctore Michaele Molinos. Præterea Beguardi hæretici, Beguinæque, ut idem Alvarus Pelagius tradit, nihil aliud eſſe ajebant Infernum, niſi non facere propriam voluntatem; nec aliud eſſe Paradiſum, niſi facere in omnibus propriam voluntatem, & uti in omnibus propria libertate. Multos Ordinis Fratrum Minorum Apoſtatas ad hanc ſectam effrenatæ libertatis defeciſſe teſtatur idem Antiſtes citato Libro, *De Planctu Eccleſiæ*, ubi & hæc habet: *Finis talis ſpiritus libertatis, caro eſt, & non ſpiritus. Tempore meo in Provincia B. Franciſci multi ſeculares, & Fratres Minores pro iſto carnali ſpiritu libertatis per Inquiſitores hæreticæ pravitatis incarcerati fuerunt: inter quos fuit quidam Frater noſter, qui propter perſectionem, quam oſtentabat, Apoſtolus dicebatur, qui ibi caput fuit iſtius erroris. Qui cum eſſem novitius, & conſulerem eum, credens virum perfectum, ſuper quadam mea tribulatione, ſubridens dixit mihi, quod ipſe tribulari non poterat. Quod verbum non intelligens, ipſum mirabilem hominem reputavi; ſed cum captus eſſet pro iſto ſpiritu libertatis, intellexi, verbum ſuum occultum, quod ideo non poterat tribulari, quia faciebat quicquid ſibi caro, & ſenſualitas ſuggerebat, ſervus carnis, liber a juſtitia. Ille in carcere Fratrum mortuus fuit Florentiæ, ſi vere pœnitens, neſcio.* Legi & de iiſdem hæreticis poſſunt S. Antoninus Parte III. Titulo XXI. Capite III. §. II. & Cardinalis Joannes a Turrecremata in Summa, *De Eccleſia*, Parte II. Lib. IV. Cap. XXXVI. Inter recentiores autem Scriptores videri poteſt Odoricus Raynaldus in Annalibus.

XXXI. Unde Beguardi, & Beguinæ appellati ſint, incertum eſt. Profecto certum eſt illud, ab ipſis Beguinis errore infectis, atque in hoc Concilio damnatis diſtinguendas eſſe alias innocentes ejuſdem nominis, quæ inſtitutum acceperant a pio quodam Sacerdote Leodienſi, qui *Lambertus Le Begues, quia balbus erat, de Sancto Chriſtophoro dicebatur, cujus cognomine mulieres, & puellæ, quæ caſte vivere proponunt*, Beguines *Gallice cognominantur*, inquit Ægidius Aureæ Vallis Monachus in Epiſcopis Leodienſibus, Cap. III. Ex quo ſequitur, quod alias notat Pagius in Vita Clementis Papæ V. Num. LVIII. commentitium eſſe, quod multi tradunt, eas a Sancta Begga Pippini Landenſis filia, & Gertrudis ſorore nomen, & originem accepiſſe; cum id gratis, & ſola nominis ſimilitudine innixi aſſeſant, aliis coævis Auctoribus eam inſtitutionem laudato Lamberto Le Begues, qui Seculo circiter medio duodecimo floruit, adſcribentibus apud Chapeavillam Libro II. Epiſcoporum Leodienſium Pag. 128. Haſce Beguinas non fuiſſe in aliarum damnatione ſuperius recitata comprehenſas declaravit Joannes XXII. Clementis V. Papæ ſucceſſor, ut conſtat ex Petro de Herentals Canonico Præmonſtratenſi in ejuſdem Joannis Papæ XXII. Papæ ſexta Vita apud Baluzium, in qua poſtquam loquutus eſt de Conſtitutione Clementis V. contra Beguardos, & Beguinas edita, legiturque in Clementina, *Ad noſtrum, De hæreticis*, ita deinde ſubdit: *Quam Conſtitutionem moderando revocavit Joannes Papa per unam, quæ incipit, Recta ratio non patitur, ut innocentes ad paria cum nocentibus judicentur*, ubi ſermo eſt de Beguinis innocentibus, quarum inſtitutum adhuc durat tam in Belgio, quam Leodii, & quæ illud profitentur, poſſunt ad nuptias tranſvolare, ut citato loco idem Pagius docet.

XXXII. De his ſine dubio loquitur Guillelmi Nangii Continuator, quippe qui ad annum

MCCCXVII. ſcribit Beguinas, *non obſtante condemnatione ſtatus earum, proceſſu temporis convaluiſſe; cum longe melius ſit, eas ſic eſſe, quam laxatis habenis, in ſeculi pompis & vanitatibus evagari; inter ipſas enim ſunt multæ bonæ, & religioſæ perſonæ, & inter ipſas exercentur opera pietatis*. De eiſdem videri poteſt Petri Coens Canonici Antuerpienſis Tractatus, Titnlo Diſquiſitionis Hiſtoriæ de origine Beghinarum anno MDCXXIX. editus; & quicquid de ipſis ſcribunt Dufreſne in ſuo mediæ & infimæ Latinitatis Gloſſario, verbo, *Beguinæ*, & Vaneſpen Parte I. *Juris Eccleſiaſtici univerſi*, Titulo XXXIII. Capite III. ubi inter alia ait, non eſſe dubinm, *Beguinarum vivendi rationem, haberi ab Eccleſia, & a Romanis Pontificibus, qui illis multa jampridem privilegia, ac immunitates conceſſerunt, quæ in earum Archivis etiamnum hodie reperiuntur, tanquam laudabilem; & eatenus probatam, ut Inſtitutum illud ſequentes ſalutem ſuam ſecure queant operari*. Porro ait Vaneſpen, Beguinarum Inſtitutum hodiernum in Belgio mixtum plane eſſe, ac medium quodammodo inter Regulare, & Secnlare, ſive Laicum; id quod etiam pluribus conatur oſtendere. Legendum integrum Caput III. quod inſcriptum eſt, *De Beguinis*.

*De Bonifacii VIII. cauſa.*

XXXIII. Bonifacii Papæ VIII. intruſionis, hæreſis, & aliorum criminum accuſati cauſam in Concilio Viennenſi, quæ indictionis ejus cauſa, vel occaſio fuerit, agitatam, in eoque Bonifacium Catholicum, nulla hæreſis labe infectum, verumque & indubitatum Pontificem declaratum fuiſſe, ſcribit quidem Joannes Villanius Lib. IX. Cap. XXII. & ex eo S. Antoninus Parte III. Capite III. quos poſtea alii ſequuti ſunt, & inter alios Natalis Alexander in Hiſtoriam Eccleſiaſticam Seculi XIV. Diſſertatione X. Quæſtione I. Num. VI. ubi S. Antoninum citat. Sed cauſam illam Avenione a Clemente Papa V. ante inchoationem Viennenſis hujus Concilii tractatam, ejuſque diſcuſſionem fuiſſe Apoſtolicæ Sedi reſervatam, egregie ſuſeque oſtendit eruditus Pagius in Vita laudati Pontificis Clementis V. Num. XXXII. & ſeqq. Certe in Decretis Ipſius Concilii poſtea promulgatis nulla extat ejus rei memoria; non quod, ut conjicit Spondanus, non cenſuerint Patres rem publice traducendam eſſe, ſed magis privatim extinguendam, tam ipſius Bonifacii, quam Regis honoris, & exiſtimationis cauſa; ſed quia ipſius Clementis Pontificis dexteritate, ac prudentia inſigni, cauſa illa ante Concilium ad exitum perducta fuerat, uti notat idem Pagius in ejuſdem Clementis Vita, Num. LXI. Tunc enim exiſtimandum eſt, contigiſſe, quod memoratus Villanius in Concilio hoc Viennenſi factum putat, nempe duos Milites Catalanos, Caroccium, & Guillelmum Debolum ſingulari certamine ſe probaturos obtuliſſe Bonifacii Papæ VIII. innocentiam, & rectam Fidem; & Cardinales Ricardum Petronum Senenſem Juriſconſultum, Guillelmum Longum Decretorum Doctorem, & Joannem de Murro, ac Gentilem de Monte Floris, Thelogos, fortiter pro Ipſo Bonifacio agentes, multis argumentis, ex Jure Civili, & Pontificio, ac Theologia petitis probaſſe, fuiſſe illum verum & indubitatum Romanum Summum Pontificem, nullaque hæreſis labe infectum.

XXXIV. Neque vero quemquam movere debet auctoritas Villanii tunc viventis; licet enim is Auctor ſatis ſit ſincerus, cum tamen in Italia ſcriberet, in iis, quæ a Clemente in Galliis geſta ſunt, ac præſertim in Viennenſi Concilio, multipliciter erravit, ut obſervat Pagius loco citato, Num. LXII. Primo enim Concilium Generale hoc Viennenſe Kalendis Novembris a Pontifice celebratum ſcribit, cum tamen certiſſimum ſit, indictum fuiſſe ad Kalendas Octobris, ejuſque primam Seſſionem die XVI. ejuſdem menſis habitam. Secundo Villanius ibidem aſſerit, S. Ludovicum Epiſcopum Toloſanum in eodem Concilio Catalogo Sanctorum a Clemente V. fuiſſe adſcriptum, cum alias ea Canonizatio a Joanne XXII. Clementis V. Succeſſore peracta fuerit, & quidem ſeptimo Idus Aprilis anni MCCCXVII. *Eodem anno*, ſcilicet MCCCXVII. inquit Ptolomæus Lucenſis in quinta Joannis Papæ XXII. Vita, *canonizavit Ludovicum Fratrem Ordinis Minorum Epiſcopum Toloſanum, cujus fuit Magiſter, ex continua converſatione cum eo de ipſius ſanctitate certior, puta, quod ejus geſta, & acta Vir ſubtilis indaginis, & oculis vidit, & experientiæ manibus contrectavit*. Alii Vitæ Joannis Scriptores diem Canonizationis addunt, nempe ſeptimum Idus Aprilis, qui concurrebat cum die Jovis poſt Feſtum Reſurrectionis Dominicæ. Canonizationis Bulla eodem die Avenione data, quæ Vitæ ejus, & miraculorum compendium continet, refertur a Wadingo in Annalibus Minorum ad annum MCCCXVII. Num. XLVIII. & a clariſſimo Fontanino in ſuo Codice Canonizationis Sanctorum. Erravit præterea Villanius, quum ſcripſit, finito Concilio Clementem Papam V. Burdegalam petiiſſe, cum alias conſtet, eum Avenionem petiiſſe, ibique, vel in Comitatu Venuſino, toto Chriſti anno MCCCXII. & ſequenti manſiſſe, ac nunquam amplius petiiſſe Burdegalam. Ceterum quod teſtimonium S. Antonini ſpectat, jam nihil & illud obſtat, cum is Auctor in ſua Chronica Joannis Villanii narrationem exſcripſerit latinitate a ſe donatam.

XXXV. Sunt quidem & alii Auctores, qui ſcribunt Bonifacii VIII. cauſam agitatam fuiſſe in hoc Viennenſi Concilio, citatque inter alios Severinus Binius in Notis ad ipſum Concilium eam in rem Conradum Vecerium, quem dicit *Scriptorem hujus temporis*; ſed in hoc haud dubie fallitur, nam vixit Vecerius exeunte Seculo XV. vel ineunte XVI. ſub Maximiliano, cui a Secretis fuit. Maximilianus autem anno tantum MCDXCIII. dictus eſt Imperator. Citatur etiam eandem in rem Joannes Marius Belga, *De Schiſmate, & Concilio*, Lib. I. Cap. II. ſed hic etiam eſt Auctor Seculi XVI. cum fuerit Hiſtoricus Ludovici XII. Regis Gallorum. Scriptores autem illi nullum antiquum teſtem laudantes, audiendi non ſunt, cum præſertim ex Ptolomæo Lucenſi tunc vivente in ſecunda Clementis V. Papæ Vita apud Baluzium, & ex aliis apud Pagium in ejuſdem Pontificis Vita perſpicue conſtet, Bonifacii cauſam a Philippo Galliæ Rege relictam fuiſſe judicio Clementis Papæ, a quo etiam, uti ſuperius dictum fuit, terminata eſt Avenione ante Concilium. Atque ex his denique corruit, quod ſcribit Michael Mauclerus, *De Monarchia*, Parte IV. Lib. VII. Capite XVIII. ab Oldoino, & Papebrochio citatus; exſcripſit hic enim, quod ante annos trecentos ſcripſerat Joannes Villanius, quem jam ſuperius confutavimus. Citat quidem Mauclerus Bernardum Guidonia, ſed non relato loco, in quo id aſſe-

aſſerat. Certe contrarium potius ſcripſit Bernardus, uti ex ejus teſtimonio conſtat apud Paginm in Vita Clementis V. Num. xxxvi.

*De Conſtitutionibus Clementinis.*

XXXVI. Conſtitutiones plurimas, vel morum diſciplinam, vel Fidem ſpectantes, quæ extant in Corpore Juris Canonici, & Clementinæ inſcibuntur, editas non eſſe in hoc Œcumenico Viennenſi Concilio, ſed a Summo Pontifice dumtaxat, qui tamen Sacro approbante Concilio ſtatuere ſe ait, volunt Scriptores qnidam recentiores, & inter alios Natalis Alexander in Hiſtoriam Eccleſiaſticam Seculi xiv. Diſſertatione x. Quæſtione 1. Num. v. ubi etiam addit, Synodum ipſam Pontificis Judicio horum ſtatutorum editionem reſervaſſe, ac permiſiſſe; idque colligi ait ex Continuatore Guillelmi Nangii, qui ita inquit: *Porro etſi de aliquibus ſtatum, vel reformationem univerſalis Eccleſiæ tangentibus aliqua proloquuta fuerit, & eorum ordinatio, ſeu proviſio, ſeu deciſio, a Prælatis, & aliis, quorum intererat, priuſquam Concilium ſolveretur, & inſtanter, & pluries a Papa peteretur, de quibus etiam ipſe Papa (ut dixerunt aliqui) Decretales quaſdam præterea Conſtitutiones edidit, & ſtatuta, nunquam tamen in dicto Concilio fuerunt publice promulgata, ſed penitus Judicio Apoſtolico libere fuerunt reſervata, & ad plenum dimiſſa.*

XXXVII. Puto equidem, rectius alios Auctores ſentire, qui ajunt, ex recitato Continuatoris Nangii teſtimonio illud tantum inferri poſſe, Clementinarum Conſtitutionum promulgationem quidem Pontifici fuiſſe reſervatam, non vero earum editionem, idque inter alios eruit Pagius in citata Clementis V. Papæ Vita, Num. liv. ex Amalrico Augerii in ſexta ejuſdem Clementis Vita, in qua ita ait: *Super autem ſtatu Eccleſiæ & libertate ipſius in dicto Concilio plura ſtatuta ſalubria ſtatuta & facta fuerunt, quæ hodie Clementinæ nuncupantur. Sed ipſe Clemens in multis aliis negotiis arduis impeditus, & poſtea morte præventus, iſtas Conſtitutiones publicare nequivit.* Quibus ex verbis aperte colligitur, Conſtitutiones illas in Concilio editas quidem fuiſſe, ſed earum promulgationem Clementi Pontifici fuiſſe reſervatam. Id confirmat idem Pagius ex eo quod Baluzius in Addendis ad Notas Vitarnm Paparum Avenionenſium, Pag. 1416. ait, ſe reperiſſe in Chronico iſtorum temporum, quod extat in Codice mdxcvi. Bibliothecæ Colbertinæ hæc verba: *Iste Clemens Papa ad petitionem Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & aliorum plurium Prælatorum Concilium Generale apud Viennam Galliæ congregavit, ubi per ipſum Clementem, Prælatis faventibus, & aſſidentibus, & concordantibus cum ipſo, ſeptimus Liber Conſtitutionum plurimarum editus fuit.* Sed rem tandem extra controverſiam ponit Ptolomæus Lucenſis, qnum in ſecunda Clementis V. Papæ Vita ita ſcribit: *Publicatæ ſunt quædam Conſtitutiones factæ in Concilio Viennenſi, quæ jam dicentur: quarum una fuit declarativa eorum &c. Secunda Conſtitutio fuit &c. Quarta fuit de revocatione ſententiæ Imperatoris contra Regem Robertum; ſed iſta non fuit facta in Concilio*; ideoque aliæ in ipſa Concilio editæ fuerunt.

XXXVIII. Conſtitutiones itaque, quæ Clementinæ dicuntur, quaſque Clemens V. Pontifex ſeptimum Librum Decretalium appellari voluit, ab ipſo Concilio Viennenſi ſunt editæ, & a Clemente promulgatæ paulo ante mortem, anno ſcilicet mcccxiv. quo memoratus Amalricus Augerii in ſexta Clementis V. Papæ Vita apud Baluzium ita ſcribit: *Anno quo ſupra, xii. Kal. Aprilis, quibus fuit Feſtum S. Benedicti Abbatis, dictus Papa exiſtens cum Curia ſua apud Caſtrum de Montiliis Diœceſis Avinionenſis, coram ſe in Conſiſtorio publico ſuas Conſtitutiones Decretales, quas in Concilio Viennenſi ordinaverat, publicari fecit, quæ hodie Clementinæ vocantur; ſed poſtea infirmitate præventus, ad Studia generalia per eum tranſmiſſæ non fuerunt, ſed ſic publicatæ tunc remanſerunt, donec per ſuum Succeſſorem executioni demandatæ fuerunt.* Eadem prorſus habet Bernardus Guidonis in Vita ejuſdem Clementis V. Porro Succeſſor Clementis fuit Joannes XXII. qui ipſas Clementinas Conſtitutiones publica auctoritate donatas edidit, tranſmiſitque ad Doctores, & Scholares Bononiæ commorantes, uti ex ejuſdem Pontificis Epiſtola, ſeu Præfatione adiſcimna ei Collectioni præfixa, ac data viii. *Calend. Novembris, Pontificatus anno ſecundo*, ideſt, anno Chriſti mcccxvii.

XXXIX. Tradit autem inter alia in ipſa Epiſtola laudatus Pontifex Joannes XXII. Clementem Papam V. in ea Collectione non modo Conſtitutiones Œcumenici hujus Concilii Viennenſis poni curaſſe, ſed & alias quoque plurimas ante, & poſt ipſum Concilium editas. Notat præterea in ipſa Præfatione Gloſſator, qui eſt Joannes Andreas, aliquas ex iis Conſtitutionibus fuiſſe primum ab eodem Clemente V. ac deinde ab ejus Succeſſore Joanne XXII. Pontifice correctas: *Circa hoc ſciendum eſt*, inquit, *quod Conſtitutiones Concilii, licet non omnes fuerint in Concilio publicatæ, tamen poſtea de facto fuerunt publicatæ; & ipſarum habita copia, & jam habebatur, quod ligaret; & quia patuit, aliquas ex illis inepte, aliquas prolixe, aliquas defective compoſitas, aliquas etiam non expedire, voluit Clemens, quod compoſitio illis procederet; ſed, ut fertur, ſub excommunicationis pœna mandavit, quod illas habentes infra certos dies reſtituerent Cameræ, vel incenderent, vel dilacerarent etiam eaſdem. Demum per peritiores fecit illas recenſeri, qui aliquas, & paucas in totum reſervaverunt, aliquas in totum reſecarunt, aliquas mutaverunt quoad verba, mente ſervata: in aliquibus menti & verbis detraxerunt, & addiderunt; & has licet non ſub his verbis in Concilio publicatæ fuiſſent, voluit ſub nomine Concilii reſervari, & multas Conſtitutiones utiles addens, de quibus non fuerat in Concilio tractatum.* Tum paulo inferius de laudato Pontifice Joanne XXII. differens, inter alia inquit, quod petiit ipſe, ac recepit *Conſtitutiones ipſas examinandas, & corrigendas, & aliquas correxit, & mutavit.* Videndus & de ipſa Collectione Martinus Polonus in Vita Clementis V. & Auctor Anonymus in Vita ejuſdem Pontificis apud Baluzium. Sane Continuator Guillelmi Nangii ait, eam publicationem ſuſpenſam fuiſſe in Gallia, quod in ipſa quædam excommunicationes nimis rigidæ continerentur, ac tandem receptam illam fuiſſe ab omnibus Univerſitatibus. Dictæ ſunt autem hæ Conſtitutiones Clementinæ, quod ſolum Clementem V. partim per ſe, partim per Synodum univerſalem ab ipſo celebratam, Auctorem habent; licet idem Pontifex ſub Titulo Libri vii. Decretalium Conſtitutiones ipſas promulgare deſtinaſſet.

*To. IV.* T a XL. Ex

XL. Ex ipſis Conſtitutionibus aliæ mores, aliæ Fidem ſpectant. Quæ mores, recenſentur a S. Antonino Parte III. in ipſo initio Capitis III. Titulo xx. ibidemque §. I. quædam deſcribuntur, quæ ad Fidem pertinent. Sed eas nec totas, nec omnes memoratus S. Antoninus affert; ſicut nec Editores Conciliorum, quia ſcilicet quæ in Clementinarum Libris continentur, mixtæ cum aliis ſunt, quæ non ſunt Concilii Viennenſis, uti conſtat ex Joannis XXII. Epiſtola, ſeu Præfatione Clementinis præfixa. Porro ad hoc Viennenſe Concilium refert S. Antoninus Clementinam. *Ne in agro, De ſtatu Monachorum, vel Canonicorum Regularium*. Clementinam, *Dudum, De Sepulturis*; quæ Religioſis Mendicantibus formam præſcribit quoad ſacrum concionandi munus, & Confeſſionem audiendam, ac Sepulturam Fidelium in ſuis ipſorum Eccleſiis. Clementinam quoque, quæ incipit, *Religioſi, De privilegiis, & exceſſibus Privilegiatorum*, de qua nos infra eodem hoc inſcripto Titulo diſſeremus.

*De paupertate Fratrum Minorum.*

XLI. Actum & inter alia fuit in hoc eodem Viennenſi Concilio de explicatione quorundam Capitum Regulæ Fratrum Minorum, & Conſtitutionis de ea re editæ a Nicolao Papa III. uti videre eſt in celebri Clementina, *Exivi, De verborum ſignificatione*. Ut autem cetera omittam, quæ in ipſa Clementina continentur, celebris plane fuit controverſia de proprietate ipſorum Fratrum Minorum, *& peperit in Eccleſia Dei*, ut ait ibidem Gloſſa, *perniciosos effectus, præcipue tempore Joannis XXII. quia nonnulli Magiſtri Sacræ Paginæ verbis, & ſcriptis, niſi ſunt oſtendere, quod Fratres prædicti etiam in rebus uſu conſumtibilibus habent tantum ſimplicem uſum facti, & quod hæc eſt altiſſima paupertas, in qua ſunt fundati; & quod hæc etiam eſt Vita Chriſti, & Apoſtolorum, dicentes, quod perfectioni Vitæ Chriſti, & aliorum perfectorum non eſt conſonum, aliquid habere proprium, ſed ſolum facti uſum*. Ita Gloſſa, quæ etiam mox addit, fuiſſe & inter iſtos Marſilium de Menandrino Paduanum, qui multis rationibus, & auctoritatibus hæc, aliaque peculiaribus Libris docuit. Quis fuerit iſtæ Marſilius & in quot, & quantos lapſus fuerit errores, fuſe tradit in Hiſtoriam Eccleſiaſticam Seculi XIV. Natalis Alexander, aliique Auctores complures.

XLII. Porro, uti poſt Spondanum, Raynaldum, alioſque Scriptores Vitæ Joannis XXII. apud Baluzium rem Pagius narrat in Vita Joannis Papæ XXII. Num. XXXIX. & ſequentibus, anno Chriſti MCCCXXI. cum quidam Beguinus, ſeu Fraticellus, quod aſſereret, Chriſtum Dominum cum ſuis Apoſtolis nihil proprium in communi, aut particulari poſſediſſe, ſed vitam omnino pauperem abſque ullo peculio duxiſſe, cuſtodiæ traditus eſſet, per Archiepiſcopum Narbonenſem, & Joannem de Beine Ordinis Prædicatorum hæreticæ pravitatis Inquiſitorem, qui in eum tanquam in hæreticum agere decreverat, Berengarius Talnni Lector in Conventu Narbonenſi Fratrum Minorum, ſuſcepto illius Beguini patrocinio, aſſeruit, dogma illud tantum abeſſe ab hæreſis ſuſpicione, ut etiam inter Catholicæ Fidei articulos numerari deberet, maxime cum Decretalis Conſtitutio Nicolai Papæ III. legiturque in Capite, *Exiit, De verborum ſignificatione*, in VI. id affirmaret. Berengario palinodiam cum Inquiſitor indiceret, is ad Apoſtolicam Sedem ſolemniter appellans, Avenionem petiit, totamque rem laudato Joanni XXII. Pontifici expoſuit; qui ne temere quicquam in re tanti momenti ſtatueret, omnibus Academiis, ac doctiſſimis Viris ubique terrarum ad diſceptandum controverſiam ipſam propoſuit, utrum liceret pertinaciter aſſerere, Chriſtum, & Apoſtolos non habuiſſe aliquid in ſpeciali, neque in communi. Tum ne obſtaret prædicta Decretalis, *Exiit*, a Nicolao Papa III. edita, idem Joannes Pontifex menſe Auguſto anni MCCCXXII. ſententiam excommunicationis, ac pœnas in ea contentas ſuſpendit, vetans omnem Regulæ Minorum interpretationem, donec de hac nova Quæſtione deliberatum eſſet, uti conſtat ex ejus Conſtitutione, quæ incipit, *Quia nonnunquam*, legiturque in ipſius Extravagantibus, ad Titulum, *De verborum ſignificatione*.

XLIII. Eodem anno MCCCXXII. cum ipſi Fratres Minores ſub Michaele Cæſenate Miniſtro Generali Perusii Generale Capitulum celebrarent, tractata in eo prædicta controverſia, declaratum eſt ab eis, inhærere ſe Decreto Eccleſiæ Romanæ per memoratum Pontificem Nicolaum III. in citata Conſtitutione, *Exiit*, promulgato, & per ipſum Joannem XXII. in alia Conſtitutione, quæ incipit, *Quorundam exigit*, commendato, quo Nicolaus ipſe III. determinavit, Chriſtum, & Apoſtolos nihil jure proprietatis, & dominii, ſeu juris proprii, neque in ſpeciali, neque in communi habuiſſe; hancque propoſitionem non eſſe hæreticam, ſed ſanam, Catholicam, & fidelem. Duplices ea de re Generalis Capituli Peruſini Litteras ex celebri Opere Alvari Pelagii, *De Planctu Eccleſiæ*, Lib. II. Cap. LXII. refert Wadingus, datas Idibus Julii ejuſdem anni MCCCXXII. quas reliqui fere omnes Magiſtri Theologiæ ejuſdem Ordinis in Anglia, & ubique Locorum approbarunt, & confirmarunt, divulgatis ſcriptis; addentes inſuper, paupertatem Fratrum Minorum majoris eſſe perfectionis, quam aliorum Mendicantium, propter abdicatum dominium, nec niſi ſolum nudum uſum eis exemplo Chriſti reſervatum.

XLIV. Summa autem fuit audacia ipſorum Fratrum, qui eam Controverſiam in Sedis Apoſtolicæ diſcuſſione tunc temporis pendentem præjudicare anſi ſunt vel adverſus ipſammet Nicolai III. Conſtitutionem, qua ſe tueri poſitebantur. Sic enim inter alia laudatus Pontifex Nicolaus dixerat: *Siquid penes aliquem in his ambiguitatis emerſerit, ad culmen prædictæ Sedis Apoſtolicæ deducatur, ex auctoritate Apoſtolica, ſua in hoc manifeſtetur intentio: cui ſoli conceſſum eſt, in his ſtatuta condere, & edita declarare*. Hinc Michaele Cæſenate, cujus ſupra facta eſt mentio, exauctorato, Gerardus eorumdem Minorum Miniſter Generalis creatus, Michaelis, aliorumque Fratrum audaciam, temeritatemque compeſcuit peculari Tractatu de ea re edito, quem ex ms. Codice Vaticano laudat Raynaldus, ejuſque fragmentum deſcribit ad annum ipſum MCCCXXII. Num LV.

XLV. At vero cum Joannes ipſe XXII. de ea Fratrum Minorum temeritate certior factus fuiſſet eodem anno MCCCXXII. ſexto Idus Decembris Conſtitutionem edidit, quæ incipit, *Ad Conditorem Canonum*, extatque inter ejus Extravagantes in citato Titulo, *De verborum ſignificatione*, declaravitque, memoratam Conſtitutionem, *Exiit*, qua Nicolaus III. dominium, & proprie-

tatem

tatem rerum tam in communi, quam in ſpeciali Fratribus Minoribus abrogaverat, ac ſimplicem dumtaxat uſum facti eis reliquerat, dominio, ac proprietate Eccleſiæ Romanæ ſervatis, non intelligi de rebus, quæ uſu conſumuntur, in quibus dominium ab uſu facti ſeparari non poſſe multis probat; ideoque dominium illud ipſis reſtituit, prohibuitque ipſorum Procuratoribus, aut Syndicis, ne Sedis Apoſtolicæ nomine cuidam litem inferrent, reſciſſo quo ad hoc Martini IV. Privilegio: *Quis ſanæ mentis credere poterit*, inquit inter alia in citata Conſtitutione Joannes Pontifex, *quod intentio fuerit tanti Patris*, Nicolai nempe III. *unius ovi, ſeu caſei, aut fruſti panis, & aliorum uſu conſumtibilium, quæ ſæpe Fratribus ipſis ad conſumendum e veſtigio conferuntur, dominium Romanæ Eccleſiæ, & uſum Fratribus retinere?* Renunciavit itaque Joannes dominio illi peculiari rerum, quæ penes Minores habebantur, aut illis offerebantur, vetuitque eis amplius habere Syndicos, aut Procuratores, qui nomine Apoſtolicæ Sedis illas exigerent, aut curarent.

XLVI. Præterea cum ex ea Fratrum Minorum propoſitione, qua docebant, Chriſtum Dominum, ejuſque Apoſtolos nullarum rerum habuiſſe dominium, ſed merum uſum, præſentiret idem Pontifex Joannes XXII. inde deducendum, quod nec ipſe, nec Prælati Eccleſiæ ullarum rerum dominium habere deberent, cum non ſit Diſcipulus ſupra Magiſtrum, ſicque verteretur in litem Patrimonium S. Petri, opportune naſcenti huic malo occurrit, ubi IV. Idus Novembris anni MCCCXXIV. aliam Conſtitutionem edidit, quæ incipit, *Cum inter nonnullos*, habeturque in ipſius Extravagantibus ſub eodem Titulo, *De verborum ſignificatione*, qua declaravit, opinionem, quæ aſſerit, Chriſtum, & ejus Diſcipulos nihil habuiſſe, & in his, quæ habuerunt, nullum jus eis fuiſſe, itaut non poſſent ea pro libito vendere, donare, aut alio modo diſtrahere, erroneam eſſe, atque hæreticam, utpote Sacræ Scripturæ contrariam, & Catholicæ doctrinæ inimicam.

XLVII. Sane in eo Theologi omnes Catholici conveniunt, nullam eſſe inter Nicolaum III. & Joannem XXII. de ea Quæſtione contradictionem. Ut enim obſervat eruditus Ludovicus Bail Sacræ Theologiæ Doctor, & Pœnitentiarius Pariſienſis Tomo I. Summæ Conciliorum in ſua Adnotatione ad Concilium hoc Viennenſe, quæ eſt, *De paupertate Minorum*, ſingulari Dei providentia factum eſt, ut Joannes XXII. in ſua Conſtitutione Chriſtum abſolute conſideraverit, & non ſub reſtrictione, & reduplicatione, quatenus viam perfectionis docentem, qua uſus fuerat Nicolaus III. Nam licet Chriſtus abſolute conſideratus dominium omnium rerum habuerit vi Unionis Hypoſtaticæ, ut idem Auctor docet; tamen ſi conſideretur cum illa reduplicatione, & ſpecificatione, quatenus viam perfectionis, ejuſque Religioſæ, docens, non ita abſurdum eſt dicere, non habuiſſe Chriſtum tale dominium. Atque ex hac diſtinctione credit Wadingus ad annum MCCCXXIII. totam exhauriri difficultatem, miraturque, tot Sapientes Viros tantum laboraſſe in conciliando Joanne XXII. cum Nicolao III.

*De Feſto SS. Corporis Chriſti, & ejus Proceſſione, atque Expoſitione.*

XLVIII. Edita eſt in hoc eodem Viennenſi Concilio Conſtitutio a Clemente Papa V. quæ incipit, *Si Dominum*, & habetur in Clementina unica, *De Reliquiis, & veneratione Sanctorum*, ubi Gloſſa ſcite obſervat, inſtitutum quidem fuiſſe ab Urbano Papa IV. Feſtum Corporis Chriſti, quod celebrari quotannis deberet Feria V. poſt Octavam Pentecoſtes, ſed quod ipſa Urbani Conſtitutio minime recepta ab omnibus fuiſſet, ideo Clementem Papam V. eam innovaſſe, ac præcepiſſe, ab omnibus obſervari. Fuſe de ejus origine, ac Solemni Proceſſione diximus jam nos Tomo II. Commentariorum ad partem alteram Cæremonialis Epiſcoporum, Cap. XXXIII. Ne itaque actum agamus, quædam hoc loco notabimus, quibus Conſtitutio ipſa de ea celebritate in hoc Concilio edita illuſtretur.

XLIX. Rationes inſtituendi ejus Feſti, ut ex eadem Conſtitutione patet, hæ præſertim fuere. Prima, ut Catholici omnes in ſui grati animi obſequium immenſam in nos Charitatem recolerent, quam Chriſtus Euchariſtiam inſtituens oſtendit: *In inſtitutione hujus Sacramenti*, inquit Urbanus IV. Pontifex, *dixit ipſe Chriſtus Apoſtolis*: Hoc Facite in meam commemorationem; *ut præcipuum, & inſigne memoriale ſui amoris eximii, quo nos dilexit, eſſet nobis hoc præcelſum, & venerabile Sacramentum, memoriale, inquam, mirabile, ac ſtupendum, delectabile, ſuave, tutiſſimum ac ſuper omnia pretioſum, in quo innovata ſunt ſigna*, & *mirabilia immutata*. Et paulo poſt: *Hujus memorialis debemus continuam celebrare memoriam, ut illius, cujus ipſum fore memoriale cognoſcimus, ſemper memores exiſtamus; quia cujus donum, vel munus frequentius aſpicitur, hujus memoria ſtrictius retinetur.*

L. Altera ratio fuit, ut victoriæ, quam Eccleſia Catholica ex undecimi, & duodecimi Seculi hæreticis de Euchariſtiæ Sacramento perperam ſentientibus retulerat, permanens aliquod ſignum inſtitueretur: *Licet igitur*, ait idem Pontifex, *hoc memoriale Sacramentum in quotidianis Miſſarum Solemniis frequentetur, convenienstamen arbitramur, & dignum, ut de ipſo ſaltem ſemel in anno ad confundendam ſpecialiter hæreticorum perfidiam, & inſaniam, memoria ſolemnior, & celebrior habeatur.* Tertia, ut reſarciendæ quotidianæ in Euchariſtiam irreverentiæ ſtata dies aſſignaretur, quo ſcilicet Fideles ad hujus Sacramenti cultum peculiariter excitarentur: exemplo ducto a peculiari Feſtivitate omnium Sanctorum meritis conſecrata, quæ inſtituta eſt, ut in hac ipſorum celebratione communi quicquid in propriis eorum Feſtivitatibus omiſſum fuiſſet, ſolveretur. Tum vero Pontifex ſubjicit: *Potiſſime igitur exequendum eſt erga hoc vivificum Sacramentum Corporis, & Sanguinis Jeſu Chriſti, qui eſt Sanctorum omnium gloria & corona, ut feſtivitate, ac celebritate præfulgeat ſpeciali, quatenus in eo, quod in aliis Miſſarum Officiis circa Solemnitatem eſt forſitan prætermiſſum, devota diligentia ſuppleatur, & Fideles Feſtivitate ipſa inſtante, intra ſe præterita memorantes, id quod in ipſis Miſſarum Solemniis, ſecularibus forſitan agendis impliciti, aut alias ex negligentia, vel fragilitate humana minus plene geſſerunt, tunc attente in humilitate ſpiritus, & animi puritate reſtaurent.* Quarta demum ſecundæ conſequens eſt, *ad corroborationem*, inquit, *& exaltationem Catholicæ Fidei.*

LI. Has & alias rationes, quas legere eſt in citata Urbani IV. Papæ Conſtitutione, quam renovavit in hoc Viennenſi Concilio Clemens V. legitur-

giturque in Clementinis, Capite unico, *De Reliquiis, & veneratione Sanctorum*, egregie enarrat Angelicus Doctor S. Thomas Aquinas in Opuſculo LVII. qui Urbani IV. juſſu, Sanctiſſimi Sacramenti Officium compoſuit, quique etiam cauſam reddit, cur ei Feſto celebrando ſelecta fuerit Feria quinta poſt Octavam Pentecoſtes, ſic inquiens: *Ut qui per totum anni circulum hoc Sacramento utimur ad ſalutem, ejus inſtitutionem illo tempore ſpecialiter recolamus, quo Spiritus Sanctus corda Diſcipulorum edocuit ad plene cognoſcenda hujus Myſterii Sacramenta; nam & in eodem tempore cœpit hoc Sacramentum a Fidelibus frequentari*. Quippe in Actibus Apoſtolorum, Cap. II. S. Lucas ſcribit, ſtatim poſt illapſum in Apoſtolos Spiritum Sanctum, Fideles aſſidue verſatos fuiſſe in Communione Sanctæ Euchariſtiæ: *Qui ergo*, inquit, *receperunt Sermonem ejus, baptizati ſunt; & appoſitæ ſunt in die illa*, ideſt, Pentecoſtes, *animæ circiter tria millia. Erant autem perſeverantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis*, ideſt, Sanctæ Euchariſtiæ, uti Sacri Expoſitores docent, *& orationibus*.

LII. Urbani Conſtitutionem, quod non ab omnibus, uti notatum ſuperius fuit, eſſet recepta, jam non modo renovavit Clemens V. in hoc Viennenſi Concilio, verum etiam plerique Epiſcopi in Synodis ſuis, inter quas Senonenſis Synodus anni MCCCXX. Cap. I. ſtatuit etiam, ut monerentur Fideles ad jejunandum in Vigilia Feſti Corporis Chriſti: *Statuimus*, inquit, *ac etiam ordinamus, ut quilibet Diœceſanus in ſua Diœceſi plebem a Deo ſibi commiſſam, tam per ſe, quam per alios, loco, & tempore congruis, ſalutaribus monitis inducat, ut quarta Feria præcedente Feriam quintam poſt Octavas Pentecoſtes, qua Summi, & Magnifici Corporis, & Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti Sacramenti memoria celebratur, ad honorem pretioſiſſimi Sacramenti, ac ipſarum plebium ſalutem animarum, ſe ab eſu carnium abſtineant, & jejunent; omnibuſque jejunantibus, vereque pœnitentibus, & confeſſis, in remiſſionem ſuorum peccaminum, quadraginta dies de injuncta ſibi pœnitentia duximus concedendos; totidemque eiſdem a quolibet Diœceſano in Diœceſi ſua, auctoritate præſentis Concilii conceduntur. Circa vero Proceſſionem ſolemnem, quæ dicta quinta Feria fit a Clero, & Populo in delatione dicti Sacramenti his diebus, cum quodammodo divina inſpiratione introducta videatur, nihil quoad præſens injungimus, devotioni Cleri & Populi, relinquentes*.

LIII. Conſtat itaque ex recitato hucuſque Decreto Concilii Senonenſis, jam anno MCCCXX. quo ipſum Concilium celebratum eſt, fuiſſe in uſu ſaltem alicubi in ipſo Feſto ipſius Corporis Chriſti circumgeſtationem Sacræ Euchariſtiæ cum ſolemni Proceſſione; quam forte primum ordinarat Joannes Papa XXII. Clementis V. Succeſſor, uti docet in ſingulari Opuſculo Joannes Trithemius, ſic inquiens: *Quamquam Apoſtolica Mandata*, Urbani nempe Papæ IV. inſtitutoris ejus Feſti, *omnibus Eccleſiis directa fuiſſent ſuper celebranda nova de Venerabili Sacramento Solemnitate, omnes tamen Eccleſiæ obedire diſſimulaverunt præter Eccleſiam Leodienſem, quæ ubi Apoſtolicum Nuncium cum Bullis, Decretalibus, ac Officio apportatis honorifice ſuſcepit, tanquam devota filia mox quamcelerrime obedivit, rejecto Officio, quod Virgo Juliana confici fecerat, utens illo Officio, quod B. Thomas Aquinas confecerat*. Tum vero mox ſubjicit: *Itaque ab adventu præfatarum Bullarum tota & ſola Leodienſis Diœceſis præfatam Solemnitatem ſingulis celebravit annis uſque ad tempora Domini Papæ Joannis XXII. qui omnes Conſtitutiones Clementis publicavit, & ad univerſalia Studia tranſmiſit. Et ultra illas ordinationes Urbani IV. Clementinis Conſtitutionibus inſertas, novas Indulgentias conceſſit, atque Proceſſionem ordinavit. Ex tunc igitur, & deinceps Solemnitas hæc per totius Orbis Eccleſias devotiſſime acceptata eſt ad honorem Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen*.

LIV. Ergo Joannes XXII. inſtitutum ab Urbano IV. Feſtum Corporis Chriſti, a Clemente V. confirmatum innovavit, miſitque in generalem exequutionem, & ſolemnem Proceſſionem adjecit. Hinc de ipſo Pontifice ſcribit ad annum MCCCXVII. Thomas Walſingamus: *Hoc anno Dominus Papa inſtituit Feſtum Solemnitatis Corporis Chriſti, quod ab Urbano IV. ſumſit exordium*. Ad idem Joannis XXII. Papæ tempus refert ipſam Corporis Chriſti Proceſſionem Carolus Sauslæus ubi de Milone de Thailly Epiſcopo in Hiſtoria Eccleſia Aurelianenſi ita ſcribit: *Rurſus idem Epiſcopus haud ita multo poſt Concilium Viennenſe, in quo calculis omnium Patrum laudatum fuerat, & votis omnium conſpirantibus ſuſceptum Feſtum Corporis Chriſti, ab Urbano IV. inſtitutum Feria quinta poſt Octavam Pentecoſtes, injunxit omnibus, & ſingulis Prioribus, Capitulis, Curatis, ceteriſque Rectoribus Civitatis, & Suburbii, ut virtute obedientiæ ſibi debitæ, ſingulis annis cum ſuis Proceſſionibus, ad pulſationem Tertiæ, convenirent ad Eccleſiam S. Crucis, ituri inde cum Proceſſione dictæ Eccleſiæ ad Eccleſiam S. Petri Vivorum, nec a Proceſſione receſſuri, niſi poſt Sermonem, qui ad Populum faciendus eſt poſt reditum Proceſſionis: quo completo, unuſquiſque ad Eccleſiam ſuam ſit reverſurus, ad Divinum Officium ibidem peragendum. Actum Magduni die Lunæ poſt Octavam Pentecoſtes, anno Domini milleſimo trecenteſimo vigeſimo*. Atque hic nota, etiam intra Galliam Eccleſias memorati Joannis Papæ ordinationibus minime paruiſſe, coactumque fuiſſe Milonem ordinationes ipſas exequutioni mandare. Quod Italiæ Eccleſias ſpectat, videntur illæ non ſtatim laudati Pontificis Decreta admiſiſſe; cum enim tunc temporis Pontifex reſideret in Galliis, ideo Italia ad ejus Sanctiones erat moroſior.

LV. Hactenus enarrata nos docent, quam longe a vero exerraverint qui prima initia hujus Proceſſionis retulerunt ad annum MCDIV. decepti verbis Donati Boſſii, qui in Chronicis ſuis ſcribit, *anno Domini milleſimo quadringenteſimo quarto, vigeſimanona Maji, die Jovis, Corpus Chriſti, ſolemniter, ut poſtea factitatum eſt, per Papiam Urbem circumferri cœptum*; quaſi quod tunc Papiæ novum fuit, toti Orbi ante ignotum, & inuſitatum fuiſſe oporteret, ut ſcite notat eruditus Jacobus Eveillon, *De Proceſſionibus Eccleſiaſticis*, Capite XXV. Sunt & qui autumant, inter quos Clariſſimus Lupus in Diſſertatione, *De Sacris Proceſſionibus*, Cap. III. Urbanum IV. non modo Feſtum, ſed & ſolemnem circumgeſtationem Corporis Chriſti *omnino* inſtituiſſe; quia ſcilicet ipſe Urbanus IV. ſuo Diplomate, quod in laudata Conſtitutione exſcripſit Clemens V. in-

ter

ter alia præcepit, ut *tam Clerici, quam Populi gaudentes in cantica laudum ſurgant*; itemque, ut *tunc omnium corda, & vota, ora, & labia Hymnos perſolvant lætitiæ ſalutaris*. At vero quum hiſce verbis nihil de Proceſſione innuat Urbanns, nullusque extet antiquus Auctor, qui eam Proceſſionem a laudsto Urbano inſtitutam ſuiſſe referat, cenſent alii nequaquam hunc Pontificem fuiſſe Auctorem ejus Proceſſionis, tum maxime quod S. Thomas Aquinas in Officio prædicti Feſti, quod Urbani IV. juſſu compoſuit, licet omnia quæ Feſtivitatem & ejus inſtitutionem ſpectant, diſtincte digeſſerit, de Proceſſione omnino tacuerit. Quicquid ſit, inſtituiſſe Urbanum IV. Solemnitatem Corporis Chriſti cum Proceſſione, & Octavis a cunctis Fidelibus celebrari, tenet quidem laudatus Lupus, ejuſdemque opinionis jam ante illum fuerunt Joannes Laziardus in Epitome Hiſtoriæ univerſalis, Cap. CCXXIII. Hermannus Scheder in Chronicis, in ſexta ætate Mundi, Philippus Bergomas in Supplemento Chronicorum, Onuphrius Panvinius in Adnotationibus ad Platinam in Vita Urbani IV. Henricus Spondanus ad annum MCCLXIV. & ut alios omittam, Jacobus Eveillon, *De Proceſſionibus Eccleſiaſticis*,

LVI. Porro ordinationem a Joanne XXII. factam de ſolemni Proceſſione in Feſto Corporis Chriſti probarunt, confirmaruntque ſequioris ævi Pontifices, Martinus V. & Eugenius IV. & ille quidem in Conſtitutione, quæ incipit, *Ineffabile Sacramentum*, data XXVI. Maji anni MCDXXIX. iſte vero in Conſtitntione, quæ incipit, *Excellentiſſimo*, data XXVI. Maji anni MCDXXXIII. earumque mentionem facit inter alios Scriptores S. Antoninus ad quintidecimi Seculi exordium ita ſcribens: *Curia Florentiæ reſidente, Martinus Papa V. multa auxit ad celebrationem Feſti. Et primo quod ſtatuit, eo die Interdictum in omnibus Eccleſiis, ubi fuiſſet poſitum, ipſo jure relaxari, ſicut in Reſurrectione Dominica, die Natali, Pentecoſtes, & Aſſumtionis B. Mariæ. Secundo duplicavit Indulgentias conceſſas intereſſentibus Divinis Officiis ab Urbano IV. Tertio addidit & novas jejunantibus Vigiliam Feſti, ac etiam communicantibus in ipſo centum dies conceſſit; & ſimiliter aſſociantibus Proceſſionem, quæ fit de mane cum Sacramento. Aſſociantibus etiam Sacerdotem, cum defert Sacramentum infirmis, aliquot dies Indulgentiarum contulit*. Tum de Eugenio Papa IV. Succeſſore Martini V. ait, quod *Florentiæ manens cum Curia, duplicavit Indulgentias conceſſas a Martino V. & mandavit per Extravagantem, quod in Dominica præcedente ipſum Feſtum Prælati faciant in Prædicationibus hoc Populis intimari; & quod debeant hæc inter Lectiones, quæ dicentur intra Octavam Feſti, ſcribi, & legi, ſeu cantari, ſicut & aliæ Lectiones*.

LVII. Sacratiſſimi Corporis Chriſti Feſtivitatem laudat demum atque confirmat in Seſſione decimatertia, Capite XV. Sacroſancta Tridentina Synodus, declaratque, *pie & religioſe admodum in Dei Eccleſiam inductum fuiſſe hunc morem, ut ſingulis annis peculiari quodam, & Feſto die præcelſum hoc & Venerabile Sacramentum ſingulari veneratione ac ſolemnitate celebraretur, atque in Proceſſionibus reverenter, & honorifice illud per vias, & loca publica circumferretur*. Tum Feſtivitatis, ac Proceſſionis ipſius rationem exponens ita ſtatim ſubjicit: *Æquiſſimum eſt enim, ſacros aliquos ſtatutos eſſe dies, cum Chriſtiani omnes ſingulari & rara quadam ſignificatione gratos & memores teſtantur animos erga communem Dominum & Redemtorem pro tam ineffabili, & plane Divino Beneficio, in quo mortis ejus victoria, & triumphus repræſentatur, Atque ſic quidem oportuit victricem de mendacio, & hæreſi triumphum agere, ut ejus adverſarii in conſpectu tanti ſplendoris, & in tanta univerſæ Eccleſiæ lætitia poſiti vel debilitati & fracti tabeſcant, vel pudore affecti, & confuſi aliquando reſipiſcant*. Eſt itaque iſta Proceſſio veluti ſolemnis Chiſti Domini triumphus de Berengario, Wicleſo, Luthero, Calvino, cunctiſque ipſorum Sectatoribus, qui Corporalem Chriſti præſentiam per tranſubſtantiationem ab Euchariſtia variis temporibus ablegarunt: Quos tamen omnes merito eadem Synodns Canone VI. ejuſdem Seſſionis XIII. diro hoc anathemate feriit: *Siquis dixerit, in Sancto Euchariſtiæ Sacramento Chriſtum Unigenitum Dei Filium non eſſe cultu latriæ etiam externo adorandum, atque adeo nec Feſtiva peculiari Celebritate venerandum, neque in Proceſſionibus, ſecundum laudabilem & univerſalem Eccleſiæ ritum & conſuetudinem, ſolemniter circumgeſtandum, vel non publice, ut adoretur, Populo proponendum, & ejus adoratores eſſe Idololatras, anathema ſit*.

LVIII. Mos circumgeſtandæ Euchariſtiæ in ſolemni Proceſſione Corporis Chriſti jam olim varius fuit. Teſte Joanne Carolo Verano in Brundaſina Hiſtoria, cujus meminit in Opuſculo ſuo, *De ſacroſancto Chriſti Corpore Romanis Pontificibus iter agentibus præferendo*, Angelus Rocca: *Brunduſii*, inquit, *in hanc uſque diem mos obſervatus obtinuit, ut ſingulo quoque anno in Solemnitate Corporis Chriſti, Sanctiſſimum Sacramentum equo albo, necnon manſueto, ac pulcherrime phalerato per Civitatem deferatur. Quare Archiepiſcopus hac die Sacerdotalibus veſtibus, Pluvialique interea indutus, talique equo inſidens, Sanctiſſimum Sacramentum a duobus Acolythis aſſidue incenſatum, in ſupplicatione maxime ſolemni, ſub Umbella a ſex Canonicis delata, geſtare ſolet, duobus Civitatis Primariis, Gubernatore ſcilicet, & Regio Aſſeſſore, equi frenum tenentibus, ipſumque ducentibus*. Quis de ea re mos ſervetur hodieque in Hiſpaniis, diximus citato Tomo II. Commentariorum in Partem alteram Cæremonialis Epiſcoporum, Cap. XXXIII. ubi etiam habetur, manibus ab Epiſcopo geſtandum Euchariſtiæ Sacramentum; teſtaturque Gavantus ſanxiſſe Sacram Rituum Congregationem Sacramentum ipſum in ſolemni ipſa Proceſſione non deportandum, niſi per manus Sacerdotis, & quidem pedeſtris, ut olim, vel a Summo Pontifice fieri conſueverat, uti non obſcure innuit Auguſtinus Patricius in Cæremoniali Capellæ Papalis, Lib. II. Cap. XV. his verbis: *Si Pontifex eſt debilis pedibus, portatur in ſede*. Sed invaluit Ritus, ut etiam ſani Pontifices Sacramentum in ea Proceſſione delaturi, Sella geſtentur. A quo tamen receſſit S. Pius V. qui ut ait Surius in ſuo Commentario Hiſtorico ad annum MDLXVI. *in Feſto Sacroſanctæ Euchariſtiæ licet fractis eſſet viribus, & Medicorum opera uteretur, attamen vere Pius Pontifex non Sella pro more geſtatus, & non Corona Pontificia ornatus, ſed cum maxima Populi ædificatione pedibus ingrediens, illud præſtantiſſimum Corporis Chriſti voluit circumferre Sacramentum*. Pii pietatem ſequutus Benedictus XIII. Poutiſex Maximus conſuevit & ipſe

in

Digitized by Google

in eadem Sacratiſsimi Coeporis Chriſti Proceſſione pedibus pergens Sacramentum geſtaee.

LIX. Inſtitutæ Proceſſionis diſciplina, quæ ortum babuit a Feſto Corporis Chriſti, adeo Fidelibus placuit, ut, quemadmodum oſtendit Lupus in ſua citata Diſſertatione, *De Sacris Proceſſionibus*, Cap. IV. ſtatim extendi cœperit ad plures alias Proceſſiones, ac Feſtivitates. Ut alias autem Latinas Eccleſias omittam, apud Germanos ea pietas adeo crevit, & in eum quidem exceſſum, ut ſiſti tandem debuerit, teſte Crantzio in ſua Metropoli, ſeu in Eccleſiaſtica Saxoniæ Hiſtoria Lib. II. ubi hæc habet: *His temporibus memorandus diu Vir, Dominus Nicolaus de Cuſa, Cardinalis de Latere Legatus venit in Germaniam, & multa in Provinciis conſtituit, quæ ſi obſervarentur, melius ſe in pleriſque res baberent. Litteræ ſervantur in Archiviis Eccleſiarum. Hoc ſatis eſſe putant. Ceterum in executione operis nibil apparet. Fertur idem inter alias ſalubria conſtituiſſe de Venerabili Eucbariſtia, cujus erat tunc, ut nunc, quidam abuſus, cum in publicum deferretur in diebus Jovis per anni circulum. Res, ut prima fronte prætenditur, devotioni parata, ſed, ut evidenter claruit, per crebram ejus oſtentationem vileſcente, quæ ſemper ardens, & ſumma eſſe debuit, reverentio. Conſtituit ergo, ut non in publicum efferretur, niſi infra Octavam Feſtivitatis inſtitutæ ad bonorem SS. Eucbariſtiæ. Præſertim quia uſus ejus a Cæleſti Magiſtro inſtitutus eſt ad uſum, non ad oſtentationem. Sunt enim pleraque inter homines, quorum initia ſalutaria ſunt, ſed progreſſus non ita.* Revera Proceſſio iſta non expedit omni quintæ Feriæ. Sed tamen nou bene olent veeba illa, *non ad oſtentationem*. Sunt enim unum ex argumentis Lutheranorum, atque Calviniſtarum, quos merito damnavit Œcumenica Synodus Tridentina Seſſione XIII. Can. VI. jam ſuperius deſcripto.

LX. Menſtruas Corporis Chriſti Proceſſiones probavit quidem Eccleſia, ſuntque ipſæ in uſu ubique fere locorum apud Catholicos, eaſdemque jam pridem inſtitutas ſupponit S. Carolus Archiepiſcopus Mediolanenſis, ubi in ſua Provinciali IV. Synodo, ad Titulum, *De pertinentibus ad Sacroſanctum Eucbariſtiæ Sacramentum*, inter alia ſanxit, ut *Canonici ſinguli, & qui Dignitates obtinent, cum Proceſſiones publicas, illam præſertim quæ in celebritate ſacræ diei Corporis Domini agitur, atque alias item in portando Sanctiſſimo Sacramento ſingulis menſibus conſtitutas obeunt, intortitium accenſum in manibus, capite aperto ferant*. Eadem pietas viget in omnibus fere Cathedralibus, atque Parochialibus Italiæ Eccleſiis, in quibus jam pridem inſtitutæ ſunt Sanctiſſimi Sacramenti Confraternitates, quæ in unaquaque Parochia, ſeu Eccleſia, in qua erectæ ſunt, Proceſſionibus ipſis interſunt fieri ſolitis prima, ſeu aliis Dominicis cujuslibet menſis, cereoſque accenſos geſtant; ſatiſque iccirco mirari nequeo, cur Romæ, quæ eſt arx Chriſtianæ Catholicæ Religionis, in ſolemniſſima Proceſſione Corporis Chriſti, quæ mane ejus Feſti, ſumma cum pompa in Baſilica Vaticana a Romano Pontifice Maximo peragi ſolet, Clerus cum Secularis, tum Regularis, qui prædictæ Proceſſioni intereſt, nullum vel parvum accenſum cereum defert; cum alias uterque Clerus aliis locis nonniſi cum accenſo cereo in ea Proceſſione incedat.

LXI. Quicquid ſit, coæva eſt quidem huic Proceſſioni publica Corporis Chriſti Expoſitio, quæ in Eccleſiis paſſim tum Cleri Secularis, tum Regularis, dum Veſperæ decantantur per Octavam ejus Feſti pluribus ab hinc ſeculis fieri conſuevit. Duo plane ſunt abuſus, quos jam nos in Expoſitione ipſa Euchariſtiæ notavimus, & quidem alterum in Opere, *De Codice Sancti Evangelii &c.* Lib. II. Cap. XXIII. alterum Tomo III. Conciliorum in Commentario ad Canonem XXVII. Concilii IV. Œcumenici Lateranenſis. Primus plane eſt, quod licet juxta probatam Eccleſiæ diſciplinam, quam alias Monachi Benedictini, Clericique Regulares, quos Theatinos vocant, aliique nonnulli Religioſi Ordines rite ſervant, ſtandi ſcilicet in Choro, dum Horas Canonicas canunt, Seculares Presbyteri, ac præſertim Canonici complurium Eccleſiarum etiam ſedent quo tempore per Octavam Feſti Corporis Chriſti, diviniſſimæ Euchariſtiæ Sacramento publicæ venerationi expoſito, Veſperis ſacris aſſiſtunt. Alter abuſus eſt, quod Tabernaculum, in quo collocandum eſt Sanctiſſimum Sacramentum, ita alte, atque eminenter in aliquibus Eccleſiis poni conſuevit, ut Diaconus, aut alii cogantur aſcendere ſuper Altare, & ei pedes ſuperponere (licet tapes aliquis, aut aliud deſuper ponatur) cum Sanctiſſimum Sacramentum collocare debent, ut adoretur, vel inde removere; id quod indecens & indecorum videtur, uti notat Bauldryus in Manuali Sacrarum Cæremoniarum, Parte IV. Capite XVI. Articulo II. Num. VII. in fine, ubi monet, ut ſaltem eo caſu *conſternatur ſcabellum, quod aliquot gradus contineat ſufficientes, ut ad illum locum facilis ſit aſcenſus citra indecentiam*. Sane aliquando contigit, ut ob illam pedum poſitionem ſuper Altari, Sepulchrum Sacrarum Reliquiarum in medio ejus poſitum, confractum ſit.

LXII. Rurſus in Expoſitione Divinæ Euchariſtiæ, quæ per Octavam Feſti SS. Corporis Chriſti fieri aſſolet, ſive etiam in Oratione quadraginta horarum, juxta recentiorem Eccleſiæ diſciplinam a Summis Pontificibus probatam, opus eſt, ut in Altari cerei XXII. ardeant; tametſi minor numerus primum adhiberetur, uti conſtat ex Provinciali IV. Mediolanenſi Synodo, Conſtitutionum Parte II. Capite Inſcripto, *quæ ad Sanctiſſimum Eucbariſtiæ Sacramentum pertinent*, ubi S. Carolus inter alia mandat, ut *cerei in Altari accenſi ad ſummum decem, minimum vero ſex, decenti craſſitudine, ac longitudine colluceant: lampades item ne plures, quam duodecim, aut tredecim; nec vero pauciores, quam tres*. Addit tamen, licitum eſſe Epiſcopo, permittere, *ut major luminum numerus aliquando adhibeatur*. Forte in ipſa cereorum accenſione moderationem voluit S. Carolus, quod ſciret, ipſo quoque exceſſu populi devotionem nonnunquam impediri, atque reverentiam, & attentionem, quæ in prædicta Expoſitione ſoli debetur Sacratiſſimæ Euchariſtiæ, imminui; cum ſæpe nonnulli uno curioſitatis ſpiritu ducti ad hujuſmodi Expoſitiones accedant, non quidem primum Sacramenti adorandi gratia, ſed ut oculus ea cereorum multorum diſpoſitione, atque illuminatione recreent. Laudandi profecto qui multos cereos in Expoſitione Sanctiſſimi Sacramenti, quæ fit in Oratione quadraginta horarum adhibent; ſed in eo tamen notandi, quod in tanta cereorum multitudine vix præſcriptum numerum accendant, cereos nimi-

rum

Digitized by Google

rum XXII. ceteris ſere ſemper extinctis, qui tamen non ſine populi admiratione ſolent accendi, cum ſcilicet magnus aliquis Princeps advenerit.

LXIII. Ut aliquid nunc de frequenti Euchariſtiæ expoſitione dicamus, ſunt qni illam minime commendant, *ne nimia frequentia minuat reverentiam*, ut loqnitur Synodus Provincialis I. & II. Meclinenſis. Certe S. Carolus in ſua II. Synodo Diœceſana ait: *Sanctiſſima Eucbariſtia nequavis cauſa, ſed publica tantummodo, eaque gravi exponatur*. Et rurſus in Inſtructionibus Sacramentalibus, Titulo, *De exponenda Sacra Eucbariſtia in Oratione quadraginta borarum*, mandat, *ut coram Sanctiſſima Eucbariſtia Oratio quadraginta borarum in Eccleſiis fiat, ubi Archiepiſcopus ſtataerit, & quando id conceſſerit. Nequavis cauſa tamen Eucbariſtia palam, & aperte exponatur, ſed publica tamen, eaque gravi*; Aliis de cauſis ait mox Sanctiſſimus Antiſtes, licere quidem eam inſtituere Orationem, *ſed non Sacramento aperte expoſito*. Plura Synodorum, atque Epiſcoporum Decreta, quibus hæc publica Euchariſtiæ Expoſitio reſtringitur ad cauſam publicam per Epiſcopnm adprobandam adducit eruditiſſimus Joannes Baptiſta Thiers in celebri ſuo Tractatu, *De frequenti Expoſitione Sanctiſſimi Sacramenti*, Lib. II. Cap. v. & ſeq. Inter cetera autem allegat hic Auctor citato Cap. v. querelam celeberrimi Viri omnibus ob præclara ſua merita notiſſimi Joannis Gropperi Archiepiſcopi Colonienſis, qui de ſreqnentiori Euchariſtiæ Expoſitione ita inquit: *Venerabile Sacramentum in Proceſſionibus nimis crebro circumfertur, & populo plus nimie, & plerumque palam ſpectandum exbibetur*.

LXIV. Sed aliis omiſſis, ex recitatis S. Caroli Inſtructionibus profecto illud appsret, nequaquam ex mente hujus aelantiſſimi Præſulis, Eccleſiaſticæ diſciplinæ peritiſſimi, Sacram Euchariſtiam palam exponendam eſſe, niſi ex cauſa publica, eaqne gravi; ideoque puto, non omnino probandum nſum, qni hoc potiſſimum ſeculo invalnit, qno paſſim Sanctiſſimum Sacramentum palam exponitur, non modo in Novenis, ut ajunt, quæ præcedunt Feſta Sanctornm, ſed & ubi graviter ægrotant Magnates, Virique divites tametſi non nobiles. Quicqnid ſit de hac ſententia, quam alias doctiſſimi, ac pientiſſimi complures Eccleſiarum Antiſtites tenuere, certum illud eſt, non poſſe per annum publicæ venerstioni Sscratiſſimam Euchariſtiam in Oſtenſoriis exponi ſine Ordinarii locorum licentia, idque declaravit Sacra Ritnum Congregatio die x. Decembris, anno MDCCIII. in Decreto Generali, approbante Clemente Papa XI. die XII. Jannarii, anno MDCCIV. ut in ejns Bullario particulari, cnjns mentionem facit Clariſſimns Meratus in ſuis ad Gavantnm Additionibns. Sed videri de hac re præ ceteris poteſt Sanctiſſimus Dominus noſter BENEDICTUS XIV. in ſua Notificatione xxx. in qua plura de hoc argumento addiſcere licet, & in aureo Tractatu, *De Synodo Diœceſana*, Lib. VII. Csp. XLI. Num. IV. ubi recenſet Decretum Sacræ Congregationis Tridentini Concilii Interpretum, editum die x. Anguſti anno MDCXXX. quo edicitur, *non licere Regularibus Eucbariſtiam in propriis Eccleſiis ſine velamine exponere, niſi ex cauſa publica a Loci Ordinario approbata*.

LXV. Reliquum eſt, ut sliquid tandem de Benedictione dicamus, quæ fieri cum Sanctiſſimo Sacramento ſolet. Non puto commendabilem eum ritum, qnem ſervari video a quibuſdam Religioſis ceteroqui doctis ac piis, qui ſolo Superpelliceo cum Stola induti Populum cum Sanctiſſimo Sacramento benedicunt, qunm alias juxta probatum, & communem Eccleſiæ ritum Benedictio ipſa impertiri ſoleat a Sacerdote non modo Snperpelliceo ac Stols, ſed & Pluviali induto; uti notavi in Commentario ad Cap. XXXIII. Psrtis II. Cæremonislis Epiſcoporum. Sed ut finem tandem huic Commentario imponam, in benedicendo Populum cum ipſo Sanctiſſimo Sacramento, uti poſt Bauldryum Psrte IV. Capite XVI. Articulo III. Num. XXXIV. obſervat loco citato Meratus, modus iſte approbatur, nimirum cnm Sacerdos ſtat ante Populum, Oſtenſorium ante pectus tenet, tum elevat illud docenti mora, non ſupra caput, ſed tantum uſque ad ocnlos, & eodem modo illud demittit infra pectns, mox iterum recta linea illud tollit uſque ad pectus, & exinde ad ſiniſtrum humerum ducit, & reducit ad dexterum, & rurſus ante pectus reducit, ibique aliquantulum ſiſtit quaſi peracta ad omnes Mundi partes Cruce, & Sacramentum etiam venerandum omnibus præbet; tum gyrnm perficiens collocat Oſtenſorium ſuper Altare, qnod alius deinde Sacerdos Snperpelliceo, & Stola indutus in Tabernaculo reponit. Porro, uti citato loco idem Bauldryus tradit, dum Celebrans benedicit, nihil dicere prorſus debet, ſicut nec alii Cantores, aut Muſici. Poteſt tamen tunc Organum pulſari ſuavi ſono, & gravi, ut ad elevationem Sanctiſſimi Sacramenti. In quibuſdam Eccleſiis, dum cantatur Verſus, *Genitori Genitoque*, Celebrans accipit Sanctiſſimum Sacramentum, & cnm dicitur, *Sit & benedictio*, Popnlum benedicit ſemel, ſed hoc videtur ruſticum, & eſt expreſſe contra Rituale Romanum, ideoque mos iſte non videtur permittendns. Ita ille. Forte non eſt ita improbandus mos ille, quem ſervari alicubi vidi, ubi ſcilicet benedicente Sacerdote, Populus alta, ac devota voce cantat: *Miſerere noſtri Domine, miſerere noſtri; fiat miſericordia tua Domine ſuper nos, quemadmodum ſperavimus in te*.

*De privilegiis, & exceſſibus Privilegiatorum.*

LXVI. Conatum præterea ſuit Generale hoc Viennenſe Concilinm Regnlarium Privilegiis modum imponere. Sed antequam modos ac temperamenta explicemns, qnæ Privilegiis ipſis adhibita ſunt a Concilio Viennenſi, & a Clemente V. Pontifice, qui eidem præſedit, notandnm hoc loco eſt, qnod narrat Thomas Walſinghamus, coiiſſe nempe anno MCCCXI. Concilium Generale Viennenſe, & aliqnanto ante tempore rumores per Orbem ſparſos ſuiſſe, ſore nimirum ut in eo Privilegia omnis ad Jns commune revocarentur, quo conſternati Ciſtercienſes ſua ſibi ante innovari Privilegia, & confirmari impetrarint: *At ante illud Concilium per totum Orbem generaliter fuit divulgatum, quod omnes, & ſinguli Religioſi exemti ad Jus tranſirent commune. Unde ſolus Ordo Ciſtercienſis Papam adiit ante dicti Concilii celebrationem pro exemtione ſua priſtina pacifice obtinenda. Quod & obtinuit donis datis*. Ita Walſingamns ad memoratum annum MCCCXI.

LXVII. Ut sutem obſervat Thomaſſinns, Parte I. *Diſciplinæ*, Lib. III. Cap. XXXIX. Numero I. Templariorum Equitum calamitas, ſcelerum.

lerumque colluvio, de quibus jam ſupra nos diximus in explicatione Seſſionis II. hujus Concilii, in cauſa plane fuit, ut exardeſccrent certatim Epiſcopi in exemtionum excidium in eodem hoc Viennenſi Concilio. Erat enim ſimillimum veri, in tantæ impietatis voraginem non iiſſe præcipites, niſi quia per Orientem diſſeminati, tam procul ab ocnlis Summorum Romanorum Pontificum, & liberi ab obſequio, & auctoritate Epiſcoporum, ideo ſceleſtiſſime, & flagitioſiſſime degebant, quia impune. His adde reciprocas illas Epiſcoporum, & Monachorum querelas, atque accnſationes, quas in Appendice Tomi xv. Annalium recenſet Raynaldus. Occurrunt ibidem non modo Monachi Ciſtercienſis Tractatus pro defenſione Privilegiorum, ſed & Reſponſiones ad objecta petita ex Templariorum infamia, ex qua perperam quidem, conflabant tamen nonnulli invidiam exemtis omnibus. Sed nihil accedere poteſt, nihil æquiparari celebri Tractatui Guillelmi Durandi ex Ordine Prædicatorum, uti ejuſdem Ordinis Scriptores perſpicue oſtendunt, Epiſcopi Mimatenſis, qui inſcriptus eſt, *De modo Generalis Concilii celebrandi*, qui uti in Hiſtoria hujus Concilii diximus, juſſu Clementis Papæ V. concinnatus, & ipſi Concilio oblatus fuit.

LXVIII. Ex profeſſo agit Durandus in eo Tractatu de rebus in Concilio reformandis, & præ ceteris Parte I. Titulo v. revocationem Privilegiorum Regularium, quam, licet ipſe Regularis fuiſſet, apprime tamen neceſſariam judicabat, ut conticeſcerent tandem tot diſſenſiones, atque ut tot mala ex his pullulantia offocarentur. Varias ibidem recenſet hic Auctor cauſas, propter quas revocari debeant exemtiones, poſtquam ſcilicet initio ejus Tituli ita ſcripſit: *De exemtionibus autem ex qua cauſa conceſſæ fuerint, & continuo concedantur, & quis fructus modernis temporibus ſubſequatur ex eis, haberet Domini noſtri Papæ Sanctitas providere. Magna namque auctoritas iſta in Dei Eccleſia eſt habenda: etſi nonnulli ex Prædeceſſoribus, & Majoribus noſtris fecerunt aliqua, quæ illorum tempore potuerunt eſſe ſine culpa, & poſtea vertuntur in errorem, & ſuperſtitionem, ut ſine tarditate aliqua, & cum magna auctoritate a poſteris deſtruantur.*

LXIX. Congerit mox varia argumenta contra ipſas exemtiones e Sacra Scriptura, atque ex Patribus, & Conciliorum Canonibus petita, tandemque hunc in modum concludit: *Ex quibus omnibus conſtat, quod quocumque modo prædictæ exemtiones, immunitates, privilegia, & libertates contrariæ, & contraria Legibus, & Juribus pro communi utilitate conſtitutis conſiderentur, ſive quantum ad ſe, ſive quantum ad concedentes, ſive quantum ad illos, quibus conceduntur, quod revocari debent, cum per eas tollatur ordo univerſalis Eccleſiæ, ſtatus, & gradus, & honor, virtus, & poteſtas. Prælationis conſtitatæ a Deo, quibus omnes Religioſæ perſonæ, & loca Religioſa debent eſſe ſubjecta in Civitatibus, Diæceſibus, ac Provinciis antedictis, Prælatis, & Archiepiſcopis commiſſis; potiſſime cum ex ipſis exemtionibus, immunitatibus, libertatibus, & privilegiis, Legibus, & Juribus communibus contrariis, nulla utilitas univerſalis Eccleſiæ ſubſequatur. Sed eiſdem populo officiunt, & ſtatui Religionis, & Perſonis Religioſorum; & multæ diſcordiæ, ſciſſuræ, ſchiſmata, mala ſcandala oriuntur, & diſpendia proveniunt ex eiſdem, prout in præcedentibus plenius eſt probatum.* Hactenus Durandus in citato Titulo v. primæ Partis. Sed de hoc puncto exemtionum videri poteſt antiquus Juriſconſultus Peruſinus Baldus in ſuo Tractatu, *De Exemtionibus*. Ceterum durities Epiſcoporum in Monachos, horumque merita in Eccleſiam occaſionem dedere Summis Pontificibus, ut Monachos ipſos, vel longe ante annum Chriſti milleſimum, a poteſtate Epiſcoporum exemerint, uti abunde oſtendimus Tomo III. Conciliorum in Canonem LX. Concilii IV. Lateranenſis.

LXX. Quicquid autem ſit de ea diſciplina, illud plane ex dictis conſtat, querimonias illas Epiſcoporum, quibus freti Monachi illos contemnebant, cauſam præbuiſſe Viennenſi huic Concilio, & Clementi V. Pontifici, ut Conſtitutionem ederet, quæ legitur in Clementina I. *De Privilegiis, & exceſſibus Privilegiatorum*; in qua primum cautum eſt, ut Religioſi, qui Clericis, aut Laicis Sacramentum Unctionis extremæ, vel Euchariſtiæ miniſtrare, Matrimoniave ſolemnizare, non habita ſuper his Parochialis Presbyteri licentia ſpeciali; aut qui excommunicatos a Canone præterquam in caſibus a jure expreſſis, vel per Privilegia Sedis Apoſtolicæ conceſſis eiſdem, vel a ſententiis per Statuta Provincialia, aut Synodalia promulgatis, ſeu a pœna & culpa abſolvere quemquam præſumſerint: Excommunicationis incurrant ſententiam ipſo facto per Sedem Apoſtolicam dumtaxat abſolvendi; ac præterea, ut illos etiam Locorum Ordinarii, poſtquam de hoc eis conſtiterit, excommunicatos faciant publice nuntiari, donec de abſolutione ipſorum eis fuerit facta fides, nullo Religioſis eiſdem ſuper hoc exemtionis, vel alio Privilegio ſuffragante.

LXXI. Inhibet deinde Regularibus ipſis, & quidem *diſtrictius in virtute ſanctæ obedientiæ*, & ſub interminatione maledictionis æternæ, I. ne in ſermonibus ſuis Eccleſiarum Prælatis detrahant. II. ne retrahant Laicos ab Eccleſiarum ipſorum frequentia, vel acceſſu. III. ne Indulgentias indiſcretas pronuntient. IV. ne ubi confectionibus Teſtamentorum interſunt, a reſtitutionibus debitis, aut legatis Matricibus Eccleſiis faciendis retrahant teſtatores. V. ne legata, vel debita, aut male ablata incerta, ſibi, aut aliis ſingularibus ſui Ordinis Fratribus, vel Conventibus in aliorum præjudicium fieri, ſeu erogari procurent. VI. ne in caſibus Sedi Apoſtolicæ, aut Locorum Ordinariis reſervatis quemquam abſolvere audeant. VII. ne perſonas Eccleſiaſticas præſertim coram Judicibus delegatis a Sede Apoſtolica, ſuam contra eos juſtitiam proſequentes vexare indebite, aut ad loca plura, & præſertim multum remota convenire præſumant. Certas denique ſtatuit Pontifex pœnas contra ipſos Religioſos contumaces, ponenſque moderationem circa duos primos caſus, *Religioſis illis, quibus eſt ab Apoſtolica Sede conceſſum, ut familiaribus ſuis domeſticis, aut pauperibus in Hoſpitalibus ſuis degentibus Sacramenta poſſint Eccleſiaſtica miniſtrare*, expreſſe edicit, nullum ea præmiſſis velle ſe præjudicium generari.

LXXII. Regularium Privilegiis alia quoque temperamenta adhibuit idem Pontifex Clemens V. aliis editis Conſtitutionibus in hoc ipſo Concilio Viennenſi, celebriſque eſt ea in re Sanctio illa quæ legitur in Clementina, *Dudum*, *De Sepulturis*. Verum temperamenta hujuſmodi adeo non ſatisfecerunt Epiſcopis, ut anno MCCCLI. Cardina-

dinales, Prælati, & Parochi rurſus conſpirarint in Curia Romana apud Avenionem, ut Clementem Papam VI. impellerent ad Mendicantium Ordines penitus excidendos, vel ad eorum revocanda Privilegia. Mendicantium defenſorem ſe & Patronum egit Pontifex, palamque explanavit Epiſcopis, quantis in Eccleſiam illi officiis, quantis laboribus ad animarum ſalutem, ad Epiſcoporum, & Parochorum levamen certarent, ut quos nunc extinctos vellent, eos haud dubie mox deſideraturi eſſent præpropere oppreſſos. Vicere quidem enim tum Monachi, uti rem fuſe ad eum annum enarrat Nangii Continuator, ſed non diuturnus fuit fructus hujus victoriæ ab exemtis reportatæ. Anno enim MCCCLVIII. teſte Walſinghamo, Archiepiſcopus Armacanus in Hibernia, conjurante ſecum totius Angliæ Clero, idipſum Romæ machinatus eſt, ut Privilegia omnia funditus exciderentur. Sed cum nonnihil remiſiſſet Anglicanus Clerus, interceſſere Regulares, non favore tantum, & variis artibus, ſed & munerum vi, ſiqua fides Walſinghamo, ne deficeretur quidquam: quod illis abunde fuit, ut libertates omnes ſuas priſtinas, exemtioneſque retinerent: *Clero Anglicano ſibi ſubtrahente promiſſa, exuberante in Curia Fratrum ſatis magna pecunia, adhuc lite pendente, Fratres ſua Privilegia, ſicut per ante, ſub data nova obtinuerunt.* Erat ipſe Walſinghamus Monachus Ordinis S. Benedicti, & Monaſteri S. Albani in Anglia; ſed, ut notat Thomaſſinus citato loco, Num. II. *Mendicantium Privilegiis non minus infeſti tam erant antiquiores Monachi, quam Epiſcopi ipſi.*

LXXIII. Eodem notante Auctore, in Concilio Conſtantienſi, anno MCOXVII. Seſſione XLIII. de qua nos infra ſuo loco dicemus, revocata ſunt, aut irritata Privilegia omnia, quæ conceſſa fuiſſent a tempore Gregorii Papæ XI. hoc eſt, ab initio Schiſmatis; indiſcriminatimque obducta ſunt omnia, ſive a veris, ſive a jactantibus ſe veros Pontifices indulta forent, exceptis ſcilicet, I. iis Privilegiis, quæ in ipſa fundatione fuiſſent conceſſa. II. quæ data fuiſſent aſſenſu eorum, quorum intererat: *Aut ſuper quibus præſentibus, & auditis, quorum intererat, Auctoritate competente ordinatum fuerit, ſeu quibus Ordinarii conſenſerint.* Porro Calliſtus III. qui anno MCDLV. electus eſt Pontifex Maximus, Bullam meditatus fuerat, ſcriptiſque mandarat, qua Mendicantes omnes ad Jus commune revocaret. Illam publicaturus erat quamprimum Paulus II. ad Summi Pontificatus apicem evectus anno MCDLXIV. ſed reſtitere Mendicantium Ordinum Præſides Generales, appellationem ad Concilium commentati. Qui Sixtus IV. poſtea fuit, & qui tunc Ordinis Minorum Generalis erat Præpoſitus, ſolus ad Paulum II. acceſſit, conteſtatuſque eſt, ei Mendicantium conſilio nec interfuiſſe ſe, nec aſſenſum eſſe; uti rem narrat Odericus Raynaldus ad annum Chriſti MCDLXXI. Num. LXIX.

LXXIV. Rurſus in Concilio Generali Lateranenſi V. anno MDXV. poſt Seſſionem IX. conſtituerunt & inter ſe Epiſcopi, ut ne ulli amplius adeſſent Seſſioni, niſi ante Pontifex Leo X. qui Concilio præerat, illam revocaſſet Bullam, quæ *Mare magnum* appellatur, & ad Jus commune reduxiſſet Mendicantes omnes, quorum Privilegia Epiſcopi experti erant ſcatebras eſſe inexhauſtas abuſuum, & diſſenſionum. Acciti Generales Ordinum Præſides, flagitarunt mox, ut liceret ſibi rem communicare Generalibus Capitulis ſuis, quæ primo quoque tempore convocanda forent. Verum Epiſcopi hanc meram eſſe tergiverſationem interpretati, nempe non expectari, niſi ſolvatur Concilium, Seſſionibus Concilii ſe ſubducere ſtatuerunt. Quod intelligens Pontifex, ſpopondit, proxima Seſſione X. revocatum iri Bullam, *Mare magnum*, ſive aſſenſum præſtarent Exemti, ſive pernegarent. Conſtant hæc ex eodem Raynaldo ad annum MDXV. Num. 1. & ſeqq. ex quo etiam habemus, Seſſioni X. affuiſſe quidem Epiſcopos, & publicaſſe Pontificem Bullam, quæ confirmaret poteſtatem Epiſcoporum ad plectendos exemtos, quocumque ſe demum crimine conſtrixiſſent; ſed cum petiiſſent Epiſcopi, ut per Pontificem ſibi liceret in unum veluti coire corpus, & in unam confœderationem pro auctoritatis ſuæ adverſus exemtos defenſione: pene aſſenſum fuiſſe quidem Pontificem, at Cardinales, quæ inde naſci poſſent mala reformidantes, eum a ſententia deduxiſſe; adeo ut cum rurſus inſtarent Epiſcopi, reſponderit Pontifex, conſtantiſſime intercedere Cardinales: non omnia ſe ſuo arbitrio, ſuaque ſponte facere: ſi pergerent haa urgere preces, nullam ulterius Seſſionem coalituram, atque adeo Privilegia omnia, quorum poſtulabant revocationem, priſtinum vigorem ſuum retentura; ut videre eſt apud laudatum Raynaldum ad annum MDXVI.

LXXV. Habita eſt denique Seſſio XI. ubi Pontifex recitari juſſit Bullam, qua revocabantur ex aliqua tantum parte Privilegia Bullæ illius, quæ *Mare magnum* appellatur, & de qua tam acres jam diu contentiones flagrabant. Ægre adducti ſunt Epiſcopi, ut aſſenſu ſuo eam ratam haberent; publicata eſt tamen aliquando tandem, etſi pauci quidam Epiſcopi a priore ſententia, & diſſenſione ſua dejici neutiquam potuerint. Legendus ad annum ipſum MDXVI. Religioſiſſimus Annalium Continuator Henricus Spondanus Epiſcopus Appamienſis, qui etiam querelas ſuas cohibere non potuit, ubi de ea re agens, in hæc verba prorupit: *Hæc eſt, eritque, quandiu res ita perſtiterit, perpetua, & æquiſſima Epiſcoporum expoſtulatio.* Sane ut multa paucis concludam circa ipſa Regularium Privilegia: conſtituit quidem Concilium Chalcedonenſe, Can. IX. debere Monachus Epiſcopis locorum eſſe ſubjectos, eiſque parere; ſed temporum progreſſu, maxime vero poſt inſtitutos Ordines Mendicantes, multa eiſdem conceſſa Privilegia fuerunt, & ſubinde partim reciſa, partim attemperata. Conſtituit Bonifacius Papa VIII. in Conſtitutione, quæ incipit, *Super Cathedram*, legiturque inter Extravagantes Communes ad Titulum, *De Sepulturis*, non poſſe exemtos, ac Mendicantes Regulares prædicare, aut externorum Confeſſiones ullatenus audire citra Ordinariorum licentiam, in quorum Diœceſi verſantur; nonnulla etiam circa externorum ſepulturas, quæ fiunt in Eccleſiis Regularium ordinavit in gratiam Parochialium Eccleſiarum. Sed Bonifacii Succeſſor Benedictus Papa XI. ex Ordine Prædicatorum aſſumtus, pietate, doctrinaque commendatiſſimus, Prædeceſſoria Decretum abrogavit, edita Conſtitutione, *Inter cunctas*, *De Privilegiis*, inter eaſdem Extravagantes Communes. Poſtmodum hoc ipſum Viennenſe Concilium Benedicti XI. Conſtitutionem antiquavit, Sanctionemque Bonifacii VIII. in priſtinam reſtituit auctoritatem, uti conſtat ex Cle-

mentina, *Dudum*, *De Sepulturis*; & Clementina 1. *De Privilegiis*, *& exceſſibus Privilegiatorum*.

LXXVI. Conſtitutionibus Viennenſis Concilii conſormia ſunt quæ de ea re conſtituere deinde Romani Pontifices, ac præſertim Patres Concilii Tridentini, quorum Decreta fuſe enarrat Fagnanus in Capite, *Grave*, *De officio Judicis Ordinarii*, & ex eo laudatus Thomaſſinus, Parte 1. *Diſciplinæ*, Lib. III. Cap. XL. per totum, ubi per varios Paragraphos exponit varias exemtorum, atque exemtionum ſpecies, quibuſque in rebus Concilium Tridentinum Epiſcopo ſubjecerit Eccleſias exemtas, ſive Regulares, ſive Secnlares, ac præterea in quibus rebus perſonas exemtas, & nullius Diœceſeos Epiſcopo ipſi ſubjecerit. Tum Capita XLVII. recenſet, in quibus ſecundum Fagnanum, idem Tridentinum Concilium exemtos Epiſcopis ſubjici voluit, ac tandem varia Summorum Pontificum ea in re Decreta refert, atque, ut alia omittam, Diploma, ſeu Bullam Clementis Papæ X. quæ incipit, *Superna*, editam anno MDCLXX. qua poteſtati ſubjecit Epiſcopi, & pœnis ab eo decretis Regulares, qui eo expreſſe prohibente prædicarint: ſi in una approbati Diœceſi, in aliam migrent, ubi non ſint approbati, non poſſe ibi excipere Confeſſiones eorum, qui primæ ſint Diœceſis incolæ: approbatos ad Confeſſiones Sæcularium, rurſus approbandos eſſe ad Monialium: Regulares, qui Confeſsiones excipiunt aliorum ſui Monaſterii Regularium, poſſe excipere & Secularium domeſticorum, non aliorum qui miniſtrant & ipſi Regularibus, non autem eandem domum incolunt: quibus facultas eſt abſolvendi a caſibus Papæ reſervatis, non ſtatim poſſe a reſervatis Epiſcopo, niſi ipſe conceſſerit: denique Confeſſarium in una approbatum Diœceſi, poſſe ibi abſolvere Pœnitentes alterius Diœceſis a caſibus Epiſcopo alterius hujus Diœceſis reſervatis, non reſervatis autem in ea Diœceſi, ubi ipſe Confeſſiones excipit; niſi intellexerit ſraudulente, & ad declinandam Epiſcopi ſui auctoritatem, hoſce Pœnitentes ab altera in alteram Diœceſim ventitare.

LXXVII. Præ ceteris plura ſcitu digna, ac luculentiſſime diſſerit in hac Privilegiorum Regularium materia, ſicut & in aliis omnibus Sanctiſſimus Dominus Noſter BENEDICTUS XIV. in eo celeberrimo Opere, quod, *De Synodo Diœceſana*, inſcripſit, Lib. VII. Cap. XLI. & duobus ſequentibus, in quibus & Epiſcopos reſellit, qui lædere Privilegia audent, quæ Religioſis Ordinibus Apoſtolica Sedes ob eorum in Eccleſiam merita conceſſit, & Regulares æque carpit, qui ſuis Privilegiis freti, Epiſcoporum ordinationibus refragantur, etiam in iis, in quibus eos, & Summi Pontifices, & inter alia Concilia, noviſſime Tridentinum ſubjectos eſſe declararunt. Legi autem præ ceteris debet memorati Pontificis Tractatus, *De Synodo Diœceſana*, loco citato, ubi ſui utriſque limites poſiti ſunt, & perſpicue declarati. Compertum enim eſt, ac omnibus notum, quanta doctrina, atque prudentia in ſcribendo præditus ſit BENEDICTUS XIV. quippe qui vel ab adoleſcentia ſua, ob ſuam ipſius eruditionem eximiam, atque fidelitatem, præfuiſſe meruit negotiis, & cauſis omnibus, conſultationibus, deliberationibuſque Eccleſiæ Romanæ. Tantæ, & tam diutinæ rerum Eccleſiaſticarum univerſam Eccleſiam ſpectantium in rebus, & Fidei Catholicæ, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ acceſſere privata ejus Studia, & meditationes, ut fidem luculentiſſimam faciunt tot ejuſdem Libri magni ponderis, atque omnigena eruditione referti, ut proinde haberi poſſit, non ſolum, ut Canonici Juris Interpres, ſed ut hiſtoricus, teſtiſque fideliſſimus rerum in Romanis Tribunalibus definitarum.

*De Magiſtris Linguarum Hebraicæ, Arabicæ, & Chaldææ Romæ, aliiſque Univerſitatibus inſtituendis.*

LXXVIII. Conſtitutione inſuper hujus Viennenſis Concilii, ut alia ejuſdem Decreta omittam, quæ paſſim in Clementinarum Libris leguntur, ne deſſet peritia Linguarum, per quam Infideles poſſent inſtrui inſtitutis Chriſtianæ Religionis, ſtatutum fuit, ut Scholæ Linguarum Hebraicæ, Arabicæ, & Chaldeæ, Romæ, vel ubicunque Romanam Curiam reſidere contigerit, necnon in Pariſienſi, & Oxonienſi, Bononienſi, & Salamantino Studiis, quæ ea ætate erant clariores Chriſtiani Orbis Academiæ, erigerentur; iiſque imponerentur duo uniuſcujuſque Linguæ periti, *qui Scholas ibidem regant, & Libros de Linguis ipſis in Latinum, alios Linguas ipſas ſollicite doceant, earumque peritiam ſtudioſa in illos inſtructione transfundant; ut inſtructi, & edocti ſufficienter in Linguis hujuſmodi, fructum ſperatum poſſint, Deo Auctore, producere, Fidem propagaturi ſalubriter in ipſos Populos infideles.* Legitur hæc Conſtitutio in Concilio Viennenſi edita, in Clementina 1. *De Magiſtris &c.* in qua etiam ſtatuitur, per quos ipſis Magiſtris debeat de ſtipendiis, & ſumtibus provideri. Notat autem ibidem Gloſſa, in originali Codice, & in aliis antiquioribus mentionem fieri etiam Linguæ Græcæ, & in hunc modum legi: *Hebraicæ, Græcæ, Arabicæ, & Chaldææ.*

LXXIX. De varietate Linguarum earumque in optimis ſtudiis uſu agit Auctor Gallici Tractatus Latinitate donati, qui inſcriptus eſt, *De optima legendorum Eccleſiæ Patrum methodo*, Parte II. Cap. II. & ſeqq. Præ ceteris autem de eadem re diſſerit eruditiſsimus omnium Melchior Canus in ſuo ſtupendo Opere, *De Locis Theologicis*, Lib. II. Cap. XV. ubi varias Linguarum Hebraicæ, & Græcæ utilitates explicat, ut nimirum earum Linguarum auxilio, & Sacræ Scripturæ, & Synodi, ac Patres intelligantur. Certe antiqui Patres ſuum omne ad ipſam diſcendam ſcientiam adhibuere; inter quos Origenes annos natus triginta ad Divinæ linguæ ſtudium animum convertit; & S. Hieronymus, ut alios omittam, Græcum, Latinumque ſermonem adprime edoctus, quatuor uſus eſt Magiſtris, a quibus Hebraicam, & quinto, a quo Chaldæam Linguam compararet; non erubeſcens, ut ait ipſe, in hac Lingua fieri auditor, cum in ceteris omnibus foret Præceptor. Auguſtinum vero æquum rerum æſtimatorem, & probandæ quavis occaſione veritatis ſtudioſiſsimum, toto vitæ ſuæ curſu pœnituit, quod Linguas Orientales non didiciſſet; quamvis enim exiſtimaret utilius, interpretari Scripturas, quam ſcire linguas, norat tamen optime, unum ſine altero conſiſtere non poſſe, & in Eccleſiæ Doctore Linguarum, & Interpretationis ſcientias conjunctas eſſe debere. Sane in ſuis Confeſsionibus peccati ſe inſimulat, quod a prima ætate ſtudium Græcæ Linguæ neglexerit; fateturque alibi, nec loqui, nec ſcribere ſe Græce poſſe, & quod ejus Linguæ norat, minimum eſſe, ac fere nihil.

HI-

Digitized by Google

# HISTORIA CONCILII PISANI.

I. QUoniam a nobis notatum jam fuit Tomo I. Generalium Conciliorum in Prolegomenis ad ipſa Concilia, Cap. XXXVI. Conſtantienſe Concilium quantum ad ultimas Seſſiones ſub Martino V. Pontifice Maximo ad tollendum pſeudopontificum Schiſma, & contra Huſſitas hæreticos habitas inter Œcumenica numerari Concilia, noſtri inſtitnti ratio poſtulat, ut de ipſo Conſtantienſi Concilio agamus, cujns hiſtoria repetenda eſt quidem a Concilio Piſano, quod anno MCDIX. Piſis in Tuſcia, quæ Civitas adhuc Piſa dicitur, ad abolendum Schiſma indictum fuit a Cardinalibns obedientiæ Gregorii XII. atque ab illis etiam Cardinalibus, qui Benedicto XIII. adhærebant.

II. Sed ut rem a prima ſua repetamus origine, anno Chriſti MCCCV. poſt longum Cardinalium certamen Clemens V. Arehiepiſcopns Burdigalenſis Gallus in Romanum Pontificem Maximum eligitur, opera præſertim Cardinalis Nicolai Pratenſis Epiſcopi Oſtienſis, & Philippi Pulchri Galliæ Regis, cum qno ſecretæ pactiones initæ ſunt: quarum prima eſt, ut ampliorem veniam offenſæ in Bonifacio VIII. Regiæ Majeſtatis concederet. Secunda, ut ſocios & fautores, quos habuiſſet, in gratiam reciperet. Tertia, ut Decimas omnium redituum Eccleſiaſticorum in Galliis ad reſarciendas Flandrici Belli expenſas in annos quinque ſibi aſſignaret. Quarta, nt Bonifacii VIII. Acta reſcinderet univerſa, memoriamque damnaret. Quinta, ut Columnenſes Cardinales depoſitos priſtino honori reſtitueret, alioſque nonnullos ex Regis amicis Cardinales crearet. Sextam denique poſtulationem Rex idem Philippus ſuo loco, & tempore, declarandam reſervavit. Sunt qui hanc poſtulationem ad extinctionem Templariorum referunt, tametſi alii ad Pontificiæ Sedis translationem in Gallias, & alii etiam, ut procuraret Pontifex, Romanum Imperium in ipſas Gallias reducendnm.

III. Qnicquid ſit de hac pactione, cum omnia Burdigalenſis Antiſtes Bertrandus *del Got*, ſeu *de Gotho*, dictus poſtea Clemens V. ſe accurate impleturum jurejurando ſpopondiſſet ſuper Venerabile Euchariſtiæ Sacramentum, datis etiam in confirmationem prædictorum obſidibus Regi, germano ſuo, ac duobus nepotibus, jnramento ſe quoqne obſtrinxit Rex, ſe operam omnem daturum, nt ipſe Bertrandus Papa eligeretnr; ſicque diſceſſerunt, adinvicem amici facti, cum antea eſſent inimici. His autem actis, Rex Nuntium ad Cardinalem Pratenſem miſit, rogavitque, nt negotium electionis Bertrandi in Romanum Pontificem promoveret; electuſque fuit Bertrandus, & acceptatus ab omnibus Cardinalibus, qni Peruſii in conclavi erant, atque annunciatus Popnlo Nonis Junii anni MCCCV. in Vigilia Pentecoſtes. Narrat Ptolomæus Lucenſis in ſecunda Clementis V. Vita, quod ubi is Decretum electionis accepit, deliberavit *in Comitatu Veneyſini reſidentiam facere, nec unquam montes tranſire*. Manſit autem Avenione Pontificia Sedes ſeptuaginta & ſupra annos non ſine gravi tam Italiæ, ceterarumque Chriſtianarum Provinciarum, quam ipſiuſmet Galliæ incommodo; quam propterea Itali poſtea Captivitatem Babylonicam, quæ totidem fuit annorum, nuncuparunt.

IV. Pontifices qui poſt Clementem V. Apoſtolicam Sedem tenuere in Gallia, fuerunt Joannes XXII. Benedictus XII. Clemens VI. Innocentius VI. Urbanus V. & Gregorius XI. qui tandem Pontifex Avenione recedens die XIII. Septembris anni MCCCLXXVI. cum omnibus Cardinalibus, ſex tantum exceptis, qui Avenione remanſerunt, pervenit Romam die XVII. menſis Januarii anni MCCCLXXVII. tanto Romanorum planſu, lætitia, atque honorificentia exceptus, ut Petrus Amelius ſcribat, omnis generis, ſexus, ætatis, conditionis homines veluti amentes præ gaudio viſos eſſe, neque unquam ſe exiſtimaſſe tantam gloriam in hoc ſeculo oculis corporeis cerni poſſe. Perſuaſerunt quidem Gregorium, ut ad Urbem ſe tandem conferret, Sanctarum Birgittæ, & Catharinæ Senenſis preces, & oracula, Italiæ ad ipſum Legationes, ac præſertim calamitates, & bella, quæ illam fere conſumſerant; ſed vix annus efflnxit, cum Gallias iternm redire cogitantem mors occupavit; obiit enim die XVII. Martii anni MCCCLXXVIII. circa horam noctis ſecundam in Palatio Apoſtolico. Ejus corpus primo delatum eſt ad Eccleſiam B. Petri, ibique ſolemnibus exequiis celebratis, ſeqnenti die translatum fuit ad Eccleſiam S. Mariæ Novæ prope Capitolium ſitam, cujus Titulo, cum Cardinalis exiſteret, fuerat donatus.

V. Mortuo Gregorio XI. Cardinales, qui majori ex parte Gallicani erant, cnm omnes una conveniſſent, nt Conclave ingrederentnr ad eligendum novum Pontificem, Romanns Populus veritus, ne iternm Pontificis Sedes in Galliam traduceretur, concitato tumultu petiit ab ipſis, interminatus etiam illis extremum, ſi ſecus facerent, exitium, ut non alium, qnam Italum Papam eligerent. Poſtquam vero ſe Conclavi Cardinales incluſerunt, Populus idem Romanus, præeunte Urbis Magiſtratu, effractis Conclavis repagulis, ſe intromiſit, incenſurum ſe minitans Conclave cum Cardinalibus, niſi Romanum vel Italum in Papam eligerent. Perterriti Electores, nulla habita, ut ait Ciaconius, diſcuſſione perſonæ feſtinanter Bartholomænm Prignanum, neque præſentem, neque Cardinalem, ſed Barii in Apulia Archiepiſcopum, Romannm Pontificem Maximum renunciarunt, ejuſque electionem Urbis Magiſtratns gratam habuit. Romam accitns, ſolitis ritibus in Sede Apoſtolica collocatus eſt, appellarique voluit Urbanus VI. Cardinalibns omnibus præſentibus, conſentientibus, plaudentibuſque publice coronatus eſt die decima octava menſis Aprilis a Jacobo de Urſinis tunc Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Archidiacono, & Lateranenſis Eccleſiæ poſſeſſionem iniit. Rem fuſe narrant Spondanus, & Raynaldus ad annum

Digitized by Google

num Chriſti MCCCLXXVIII. Panvinius, Ciaconius, aliique paſſim in Vita Urbani VI.

VI. At vero cum hic Pontifex, uti poſt alios Scriptores notat Pagius in ejuſdem Vita, Numero XVII. rigidus eſſet, durus, aſper, inexorabilis, arrogans, habendi cupidus, ac cunctis hominibus, & iis præſertim, qui de eo bene meriti fuerant, Cardinalibus ingratus, quibus honeſta petentibus cuncta negando, & graviſſimis objurgationibus cum aliis Prælatis vexatos, ad ſubſequens Schiſma parum opportune incitavit. Statim enim a ſua Coronatione mores Cardinalium omnium acerrime redarguit, pompam, ſuperfluas epulas, domeſticorum copiam reſcindere juſſit; iiſque, qui munera, & penſiones a Principibus acciperent, pœnas minatus eſt. Duris increpationibus eoſdem Cardinales laceſſit, quod clandeſtina cum hoſtibus Eccleſiæ conſilia agitarent; & cum eoſdem ita atrociter tractaret, Romanis facilis, & benignus erat; quinimo Romanis Civibus illis, qui Collegium Cardinalium in Conclavi offenderant, quibuſcumque rationibus poterat, gratificabatur. Othonem Brunſvicenſem Ducem Principem Tarentinum, Joannæ Reginæ Neapolitanæ maritum, Virum omni virtutum genere egregium, quo potiſſimum procurante, inita pax inter Eccleſiam, & Florentinos fuerat, Romam pro ejus confirmatione adeuntem ſprevit, unde ipſi Cardinales, ut inquit Ciaconius, eum delirum, & fatuum eſſe exiſtimantes, exitialis Schiſmatis conſilia clam agitare cœperunt.

VII. Conjurstione itaque in eum facta Cardinales omnes Galli, uno excepto Petro de Luna Hiſpano, ſpecie vitandi æſtus Romani Gallis maxime adverſi, Anagniam, ubi jam cum Gregorio XI. præteritam æſtatem tranſegerant, & ubi magnam cibariorum partem habere cauſabantur, permittente, aut non prohibente Urbano, non quidem omnes ſimul, ſed ſingulatim diverſis diebus, & temporibus, ad finem menſis Junii perrexerunt: Urbano ipſo Tibur cum quatuor Cardinalibus Italicis concedente, prout moris erat tunc temporis Urbem tempore æſtivo deſerere, clementioris auræ captandæ gratia. Cum Urbano jam iidem Cardinales Galli uti cum vero & legitimo Pontifice tractare per Litteras, & Nuncios non deſtiterunt, quouſque res ſuas contra ipſum diſpoſuiſſent, & abſque periculo exequi poſſent. Poſtquam itaque Anagniæ congregati ſententiam depoſitionis contra ipſum Urbanum tulerunt, inde recedentes, Fundos Urbem Regni Neapolitani non procul a mari mediterraneo Via Appia ſitam acceſſerunt, ubi conventu facto, electionem ipſam Bartholomæi Prignani Archiepiſopi Barienſis in Summum Pontificem, qui nomen ſibi ſumſerat Urbani VI. iterum irritam utpote graviſſimo extortam metu declarantes, Robertum ex Comitibus Gebennenſibus S. R. E. Cardinalem a Gregorio XI. Titulo SS. duodecim Apoſtolorum, ætatis annum trigeſimum ſextum agentem, renunciant die XX. Septembris anni MCCCLXXVIII. Romanum Pontificem Maximum, qui Clemens VII. dici voluit, promovente negotium memorata Joanna Regina Neapolitana cum ſuo conjuge Othone, qui etiam Clementis Coronationi interſuit ſolemni ritu ante Eccleſiam majorem Fundanam peractæ. Urbanus, Joanna diris devota, & abdicata, Neapolitanum Regnum in Carolum Dyrrachinum Joannæ conſanguineum tranſtulit, a quo illa arctiſſime tandem obſeſſa anno MCCCLXXXI. & ad ſui deditionem compulſa, in arcem Civitatis Muri Provinciæ Lucaniæ relegata fuit, Othone ejus viro in Arcem Altamuræ Apuliæ relegato.

VIII. Orto hoc peſtifero in Eccleſia Schiſmate inter Urbanum VI. & Clementem VII. adeoque horrendo, & deteſtabili, *quod vix legitur alias gravius extitiſſe*, ut ait Auctor primæ Vitæ Clementis, & ex eo, ac aliis Scriptoribus Pagius in Vita Urbani VI. num. XXII. totus Mundus diviſus quoque tunc fuit, majori tamen parte Urbano VI. adhærente, in ejus enim obedientia permanſerunt Italia, & Germania fere tota, Anglia, Hungaria, Luſitania, ac ceteræ fere Nationes, & Gentes. Clementi vero VII. adhæſerunt Galliæ, Hiſpaniæ, Scotiæ, Siciliæ, Cypri, Reges, aliique minores Principes, necnon & inſula Rhodus. Variarunt tamen nonnumquam aliqui, ut ſibi liberum exiſtimabant in re controverſa pro temporum, rerumque mutationibus; nonnullis etiam in neutralitate, ut vocabant, perſeverantibus, donec in Concilio Generali res tota decideretur. Jus enim partium adeo incertum, & dubium videbatur, ut utraque pars peritiſſimos quoſque Theologos, & Juris Conſultos habuerit, necnon & Religioſiſſimos Viros, & quod majus eſt, etiam miraculis fulgentes, qui ſuam partem ſanctam, adverſam vero profanam aſſererent, nec potuerit unquam ſic illa quæſtio decidi, quin ſemper remaneret apud plurimos dubia; imo & ex ipſiſmet Actis Conciliorum Piſani, & Conſtantienſis, quorum hiſtoriam infra narrabimus, conſtat, eam non fuiſſe deciſam.

VIX. Decidi non potuiſſe eam quæſtionem diſerte aſſerit S. Antoninus, qui non multo poſt Schiſmatis extinctionem claruit, Parte III. Titulo XXII. Cap. II. ſic inquiens: *Multæ diſputationes factæ ſunt circa iſtam materiam, multi libelli pro utriuſque partis defenſione. Peritiſſimos Viros in ſacra Pagina, & Jure Canonico habuit toto illo tempore, quo duravit id Schiſma, utraque pars, ſeu obedientia, ac etiam Religioſiſſimos Viros, & quod majus eſt, etiam miraculis fulgentes, nec unquam ſic potuit quæſtio illa decidi, quin ſemper remaneret apud plurimos dubia. Nam etiamſi neceſſarium ſit credere, ſicut unam eſſe Catholicam Eccleſiam, non plures, ita & unicum ejus Paſtorem Vicarium Chiſti; tametſi contingat, plures per Schiſma creari, ſeu nominari Pontifices Summos uno & eodem tempore, non videtur ſaluti neceſſarium credere, ipſum eſſe, vel illum, qui ſcilicet fuerit Canonice aſſumtus. Quis autem fuerit Canonice electus, non tenetur quis ſcire, ſicut nec Jus Canonicum, ſed in hoc Populi ſequi poſſunt Majores ſuos, ſeu Prælatos.* Wernerus Rollwink Auctor Faſculi Temporum non multo poſt S. Antoninum vivens de eadem re expreſſius diſſerit his verbis: *Schiſma XII. omnium Schiſmatum, quæ ante fuerunt, peſſimum, & ſubtiliſſimum. Adeo enim perplexum fuit, ut etiam doctiſſimi, & conſcientioſi Viri non valerent diſcutere, cui eſſet magis adhærendum. Et fuit continuatum per annos quadraginta cum grandi ſcandalo totius Cleri, & grandi jactura animarum propter hæreſes, & alia devia, quæ tunc pullularunt, & quod non eſſet diſciplina in Eccleſia contra hujuſmodi. Et ideo ab iſta Urbano VI. uſque ad Martinum V. neſcia quis fuit Papa.*

X. Et,

X. Ergo Wernerus non modo Urbanum VI. Boniſacium IX. Innocentium VII. & Gregorium XII. Gregorii XI. Succeſſores Romæ, Clementem VII. & Benedictum XIII. Avenione ſedentes; ſed & ipſum Alexandrum V. in Concilio Piſano, Gregorio XII. & Benedicto XIII. deturbatis, electum, inter Papas dubios recenſet. De Alexandro enim V. ita ſcribit: *Iſte Alexander fuit electus in Concilio Piſano; dicebatur Petras de Candia; & ſic additam eſt Schiſma Schiſmati, quia tres gerebant ſe pro Summis Pontificibus*. Joannes ipſe XXIII. Alexandri V. ſucceſſor, præſentibus, & non contra dicentibus XXIX. Cardinalibus, Patriarchis IV. Archiepiſcopis XLVII. & Epiſcopis CLX. omnium obedientiarum, ſecularium quoqne Principum, Ducum, Comitum, Abbatum, Doctornm, atque Nobilium ingenti numero, S. Birgittam, quæ jam a Boniſacio IX. fuerat canonizata, iterum canonizando, manifeſte oſtendit, dubium jam ſaltem fuiſſe Boniſacii Pontificatum; quod idem poſtea cenſuit Martinus V. de Pontificatu ejuſdem Joannis XXIII. cum anno Chriſti MCDXIX. Pontificatus ſui anno II. eandem Canonizationem confirmavit, quod numquam antea factum fuiſſe legimus; de qua re videri poteſt qnod ſcripſimus Tomo III. Conciliorum in Diſſertatione, quæ habetur poſt Hiſtoriam Concilii I. Oecumenici Lateranenſis, Titulo inſcripto, *De Canonizatione S. Conradi Epiſcopi acta in hac Synodo Generali I. Lateranenſi, ac de Ritu Canonizandi Sanctos præſertim in Synodis*, Num. xxi. Pag. 21.

XI. Neqne vero amborum Pontificum, nempe Urbani VI. & Clementis VII. morte Schiſma ipſum teterrimum extinctum eſt. Mortuo Urbano, & quidem Idibus Octobris, ſeu die xv. Octobris anni MCCCLXXXIX. ſucceſſit Petrus Tomacellus, qui appellari voluit Boniſacius IX. electus Pontiſex die II. Novembris ejuſdem anni, & conſecratus die xi. ejuſdem menſis, ſeu, ut alii cenſent apud Pagium in ejus Vita, Num. iii. die ix. Novembris. Boniſacio IX. Defuncto Kalendis Octobris anni MCDIV. die xvii. ejuſdem menſis electns fuit in Romanum Pontificem Coſmas Melioratns, ſumſitque nomen Innocentii VII. qui mortuus die vi. Novembris anni MCDVI. Succeſſorem in Pontificatu habuit Gregorium XII. electum die menſis II. Decembris ejuſdem anni MCDVI. uti inter alios Raynaldus tradit. Dicebatur is antea Angelus Coriarius, qui a Boniſacio IX. evectus ſuerat in Titulum Patriarchæ Conſtantinopolitani, & poſtmodum ab Innocentio VII. ejus amantiſſimo creatns Presbyter Cardinalis Tituli S. Marci. Electus eſt Pontifex ſeptuagenario major, ut ſcribit S. Antoninus, & ut aliqui Auctores habent, jam tunc Octogenarius.

XII. Habuit & Clemens VII. qui Avenione Sedem fixerat, ſuos Succeſſores, cum enim obiiſſet die xvi. Septembris anni MCCCXCIV. electus in ejus locum fuit die xxviii. Septembris Petrus de Luna Diaconus Cardinalis Tituli S. Mariæ in Coſmedin, qui dici voluit Benedictus XIII. Romanique Pontificis nomen apud ſuos ultra triginta annos retinuit vivens. Porro Benedictus jam primo in Conclavi ubi electus Pontiſex fuit, ac deinde poſt electionem ſolemni ſe juramento obſtrinxerat de Pontificatu abdicando, ſi, & quoties id publicæ pacis intereſſet; idemque a Gregorio XII. qui Innocentio VII. ſucceſſit, juratum eſt, ea tamen conditione, ſi & Benedictus cederet; uti videre eſt apud Raynaldum, Spondanum, Natalem Alexandrum, & Pagium, qui in Vita Gregorii XII. juramenta ipſa memoratorum Pontificum ex ejus ævi Auctoribus, atque ex indubitatis monumentis recenſet.

XIII. Verum cum tam pernicioſo diſſidio Eccleſia in duas ſcinderetur partes, & periculum urgeret, ne partium ſtudiis, & novorum ſubrogatione Pontificum Schiſma æternum propagaretur; cumque uterque Pontificum Gregorius XII. & Benedictus XIII. ceſſionem æmuli expectaret, & ita obſtinate Supremo Pontificatui hærerent, neutro primam aleam jacere volente, Cardinales & Principes utriuſque partis anno MCDIX. Piſam convenientes, collecta ibi Synodo, ambos de Papatu contendentes, ac potius inter ſe mutuo colludentes, ter citatos, nec comparentes diffinitiva tandem ſententia depoſuerunt, ut infra ſuo loco dicemus. Sane interſuerunt huic Synodo tres Patriarchæ, Alexandrinus Simon Cramaudus, Antiochenus Wenceslaus, & Hieroſolymitanus Hugo de Robertis, ut plerique Auctores teſtantur, illiſque addit Raynaldus & Patriarcham Gradenſem Franciſcum Landonem, Adfuerunt etiam Archiepiſcopi, & Epiſcopi centum octoginta, Abbates circiter trecenti, vel per ſe, vel per Procuratores. Doctores Theologi ducenti octoginta duo, licet initio pauciores fuerint. Addit Spondanus ad annum MCDIX. præter Acta a Monacho Dionyſiano conſcripta per ſingulos dies uſque ad ſententiam diffinitivam Concilii, quæ legi apud Labbeum poſſunt, extare alia breviora Acta ab Abbate S. Maxentii ſcripta ad Epiſcopum Pictavienſem de rebus per ſingulos dies geſtis uſque ad diem xxiv. Maji, ſimilia illis, quæ memoratus Dionyſianus Monachus refert, ſed tamen contractiora, quæ Monſtraletus Lib. i. Cap. lii. recitat; ex quibus conſtat, fuiſſe tum Piſis, cum ea ſcripta ſunt, in univerſum Patres Mitratos centum & quadraginta, atque in iis Cardinales undeviginti; advenIſſe tamen undique alios quotidie, præterquam plurimorum Nuncios, necnon Oratores Regum Franciæ, Angliæ, Jeruſalem, Siciliæ, Cypri, ac Poloniæ, & multorum aliorum Principum.

XIV. Seſſionum hujus Piſani Concilii hiſtoriam cum eodem Spondano huc referre viſum eſt ex Monacho ipſo Dionyſiano. Acta enim in Labbeana collectione edita in pluribus diverſa quoad numerum ſunt, & quoad res in Seſſionibus geſtas. Prima itaque Concilii Seſſio die xxv. Martii in Eccleſia Cathedrali Piſana habita eſt, in eaque poſt publicam Proceſſionem, ac ſupplicationem, cum ſediſſent in eminentiori loco quindecim Cardinales, & in aliis Sedibus cæteri Antiſtites, Capitulorumque, & Conventuum Procuratores, aliique Doctores, ac Nuncii Regum Francorum, Angliæ, Siciliæ, atque Alemanniæ, necnon plurimorum aliorum Principum, & Magnatum, Guido de Maleſicco ex Epiſcopo Pictavienſi creatus a Gregorio XI. ante Schiſma Cardinalis Tituli S. Crucis in Jeruſalem, poſtea a Clemente VII. cui adhæſit, Præneſtinus Epiſcopus renunciatus, omnium utriuſque obedientiæ Cardinalium tunc viventium antiquiſſimus, partis Benedictinæ, Vir doctus, prudentia, & virtute clariſſimus, Miſſam de Spiritu Sancto celebravit; orationemque de cauſa convocationis Concilii habuit quidam Auctor, qui & omnes hortatus eſt ad unionem Eccleſiæ. Preces item, & Litaniæ di-

dictæ, nihilque prætcrea in ea Seſſione actum, ut Dionyſianus Monachus docet; in Actis autem a Labbeo editis legitur, Miſſam celebratam a Petro Cardinali de Thureo dicto Cardinali S. Suſanne a Clemente VII. partis etiam Benedictinæ, & ſermonem factum a Cardinali Mediolanenſi partis Gregorianæ; in additione etiam ad ipſum Concilium, quæ etiam a Labbeo refertur, ex Tomo IV. Spicilegii Dacheriani, dicitur quidem Miſſam celebratam fuiſſe a Cardinali de Thureo, ſed ſermonem factum a Fratre Leonardo de Florentia Ordinis Prædicatorum.

XV. Cum vero, uti Pagius notat in Vita Gregorii XII. Num. xxiv. Seſſionum ordo tam in Actis editis, quam in aliis diverſus ſit, ut confuſio vitetur, ejuſdem Pagii ordinem ſequens non immorandum cenſeo cum laudato Spondano in diſtinguendis per numeros Seſſionibus, donec ceſſaverit confuſionis periculum, ſeu uſque ad Seſſionem decimam ſextam, ſed tantum in rebus geſtis ſuo ordine recenſendis. Die itaque ſequenti, ideſt, xxvi. Martii Cardinalis Mediolanenſis Miſſam celebravit, preceſque etiam, & Litaniæ dictæ ſunt, ſicut etiam in ceteris Seſſionibus, juxta morem ceterorum Conciliorum, ante quam procederetur ad negotia tractanda. Deinde Officiales Concilii electi, unuſque Advocatus ad accuſandos ambos de Papatu contendentes. Hic ambonem conſcendens pertinacia ipſorum exagitata, concluſit, quod ſi publice vocati non comparerent, pro contumacibus haberentur. Tuncque unus ex Promotoribus Concilii inſtanter poſtulavit, ut quod Advocatus requiſierat, Concilium approbaret. Quo facto, duo Cardinales cum uno Archiepiſcopo, & uno Epiſcopo, Advocato quoque, & Notariis, ad valvas Eccleſiæ procedentes, tam prædictos de Papatu contendentes, quam quatuor Cardinales, nempe de Fliſco, Auxitanum, & de Chalento partis Benedictinæ, ac Tudertinum Gregorianæ, qui ſoli ex tunc exiſtentibus apud eos permanſerant, cum ceteri receſſionem feciſſent, alta voce vocarunt, & a populo ibi adſtante quæſierunt, num ſcirent aliquem ex eorum familiaribus in Civitate exiſtere, cumque nemo reſpondiſſet, Cardinales ad ſuas ſedes reverſi retulerunt, neminem eorum reperiri. Accuſatores propterea petierunt, eos declarari contumaces, ſed Patres benignitate uſi rem diſtulerunt in ſequentem diem xvii. ejuſdem menſis Martii, qua rurſum idipſum repetitum eſt, reſque ad diem penultimam menſis relata; ſed ea demum cum nemo comparuiſſet, declarati ſunt contumaces, lecta ex ſcripto Sententia per dictum Cardinalem Pictavienſem Epiſcopum Præneſtinum, eademque ad valvas Eccleſiæ affixa. Poſt publicationem contumaciæ indicta eſt Seſſio in diem decimamquintam Aprilis Feria ſecunda poſt Dominicam in Albis.

XVI. Interea Landulphus Matamaurus Cardinalis Barenſis dictus ex Legatione Germanica reverſus eſt, & advenerunt Archiepiſcopus Rigenſis, Epiſcopus Wormacienſis, & Electus Verdenſis, qui ſe Nuncios dicebant *Ducis Ruperti de Bavaria, quem Regem Romanorum nominabant*, ait Monachus Dionyſianus, cum alias in Actis editis a Labbeo Rupertus de Bavaria dicatur *S. Sedis Imperatoriæ Elector*, & in Actis Tomi vi. Spicilegii Dacheriani, *Rex Romanorum electus*. Poſt eorum autem adventum die Lunæ poſt Dominicam in Albis, ſive die decimaquinta Aprilis, Seſſio habita eſt, in eaque præſentibus nonaginta Archiepiſcopis, & Epiſcopis, nonnulliſque Abbatibus, Doctoribus, Clericis, & Notariis, qui non interfuerunt prioribus Congregationibus, poſt Solemnia celebrata, dicti Ruperti Nuncii introducti ſunt, qui cum aliis non ſederunt, ſed per quendam alium Epiſcopum propoſuerunt viginti duas quæſtiones ambiguitatibus plenas, quarum præcipuæ fuerunt. Utrum Cardinales poteſtatem haberent ſe ſubtrahendi ab obedientia ſui Pontificis; Pontificem evocandi; Concilium Generale convocandi; duo Collegia ſe mutuo habilitandi ad celebrandum Concilium; concludentes demum, Concilium debere differri in aliud tempus, & in alium locum transferri, ad quem Gregurius XII. quem, ut ſcribit Niemus Libro iii. *De Schiſmate*, Cap. xxxix. prius convenerant, paratus eſſet accedere, & adimplere quæ juraverat, dum & Benedictus XIII. idem præſtaret.

XVII. His auditis propoſitionibus, præſcripſit mox Synodus Nunciis, ut ſcripto traderent, quæ ore propoſuiſſent, oſtenderentque mandatum, quod a Ruperto haberent; quod cum ægre admodum præſtitiſſent, remiſſi ad alium diem pro reſponſo audiendo, incœperunt inter ſe altercari, clare demonſtrantes, non ſe veniſſe, niſi ad unionem impediendam, & non expectato reſponſo, clanculo abierunt. His a Dionyſiano Monacho, & Abbate S. Maxentii relatis addit Niemus, eos Nuncios antequam elaberentur, Ruperti nomine appellaſſe, innuentes convocationem Generalis Concilii ſpectare ad Regem Romanorum, vel ſaltem de ejus auctoritate convocari debere; ac propterea tam ipſum Rupertum, quam ejus Nuncios riſui expoſitos fuiſſe, & quaſi fatuos, ac Juris ignaros exiſtimatos ob gravia incommoda, quæ ſequutura fuiſſent ex eorum propoſitionibus ſupra enarratis. In Actis Concilii a Raynaldo laudatis, quæ etiam extant apud Labbeum, dicitur, quatuor fuiſſe Oratores Ruperti, nempe Archiepiſcopum unum, duos Epiſcopos, & Conradum e Suſato Spirenſis Eccleſiæ Canonicum, qui die xvi. Aprilis in Sacrario Eccleſiæ coram Cardinalibus, non in publica Seſſione, xxii. dubitationes propoſuit, & die xix. ejuſdem menſis provocavit ab hoc Piſano Concilio; quo facto, Oratores die Dominica xxi. ejuſdem menſis nemine ſalutato clam abierunt, viderique ea provocatio apud laudatum Labbeum poteſt in Actis hujus Concilii.

XVIII. Gregorius XII. tunc temporis Arimini morabatur, cujus Civitatis Dominus erat Carolus Malateſta, quem idem Monachus Dionyſianus, & Abbas S. Maxentii, tacentibus Actis editis, ſcribunt eadem hebdomada Piſas adiiſſe, ut perſuaderet Cardinalibus Concilium differre, & in alium locum transferre; ſed ad eum audiendum electos eſſe quatuor doctiſſimos Cardinales ex utraque obedientia, ex parte nempe Benedicti Nicolaum Brancacium, & Petrum de Thureo; ex parte Gregorii, Antonium Cajetanum dictum Cardinalem Aquileenſem, & Cardinalem Mediolanenſem, qui cum multis rationibus oſtendiſſent, id nulla ratione fieri poſſe, Carolus ipſe Malateſta re infecta ad ſua rediit. Porro extat & apud Labbeum Caroli Malateſtæ Scriptum de iis, quæ ipſe cum Cardinalibus Piſis tractavit, & in reditu cum Gregorio, a quo legatus ad Cardinales fuerat, ut ſcilicet Synodum Piſanam diſſolveret. Sequitur reſponſio Cardinalium Gregorii facta am-

baſſia.

Digitized by Google

baſſiatori Domini Malateſtæ de Penſauro ad quædam capitula per ipſum Dominum Malateſtam petita. Poſt hæc vero die xxi. Aprilis in Dominica Vitalis de Caſtromauro, qui legitime electus Archiepiſcopus Toloſanus, ſed ut habet Caſtellus in Hiſtoria Occitaniæ, a Benedicto XIII. ejectus, ad Concilium recurrerat, Miſſam celebravit, & inter Miſſarum ſolemnia quidam Frater Minor Epiſcopus Dignienſis, qui apud Labbeum vocatur Bertrandus, ſermonem habuit de mercenariis fugientibus, ac luculentiſſime oſtendit, tales eſſe contendentes de Papatu, atque ideo pellendos; & propoſitiones Nunciorum Ruperti diſcuſſas egregie refellit.

XIX. Aſſignatus jam fuerat a Synodo dies xxiv. Aprilis ad audiendam reſponſionem Nunciorum Ruperti, interimque continuati ſunt proceſſus, vocatique ad valvas Eccleſiæ duo de Papatu contendentes, aut aliquis, qui pro eis eſſet in Civitate Piſana. Sed cum Nuncii, uti jam dictum eſt, receſſiſſent die xxi. Aprilis nemine ſalutato, adveniente dicta die xxiv. convenientibus in Eccleſia Cathedrali Patribus, Advocatus Concilii in Suggeſtum ſpatio trium horarum totum proceſſum diviſionis Eccleſiæ alte, & intelligibiliter legit. Deinde lecti ſunt libelli ſupplices Promotorum Concilii, quibus petebant a Concilio, approbari unionem duorum Collegiorum, convocationem Concilii per eos in Urbe Piſarum factam, citationes duorum contendentium, & contumaciæ eorum declarationem; ac ut his omnibus rite confirmatis iidem contumaces privarentur dignitate Papatus, eorumque fautores omnibus dignitatibus, officiis, & Beneficiis; & ſiquid contra hujuſmodi privationem attentarent, poſſent per Judices ſeculares puniri: omneſque Reges, ac Principes, ceterique cuncti cujuſcumque ſtatus homines ab eorum obedientia abſolverentur; committerenturque quidam Viri probi, & litterati ad recipiendas quæſtiones, & inquiſitiones contra eoſdem contendentes producendas, pro majori cautione, quamvis eſſent omnia ſatis per ſe notoria. Eodem tempore Simon Cramaudus Patriarcha Alexandrinus, & Univerſitatis Pariſienſis, Ducumque Brabantiæ, & Hollandiæ & Eccleſiæ, ac Civitatis Leodienſis Nuncii Piſas ingreſſi ſunt, & ſubſequenter Legati Angliæ, & Archiepiſcoporum, Moguntini, & Colonienſis.

XX. Ultima die Aprilis congregato Concilio, & Miſſa ab Epiſcopo Luxovienſi in præſentia Nunciorum Angliæ celebrata, Robertus Alun Saliſberienſis Cathedram aſcendens, increpatis contendentibus, hortatus eſt ex parte Regis ſui, & Cleri, Cardinales, atque Concilium diligenter opus unionis agere. Epiſcopum illum Saliſberienſem fuiſſe Robertum Alun, poſtea Cardinalem ſub Joanne XXII. narrat Walſinghamus in Henrico IV. In Actis tamen Concilii Conſtantienſis, cui adfuit, Robertus nunquam dicitur Cardinalis, ſed tantum Epiſcopus. Addit Walſinghamus, Regem Angliæ præmiſiſſe Oratores ſuos ad Gregorium XII. & Cardinales cum Litteris, quibus Gregorium quidem horrore immenſarum ſtragium populi Chriſtiani per univerſum Orbem occaſione Schiſmatis editarum, hortabatur honorem potius Apoſtolicæ Sedis relinquere, quam hujuſmodi deteſtanda diſſimulanter tolerare: ejus veræ matris exemplo, quæ coram Rege Salomone contendens, ceſſionem potius elegit, quam filii ſectionem. Cardinales autem precabatur, ſi Gregorius cederet Papatui, ejus honeſto ſtatui ſufficienter providere. Nihilque amplius ea die actum eſt. Quis fuerit Epiſcopus ille Luxovienſis, & a quo miſſus, ſibi incertum eſſe Pagius affirmat. Certe nomen ejus nec in editione Conciliorum, nec apud Raynaldum reperitur in Catalogis Epiſcoporum, aut Oratorum Regum, qui huic Piſano Concilio interfuerunt; imo, ut apud ipſum Raynaldum videre eſt, Oratores Angliæ erant Robertus Epiſcopus Saliſberienſis, Thomas Epiſcopus Damenienſis, & Henricus Epiſcopus Menenſis, ſive potius Menevenſis: in Catalogo vero, qui legitur apud Labbeum, Robertus Epiſcopus Saliſberienſis, & Henricus Menevenſis; nullibi autem reperitur Epiſcopus Luxovienſis. Die porro ſequenti, nempe prima Maji Franciſcus Cardinalis Burdigalenſis reverſus eſt Piſas e ſua Legatione Gallica, & Anglica; & altera ſequenti advenit pariter Petrus Frias Presbyter Cardinalis Tituli S. Praxedis partis Benedictinæ, dictus Cardinalis Hiſpaniæ.

XXI. Die quarta Maji habita eſt altera Seſſio, in qua Guillelmo de Canteriis Ebroicenſi Epiſcopo Miſſam celebrante, Anglorum Nuncii ſederunt ad latus ſiniſtrum; Nuncii vero Regis Francorum, ſcilicet Simon Cramaudus Patriarcha Alexandrinus, Petrus Freſnel Epiſcopus Meldenſis, & Ægidius de Campis poſtea Cardinalis ejuſdem Regis Confeſſarius, ac tandem Joannes Epiſcopus Vapincenſis Ludovici Andegavenſis Siciliæ Regis Nuncius ad latus dexterum ſederunt poſt Cambellanum, ſeu Camerarium Romæ; peractiſque Miſſæ, aliiſque conſuetis Solemnibus, cum Prælati ornamenta ſumpſiſſent, & Patriarcha poſt primum Cardinalem Epiſcopum ſediſſet, ſicuti ſtatutum fuerat, quidam excellens Doctor Bononienſis Petrus de Ancharano Suggeſtum aſcendens; quæſtionibus factis ab Oratoribus Ruperti, de quibus ſupra dictum eſt, reſpondens enucleate, oſtendit præterea, contendentes fuiſſe ſufficienter evocatos, & poſſe jam Synodum contra eoſdem procedere. Conſtituti deinde ſunt ad examinandos teſtes duo Cardinales, ſcilicet Angelus Presbyter Cardinalis Tituli S. Pudentianæ, dictus Laudenſis, & unus Diaconus Cardinalis S. Angeli, duo enim erant, nempe Petrus S. Angeli, dictus Romanus, & Petrus Blavi etiam S. Angeli dictus Ultramontanus; & hi duo Cardinales pro utroque Collegio; pro Regno Franciæ Epiſcopus Luxovienſis, & tres Doctores; pro Rege Angliæ unus Doctor; pro Provincia unus, & pro Alemannia duo. Huic Seſſioni non adfuerunt Nuncii Archiepiſcoporum Moguntini, & Colonienſis ob diſcordiam inter eos motam de prærogativa Sedis. Acta edita addunt, electos fuiſſe aliquos, qui Ladislaum Regem adirent ad eum mitigandum, ſed quæ fuerit cauſa iræ, non exprimunt; quam tamen Spondanus putat fuiſſe ratione Gregorii, cujus tunc totus erat.

XXII. Die octava Maji in Eccleſia S. Michaelis, cujus apparitionis Feſtum celebrabatur, Patriarcha Alexandrinus Miſſam celebravit, poſteaque ſermonem habuit, quo Bavarorum rationes deſtruxit. Huic Seſſioni interfuerunt Nuncii Moguntinus, & Colonienſis, & intermixtim ſicut ſtatutum fuerat, conſederunt, ita tamen ut primus eſſet Colonienſis. Die ipſa poſt prandium in Eccleſia S. Marti[illegible]do Epiſcopus Præneſtinus dixit, Fratres [illegible] Cardinales nihil in proſequutione unionis agere velle ſine deliberatione

Concilii, & cum non omnes ejuſmodi deliberationibus intereſſe poſſent, ſatius eſſe aliquos ad id eligi, qui deliberata poſtea ceteris referrent. Statutumque eſt, de qnalibet Provincia Archiepiſcopum, ſi adeſſet, vel Epiſcopum, aut Doctorem interventurum. Poſt quæ Nicolaus Epiſcopus Albanenſis, Benedicti de Luna Nuncios brevi affore nuncians, tractandum propoſuit de modo receptionis eorum; & deliberatione in diem ſequentem IX. Maji remiſſa, cum ea Patriarcha Alexandrinus indiſcuſſum relinqueret, qualis honor iis exhibendus eſſet, qui nondum obedientiam Benedicto ſubtraxiſſent, nec tamen negaret, eos honeſte habendos eſſe abſque moleſtia, & injuriis: Epiſcopus Sariſberienſis Anglus mirari ſe dixit, quod aliqui ſe ſubtraxiſſent, alii non; & neceſſe eſſe, ut in Concilio omnes unius eſſent voluntatis, & ſubtractio communis omnibus, nullumque honorem eſſe iis Nunciis exhibendum. Cujus ſententiæ acceſſit etiam Patriarcha, necnon Petrus Viſſus Epiſcopus Cracovienſis Nuncius Regis Poloniæ; Moguntinus, & Colonienſis Nuncii, & alii. Sed ſuper hoc Cardinales, qui ſe non ſubtraxerant, deliberationem a Concilio petierunt.

XXIII. Die decima menſis Maji poſt Miſſam a Maſſilienſi Epiſcopo celebratam, in generali Seſſione petita Patrum ſententia de communi ſubteactione, cum eam omnes approbarent, exceptis duobus Epiſcopis, uno Anglico, & altero Alemanno, Decretum hujuſmodi conſenſionis Concilii nomine promulgavit Patriarcha Alexandrinus, qui ad hoc e ſede ſua, quam inter duos Cardinales antiquiores habebat, pulpitum aſcendit. Poſtridie deputati ſunt Epiſcopi, & Doctores, qui ſubtractionis minutam facerent, quæ traderetur Concilio ad corrigendum, ſi correctione indigeret. Die vero decimatertia ejuſdem menſis in generali Seſſione Cardinalis Prænestinus nomine omnium Cardinalium eidem ſubtractioni per Concilium ordinatæ adhæſit. Subtractio vero in ſcriptis relata, die decimaſeptima comprobata fuit non ſolum ratione Synodi, verum etiam cunctorum Chriſtifidelium: revocatæque, & irritæ declaratæ ſententiæ omnes per contendentes contra ſe ſubtrahentes latæ; & ut ad ulteriora circa teſtium auditionem, & proceſſuum confectionem, electi ad hoc a Synodo abſque mora procederent, ac demum die vigeſimaſecunda prædicti menſis Maji, eadem ſubtractio cum ceteris Decretis memoratæ diei decimæſeptimæ, de conſenſu totius Synodi publice lecta eſt per eundem Patriarcham Alexandrinum, legiturque apud Labbeum, alioſque Conciliorum Collectores, atque Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Scriptores, de hoc Piſano Concilio tractaotes.

XXIV. Poſt hæc variis aliis diebus, ac Seſſionibus, factæ ſunt publice relationes de teſtium auditionibus ſuper ſingulis articulis contra contendentes propoſitis: repetitæ citationes, & evocationes ad valvas Eccleſiæ per quoſdam Cardinales, & alios Prælatos, ac dati ſunt termini competentes. Die vero vigeſimanona Maji Doctor quidam magni nominis Scholæ Pariſienſis, nomine Petrus Plaoul concionem habuit in Synodo, hoc Themate: *Congregabuntur filii Juda, & filii Iſrael pariter, & [illegible] ſibi caput unum*; & Eccleſiam exaltando, a[illegible]nit eſſe ſupra Papam, tam ex parte materiæ, ſcilicet animarum, quam ex parte formæ, quæ eſt Spiritus Sanctus; quam etiam ex partæ cauſæ efficientis, quæ eſt ipſe Chriſtus, ac denique ex parte finis, quæ eſt ipſe Deus in Eccleſia triumphante. Poſtmodum poſuit opinionem Univerſitatis Pariſienſis, videlicet, quod Petrus de Luna eſſet ſchiſmaticus, perjurus, & hæreticus, præciſus ab Eccleſia Dei, & privatus, ac per Concilium tanquam talis ejiciendus, & privandus: ſubjungens, quod ejus opinionis erant Univerſitates Andegavenſis, Aurellanenſis, & Toloſana. Ipſo autem deſcendente de Cathedra, aſcendit quidam Epiſcopus Italicus dictus Novarienſis, qui opinionem centum & trium Magiſtrorum in Theologia, ac Univerſitatis Bononienſis in quadam ſchedula publicavit, quæ erat conformis memoratæ opinioni Univerſitatis Pariſienſis.

XXV. Tandem die quinta Junii in ſolemni Seſſione, cui adſuerunt octies viginti Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Abbates Mitris ornati, ſexies viginti Magiſtri in Theologia, trecenti Doctores in Jure Civili, & Canonico præter Nuntios Regum, ac Principum, poſt Miſſam, aliaque ſolemnia, per Patriarcham Alexandrinum, adſtantibus ſibi a dextris, & a ſiniſtris, Patriarchis Antiocheno, & Hieroſolymitano, valvis Eccleſiæ patentibus, præſenteque multitudine, quantam Eccleſia capere poterat, lecta eſt Sententia diffinitiva contra utrumque de Papatu contendentem Petrum de Luna, ideſt, Benedictum XIII. & Angelum Coriarium, ideſt, Gregorium XII. uti contra notorios, & pertinaces ſchiſmaticos, & hæreticos, a fide devios, notoriiſque enormibus criminibus perjurii, & violationis voti irretitos, ac aliis, ob quæ ſeipſos indignos omni dignitate præbuiſſe, & ipſo facto abjeciſſe, privaſſe, & ab Eccleſia præcidiſſe, Sancta Synodus declaravit, ac nihilominus eoſdem privavit, abjecit, & præcidit: Eccleſiam Romanam vacare ad cautelam decrevit: omnes Reges, ac Principes, cunctoſque Fideles ab eorum obedientia abſolvit; prohibens, ne quis alicui eorum auxilium, vel favorem præſtaret ſub pœna excommunicationis; quodque ſi iidem depoſiti parere co[illegible]temnerent, ipſos, eorumque fautores etiam Poteſtates ſeculares compeſcerent. Cunctos inſuper proceſſus, ſententias, privationes, & depoſitiones contra quoſcumque ab iis factas, & latas, nullius momenti eſſe declaravit, & penitus irritavit; ac promotiones, ſeu verius profanationes Cardinalium ab iis factas, videlicet per Angelum Coriarium a die tertia Maji, & per Petrum de Luna a die decimaquinta Junii anni præteriti MCDVIII. nullas eſſe decrevit. Quæ ſententia refertur apud Labbeum in Actis Piſani hujus Concilii, extatque apud Niemum Lib. III. *De Schiſmate*, Capite XLIV.

XXVI. Seſſione die decima Junii habita, quæ in Actis editis dicitur Seſſio decimaſexta, lecta eſt ex pulpito ab Archiepiſcopo Piſano ſchedula, qua Cardinales promittebant ſcripto a cunctis præſentibus ſubſignato, ſiquis eorum in Summum Pontificem eligeretur, Concilium prorogaturum, quouſque facta eſſet reformatio univerſalis Eccleſiæ tam in capite, quam in membris; & ſiquis abſens eligeretur, non publicaturos electionem, donec electus idipſum obſervare promiſiſſet. Cui ſcripto, quod & apud Labbeum extat, ſubſcripſerunt viginti Cardinales tunc præſentes, ac ſubinde alii quatuor, qui poſtea venerunt. Aſſignata eſt quoque tunc alia Seſſio,

ideſt

Digitized by Google

ideſt decimaſeptima ad diem Jovis proximam decimamtertiam Junii, in eaque Patriarcha Alexandrinus una cum Antiocheno, & Hieroſolymitano ex pulpito legit ſchedulam, qua Concilium facultatem conceſſit Cardinalibus a diverſis contendentibus creatis ad electionem unici, & indubitati Pontificis procedendi, abſque præjudicio impoſterum auctoritatis, quam vi ſuæ dignitatis haberent Cardinales in ſimilibus electionibus. Irrita rurſus, & nullius momenti declaravit, quæ a Petro de Luna quocumque tempore, & ab Angelo de Coriario a die tertia Maji anni MCDVIII. decreta, & facta eſſent contra Principes, Prælatos, ac alios Viros Eccleſiaſticos, Academias, Collegia, Communitates Urbium, Caſtrorum, &c. ſingulareſque perſonas unionem Eccleſiæ procurantes, ac promoventes.

XXVII. Die decimaquarta Junii Seſſione decima octava, comparuerunt Legati Regis Aragoniæ, qui petentes inſtrui de Actis in Synodo, reſponſum acceperunt, commiſſuram aliquos, qui eis in hoc ſatisfacerent. Sed cum inſuper dixiſſent, quod Nuncii Benedicti Papæ XIII. erant in villa, fuerunt ſibilati, quia vocaverant eum Papam. Ad illud autem quod petierunt, dictos Nuncios audiri, reſponſum eſt, quamquam de Jure contra ſententiam latam in hæreticum admitti non deberent, tamen ob reverentiam Regis fore, qui eos audirent extra Synodum. Auditi itaque poſt prandium in Eccleſia S. Martini coram nonnullis Cardinalibus, abſque ullo honore excepti ſunt, ſed potius exibilati, cum Petrum de Luna vocarunt Benedictum Papam. Demum declarantes ſe habere quo impugnarent capitula quædam in Synodo ſtatuta, permiſſi ſunt, quæ vellent proponere, modo Synodo, vel ejus Actis non eſſent injurii, alioqui vix eos ſecuros fore. Ad quod dicentes ſe deliberaturos, receſſerunt in hoſpitium, & ſequenti die clanculo abierunt e Piſis, cum per Urbem conclamaretur in eos tanquam in Judæos. Fuiſſe tamen Viros graviſſimos, conſtat tum ex Actis editis, tum ex Surita Hiſtorico Hiſpano, nempe Archiepiſcopum Tarraconenſem, Epiſcopos Seguntinum, Mimatenſem, & Senenſem; Bonifacium Ferrerium, Domnum Carthuſienſem, S. Vincentii Ferrerii Fratrem, inſignis pietatis, & peritiæ Juris Virum; Priorem Cæſarauguſtanum, & Miniſtrum Provinciæ Gallæciæ, quos idem Surita miſſos ait tantum, ut perſcrutarentur, quibus conditionibus res ad concordiam deduci poſſent; ſeu, ut clarius Mariana Libro XIX. Capite XVIII. refert, ſimulatione ineundæ concordiæ, re autem, ut Patrum conatus cognoſcerent, explorataque renunciarent, cum parum ſpei eſſet, Petrum quicquam voluntate facturum. Nam & Niemus citato Libro III. *De Schiſmate*, Cap. XLV. tradit, ipſum aliquot ante diebus, quam ſententia Synodi lata fuiſſet, publicari feciſſe in quadam Eccleſia Piſarum citationem contra Cardinales, qui a ſe receſſerant, cum minis, niſi intra certum terminum redirent, ſe adverſus eos proceſſurum.

XXVIII. Cum autem Nuncii Petri de Luna prædicta die XV. Junii anni MCDIX. inſalutato hoſpite Piſis receſſiſſent, eadem die celebrata eſt Seſſio decimanona Concilii Piſani, in qua poſt ſolemne Sacrum de Spiritu Sancto per Philippum de Tureo Archiepiſcopum Lugdunenſem celebratum, & ſermonem habitum ab Epiſcopo Novarienſi ſub hoc Themate ex Cap. X. Libri IV. Regum ſumto: *Eligite meliorem, & eum ponite ſuper Solium*, Cardinales Num. XXIV. Conclave ingreſſi ſunt, ad cujus cuſtodiam deputatus fuit Philibertus de Nailaco Magiſter Hoſpitalariorum, ſeu Rhodienſium, qui paulo ante Piſas advenerat. Conclave autem erat in Domo Archiepiſcopi Piſani, in quo Cardinales ſteterunt uſque ad diem Mercurii XXVI. Junii, quo die de mane circa horam Tertiarum nullo reclamante elegerunt in Summum Romanum Pontificem Petrum de Candia Tituli Baſilicæ Sanctorum XII. Apoſtolorum Presbyterum Cardinalem Mediolanenſem nuncupatum Ordinis Fratrum Minorum, qui dictus eſt Alexander hujus nominis V. quique ſtatim poſt ſuam electionem ordinavit Seſſionem pro Concilio tenendo, videlicet ad diem Lunæ, primam menſis Julii proxime ſequentis.

XXIX. Petrus de Candia ignotis parentibus in Creta inſula natus erat, ut teſtatur Theodoricus Niemus hoc tempore vivens Libro III. *De Schiſmate*, Cap. LII. *Hic fuit Græcus natus in inſula Candiæ, quæ per Venetos occupatur; &, ut ipſemet tunc in agone, ſeu in ultimis conſtitutus coram ſuis familiaribus faciendo pulcrum ſermonem, dicebat, nunquam novit patrem, aut matrem, aut aliquem fratrem, ſeu ei carnis propinquitate conjunctum; ſed eum in pueritia mendicantem victum quidem Frater Ordinis Minorum Italicus in eadem inſula recollegit, atque in Latino ſermone inſtruxit; & dum erat aliqualiter major & aptus, in Domo Fratrum Minorum in ipſa inſula conſiſtente, ipſum poſuit, & Habitu Regulari eorundem Fratrum induit; & conſiderans, quod eſſet bonæ indolis, eum ſecum ad Italiam poſtea duxit*. Et infra: *Erat autem ipſe Alexander prius nominatus Petrus de Candia*. Scite notat Pagius in Vita Alexandri V. fruſtra quoſdam Scriptores recentiores aſſeruiſſe, eum fuiſſe vel Novarienſem, vel Bononienſem, vel Papienſem, ea conjectura innixos, quod nunquam Cretenſis appellatur, ſed *de Candia*, quaſi vero Theodoricus Niemus ignorare potuerit, Cretam inſulam ſuo tempore jam dictam fuiſſe Candiam, quia hæc Urbs Archiepiſcopalis primaria erat inſulæ Cretæ, quæ per Venetos occupabatur. Standum porro eſt teſtimonio Niemi, qui eum natione Græcum fuiſſe ait, vivebat enim tunc ille in Curia ipſius Alexandri, quique etiam ſcribit, electum enim fuiſſe Pontificem circa annum ætatis ſuæ ſeptuageſimum, errantque iccirco poſterioris ævi Auctores, qui ipſum Alexandrum tunc nonagenarium fuiſſe tradunt.

XXX. Adveniente die Lunæ prima Julii celebrata eſt Seſſio vigeſima Piſani hujus Concilii, in qua Cardinalis de Tureo Miſſam celebravit, & Cardinalis de Chalento legit, & publicavit ſchedulam omnium, & ſingulorum Cardinalium manibus ſubſcriptam, per quam publicabant omnibus, & nunciabant, ſe elegiſſe in Papam Cardinalem Mediolanenſem, & rogavit Concilium, ut Deum pro eo, & Sancta Romana Eccleſia orarent. Poſt hæc Alexander ſermocinatus eſt ſumens hoc Thema, *Erit unum ovile, & unus Paſtor*. Quo facto Cardinalis S. Euſtachii dictus Bononienſis nonnulla promulgavit, quæ Alexander ordinaverat. Et primo omnes proceſſus, ſententias, & ordinationes factas per Cardinales a die tertia menſis Maji anno MCDVIII. & omnia facta in Concilio approbavit. Duo præterea Cardinalium Collegia univit Pontifex, & pro uno in-

inpoſterum haberi voluit, promiſitque dare ſingulis ſingulos Titulos . Edixit tunc etiam, quod die Dominica ſequenti, quæ concurrebat cum die ſeptima Julii coronaretur, & alia quædam ordinavit, ſicuti & Seſſionem ad diem Mercurii decimam menſis Julii ; uti in Actis editis videre eſt citatis a Pagio in Vita Alexandri V. Num. III. Hæc eadem narrant quidem & alii Scriptores, ſed ordine tamen diverſo, inter quos videri poteſt Natalis Alexander Diſſertatione II. in Hiſtoiam Eccleſiaſticam Seculi XV. & XVI.

XXXI. Certe die VII. Julii coronatus eſt, & quidem ſolemniter ipſe Alexander V. uti diſerte docet laudatus toties Theodoricus Niemus, ſic inquiens : *Hic Dominus Alexander recepit inſignia Coronationis ſuæ in Piſis, Nonis Julii, anno Domini MCDIX.* Quæ in ea Coronatione acta ſint, referuntur in Actis hujus Concilii Piſani ex Spicilegii Dacheriani Tomo VI. in Collectionem Conciliorum a Labbeo editam translatis, in quibus legitur : *Die Dominica immediate ſequente, quæ fuit dies ſeptima Julii, dictus Dominus Papa Alexander fuit coronatus in Eccleſia Cathedrali, ubi fuit celebrata Miſſa ſolemnis. Ex illa die fuerunt multa ſolemnia, ut puta de ſtupis combuſtis, dicendo :* Sic tranſit gloria mundi ; *de Epiſtola, & Evangelio in Miſſa Græce, Hebraice, & Latine, de impoſitione Tiaræ, eam qua Papa reveſtitus equitat per villam, & omnes Prælati reveſtiti cum equis de panno albo coopertis ; de lege Judæorum, quæ Papæ per Judæos præſentatur, & de ſimilibus. Quæ omnia fuerunt debite, & ſolemniter expedita.* De his ritibus plura dicemus nos in Commentariis ad Cæremoniale Auguſtini Patricii, Libro I. Sectione II. Capite III. quod Deo dante poſt hunc IV. ac poſtremum Conciliorum Tomum publica luce donandum ſtatuimus. Interim quod ſpectat lectionem Epiſtolæ, & Evangelii Græce, Latine, atque Hebraice factam, videri poſſunt, quæ ſcripſimus in Opere, *De Codice Sancti Evangelii atque ſervatis in ejus Lectione, &c.* Lib. II. Cap. II.

XXXII. Ex eo porro, quod jam ex Actis editis diximus, Alexandrum V. ſingulis Cardinalibus ſingulos Titulos concedere promiſiſſe, obſervandum eſt, quod & in ejuſdem Alexandri V. Papæ Vita memoratus Pagius notat, eum ſcilicet quoſdam antiquos Titulos mutaſſe, eo quod ob Schiſma duo plerumque eſſent ejuſdem Eccleſiæ Titulares, ex quo doctiſſimus Onuphrius Panvinius in Libro, *De ſeptem Urbis Eccleſiis*, Capite III. ad finem ſcribit, ſub Alexandro V. manaſſe in Eccleſia Romana mutandorum Titulorum uſum, idcoque optionem inter Romanæ Eccleſiæ Cardinales exordium tunc habuiſſe : *Apud veteres*, inquit, *per mille & ducentos continuos annos conſuetudo in Romana Eccleſia uſurpata fuit, ut neque Diaconi Diaconias ſemel acceptas, neque Presbyteri Titulos, neque Epiſcopi Cardinales Epiſcopatus ſuos mutarent; qua ratione fiebat, ut Diaconi, Presbyteri, & Epiſcopi Cardinales, Diaconias, Titulos, & Epiſcopatus ſuos magis colerent, & exornarent, reſtituerent, & augerent, quos dum viverent, eſſent retenturi. Nunc Cardinales optionis lege multos Titulos, & Diaconias obtinere poſſunt, cujus rei initium ortum eſt tempore Alexandri V. in Concilio Piſano anno Domini MCDX. in quo cum ob Schiſma contigiſſet Sacerdotia Cardinalitia duos ad minus habere Cardinales, unum unius obedientiæ Avenionenſis, alteram alterius Romanæ ; ſublato Schiſmate, unitiſque utriuſque Collegii Cardinalibus, & novo Pontifice creato, has mutationes fieri tunc neceſſe fuit, ut unus ex duobus, qui in Schiſmate Epiſcopatum Tuſculanum obtinebat, eo altero dimiſſo Sabinum tunc vacantem optaret, ita in Titulis, & Diaconiis factum eſt ; quæ res quamquam neceſſaria tunc eſſet, in exemplum tamen tracta poſtea frequentari cœpta eſt ; utque hac ratione factum videmus, ut aliquando Cardinalis Diaconus initio creatus, tres, & quatuor Diaconias ; poſt Presbyter factus, totidem Titulos ; demum Epiſcopatus omnes cooptaverit.*

XXXIII. Hactenus recte Panvinius, quem merito inter alios laudat Pagius ; probantur hæc enim variis exemplis ; nam Henricus Minutulus ex Epiſcopo Tuſculano factus eſt tunc Epiſcopus Sabinus ; Antonius Cajetanus ex Epiſcopo Præneſtino factus eſt Epiſcopus Portuenſis, & S. Rufinæ ; Antonius Calvus ex Presbytero S. Praxedis factus eſt Presbyter Cardinalis Tituli S. Marci ; Petrus Hannibaldus ex Diacono Cardinali S. Angeli factus eſt Diaconus Cardinalis SS. Coſmæ & Damiani ; Jordanus Urſinus ex Presbytero SS. Silveſtri & Martini dictus eſt Presbyter Cardinalis S. Laurentii in Damaſo ; Ludovicus de Barro ex Diacono S. Agathæ factus eſt Presbyter Cardinalis SS. XII. Apoſtolorum. Hæ autem mutationes factæ ſunt anno Domini MCDIX. Pontificatus Alexandri primo. Ceterum, quo tempore, & quo Pontifice quidam Tituli Cardinalium, vel mutati, vel aucti fuerint, incertum eſt. Abs re tamen non erit inſerere hoc loco Catalogum Titulorum Cardinalium tam Presbyterorum, quam Diaconorum, quem ex parvo ms. Codice tempore Joannis Papæ XXII. exarato deſcripſit Pagius in Vita Alexandri V. Num. VI. & ſeq. ubi refellit Auguſtinum Oldoinum, qui in Additionibus ad Ciaconium Tomo. I. Col. 119. perperam ſcripſit, ante Pontificatum Pauli III. ſeu ante annum MDXLV. numerum Diaconorum Cardinalium non fuiſſe amplius, quam XVIII. cum in iſto Codice recenſeantur XIX. In eodem etiam Codice Tituli Cardinalium Presbyterorum ſunt tantum XXXI. & Epiſcoporum VII. ſeu potius VI. quia ſcilicet Epiſcopatus S. Rufinæ unitus jam erat Epiſcopatui Portuenſi.

XXXIV. Sed audiamus nunc iſta memorati Codicis verba, qui ita inquit : *In Civitate Romaniæ ſunt V. Eccleſiæ Patriarchales, videlicet, Eccleſia S. Joannis Lateranenſis, quæ Conventum habere poteſt Ordinis S. Auguſtini. Eccleſia S. Petri, quæ habet Archipresbyterum, qui debet eſſe Cardinalis. Eccleſia S. Mariæ Majoris, quæ habet Archipresbyterum, qui debet eſſe Cardinalis. Eccleſia S. Pauli, qui habet Abbatem Ordinis S. Benedicti. Eccleſia S. Laurentii extra muros, quæ habet Abbatem ejuſdem Ordinis. Primæ autem Eccleſiæ aſſignati ſunt ſeptem Epiſcopi, qui debent aſſiſtere Domino Papæ, videlicet, Hoſtienſis, qui debet coronare Papam, Albanenſis, Portuenſis, & S. Rufinæ, Sabinenſis, Tuſculanenſis, & Præneſtinus. Aliis autem Eccleſiis aſſignati ſunt Presbyteri Cardinales Num. XXXI. Sanctæ Crucis in Jeruſalem, SS. Quatuor Coronatorum, SS. Marcellini, & Petri, Sanctorum Joannis & Pauli, S. Anaſtaſiæ, S. Sabinæ, S. Stephani in Cœlio Monte, S. Clementis, SS. Nerei & Achillei, S. Suſannæ, S. Petri ad Vincula, S. Martini in Montibus, San-*

ẞi

Digitized by Google

*cti Sixti, S. Balbinæ, S. Euſebii, S. Priſcæ, S. Praxedis, & Vitalis, S. Pudentianæ, S. Cyriaci in Terminis, S. Marci, S. Marcelli, Sancti Laurentii in Lucina, S. Laurentii in Damaſo, S. Mariæ in Tranſtyberim, S. Cæciliæ, S. Griſogoni, Baſilicæ duodecim Apoſtolorum, S. Equitii, S. Primacii, S. Eudoxiæ.* Poſt hos Titulos deſcribuntur Tituli Diaconorum Cardinalium, hoc ordine: *Iſti ſunt Diaconi Cardinales, & ſunt numero* XIX. *Sanctæ Luciæ in ſeptem Coliis, qui debet eſſe Tit. Vicecancellarii Card. ſi deſit, Sanctæ Mariæ in Aquiro, S. Theodori, & Mariæ in Coſmedin, S. Georgii ad velum aureum, SS. Coſmæ & Damiani, S. Mariæ Novæ, S. Adriani, SS. Serchi & Bachi, S. Mariæ in Via lata, S. Mariæ in Porticu, S. Angeli in Foro piſcium, S. Nicolai in Carcere Tulliano, S. Mariæ in Dompnica, S. Euſtachii, S. Luciæ inter Imagines, S. Luciæ in Silice, S. Viti in Marcello, S. Agathæ.* Ex quibus Hiſtoria Cardinalium illuſtrari poterit. Hodie porro Cardinalium numero Conſtitutione Sixti Papæ V. ad ſeptuaginta redacto, ſunt in univerſum Tituli LXXI. nempe Tituli VI. Epiſcoporum, Presbyterorum L. Diaconorum XIV. quia Vicecancellarius ex Decreto Clementis Papæ VII. Titulum alium ſolet obtinere.

XXXV. His obiter dictis, ut ad noſtram Piſanam Synodum redeat ſermo, die XXVII. Julii habita eſt Seſſio XXII. in qua Alexander V. confirmavit omnes quaſcumque Proviſiones Beneficiorum, & Conſecrationes, atque Ordinationes Sacras factas a contendentibus, nempe a Gregorio XII. & Benedicto XIII. factas ſcilicet iis, qui Synodo huic Piſanæ adhærebant, modo Canonice factæ eſſent. Statutum eſt quoque in hac Seſſione, Generale Concilium fore convocandum triennio poſt, videlicet anno Chriſti MCDXII. menſe Aprili, loco idoneo, uno ante anno declarando. Poſt hæc tam Pontifex, quam Cardinales liberaliter remiſerunt omnia uſque ad ejus creationem debita ab Eccleſiis ratione ſervitiorum; necnon renunciavit Alexander in futurum reſervationibus bonorum, ſeu ſpoliorum morientium Prælatorum, & fructuum medii temporis Beneficiorum vacantium. De hujuſmodi ſpoliis, eorumque origine jam nos fuſe diſſeruimus Tomo I. Conciliorum in Commentario ad Canonem XXII. Chalcedonenſem. Ceterum quædam, quæ in hac Seſſione quidam Auctores decreta fuiſſe tradunt, alii ad Seſſionem ſequentem referunt, neque enim omnes in Numero Seſſionum conveniunt, ſicut nec in Decretorum ordine, quæ in eiſdem ipſis Seſſionibus hujus Concilii edita ſunt.

XXXVI. Quicquid ſit, Seſſione denique XXIII. & ultima hujus Concilii Piſani, quæ celebrata eſt die VII. Auguſti, quamque inter alios Natalis Alexander appellat vigeſimamprimam, Alexander Papa V. ſacro approbante Concilio varia Decreta edidit. Statuit I. ut bona immobilia Eccleſiæ Romanæ, ſeu aliarum Eccleſiarum nullatenus alienarentur, aut in hypothecam traderentur uſque ad proximum Concilium Generale, in quo maturior de ea re haberetur deliberatio. II. ut Synodi Provinciales, & Diœceſanæ ſecundum formam Juris, & Concilii Generalis celebrarentur, necnon Capitula Monachorum, & Canonicorum Regularium. III. ſtatuit translationes de Invitis non facere, niſi parte audita, & vocata, & de conſenſu majoris partis Cardinalium, juſtiſque de cauſis. IV. mittendos Nuncios ad Reges, & Principes ad promulgationem hujus Concilii, & exequutionem Decretorum ipſius promovendam. V. multa retro debita Cameræ Apoſtolicæ ratione, & Minutorum ſervitiorum remiſit, ſicut Seſſione præcedenti reſervationes de ſpoliis defunctorum Prælatorum, & fructuum obvenientium Sede vacante a quibuſdam Prædeceſſoribus ſuis factas remiſerat. VI. omnibus qui huic Concilio interfuerant, ejuſque Decretis adhærebant, Indulgentiam Plenariam conceſſit, infra duos menſes, & in articulo mortis applicandam. VII. reformationem Eccleſiæ in capite, & in membris a Concilio decretam, Conciliumque ipſum prorogavit, ad alterius uſque Concilii Œcumenici ad triennium indicti celebrationem.

*De Piſani Concilii auctoritate, an illud nempe Œcumenicum, legitimumque ſit judicandum?*

XXXVII. Complures ſunt quidem Auctores præſertim Galli, qui cum Natale Alexandro in Hiſtoriam Eccleſiaſticam Seculi XV. & XVI. Diſſertatione II. Num. XIV. & ſeqq. ſentiunt, Piſanam hanc Synodum inter Œcumenicas legitimaſque eſſe adnumerandam; præ ceteris autem noviſſime Boſſuetius in defenſione Cleri Gallicani, Parte II. Lib. IX. Cap. XII. tanti eam Synodum facit, ut non ſine temeritate ipſius auctoritatem rejici poſſe affirmet. At vero egregie Auctorem ipſum confutavit Vir Clariſſimus, ac Theologus præſtantiſſimus Dominicanæ Familiæ Alumnus F. Joſephus Auguſtinus Orſi Sacræ Congregationis, quam Indicis vocant, a Secretis, Libris adverſus eundem editis.

XXXVIII. Ante Natalem Alexandrum, & Boſſuetium, alioſque recentiores jam Ludovicus Maimburgus in Tractatu, *De magno Schiſmate Occidentis*, Gallica lingua exarato, ejus fuit opinionis, fuiſſe hoc Piſanum Concilium non modo Œcumenicum, ſed unum ex majoribus conventibus, qui unquam in Eccleſia peracti ſunt; probatque ex numero, & dignitate Prælatorum, qui illi adfuerunt. Quippe, ut ait, Cardinales quinque ſupra viginti, Patriarchæ quatuor, Epiſcopi CLXXXII. Abbates CCXC. inter quos Capita, & Generales omnium Ordinum, Sancti Sepulchri, Theutonicorum, Rhodiorumque Magiſtri, Univerſitatum Pariſienſis, Tholoſanæ, Aurelianenſis, Andegavenſis, Cracovienſis, Viennenſis, Pragenſis, Colonienſis, Oxſordienſis, Cantabrigienſis, Bononienſis, Florentinæ, aliarumque Deputati: Legati quoque Metropolitanarum, & Cathedralium Eccleſiarum ſupra centum: Theologiæ, ſacrorumque Canonum ſupra trecentos Doctores: Oratores denique Galliæ, Poloniæ, Bohemiæ, Cypri, Siciliæque Regum: Ducum quoque Bavariæ, Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantii, Brandeburgi, omniumque fere Germaniæ Principum; præter alios Hiſpaniæ, Aragoniæ, Hungariæ, Sveciæ, Norvvegiæ, Daniæque Reges, qui tandem Concilio Piſano adhæſere. Huic argumento jam & illud idem Maimburgus præmiſerat, re in memorato Concilio Piſano mature, lenteque diſcuſſa, Benedictum XIII. & Gregorium XII. quamquam eorum alter verus Pontifex eſſet, a Papali dignitate fuiſſe ejectos, initiſque ſuffragiis electum fuiſſe novum Eccleſiæ Pontificem, Alexandrum nempe V. quem pro vero legitimoque Pontifice, & tota fere Eccleſia, ſi paucos excipias Benedicto, Gregorioque addictos, agnovit; & ipſe Alexander quam-

vis

via notæ ſanctitatis, mortique vicinus, ubi finiri ambitio ſolet, ſe verum Pontificem profeſſus eſt.

XXXIX. Hactenus Maimburgi narratio, quam tamen pluribus confutavit doctrina & dignitate Eminentiſſimus S.R.E. Cardinalis Cæleſtinus Sfondratus in ſua Gallia Vindicata, ſecundæ Editionis, Diſſertatione III. §. III. Pag. 597. & ſeqq. Nam primo licet certum quidem ſit, in Concilio Piſano fuiſſe Gregorium XII. & Benedictum XIII. Pontificatu ejectos, electumque Alexandrum V. non tamen æque certum, jure id factum, & ex legitima poteſtate; nec propterea novi Pontificis electione ceſſavit dubitatio, quis pro vero Pontifice habendus eſſet; nec ſublatum Schiſma, imo, quod plerique eorum temporum Auctores notant, auctum potius, diffuſumque novi Pontificis acceſſione; adeo ut cum prius Eccleſia in duas, poſtea in tres factiones ſcinderetur, angente incertitudinem Pontificum numero, ea fere ratione, ait Sfondratus, qua in Labyrintho, non ideo certius eas, quia pluribus viis; & qui Gregorio, ac Benedicto adhærebant, nec pro hæreticis, aut ſchiſmaticis habiti ſunt; quod videlicet multis, nec inanibus rationibus niterentur, ut Concilio Piſano non ſubſcriberent, nec ſatis de vero Paſtore conſtaret; imo etiam Sanctos reperias inſignes Theologos & Canoniſtas, qui Concilio ipſi Piſano obluctati ſunt.

XL. Certe Piſanum Concilium uti legitimum & Œcumenicum minime agnovit S. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus, ac Theologus æque & Canoniſta nominatiſſimus, Parte III. Chronicorum, Titulo XXII. Cap. V. §. II. ita inquiens: *Per Piſanum Concilium, vel Conciliabulum, cum non eſſet alicujus eorum, qui ſe gerebant pro Pontifice, auctoritate congregatum, non erat ablatum ipſum Schiſma, ſed augmentatum, tribus jam ſe pro Papa gerentibus.* Et §. ſequenti, de Alexandro V. loquens, inquit, ipſum anno uno *Sedem S. Petri tenuiſſe ſecundum communem opinionem*; ſignificans ex ſua ſententia, Alexandrum V. legitimum non fuiſſe Pontificem, ſed Gregorium XII. teſtatur quippe Cap. VI. §. II. *Gregorium a multis Deum timentibus, & peritis creditum fuiſſe verum Pontificem tempore ejuſdem Concilii.* Si ergo a Piſano Conventu electo Alexandro, depoſitiſque Benedicto, & Gregorio, multi nihilominus ſanctitate, & doctrina conſpicui, nec Alexandrum agnovere, nec a Gregorio ſeparati, nec tamen pro ſchiſmaticis, ſed pro veris piiſque Catholicis habiti ſunt, ſequitur omnino, Concilium Piſanum non fuiſſe pro certo, & Œcumenico Concilio, nec novam electionem Alexandri, & Gregorii, ac Benedicti abdicationem, pro legitima habitam; alioquin ſchiſmatici, implique, qui aut legitimo Concilio, aut vero Pontifici obſtiterent, & abdicato, falſoque adhærerent.

XLI. Plane poſt Concilium Piſanum, utriuſque Siciliæ Regna, itemque Romandiola, Ducefque Bavariæ, ac plurimi Germaniæ Epiſcopi Gregorio adhæſere, neque is alligari ſe voto credebat, quod de Pontificatu abdicando promiſerat; quippe cum id votum conditionatum eſſet, ſi videlicet Petrus de Luna, ſeu Benedictus XIII. idipſum præſtaret; hoc quippe dignitatem retinente, nec pax Eccleſiæ obtineri poterat, nec Schiſma extingui, cum & Regna, Provinciæque non paucæ Benedicto parerent, Aragonia videlicet, Navarra, Caſtilia, Scotia, Baleares, Corſica, Sardinia, aliæque; & Eugenius IV. in Apologia contra Baſileenſes, fatetur, obedientias Gregorii, & Benedicti, *fuiſſe non modicam Chriſtianitatis partem.* Idque aperte Petrus de Alliaco Epiſcopus Cameracenſis profeſſus eſt, qui Conſtantienſi Concilio Librum exhibuit de Eccleſiæ, & Cardinalium poteſtate, primamque concluſionem his verbis expreſſit: *Licet Concilium Piſanum fuerit legitime, & Canonice celebratum, & duo olim contendentes de Papatu, juſte, & Canonice condemnati, & electio Alexandri V. fuerit rite, ac Canonice facta, prout hæc omnia tenet obedientia Domini noſtri Papæ Joannis XXIII. tamen duæ obedientiæ duorum contendentium probabiliter tenent contrarium, in qua opinionum diverſa, & adverſa veritate non ſunt minores difficultates Juris & facti, quam ante Concilium Piſanum erat de juſtitia duorum contendentium.*

XLII. Hæc Alliaci confeſſio doctrina clariſſimi, ut eum vocat doctiſſimus Sfondratus, quique eodem tempore ſcribebat, rerum, quæ in Concilio fiebant, ſcientiſſimus, tanto pluris eſſe debet, quod ipſe a prædicto Joanne XXIII. Cardinalitiam dignitatem accepiſſet, ejuſque partes teneret; ſicque non tam odio, aut partium ſtudiis, quam rei veritate ad hæc ſcribenda permotus credi debeat. Et re ipſa Concilium Conſtantienſe hanc Alliaci ſententiam amplexum eſt, approbavitque. Cum enim anno MCDXV. die IV. Januarii Joannes Dominicus Cardinalis, & Nuntius Gregorii XII. in Concilio compariſſet, cœptum eſt a Patribus diſceptari, an cum Inſignibus Cardinalitiis admittendus eſſet, multis abnuentibus, cenſebant alii admitti eum debere, inter quos præcipuus fuit Cardinalis ipſe Alliacenſis, cujus etiam ſententia prævaluit, & Gregorii Legatus Galero purpureo inſignis, magnoque apparatu Conſtantiam ingreſſus eſt. Docent hæc quidem Acta ipſa Concilii Conſtantienſis ex duobus mſs. Codicibus Bibliothecæ Victorinæ a variis Conciliorum Collectoribus, atque Auctoribus publici juris facta: *Alii aſſeruerunt, licentiam Fratri Joanni Dominici concedendam cum Capello rubeo ingrediendi, & hujus ſententiæ fuit R. D. Petrus Cardinalis Cameracenſis, & quidam alii; die namque XXII. Januarii D. Frater Joannes Dominici Tituli S. Marci Presbyter Cardinalis Raguſinus, ut Cardinalis, & cum Capello rubeo medius inter Dominos Ducem Bavariæ, & Ducem Briegæ, ſequentibus Dominis Wormatienſi, Spirenſi, & Werdenſi Epiſcopis in obedientia dicti Gregorii perſiſtentibus, qui omnes prædictis Legatis Gregorii extra Conſtantiam obviavere, & Civitatem Conſtantiæ ſunt ingreſſi &c.*

XLIII. Sciſſime autem & illud notat Sfondratus, Raguſinum Epiſcopum a Concilio Piſano, & ab Alexandro V. & a Joanne XXIII. nunquam pro Cardinali agnitum eſſe, ſed ubi Patres Conſtantienſes rationibus Petri Alliacenſis permoti eum pro tali recepere, jam ipſos facto ipſo profeſſos fuiſſe, jura Gregorii non adeo projecta eſſe, & conclamata, ut ſuſtineri pro vero Pontifice non poſſet. Si enim certum erat, Gregorium Pontificem non eſſe, æque certum erat, non eſſe veros Cardinales, quos ipſe ea dignitate donaſſet. Cur ergo pro talibus habiti, admiſſique? Præterea idem Epiſcopus Raguſinus cum Gregorii XII. Inſignia Pontificia ſuis ædibus appendiſſet, & propterea ingens inter Patres certamen accenſum eſſet, eorum præſertim, qui Joannis XXIII. partes ſequebantur, die XX. No-

venibris collectis in Concilio Patribus, diu de ea re certatum fuit, pugnantibuſque Antiſtitum votis, prævaluit tandem ſententia negantium tolerari Inſignia Pontificia debere, niſi ipſe Gregorius coram præſenſque adeſſet. In hoc ergo omnium vota convenere, ipſi Gregorio permitti poſſe, ſi adeſſet, ut Inſignibus uteretur Pontificiæ dignitatis. Non ergo certum erat, Pontificem non eſſe Gregorium; quomodo enim in tam Sacro Senatu permitterent, Gregorium mimum agere, & in ludibrium ſupremæ poteſtatis, ipſoque coram Joanne Pontifice, Tiaram oſtentare alteri raptam? Sed audiamus ipſa Conſtantienſis Concilii Acta ex laudatis mſs. Codicibus deſcripta a doctiſſimo Schelſtrate in Tractatu, *De ſenſa, & auctoritate Decretorum Concilii Conſtantienſis*, quæ ita habent: *Alii vero aſſerebant, ſupradicta Arma in locis prædictis in obedientia Domini noſtri Joannis XXIII. conſtitutis affigi non potuiſſe; & per conſequens, ex quo deleta fuerant, reponi non debere, & hujus ſententiæ fuit D. Patriarcha Gradenſis, & alii, qui plures, quam alteri ſententiæ adhæſerunt, dicentes, niſi Angelus Coriario*, ideſt, Gregorius XII. *perſonaliter veniret, ipſius Arma ibidem non debere depingi*.

XLIV. Sed nihil æque oſtendit, ut optime inter alios argumentatur laudatus Sfondratus, Patres Concilii Conſtantienſis Decreta Concilii Piſani, & Gregorii XII. abdicationem, ac electionem Alexandri V. & Joannis XXIII. pro dubiis, incertiſque habuiſſe, quam quæ Seſſione XIV. peracta ſunt, in qua cum ipſe Gregorius XII. non prius Papatu cedere vellet, quam ut Joannis XXIII. tanquam Pontificis mentio nulla fieret, ut Sigiſmundus Imperator auctoritate, & delegatione Gregorii Concilio præſideret, ut ipſum Concilium, tanquam prius haud rite congregatum, iterum ſua auctoritate convocaretur, & confirmaretur, quod etiam a Cardinali Raguſino nomine Gregorii factum eſt, & ſic tandem ipſe Gregorius Pontificatu ceſſit. Tantum vero abeſt, Gregorium a Concilio pro pſeudopontifice habitum eſſe, aut pro ſchiſmaticis, qui eum venerabantur, ut ſemper quoties Gregorii mentio incidebat, tanquam de dubio Pontifice loqueretur, & hanc ſormulam adhiberet, cautam quidem, ſed tamen venerationi miſtam, videlicet, *ille Dominus, qui in ſua obedientia dicitur Gregorius XII.* & cum reſignationem, & alia Gregorii poſtulata admiſit, his verbis uſum eſt: *Dictam convocationem, auctorizationem, & confirmationem, in quantum ad Gregorium pertinet, & attinet, eis admiſerunt*. Quibus verbis omnino Patres ſignificant, Gregorium pro dubio ſaltem Pontifice ſuſtineri potuiſſe; alioquin ſi illum pro certo, & notorio pſeudopontifice, & temerario Invaſore Sacræ Sedis haberent, qua ratione, imo qua conſcientia permitterent, ut Concilium indiceret, confirmaretque; novum Præſulem deligeret, & denique abdicare ſe poteſtate, quam non habebat? Plane fuiſſet hæc indulgentia, & ſimulatio, tam ſacro amploque Senatu pluſquam indigna.

XLV. Maimburgus quidem in Hiſtoria, *De magno Schiſmate Occidentis*, Lib. V. hæc omnia pro luſu & ſcena habet, Patribus id Gregorio indulgentibus, *ut Synagogam ſuam cum apparatu pompaque funeraret, inani quidem ſolatio, ſed tamen innoxio*. Ceterum, ut ſapientiſſime Maimburgi confutatores animadvertunt, alias oportet eſſe Maimburgi curas, & cogitationes hominis privati, ac utilia tantum, non honeſta, aut decora ſpectantis; alias Concilii Œcumenici tot Cardinalium, Antiſtitum, Principumque affluxu inſignis, & nihil indignum quovis obtentu admiſſuri. Ac deinde prudentum judicio reliquerim, majorem Maimburgo fidem habere velint, poſt duo ſecula, & ex ſuo ſcribenti, quam Petro Alliacenſi Cardinali, & Archiepiſcopo Cameracenſi, quique Concilio ipſi Conſtantienſi aderat, & omnia coram ſpectabat, Joanni XXIII. a quo Cardinalatus Inſignia acceperat, addictiſſimus. Is vero in Concluſionibus anno MCDXV. poſt primam Seſſionem menſe Februario Patribus Conclii oblatis, honores Gregorio exhibitos non vanæ oſtentationi, inanique ſabulæ tribuit, ſed quod *duæ obedientiæ Gregorii, & Benedicti iſtos probabiliter pro Pontificibus tenerent, in qua opinionum diverſa, & adverſa veritate non eſſent minores difficultates Juris & facti, quam ante Concilium Piſanum erant*. Honores ergo a Patribus Gregorio exhibiti, non vanæ ſabulæ dati, ut Maimburgo viſum, ſed Gregorii rationibus ſuum Pontificatum *multis facti & Juris* ſundamentis, atque Aſſeclarum auctoritate ſulcientis.

XLVI. Nec dubium eſt, eadem ratione, iiſdemque honoribus Benedictum XIII. a Concilio afficiendum fuiſſe, ſi modo æque animum paci adjeciſſet; nam & ejus Pontificatum probabilem reddebant, cum tot Regnorum, Principumque auctoritas, qui ejus partes ſequebantur; tum etiam quamplures juris factique rationes, quas ipſe ſeptem horarum ſpatio, quibus peroravit in Conventu Perpiniani habito Kalendis Novembris anni MCDVIII. cujus meminit Pagius in Vita Gregorii XII. Numero XVII. tanta eloquentia proſequutus eſt, ut attonitos, defixoſque redderet Auditores; nec minimum pondus ejus cauſæ addebat duorum Fratrum ſanctitas Vincentii videlicet, & Bonifacii Ferrerii, qui Benedicto etiam poſt Concilium Piſanum fuere addicti. Jam non exiguas Eccleſiæ partes Benedicti, & Gregorii obedientias fuiſſe exiſtimatas, conſtat ex teſtimonio Cardinalis Sancti Marci, qui in Cedula ſuper III. Concluſione, quæ in Actis Concilii Conſtantienſis legitur, ita inquit: *Cum per tales diviſiones Eccleſia jam ſchiſma Græcorum tot annis ſuſtinuerit, nec minus in præſenti periculum imminet Hiſpaniarum, quæ non eſt minor Chriſtianorum portio, quam Græcia Chriſtiana: inſuper & multarum Gentium, Germaniæ, & Italiæ &c.* Ceterum, cum in Apologia ſua Eugenius IV. ut ſupra dictum fuit, inter alia aſſeruerit, Gregorii, ac Benedicti obedientias fuiſſe *non modicam Chriſtianitatis partem*, perſpicue inde deducitur, perperam a Boſſuetio prædictas obedientias Eccleſiæ *fruſtula* appellari. Perperam quoque, ut ſcite inter alios adnotavit Conſtantinus Roncaglia in ſuis Animadverſionibus in Concilium Piſanum, quibus Diſſertationem II. quam in Hiſtoriam Eccleſiaſticam Seculi XV. pro auctoritate hujus Piſani Concilii Natalis Alexander ſcripſit, pluribus argumentis confutat, perperam, inquam, Boſſuetius ipſe obedientiam Benedicti Concilio Piſano adnumerandam cenſet, quod in Synodo, quam Perpiniani habuit, ſancitum fuerit, mittendos Piſas Procuratores, qui nomine Benedicti, ſi Gregorius etiam cederet, Papatum abdicarent. Cum etenim hoc Decreto non obſtante poſt electionem Alexandri V. adhuc Benedicto adhæſerit, nec

Ale-

Alexandrum ceu legitimum Pontificem agnoverit, falſo obedientia Benedicti præſenti huic Piſano Concilio adſcribitur.

XLVII. Quod demum non obſtante Piſani Concilii Decreto, quo electus fuit Alexander V. minime cenſerentur hæretici, ſchiſmaticive, aut excommunicati, qui Benedicti XIII. vel Gregorii XII. partea ſequerentur, aperte docet magni nominis Auctor Gallus Joannes Gerſon, quem paſſim, ac ſummopere Scriptores Galli deprædicant. Is enim ita ad rem noſtram inquit Tractatu, de modo ſe habendi tempore Schiſmatis: *In Schiſmate præſenti tam dubio, temerarium, injurioſum, & ſcandaloſum eſt aſſerere, omnes tenentes iſtam partem, vel alteram, eſſe extra ſtatum ſalutis, vel excommunicatos, vel rationabiliter de Schiſmate ſuſpectos*. Tum etiam infra hæc habet: *Tota ratio fundatur in hoc, quod nunquam fuit tam rationabilis, & vehemens cauſa dubitationis in aliquo Schiſmate, ſicut in iſto, cujus ſignum evidens eſt varietas opinionum Doctorum, & inter doctiſſimos, & probatiſſimos ex utraque parte*. Concludit vero ſic inquiens: *Poteſt ergo illud dici rationabiliter dubitabile, quod plurimi, & maxime ſapientes dubitabile reputant, & prædicant &c.* Atque hæc doctrina, & ratiocinatio Gerſonis etiam poſt Concilium Piſanum locum habuit; nam etiam poſt illud, *fuit varietas opinionum Doctorum inter doctiſſimos, & probatiſſimos*; ut enim de ſolo Benedicto XIII. loquar, cujus obedientia multo aliis inferior, minorque extitit, etiam poſt Piſanum Concilium, a quo depoſitus eſt, ei Regna Scotiæ, Navarræ, Caſtellæ, Aragoniæ, Sardiniæque adhæſerunt, quinimo S. Vincentius Ferrerius novem poſt Concilium Piſanum annis conſtanter Benedicto adhæſit, quod etiam Maimburgus fatetur in citata Hiſtoria, *De magno Schiſmate Occidentis*, Lib. v. Non ergo conſtabat, Concilium Piſanum Œcumenicum eſſe, & Alexandrum V. in ipſo Concilio electum, ejuſque Succeſſores veros Pontifices.

XLVIII. Ceterum quod mirum videri debet, Maimburgus ipſe nunquam ſibi conſtans profiteri tandem compulſus eſt, auctoritatem Concilii Piſani nullo modo certam & indubiam fuiſſe, ubi in prædicta Hiſtoria, *De magno Schiſmate Occidentis*, Lib. VI. expreſſe ait, a quamplurimis Fidelibus ſine ulla Schiſmatis nota Benedictum, & Gregorium, pro veris Pontificibus agnitos fuiſſe; ſcribit enim, *eorum ſententiam, qui Benedictum pro vero Pontifice agnoſcebant, probabilem fuiſſe, quamvis contraria magis probabilis eſſet, & ideo Viros ſanctitate, doctrina, & dignitate præcipuos potuiſſe illam ſecura conſcientia amplecti*. Conſtat itaque, vel ex teſtimonio Maimburgi, Benedictum, & Gregorium fuiſſe probabiliter veros Pontifices, & conſequenter auctoritatem Concilii Piſani, quod utrumque depoſuerat, ex principiis Maimburgi nullo modo certam, ſed dubiam fuiſſe, quod probare jam olim ſuſcepit doctiſſimus Sfondratus adverſus cavillationes Maimburgi contrarium ſentientis, & noviſſime etiam pluribus oſtendit eruditus Roncaglia contra Natalem Alexandrum, & Boſſuetium, qui Maimburgum ſequuti, Concilii Piſani auctoritatem defendere conati ſunt, ut inde ſcilicet argumentum deſumerent derogandi Pontificum in Concilia auctoritati, ac ejus propugnandæ ſententiæ, quæ dicit, Pontifices Concilio ſubdi, & ab iſto judicari, puniri, damnarique poſſe. Sed vide quæ nos jam diximus de ſuprema Romanorum Maximorum Pontificum in Concilia auctoritate, Tomo I. Conciliorum in Prolegomenis, Cap. XXVI. & alibi.

XLIX. Qui tandem Piſanum Concilium, in eoque electum Alexandrum V. exauthoratis Gregorio XII. & Benedicto XIII. pro vero ac legitimo habent, objicere illud argumentum ſolent, Rodericum ſcilicet Borgiam anno MCDXCII. in Romanum Pontificem electum, voluiſſe quidem Alexandrum Sextum appellari, cum alias non Sextus, ſed Quintus fuiſſet appellandus, ſi Alexander in Piſana Synodo ad Pontificatum evectus, indubitatus legitimuſque Pontifex non extitiſſet. At vero ultraquamquod, ut bene obſervat Raynaldus, falſi Stephani, falſique Joannes, & Benedicti in Pontificum ſerie fuerint numerati; quod & accidere potuiſſe nemo non videt, quando & ipſi Pontifices numeri notam ſuo Nomini addiderunt; ſtatim corruit allata conjectura, quoties ex certis conſtantibuſque monumentis oſtendatur, Eccleſiam Alexandrum Piſis electum, ut indubitatum Pontificem non agnoviſſe. Id autem ſatis ſuperque innoteſcere vidimus, & fateri vel ipſi adverſarii coacti ſunt. Ceterum, ſi Adverſariorum argumentum valeret, etiam pro vero, legitimo, atque indubitato Pontifice Maximo habendus eſſet Gregorius XII. cum conſtet, Hugonem Boncompagnum ad Pontificiam Sedem evectum anno MDLXXII. appellari voluiſſe Gregorium XIII.

L. Hactenus a nobis notata jam nullius eſſe momenti demonſtrant ea argumenta, quibus Adverſarii legitimum hoc Piſanum Concilium probare nituntur. Si etenim objiciatur Eccleſiæ conſenſus, quo primum Alexandrum V. ac deinde Joannem XXIII. veros, indubitatoſque Romanos Pontifices agnovit: reſponderi iis profecto poteſt, id abſque fundamento aſſeri, quum & illi, qui eis adhærebant faſſi ingenue ſint adhuc poſt ipſorum electionem, uti jam a nobis ex ejus ævi Scriptoribus ſuperius notatum fuit, atque perſpicue oſtenſum, Gregorium XII. & Benedictum XIII. ex probabilibus rationibus Pontificatum minime dimiſiſſe, neque damnari eos poſſe, qui in ipſorum Pontificum obedientia perſeverabant, præſertim quum inter illos, qui eiſdem parebant, non pauci fuerint excellenti doctrina, atque inſigni ſanctitate conſpicui. Si pariter ab Adverſariis objiciatur, memoratum Joannem XXIII. Concilium Œcumenicum Conſtantiæ, uti mox in ſequenti Hiſtoria dicemus, congregaſſe, illudque ut legitimum habendum nequaquam fuiſſe, quoties diceretur, de ipſius poteſtate ambigi potuiſſe. Reſpondent & huic objectioni viri docti, atque inſignes Theologi, & Canoniſtæ, quod dum certo non conſtat, quiſnam uti verus, ac legitimus Romanus Pontifex Maximus, Chriſtique Vicarius colendus ſit, non deſinunt Concilia eſſe legitima, etſi Papæ convocatio, ſeu ipſius conſenſus deſit celebrationi Concilii. Quamobrem docent Auctores, nihil eſſe, quod ex hoc Capite Concilio Conſtantienſi detrahi poſſet. Sed de his vide eruditiſſimum Cæleſtinum Sfondratum in laudata a nobis toties Gallia Vindicata, ac noviſſimos Scriptores noſtrates, qui ex profeſſo Auctores præſertim Gallos recentiores Generalium Conciliorum auctoritatem ſupra Romanos Pontifices Maximos plus æquo exaltantes, ac prædicantes confutarunt. Si veteres Galli Theologi conſulantur, hi certe nobiſcum conveniebant, ut alias oſtendi.

HI-

# HISTORIA
## CONCILII CONSTANTIENSIS.

I. Cum Synodi Piſanæ auctoritati Gregorius XII. & Benedictus XIII. in ſuis obedientiis Pontifices appellati parere minime voluiſſent, & nihilominus Gregorium nonnullæ Civitates Italiæ, & Benedictum Hiſpaniæ magna pars, ut Pontifices legitimos colerent, errore facti, ut ait Natalis Alexander in Hiſtoriam Eccleſiaſticam Seculi XV. & XVI. Diſſertatione III. quod ipſis perſuaſum non eſſet, Piſanam Synodum Œcumenicam eſſe, aut ipſos jure depoſitos, & in eorum locum legitime electum Alexandrum V. & qui defuncto Alexandro ſucceſſerat Joannem XXII. Synodo altera opus erat, ſeu Piſanæ ipſius redintegratione, & continuatione, quam ſcilicet ſuſpenſam dumtaxat, & in tempus magis opportunum reſervatam non penitus diſſolutam ipſe Alexander V. ſtatuerat.

II. At vero menſe Pontificatus decimo die octavo anno ætatis ſeptuageſimo primo nocte inter diem tertiam & quartam Maji anni MCDX. Bononiæ obiit Alexander, quem venenato clyſtere ſublatum, exiſtimatum eſſe ſcribit S. Antoninus Titulo XXII. Cap. V. §. III. ſepultuſque eſt die V. Maji in Eccleſia Fratrum Minorum, in qua ſepulturam elegerat. Sepulto Alexandro, & completis novemdialibus, electus fuit in Summum Pontificem die XVII. Maji Balthaſſar Coſſa, ſeu Coxa patria Neapolitanus ex nobiliſſima familia, præcipuus Synodi Piſanæ Auctor, & magnæ apud memoratum Alexandrum V. auctoritatis, Titulo S. Euſtachii Presbyter Cardinalis, ac Bononiæ Legatus, dictuſque in Pontificatu eſt Joannes XXIII. *Vir quidem in temporalibus magnus, in ſpiritualibus nullus omnino, atque ineptus*, ut Leonardus Aretinus, Theodoricus Niemus, & S. Antoninus teſtantur. Platina & Nauclerus ſcribunt, eum violenter creatum eſſe, quod & Legatus Bononienſis eſſet, & armatos milites tunc Bononiæ, ubi electio fiebat, pro ſtatione haberet; vel etiam largitione, diſtributis Alexandro mortuo muneribus pauperibus Cardinalibus Gregorianis; aut denique ambitu, ob commendationem Ludovici Andegavenſis Siciliæ Regis, ut ſcribit Niemus. Ipſum ſemet Pontificem declaraſſe ceteris præ metu contradicere non auſis, narrat Bergomenſis Lib. IV. Sed eorum pleraque vana eſſe, non dubitat ad annum MCDX. Spondanus, præſertim quod Niemus Joanni adverſus, & in omnes maledicus, ei aliud non objiciat, quam prædictam Ludovici Regis commendationem Cardinalibus factam pro ipſo Balthaſarre, quem ſuum ſingularem amicum eſſe dicebat.

III. Statim poſt Coronationem audito Ruperti Imperatoris obitu, Sigiſmundum Hungariæ Regem ad ſucceſſionem Imperii commendavit, electuſque Imperator fuit ſub finem anni MCDX. vel initio ſequentis, ut varii Auctores rem narrant. Quicquid ſit, ut Piſano Concilio morem gereret, quod Generale Concilium triennio poſt iterum celebrandum ſtatuerat, anno MCDXII. Romæ Concilium celebravit; ſed cum Prælati non tanto numero conveniſſent quantum rerum gerendarum gravitas poſtulabat, nec univerſalem Eccleſiam Synodus illa repræſentaret, Œcumenica jure, ac re vera dici non potuit. Quantocumque autem Patrum numero conſtiterit, Generalis tamen nomen accepit, uti conſtat ex Synodali Decreto, quod in eo factum eſt contra Wiclefi, & Huſſitarum errores, ac Libros, quos etiam juſſit Concilium *igne publice concremari*. Sed de his opportunius infra dicemus. Sane celebratum fuiſſe hoc Romæ Generale Concilium, a Joanne XXIII. *quod Alexander Prædeceſſor ejus in tertio anno poſt Concilium Piſanum ſupradictum decreverat celebrandum*, tradit inter alios Gobelinus Perſona.

IV. Cum ergo & Schiſmate, & Hæreſibus laceraretur Eccleſia, ut & iſtæ omnino profligarentur, & optata diu Eccleſiæ unitas reſtitueretur, Joannes ipſe XXIII. auctoritate Sigiſmundi Romanorum Imperatoris, aut victus, aut deceptus, ut ait Sfondratus in ſua Gallia vindicata Diſſertatione III. §. IV. Synodum Œcumenicam Conſtantiæ, quæ Germaniæ Urbs eſt prope Helvetios in Moguntina Provincia Kalendis Novembris, anno MCDXIV. celebrandam indixit, Diplomatæ dato Laudæ V. Idus Decembris anni MCDXIII. quod incipit, *Ad pacem, & exaltationem Eccleſiæ*; quodque legere eſt apud Labbeum, alioſque Conciliorum Collectores; ad eamque Synodum omnes Prælatos, Reges, & Principes invitavit. Ipſe etiam Imperator Sigiſmundus ad ſingulos Reges, ac præcipuos alios Principes, Nuncios ſuos direxit, quibus eos ad conſentiendum hortatus eſt, ut ſciri poſſet, quis ex tribus contendentibus, Gregorio nempe XII. Benedicto XIII. & Joanne XXIII. verus eſſet, ac legitimus Romanus Pontifex Maximus.

V. Præfuit initio ipſius Conſtantienſis Concilii, quod, ut dictum eſt, convocatum fuerat ad diem I. Novembris anni MCDXIV. memoratus Joannes XXIII. celebrataque eadem die ab ipſo Miſſa, & inter ejus Solemnia facto Sermone per quemdam Doctorem, Franciſciſcus Zabarella Diaconus Cardinalis Tituli SS. Coſmæ & Damiani, vulgo dictus Florentinus ab Eccleſia, quam rexit, ſchedulam legit, ſeu libellum de facta per eundem Joannem Pontificem indictione hujus Concilii in continuationem Piſani pro reformatione ſtatus Eccleſiæ, deque illo inchoando die Sabbati ſequentis. Eo vero in diem Lunæ quintam ejuſdem menſis Novembris prorogato, tunc præmiſſa ſolemni Proceſſione, adſtante cum Mitris, & Habitibus Pontificalibus tam Cardinalium, quam Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & aliorum Prælatorum cœtu copioſo, Pontifex Miſſam ſolemniter celebravit, & Sermone ad Clerum habito per quemdam Priorem Ordinis Cluniacenſis, Bellicenſis Diœceſis, idem Cardinalis Zabarella ex pulpito ligneo, in quod aſcendit, hæc verba alta, & intelligibili voce protulit: *Sanctiſſimus Dominus noſter Papa, ſacro approbante Concilio, ſtatuit, Seſſionem tenendam*



Digitized by Google

*nendam die Veneris, decimaſexta hujus menſis*, nempe Novembris.

SESSIO I.

VI. Ea die adveniente, nempe XVI. Novembris celebrata eſt prima Seſſio in Eccleſia Cathedrali Conſtantienſi, in qua poſt Miſſam per Jordanum Urſinum Romanum, Epiſcopum Albanum dictam, cantataſque Litanias, & alias Orationes factas, idemmet Joannes Pontifex Sermonem habuit ad Synodum, ſumto Themate ex Cap. VIII. Zachariæ, *Veritatem, & pacem diligite*, & adducens auctoritates Novi, ac Veteris Teſtamenti, alloquutus eſt Synodum, omneſque adhortatus eſt, ut ſolerter meditarentur, quæ ad Eccleſiæ ſtatum, & pacem pertinerent. Deinde Franciſcus Zabarella alta voce legit Diploma convocationis Concilii, incipitque hunc in modum: *Joannes Epiſcopus Servus Servorum Dei ad futuram rei memoriam*. Et mox: *Intendentes ad executionem eorum, quæ per felicis recordationis Alexandrum Papam V. Prædeceſſorem noſtrum in Piſano Concilio decreta fuerunt circa convocationem Concilii Generalis iterum faciendam, dum alias præſens Concilium convocavimus per Litteras noſtras, quarum tenorem hic duximus inſerendum*. Sequitur deinde Bulla convocationis Concilii, data, ut ſupra dictum fuit, Laudæ V. Idus Decembris, Pontificatus anno IV. ideſt, anno Chriſti MCDXIII.

VII. Bulla lecta per quemdam Magiſtrum Joannem, idem Zabarella Cardinalis, uti poſt Spondanum, & Raynaldum narrant Natalis Alexander loco citato, & Pagius in Vita Joannis XXIII. Num. XIX. ſurgens, & ſtans, ſubjecit ex ſcripto admonitionem Pontificis, de perpendendis, & ad ſuam, & ſacræ Synodi notitiam perducendis, quæ utilitatem, & incrementum Catholicæ Fidei, Wicleffianorum errorum damnationem, debitam Eccleſiæ reformationem, & tranquillitatem ſpectarent; deque ordine, ac modeſtia in Concilio ſervandis juxta Toletani Concilii XI. Canonem I. Ac, ne forte Seſſionum occaſione turbæ excitarentur, eadem auctoritate declaravit, ex ordine ſedendi nullum alicui Eccleſiæ, aut perſonæ præjudicium futurum. Creati tunc etiam ſunt Miniſtri, & Officiales Synodi, ſcilicet pro qualibet Natione unus Protonotarius, & unus Notarius, & Scriba, quibus dedit auctoritatem, & plenariam poteſtatem videndi, & ordinandi omnia quæcumque in Synodo agerentur, & ſcribenda eſſent. Officiales ipſi ex quatuor præcipuæ Nationibus delecti ſunt, ſcilicet Italica, Gallica, Germanica, & Anglica, ſub quibus univerſas alias comprehenſas habent Acta edita apud Labbeum, & alios Conciliorum Collectores, quouſque Natio Hiſpana ad Concilium acceſſit, relicto Petro de Luna, ſeu Benedicto XIII. fuitque ipſa Natio quinta. Deputatus præterea fuit Concilii Cuſtos Bertholdus de Urſinis Comes Suanenſis, & Palatinus. Conſtituti ſunt etiam quatuor Scrutatores votorum, Decretorum Doctores, quibus Scribæ ſemper deberent adſtare: Item & quatuor Juris Doctores Concilii Advocati, ſcilicet Petrus de Ancharano, Simon de Peruſio, Raphael de Fulgoſiis, & Ardecinus de Novaria: duo Concilii Procuratores, ſeu Promotores, ac demum quatuor Cæremoniarum Magiſtri; hiſque geſtis indicta eſt tandem futura Seſſio ſecunda in diem Lunæ XXVII. Decembris.

VIII. Antequam celebraretur ſecunda Seſſio, imo antequam Sigiſmundus Imperator Conſtantiam perveniſſet, Jacobus Cerretanus in ſuis mſs. Diariis apud Bzovium anno MCDXIV. inter alia narrat, die XVIII. Novembris poſtulanti Cardinali Raguſino Joanni Dominici Legato Gregorii XII. aſſignatum eſſe Cœnobium Ordinis Eremitarum S. Auguſtini pro hoſpitio, cui cum Inſignia Gregorii præfixiſſet, ea nocte inſequente ablata fuiſſe, juſſu, ut creditur Joannis XXIII. cumque ingens ſuper ea re inter Patres ortum eſſet certamen, cum alii auferri Inſignia, alii ſuſtineri vellent, omnium demum ſententiam fuiſſe, ſi Gregorius coram adeſſet, Inſignibus Pontificiis uti poſſe, non vero debere illa poni in loco obedientiæ Joannis Pontificis. Porro licet Seſſio ſecunda in diem XVII. Decembris fuerit indicta, dilata nihilominus fuit ad menſem Martium anni ſequentis MCDXV. quia ſcilicet Imperator non pervenit Conſtantiam niſi die XXIV. Decembris, & ut expectarentur Antiſtites plures, Regumque Oratores. Teſte Nauclero, cui & concinit Cochlæus Lib. II. Hiſtoriæ Huſſitarum, Sigiſmundus Imperator *ſub mediam noctem Conſtantiam ingreſſus, primam Miſſam, celebrante Papa*, nempe Joanne XXIII. *ipſe Diaconi Habitum indutus legit Evangelium alta voce: Exiit Edictum a Cæſare Auguſto*. Vide quæ de hoc ritu diximus Lib. II. *De Codice Sancti Evangelii, atque ſervatis in ejus lectione &c.* Cap. IV. quod inſcriptum eſt: *Evangelii lectio ſolemnis Imperatoribus conceſſa*.

IX. Quoad Patrum numerum ſcribit quidem Joannes Nauclerus Generatione XLVIII. Die II. menſis Februarii anni MCDXV. fuiſſe Conſtantiæ quatuor Patriarchas, Cardinales viginti novem, Archiepiſcopos quadraginta ſeptem, Epiſcopos centum & ſexaginta, ſecularium vero Principum, Comitum, Baronum, ac Nobilium ingentem multitudinem, & adeo plane ingentem, ut una ſola die, ut ex quibuſdam hujus Concilii Actis notat loco citato Sfondratus, triginta equorum millia numerata ſint. Id quod etiam teſtatus eſt S. Antoninus Titulo XXII. Cap. VI. §. II. Solum Archiepiſcopum Moguntinum thorace ex rubro holoſerico inſignem ſexcenti Equites comitati leguntur, ut vel hinc videas, quæ illorum temporum conditio fuerit. Erat hic Moguntinus Archiepiſcopus Joannes Naſſovius, qui etiam, ut ſcribit Cochlæus Lib. II. Hiſtoriæ Huſſitarum, die duodecima Januarii, præcedente vexillo cum ejus Inſignibus enſem latere ferens Conſtantiam ingreſſus eſt. Ob tantam hominum multitudinem ſummam ſtraminis fuiſſe penuriam refert Diarium Venetum apud Raynaldum ad annum Chriſti MCDXIV. Num. XIII. decretumque fuiſſe, ut Joannes Papa tantum viginti, Cardinales decem, Epiſcopi quinque, Abbates quatuor, Principes decem equos alerent. Ex Actis etiam hujus Concilii, & ex aliis Auctoribus conſtat, interfuiſſe Concilio trecentos & ſupra Archiepiſcopos, ac Epiſcopos, præterquam plurimos Abbates, & Priores, ingentemque aliorum Eccleſiaſticorum & Doctorum numerum, & tantam Principum, Procerum, ceterorumque Nobilium copiam, ut Blondus Decade II. Lib. I. ſupra quadraginta hominum millia fuiſſe aſſerat.

X. Quod Cardinalium numerum ſpectat, falli Nauclerum ajentem die II. Februarii Cardinales viginti novem adfuiſſe Conſtantiæ, recte notavit Pagius in Vita Joannis XXIII. Num. XXV. quod cum ipſe Joannes Concilium deſeruit, ideſt, die XX. Martii, anni MCDXV. fuerint tantummodo ſex-

ſexdecim Cardinales, nec plures in Actis editis amplius leguntur, quam ſeptendecim, quouſque admiſſi ſunt in ceterorum conſortium Cardinales Gregorii XII. & Benedicti XIII. ad quæ tempora reducendus eſt numerus illorum viginti novem, ſi forte unquam non ſolum ſimul & ſemel, ſed & ſucceſſive repertus fuerit, de quo non conſtat, cum nullibi in ullis Actis plures viginti recenſeantur; in Actis enim editis Seſſione xx. habita die xxi. Novembris ejuſdem anni MCDXV. in qua recenſentur nomina illorum, qui juraverunt approbationem Capitulorum Narbonenſium, de quibus infra ſuo loco dicetur, tantum viginti Cardinales, inter quos quidam Gregoriani reperiuntur. Porro Cardinales obedientiæ Gregorii juxta memoratum Nauclerum, acceſſerunt Conſtantiam Feria ſexta poſt Purificationem, ſeu die VIII. Februarii; in Actis vero Victorinis, ſeu S. Victoris Pariſienſis, ut idem Pagius inter alios docet, dicitur tantum adveniſſe Nuncios Angeli Coriarii, ſeu Gregorii XII. & Petri de Luna, ſeu Benedicti XIII. quorum aliqui erant Cardinales, poſt adventum Imperatoris; dubitatumque cum tunc eſſet, utrum cum Pileo rubro ingredi Conſtantiam poſſent, pro bono pacis, cujus cauſa venire dicebant, permiſſos quidem eo uti Inſigni fuiſſe, non tamen in conſortium ceterorum admiſſos, donec facta eſt Gregorii renunciatio, de qua videbitur in Seſſione XIV.

XI. Venerunt præterea Conſtantiam, ut eadem Victorina Acta referunt, Ludovicus Dux Bavariæ, qui Gregorio XII. parebat, cum ejuſque Nunciis coram Sigiſmundo Imperatore propoſuit, ſe viam ceſſionis ex parte Gregorii proſequuturum. Ceteri quoque Prælati, ac Doctores ejuſdem partis petierunt, quod in mandatis habebant a Gregorio, ne Joannes XXIII. præſideret, aut intereſſet Concilio, & vota omnium eſſent libera, eoque pacto ſe omnino obedientiam Decretis Concilii præſtituros. Ceterum Nuncii Petri de Luna, ſeu Benedicti XIII. ut eadem Acta habent, nihil aliud obtulerunt, niſi ut Sigiſmundus Imperator aliquo loco conveniret cum ipſo Benedicto, & Ferdinando Rege Aragonum, inter quos unionis via reperiri poſſet; jam enim ante Concilii inchoationem, Rex Aragoniæ ab ipſo Sigiſmundo, & Carolo Francorum Rege per Nuncios rogatus, ſolicite Benedictum impulerat conſentire cum reliquis duobus contendentibus Ceſſioni, quam juraverat; cumque a pervicaci ejus animo nihil aliud obtinuiſſet, quam ut Oratores Conſtantiam ad Sigiſmundum mitterentur, locum colloquio petituri, ad quem venturi Benedictus, & Ferdinandus eſſent, locus pro eo colloquio delectus eſt Nicæa, ſeu Nicia Civitas maritima in ora Liguriæ, ſeu potius portus de Villafranca, in quo Colloquium menſe Junii habendum erat, uti conſtat ex Diplomate ipſius Joannis Papæ, de quo infra, ſicut & de Colloquii loco, qui poſtea mutatus fuit.

XII. Teſte Nauclero, ante Seſſionem II. ipſoque die Purificationis Beatæ Virginis, ſeu die II. Februarii anni MCDXV. Joannes ipſe XXIII. ad inſtantiam Oratorum Regnorum Sveciæ, Daniæ, & Norvergiæ, ſolemni ritu S. Birgittam jam alias a Bonifacio IX. canonizatam iterum canonizavit in hoc Concilio Conſtantienſi. Id quod nos jam explicuimus Tomo III. Conciliorum poſt Hiſtoriam Concilii I. Generalis Lateranenſis, Capite inſcripto, *De Canonizatione S. Conradi Epiſcopi acta in hac Synodo Generali* I. *Lateranenſi, ac de Ritu Canonizandi Sanctos præſertim in Synodis*, Num. XX. Præter Canonizationem Sanctæ Birgittæ, Concilii etiam Conſtantienſis Decreto ad propulſandam ingruentem luem S. Rocho honores Sanctis debitos fuiſſe impenſos, ſolemnique pompa ejus Imaginem omni comitante Populo per Urbem Conſtantiæ delatam, eaque Proceſſione peſtem illam protinus evanuiſſe, ſcribit Franciſcus Diedo in ejuſdem Sancti Vita apud Surium die XVI. Auguſti. Inde vero eſt, ait, Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum, ut ubique locorum ejus Sancti Imagines, Altaria, Sacella, ac denique Templa erecta fuerint. Quod ſi ita ſit, non immerito Phœbeus, quem laudat Pagius in Vita Joannis XXIII. Num. XXIX. obſervavit, inde initium ſumſiſſe uſum Imaginum Sancti noviter Canonizati comitante Populo per Urbem deferri; imo inde vexillorum uſum in ſolemnibus Proceſſionibus Canonizationum deferendorum, quamvis tunc id factum fuiſſe conſtet ad arcendam peſtiferam luem, quæ per totam Urbem Conſtantiæ graſſabatur, impetrata a Deo, S. Rochi interceſſione, non ſine inſigni miraculo, ſanitate votis omnium expetita. Sed licet de hac re Concilii Acta ſileant, ſicut & de Canonizatione S. Birgittæ, videri tamen inter alios poteſt Raynaldus ad annum MCCCCXXVII. Num. LVI. ubi etiam varios Auctores citat, qui honores Sanctis debitos a Concilio Conſtantienſi S. Rocho fuiſſe exhibitos affirmant.



S E S S I O II.

XIII. Sed ut ceteras Concilii hujus Seſſiones nunc enarremus, die I. Martii anni MCDXV, quatuor Nationibus, de quibus ſupra facta eſt mentio, in Palatio Apoſtolico congregatis præſente Sigiſmundo Imperatore, Joannes Patriarcha Antiochenus Natione Gallus, tunc Nationis Gallicæ Præſes Joannem XXIII. totius Concilii nomine ſupplex rogavit, ut ad reddendam Eccleſiæ abſolutiſſimam pacem Pontificatu cederet, abdicantibus Æmulis, aut quoties ejus ceſſione Eccleſiæ unio procurari poſſet, quod Joannes ſe præſtiturum ultro promiſit. Celebrata eſt itaque ſequenti die, ideſt, II. Martii, in Eccleſia Cathedrali Seſſio ſecunda Concilii, qua poſt dictam a Pontifice Miſſam, lectaſque preces, ac ſolemnitates fieri in Seſſionibus ſolitas, idem Pontifex ſedens in Cathedra ante Altare converſus ad Synodum ibidem congregatam, alta voce, præſente Imperatore, & quatuor Nationibus, legit ſchedulam ſibi pridie a prædicto Joanne Patriarcha Antiocheno totius Concilii nomine oblatam, & ab eo acceptatam, cujus tenor apud Labbeum, Natalem Alexandrum, Pagium, alioſque de Conſtantienſi Concilio agentes, hic eſt; *Ego Joannes Papa XXIII. propter quietem totius Populi Chriſtiani, profiteor, ſpondeo, promitto, & juro Deo, & Eccleſiæ, & huic Sacro Concilio, ſpondeo, & libere dare pacem ipſi Eccleſiæ per viam meæ ſimplicis ceſſionis Papatus, & eam facere, & adimplere cum effectu juxta deliberationem præſentis Concilii, ſi, & quando, Petrus de Luna, Benedictus XIII. & Angelus de Corario, Gregorius XII. in ſuis obedientiis nuncupati, Papatui, quem prætendunt, per ſe, vel per Procuratores ſuos legitimos ſimpliciter cedunt, & etiam in quocumque caſu Ceſſionis, vel deceſſus, aut alio, in quo per meam Ceſſionem poterit dari unio Eccleſiæ Dei ad extirpationem*

*præſentis Schiſmatis*. Et dum proferret illa verba ex ſchedula: *Spondeo promitto, voveo, & juro Deo*, flexit Pontifex genua verſus Altare, ponendo manus ad pectus, & hæc verba addidit: *Et ita promitto obſervare*.

XIV. Hoc facto, ut Acta hujus Concilii, atque Auctores ejus ævi narrant, ipſi Pontifici Joanni XXIII. gratias egit Sigiſmundus Imperator, depoſitaque Corona, flexiſque genibus pedes ejus oſculatus eſt. Ipſi etiam gratias egit laudatus Patriarcha Antiochenus totius Concilii nomine; ac tum etiam Joannes de Scribanis Concilii Procurator publicum ea de re inſtrumentum a Synodi Notariis fieri poſtulavit; confectaque eſt quoque de eadem re ab ipſomet Joanne XXIII. Bulla, data, non ſecundo Nonas Martii, ut legitur apud Spondanum ad annum MCDXV. Num. V. ex Actis Victorinis, ſeu Regalis Abbatiæ S. Victoris Pariſienſis, & ex Monacho Sandionyſiano in Hiſtoria Caroli VI. ſed ſexto Nonas Martii, ideſt, die ſecunda Martii, uti legitur apud Raynaldum ad ipſum annum MCDXV. Num. III. ſicut & in Actis hujus Concilii a Labbeo relatis, in quibus etiam dicitur data Bulla Joannis Papæ, VI. *Nonas Martii, Pontificatus anno quinto*. Acta porro Victorina apud eundem Spondanum & illud addunt, poſt gratias Pontifici actas, Sigiſmundum Imperatorem, omneſque Regum, ac Principum Oratores, totumque Concilium, promiſiſſe Joanni, ſi duo alii, nempe Benedictus XIII. & Gregorius XII. non ſe humiliarent ad Ceſſionem, ſicut ipſe fecerat, adſtituros ſe ipſi perpetuo adverſus illos tam ſpiritualibus, quam temporalibus auxiliis.

XV. Diſcordiæ interim, uti poſt alios Scriptores plurimos notat Pagius in Vita Joannis XXIII. Num. XXXI. inter ipſum Pontificem, & Sigiſmundum Imperatorem augebantur, quæ alterum alteri ſuſpectum plane, inimicumque reddidere, ut inquit S. Antoninus Parte III. Titulo XXII. §. II. imo ex Actis Victorinis a Natali Alexandro allatis intelligitur, jam fere ab initio fuiſſe ſimultates, & turbationes inter eos occaſione Ceſſionis, quæ a Sigiſmundo exigebatur utpote unicum pacis remedium. Non parum autem auctæ ſunt ipſæ diſcordiæ, cum die decimaquinta Martii, uti in eiſdem Actis memoriæ proditum eſt, Synodus ſex rerum Capita a Joanne XXII. poſtulavit. I. ne diſſolveretur Concilium, donec unio perfecta eſſet. II. ne alium in locum Synodus ipſa transferretur. III. ne ipſe Pontifex inde recederet. IV. ut conſtitueret Procuratorem ad renuntiandum efficaciter Papatui ejus nomine. V. ut Diplomata his de rebus ederet. VI. ne Prælati, aut alii ad Concilium vocati, inde recederent, niſi ratione infirmitatis, aut paupertatis. Ad quæ Pontifex die ſequenti reſpondens, primum quidem poſtulatorum caput conceſſit; ad ſecundum autem ait, videri commodius, ut Concilium ad locum aliquem Niciæ vicinum transferretur, ubi Imperator cum Petro de Luna, & Aragonum Rege colloqui, & de mediis unionis agere debebat; ad quartum ſibi in animo eſſe dixit Ceſſionem per ſeipſum exequi; idque honeſtius fore, ſive res, ſive perſona, ſive Eccleſia, & Concilium ſpectarentur; ad quintum, & ſextum, nulla quidem reſponſio legitur, ſed eam ex predictis colligere facile eſt.

XVI. Cum itaque hiſce Pontificis reſponſionibus factum ſatis Nationibus non eſſet, vehementius mox illæ inſtiterunt, ut Procuratorem conſtitueret ad Ceſſionem exequendam, ne forte mutaret ſententiam, & ut colluſio vitaretur. Sed & Legati Angeli Coriarii, ſive Gregorii XII. ipſum Gregorium nequaquam Niciam iterum conteſtati ſunt, ſed venturum Conſtantiam, aut Procurationem daturum ad Ceſſionem peragendam. Legati vero Petri de Luna, ſeu Benedicti XIII. ſe nihil acturos cum Synodo, aut cum Joanne XXIII. profeſſi ſunt, ſed cum ſolo Imperatore, ad quem miſſi erant. Hæc cum interim fierent, Joannes nocte ante diem XXI. Martii, mutato habitu, e Conſtantienſi Civitate ſe ſubduxit, Schafſuſiamque aufugit, Frederici Auſtriæ Ducis Oppidum quatuor milliaribus Conſtantia diſtans, ne Pontificatu, juxta promiſſa, ſe abdicare cogeretur. Teſtantur id quidem Acta apud Labbeum, ubi ita inquiunt: *Die Mercurii vigeſima Martii Dominus Noſter Papa prædictus de nocte receſſit, aut verius fugit de Civitate Conſtantienſi in habitu ſimulato ad modum ruſtici, & ivit uſque Scaphuſenſem Conſtantienſis Diœceſis prope Conſtantiam ad quatuor milliaria Theutonicalia ad Terram illuſtris Principis Friderici Ducis Auſtriæ pro prima ſua dieta*.

XVII. Capta fuga Joannes, ut invidiam a ſe removeret de ſui diſceſſus cauſa, Epiſtolam Sigiſmundo ſcripſit eadem die XXI. Martii, & die ſequenti miſit. Sic enim habetur in ms. Codice quem exhibet Edmundus Martene Tomo II. Theſauri novi Anecdotorum, col. 1618. *Copia Litteræ, quam in craſtino S. Benedicti miſit Papa Domino Regi Romanorum poſt receſſum ejus occultum de Conſtantia*; quæ verba deſiderantur in Codice ms. quo uſus eſt Labbeus, apud quem eadem Epiſtola legitur, quæ ita habet: *Cariſſime Fili, Gratia Dei Omnipotentis liberi, & in convenienti aere ſumus in Schafuſa, & venimus iſthic abſque filio noſtro Duce Auſtriæ, non animo declinandi ab his, quæ promiſimus per renunciationem noſtram facere pro pace Eccleſiæ Sanctæ Dei, ſed ut in libertate, ac ſalute propriæ perſonæ poſſimus, prout indubie volumus, ea executioni demandare. Datum in Schafuſa die XXI. Martii MCDXV.* Subtus ſcripta erat: *Cariſſimo Filio noſtro Sigiſmundo Regi Romanorum*. Præter hanc Epiſtolam ad Sigiſmundum data, miſit etiam continuo Joannes Conſtantiam Archiepiſcopum Remenſem Reginaldum de Carnuto, quem forte Schafuſæ reperit, ut notat Natalis Alexander, ſignificavitque Patribus, non ideo ſe diſceſſiſſe, ne promiſſionem impleret, nec odio Imperatoris, aut animo diſſolvendi Concilium, ſed ut libere, ac ſecure promiſſa implere poſſet. Relatio ipſius Archiepiſcopi habetur in Actis editis Seſſione IV. Ceterum cum de receſſu Joannis omnes turbarentur, Sigiſmundus, congregatis Nationibus, metum deponere juſſit; ſe protecturum Concilium, & unionem uſque ad mortem procuraturum pollicitus.

XVIII. Biduo poſt receſſum Joannis, nempe die XXIII. Martii, quæ eo anno MCDXV. erat Vigilia Dominicæ Palmarum, Joannes Gerſonius Francorum Regis, & Academiæ Pariſienſis Orator, Sermonem habuit, quo Concilii Generalis auctoritatem ſupra Papam, viamque Ceſſionis XII. conſiderationibus tractavit, habeturque inter ejus Opera, Tomo I. Verum obſervat inter alios Spondanus ad prædictum annum MCDXV. Num. VIII. Gerſonem *ita Pontificem ſubjeciſſe, ut non abſolute, & formaliter, ſed caſualiter tantum,*

*tum, & in neceſſitatibus Eccleſiæ, de quibus tunc agebatur, in dubio de vero Pontifice id vellet intelligi*. Natalis Alexander, qui ubi potuit, ſemper auctoritatem Generalium Conciliorum ſupra Romanos Pontifices totis viribus propugnavit, Diſſertatione III. in Hiſtoriam Eccleſiaſticam Seculi XV. & XVI. eam Spondani explicationem refellit, aitque, hunc Auctorem *ſenſum Gerſonii per ſe ſatis obvium, & evidentem aſſequutum non fuiſſe*. Sed & de hac Quæſtione videri inter alios poteſt doctiſſimus Joſephus Auguſtinus Orſi Dominicanæ Familiæ Alumnus Theologus præſtantiſſimus, Sacræ Congregationis Indicis a Secretis, ac de Theologia controverſa, & Eccleſiaſtica Hiſtoria optime meritus in Libris adverſus Boſſuetium ſcriptis.

## S E S S I O III.

XIX. Omiſſa itaque ea Quæſtione, de qua alias nonnihil diximus Tomo I. Conciliorum in Prolegomenis, Cap. XXVI. ut ceteras Conſtantienſis Concilii Seſſiones perſequamur, die Lunæ XXV. Martii, ut habent Acta edita, non vero XXVI. ut in margine ponit Labbeus, ſeu die Martis, uti notavit Pagius in Vita Joannis Papæ XXIII. Numero XXXIII. tertia Seſſio celebrata eſt, cui duo tantum Cardinales interſuerunt, nempe Cameracenſis, ſeu Petrus de Alliaco, qui ei Seſſioni præfuit, & Florentinus, ſeu Franciſcus Zabarella; quia ſcilicet tres ex reliquis fuerant a Concilio miſſi ad Joannem, ut voluntatem ejus ſcrutarentur; ſeptem ad eundem ierant ſpe, aut ſpecie reducendi, unus erat infirmus, tres reliqui indecorum reputabant huic Seſſioni aſſiſtere. Niemus tamen in Vita Joannis ait, die Dominica Palmarum, ſeu die XXIV. Martii, immo mane duos Cardinales, Piſanum, & Placentinum receſſiſſe ſecrete e Conſtantia, eademque die poſt prandium Cardinales le Chalento, Brancacium, & Barenſem, ac ſucceſſive quoſdam alios, ſequutos eſſe Joannem; die vero XXVII. Martii rediiſſe quatuor Cardinales, eaque die factam eſſe Congregationem Concilii. Ad quam accedentes ſex Cardinales, affirmarunt, Concilium eſſe diſſolutum propter abſentiam, & receſſum Pontificis, ſed acriter eis reſtitiſſe plures ex Patribus magnæ auctoritatis, & doctrinæ aſſerentes, Pontificem non eſſe ſupra Concilium, ſed ſub eo, factamque eſſe inde magnam contentionem.

XX. Interfuerunt huic Seſſioni Archiepiſcopi, & Epiſcopi circiter quinquaginta ſex, Abbates vigintiquinque, omnes Mitrati, ipſeque Sigiſmundus Imperator coronatus, & Auguſtali habitu indutus, quem, uti deſcribunt Acta Bibliothecæ Regiæ apud laudatum Pagium, Numero XXXIV. ajunt, ſediſſe Dalmatica, & Pluviali veſtitum, Diademate coronatum, Sceptro, Pomo aureo, ac Enſe per tres Proceres tentis, atque Corona per alium quartum, quando ipſemet non eam capite geſtabat, aſſiſtentibus ei a latere duobus Cardinalibus. Et revera in Seſſione XIV. uti videre eſt in Actis editis apud Labbeum, Ludovicus Comes Palatinus tenebat Pomum, ſeu Mundum, Henricus Dux Bavariæ Enſem, Fridericus Burgravius Sceptrum, & Andreas Baro de Hungaria Coronam. Poſt Miſſam autem, Litanias, preces, aliaque conſueta Solemnia, quæ æque ſemper in ſingulis Seſſionibus ſervata fuere, laudatus Cardinalis Florentinus, ſeu Franciſcus Zabarella ex Pontificalis Romani præſcripta formula Patres hortatus, ut pie, ac ſancte ſe gererent, juſteque in omnibus judicarent, has Conſtitutiones ex Decreto Synodi publicavit. Primo, *quod ipſa Synodus fuit, & eſt rite, & juſte convocata Conſtantiam, & ſimiliter recte, & rite, & juſte initiata, & celebrata*. Secundo, *quod per receſſum Papæ, vel aliorum Prælatorum, non eſt diſſolutum Sacrum Concilium, ſed remanet in ſua integritate, & auctoritate, etiamſi quæ ordinationes factæ fuiſſent, in contrarium, vel in futurum fierent*, Tertio, *quod iſtud Sacrum Concilium non debet diſſolvi, neque diſſolvitur uſque ad extirpationem præſentis Schiſmatis, & quouſque Eccleſia ſit reformata in Fide, & moribus, capite, & membris*. Quarto, *quod ipſum Sacrum Concilium non transferatur ad alium locum, niſi ex cauſa rationabili, & ab ipſo Concilio deliberanda, & concludenda*. Quinto, *quod Prælati, & alii, qui Concilio intereſſe debent, non recedant ante finem Concilii, niſi ex cauſa rationabili examinanda per Deputatos a Synodo; tuncque recedens teneatur dimittere poteſtatem ſuam aliis remanentibus, ſub pœnis Juris, & aliis per Concilium indicendis*.

XXI. Porro Joannes XXIII. ſtatim poſt ſuum receſſum ſcilicet die XXIII. Martii, datis ad Principes Litteris, ac præſertim ad Uladislaum Poloniæ Regem, receſſum ſuum excuſavit, moxque in Caſtrum Louffemberg Diœceſis Baſileenſis, ac paucis poſt diebus Friburgum abſceſſit. Sigiſmundum Cæſarem, Synodumque accuſavit, oppreſſam ab iis ſuffragiorum libertatem, everſumque Juris ordinem conqueſtus eſt. Synodus encyclicis Litteris excuſationes Joannis frivolas, atque inanes eſſe oſtendit, Synodumque ab ipſo perperam accuſari. Docent hæc Acta Victorina, & Diaria Cerretana, adduntque hujuſmodi Acta, Cardinales quatuor, qui a Joanne e Schaffuſia redierant Conſtantiam die XXVII. Martii, Litteras, ac Mandata ab ipſo retuliſſe, quibus pollicebatur, ſe conſtituturum Procuratorem ad cedendum, ſe etiam abſente, vel nolente: futuros autem ad eum finem Procuratores omnes & ſingulos Cardinales, itaut tres eorum cum tribus ex octo a ſe electis Prælatis, ſuo nomine Mandatum Ceſſionis exequi poſſent. Inſtituturum quoque Vicarios ad negotium Concilii omnes, atque ſingulos Cardinales Conſtantiæ agentes, qui unum e ſuo ordine Concilii Præſidem eligerent; Rogare autem, ut de Proviſione ejus poſt Ceſſionem ageretur, utque Imperator, ac Synodus ejus poſt Ceſſionem ſecuritati caverent.

## S E S S I O IV.

XXII. Litteras eam in rem Joannis XXIII. affert inter alios Raynaldus ad annum MCDXV. quod autem Synodales Seſſiones ſpectat, habita eſt Seſſio IV. die XXX. Martii in Vigilia Paſchatis, cui una cum Imperatore in habitu & Inſigniis ad Romanorum Regem ſpectantibus, novem Cardinales adfuerunt, quidam enim qui Joannem Schaffuſiam ſequuti fuerant, ſub ſpecie eum reducendi, & reconciliandi, *vim Concilii verentes, Conſtantiam rediere, ne forte ſuis Dignitatibus privarentur*, inquit S. Antoninus Titulo XXII. Capite VI. §. II. Interfuerunt huic Seſſioni ducenti Patres, & aliquot Germani Principes una cum Oratoribus Regum Franciæ, Angliæ, Poloniæ, Norvegiæ, Cypri, Navarræ, & aliis. Sacris operatus eſt Antiochenus Patriarcha, præfuitque Jordanus Epiſcopus Albanenſis Cardinalis de Urſinis. Franciſcus Zabarella Cardinalis Florenti-

rentinus promulgavit nonnullas Conſtitutiones a Concilio approbatas, quibus in primis Decretum eſt, *quod ipſa Synodus in Spiritu Sancto legitime congregata, Generale Concilium faciens, Eccleſiam Catholicam militantem repræſentans, poteſtatem a Chriſto immediate habet, cui quilibet cujuſcumque ſtatus, vel dignitatis, etiamſi Papalis exiſtat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad Fidem, & extirpationem dicti Schiſmatis, & reformationem generalem Eccleſiæ Dei in capite, & in membris.*

XXIII. Deinde prohibitum eſt, ne Joannes ipſe XXIII. abſque Synodi deliberatione, & conſenſu Officia, vel Officiarios, ſeu Miniſtros, quorum abſentia Concilium ipſum veriſimiliter diſſolveretur, vel læderetur, e Civitate Conſtantiæ ad alium locum transferret, aut vocaret; quod ſi facere tentaret, adhibitis Cenſuris, latiſve Sententiis, illæ irritæ eſſent, ac inanes; juſſitque Synodus, ut Officia ſua iidem Miniſtri libere exercerent. Decretum etiam eſt, ut quicquid idem Joannes Pontifex contra quoſcumque Prælatos, & Viros Eccleſiaſticos, aut Miniſtros Concilio adhærentes tentaret, pariter irritum eſſet. Item, ut de qualibet Natione tres eligerentur ad cognoſcendum de cauſis recedere volentium a Synodo. Demum, ut pro bono unionis novi non crearentur Cardinales, iique tantum pro Cardinalibus haberentur, qui in receſſu Joannis Pontificis in Civitate Conſtantienſi publice pro talibus agnoſcebantur. Conſtant hæc ex Actis apud Labbeum, ac Raynaldum, & alios, allatis deinde a Natali Alexandro, Pagio, & ab aliis Auctoribus, qui Seſſiones ipſas Concilii Conſtantienſis recenſent. Argumenta, quæ pro Concilii auctoritate ſupra Romanum Pontificem ex hac Seſſione IV. & ex aliis tam præcedentibus, quam ſequentibus Adverſarii deducunt, egregie jam confutavit inter alios doctiſſimus Cæleſtinus Sfondratus in ſua Gallia Vindicata, Diſſertatione III. §. IV.

XXIV. Poſt Seſſionem IV. cœpta eſt præparari materia pro Seſſione V. Decretum videlicet, quo dicebatur, *Pontificem Concilio in rebus Fidei, morumque reformatione, Concilio ſubjectum eſſe, & ab iſto cogi poſſe.* Et quamvis ſummi momenti ea res eſſet, & aliquando novo, & pejori Schiſmati ſomitem datura; ſicque longiſſimo, & accurato examine prius cognoſcenda, quam decerneretur, nihil tamen aliud a Patribus factum, quam ut aliquos deputarent, qui cum Cardinale Zabarella Florentino conferrent. Deputati perinde, ac in re levi, parvique pretii rem paucis abſolverunt, & inter alia multa, die II. Aprilis ſtatuere, *ut proxima Seſſione omnes articuli, & clauſulæ concordatæ per Nationes in ultima Seſſione prætermiſſæ expedirentur.* Ita habent Concilii Acta apud Schelſtratium, quem citato loco laudat Sfondratus, qui etiam ex eiſdem Actis notat, quam leve, & perfunctorium examen fuerit, quo tanti ponderis argumentum expendebatur. Sic enim Acta ipſius inquiunt: *Poſt Seſſionem quartam fuit per Cardinalem Florentinum*, nempe, Franciſcum Zabarellam, *cum Deputatis aliqualiter diſputatum: finaliter Concilium voluit, ex integro dictas definitiones in alia Seſſione pronunciari, &c.* Ubi nota, inter paucos, privatoſque, ac extra Seſſionem, nec initis ſuffragiis, hoc eſt, non *conciliariter*, nec tam decernentium, quam altercantium more, eo fere modo, quo in circulis Philoſophorum ſolet, inter Cardinalem, & Deputatos diſputatum eſſe, idque, ut Acta commemorant, *aliqualiter*, hoc eſt, leviter, curſimque, nec quantum oportebat.

SESSIO V.

XXV. Seſſione V. quæ die VI. Aprilis ejuſdem anni MCDXV. celebrata eſt, & cui præfuit Jordanus de Urſinis Cardinalis, Epiſcopus Albanus, confirmatæ ſunt Conſtitutiones præcedenti Seſſione editæ, ac promulgatæ, eaque in primis, qua declaratur, *Concilium Generale Eccleſiam Catholicam repræſentans, poteſtatem a Chriſto immediate habere, cui quilibet cujuſcumque ſtatus, vel dignitatis, etiamſi Papalis exiſtat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad Fidem, & extirpationem Schiſmatis, & reformationem Eccleſiæ in capite, & in membris.* De auctoritate, & ſenſu hujus Decreti in Seſſionibus quarta, & quinta editi, peculiari Diſſertatione, quæ eſt IV. in Hiſtoriam Eccleſiaſticam Seculi XV. & XVI. fuſe agit Natalis Alexander, ipſique Decreto, ſicut & Maimburgus multum præſidit, ubi oſtendere conatur ſubjectionem Summi Pontificis Generali Concilio. Ceterum quam vanis, & caducis fundamentis Adverſarii Apoſtolicæ Sedis nitantur, nemo ex tot aliis, qui hoc ipſum conati ſunt, elegantius, fortiuſque, ac fuſius doctiſſimo toties laudato Joſepho Auguſtino Orſi demonſtravit in Confutatione Boſſuetii. Sciendum autem hic illud, quod inter alios notavit, atque variis, & evidentiſſimis teſtimoniis, atque argumentis oſtendit præſtantiſſimus Sfondratus, Decretum nempe ipſum Seſſionis V. nec conciliariter, nec cum examine tantæ rei debito, maturave deliberatione, quam res tanta exigebat, vulgatum eſſe.

XXVI. In eadem Seſſione V. decretum præterea fuit teneri, Joannem XXIII. ad cedendum Papatu non ſolum in caſibus ejus ſchedula comprehenſis, verum & in alio quocumque ad unionem, & pacem Eccleſiæ utili: iſtique Concilii definitioni ſtare debere: quod ſi contemneret, vel diſferret, is pro abjecto a Papatu haberetur, omniſque obedientia illi ſubtraheretur. Item ejus receſſum clandeſtinum fuiſſe illicitum: ipſi nomine Concilii denunciandum, ut revertatur, promiſſa pro unione Eccleſiæ, voto, & juramento firmata impleturus; alioqui contra eum tanquam fautorem Schiſmatis, & ſuſpectum de hæreſi ſecundum Canones actum iri. Si vero ad Synodum redire, promiſſaque implere velit, dandas illi ſecuritatis Litteras, & ejus, ac ſuorum ſtatui poſt Ceſſionem proviſum iri ad arbitrium quatuor ab ipſo, & quatuor a Synodo eligendorum. Poſt hæc lecta ſunt quædam placita, ſeu monita ad Fidem ſpectantia, videlicet de confirmatione facta juxta determinationem Doctorum Sacræ Theologiæ, & Juris Canonici, Sententiæ latæ in Concilio Romano ab ipſo Joanne XXIII. anno MCDXII. habito, de quo ſupra nonnihil diximus, contra doctrinam Wiclefi, ejuſque ſcripta; deque nonnullis committendis ad diſcutiendam cauſam Joannis Huſs Conſtantiæ detenti, & ad regimen proceſſus contra eum facti; necnon ad expendendum modum procedendi ſuper condemnatione articulorum quadragintaquinque doctrinæ Wicleſianæ in Pariſienſi, & Pragenſi Univerſitatibus jam damnatorum. Fuere autem ad hæc commiſſi Cardinales duo, nempe Petrus de Alliaco, dictus Cameracenſis, & Guillelmus Philaſterii, dictus S. Marci; item Stephanus Coevret Epiſcopus Dolenſis, & Joannes de Martiniaco

Ab-

Abbas Ciſtercienſis, omnes Galli, qui aſſumtis ſecum aliis Doctoribus Theologiæ & Juris Canonici res illas graviſſimas expenderent.

S E S S I O VI.

XXVII. Seſſio ſexta celebrata eſt die decimaſeptima Aprilis, eique, ſicut ceteris Seſſionibus uſque ad Martini V. electionem præfuit Joannes de Broniaco, ſeu Borniaco, ſive Embroniaco Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis & Vicecancellarius, dictus Vivarienſis a priori Epiſcopatu, ceteris Cardinalibus creatione antiquior, utpote dictus Cardinalis a Clemente VII. anno Chriſti MCCCLXXXV. Poſt Miſſarum Solemnia a Nicolao Gneſnenſi Archiepiſcopo celebrata, propoſita eſt, & ab univerſa Synodo approbata, forma Procuratorii ſuper ceſſione Pontificatus a Joanne XXIII. faciendi pro Eccleſiæ unione, illumque obligari ad illud ea forma dandum decretum eſt. Ad ipſum etiam Joannem decreta eſt Legatio duorum Cardinalium, nempe S. Marci, & Florentini, ſeu Sanctorum Coſmæ & Damiani, & ex ſingulis quatuor Nationibus aliquot Epiſcoporum, Abbatum, atque Doctorum, ut nimirum illud Concilii Decretum Joanni denunciarent, necnon ut ſuaderent ei reditum Conſtantiam, vel acceſſum ad unum ex tribus aliis locis vicinis ei deſignatis, nempe Ulmam, Ravensburg, & Baſileam, cum omni ſecuritate, & ſalvoconductu Sigiſmundi Auguſti, qui extat in Actis Victorinis datus die XVIII. Aprilis; atque interim dum ejus expectaretur reſponſio, ab omni actione Judiciaria contra ipſum ſuperſederetur.

XXVIII. Conſtituti ſunt & in ipſa Seſſione ſexta alii Delegati contra Joannem Huſs, & contra articulos Joannis Wiclefi; in Actis enim editis apud Labbeum legitur: *Item quod in materia Fidei contra Joannem Huſs, auctoritate hujus Sacri Concilii procedant Archiepiſcopus Raguſinus pro Natione Italica &c.* Tum infra: *Item quod prædicti Commiſſarii recipiant relationem Dominorum Cardinalium, Cameracenſis Tituli S. Marci, & Florentinenſis de proceſſu facto ſuper condemnatione Librorum, & articulorum .... necnon ſuper condemnatione memoriæ Joannis Wicleff, &c.* Recte obiter notat Pagius in Vita Joannis XXIII. num XLVII. mendum eſſe in Actis, ubi legitur, *Dominorum Cardinalium Cameracenſis, & Florintinenſis*; Petrus enim de Alliaco dictus Cardinalis Cameracenſis non erat Presbyter Tituli S. Marci, ſed S. Chryſogoni, & Guillelmus Philaſterii obtinebat Titulum S. Marci. Legendum itaque: *Dominorum Cardinalium Cameracenſis, & Florentinenſis*; vel, *Dominorum Cardinalium Cameracenſis S. Marci, & Florentinenſis.*

XXIX. In eadem præterea Seſſione ſexta decreta eſt Citatio contra Hieronymum de Praga de hæreſi infamatum, qui, ut in ea Citatione legitur, *die Dominica cantabatur in Eccleſia Dei, Quaſi modo geniti*, ſcriptum affigi curaverat in portis Eccleſiæ Civitatis Conſtantiæ, in quo aſſerebat, ſe publice reſponſurum obtrectatoribus, crimina erroris, & hæreſis ſibi objicientibus. Citatur poſtea, quatenus infra terminum quindecim dierum, quinque pro primo, quinque pro ſecundo, quinque pro tertio, & peremtorio termino in prima Seſſione celebranda compareret, reſponſurus ad ea, quæ aliqui Hieronymo ipſi objicere poſſent: *Datum Conſtantiæ in Seſſione Concilii Generalis, decima ſeptima die menſis Aprilis.* In ipſa Citatione data eſt Hieronymo fides publica, *juſtitia ſemper ſalva, & quantum Fides exigeret Orthodoxa.* Rurſus in eadem ſexta Seſſione prohibiti ſunt famoſi libelli in Civitate Conſtantienſi ſub pœna excommunicationis, & decretæ Litteræ ex parte Concilii ad omnes Reges, Principes, & Univerſitates pro ſignificatione rerum hactenus geſtarum. Denique lectæ ſunt Litteræ Pariſienſis Univerſitatis ad Joannem XXIII. Papam, quibus eum hortabatur, ut ad Concilium rediret; aliæque ad Nationem Italicam, ut hujuſmodi reditum procuraret. Atque hæc ſunt quæ in ipſa Seſſione ſexta, uti in Actis hujus Concilii habetur a Labbeo, & ab aliis multis Auctoribus allatis conſtituta ſunt.

XXX. Teſte inter alios Gobelino Perſona ætate VI. Capite XCIV. in eadem ſexta Seſſione fuerunt per quendam Prælatum quinque adviſamenta, ſeu monita, ſive potius inepta Capitula Patribus Concilii propoſita, I. Papam, & Cardinales non debere intereſſe Concilio, quia in eo agendum erat de reformatione Eccleſiæ in Capite & in membris, ſcilicet in Papa, & Cardinalibus, qui ideo non deberent ſedere Judices in propria cauſa. II. Cardinales, qui elegiſſent Joannem XXIII. ſcientes talem eſſe qualis arguebatur, debere puniri, & privari electione, quia per hujuſmodi abuſivam electionem Eccleſiam ſcandalizaverant, ac proinde nullatenus intereſſe debere Concilio. III. Cardinales, qui abſque licentia Concilii Joannem Schaffuſiam ſequuti fuerant poſt ſuam e Conſtantia fugam, ſe ſe vehementer ſuſpectos reddidiſſe, ac propterea non debere admitti in Concilium. IV. Cardinales, qui aſſeruiſſent, per Joannis fugam diſſolutum cenſeri Concilium, videri enormiter erraſſe, ſicque ſe ipſos excluſos judicaſſe a Concilii ingreſſu. V. quamdiu non revocarentur, aut ſuſpenderentur poteſtates Papæ & dignitatum, haud poſſe Eccleſiam reformari in capite, & in membris, quoniam Joannes inventurus ſemper eſſet fautores potentes, ut aurum ab eo emungerent. Affert hæc Capitula Raynaldus ad annum MCCCCXV. aitque fuiſſe ipſa omnino rejecta utpote novas motura turbas, nec levia allatura pericula. Sed Spondanus rectius ſcripſiſſe videtur, ubi ad ipſum annum ait, fuiſſe illa Capita cervicoſi alicujus argutuli, quorum ineptia ſatis per ſe apparet. Quare cum nihil addat Gobelinus, quid de iis actum, aut deliberatum fuerit, veriſimile videri exibilata ea fuiſſe atque rejecta.

S E S S I O VII.

XXXI. Seſſio ſeptima celebrata eſt die II. Maji, Præſide Joanne Cardinali Vivarienſi; in qua audita Cardinalium, aliorumque ad Joannem Papam Legatorum relatione, de quibus ſupra dictum fuit, cum nullum appareret ejus Procuratorium ad cedendum Papatu, auctoritate Synodi Citatio in ipſum publicata eſt ad novem dies, infra quos reverteretur Conſtantiam, & in Concilio cum fautoribus, & aſſeclis ſuis compareret, de fuga, aliiſque criminibus eidem objiciendis reſponſurus, dato ei ſalvoconductu cum a Patribus, tum ab Imperatore. In eadem Seſſione contumacia Hieronymi de Praga a Promotoribus Concilii probata eſt; & de ea re publica confecta inſtrumenta. Nulla in his mentio Joannis Huſs, ſed tamen Joannes Cochælus Lib. II. Hiſtoriæ Huſſitarum narrat, ex Ulrico Richental teſte oculato, qui tunc Conſtantiæ fuit, veniſſe Conſtantiam Hieronymum feria ſecunda

poſt

poſt Feſtum Paſchæ, ſeu die prima Aprilis, uno comitatum Scholari, & affixa ad valvas Eccleſiæ ſcheda, qua Joannem Huſa excuſare ſtudebat, mox abiiſſe uſque adeo anxium, ut enſis ſui in diverſorio fuerit oblitus. Sed de his hæreticis, eorumque erroribus jam nos infra opportuniori loco dicemus.

## S E S S I O VIII.

*De damnatione articulorum Joannis Wicleſi.*

XXXII. Seſſione octava, quæ die IV. Maji celebrata eſt, præſidente eodem qui ſupra Cardinali Vivarienſi, damnata eſt doctrina, ac memoria Joannis Wicleſi Presbyteri Angli, in Lincolnienſi Diœceſi Parochi, ac ſpeciatim ejus Articuli XLV. ibidem inſerti, quidam, ut notorie hæretici, alii ut erronei, alii ut ſcandaloſi, & blaſphemi, quidam ut piarum aurium offenſivi, nonnulli ut temerarii, & ſeditioſi. Ejus pariter Libros omnes, ac Tractatus Concilium igne damnavit; damnationemque inſuper CCLX. articulorum ejuſdem Hæreſiarchæ ab Univerſitate Oxonienſi factam, ratam quoque Concilium habuit, ejuſque oſſa ſi ab aliis Fidelium corporibus diſcerni poſſent, exhumari juſſit, & procul ab Eccleſiæ ſepultura projici juxta utriuſque Juris, Canonici ſcilicet, & Civilis Sanctiones; obierat enim Wicleffus, quem Walſingamus in Richardo II. *hæreticorum idolum, & hypocritarum ſpeculum* vocat, die ultima Decembris anno Chriſti MCCCLXXXIV. Porro Thomas Waldenſis Carmelitani Ordinis Alumnus, qui ceteris diligentius Wicleſi ſcripta examinavit, octingentos errores ſe in eis reperiſſe affirmat.

XXXIII. Quandoquidem variis cenſuræ notis damnati in hac Seſſione VIII. fuerunt Wicleſi errores, lubet hoc loco in gratiam Tironum earum ſignificationem referre, quam inſignes Theologi docuere, ac præſertim Cardinalis Turrecremata Libro IV. Summæ, *De Eccleſia*, Melchior Canus, Lib. XII. *De Locis Theologicis*, Bannes in Secundam Secundæ S. Thomæ, Quæſtione XI. Articulo II. Suarez in Tractatu, *De Fide*, Diſputatione IX. Sectione II. ac tandem Petrus Annatus in ſuo Apparatu ad Theologiam poſitivam, Lib. I. Articulo V. ex quibus addiſcimus, doctrinam, ſeu propoſitionem hæreticam dici eam omnem, quæ manifeſte, formaliter, ut ajunt, & directe opponitur doctrinæ Fidei, ſeu doctrinæ a Deo revelatæ, & per Eccleſiam definitæ. Sic hæretica formaliter, & directe cenſenda foret propoſitio iſta, qua quis diceret, exempli gratia, *Chriſtus non eſt Deus*; quia hæc formaliter, & directe opponitur iſti alteri a Deo revelatæ, & toties per Eccleſiam declaratæ: *Chriſtus eſt Deus*, ſive iſti: *Chriſtus eſt Dei Filius, Patri conſubſtantialis*. Hæretica autem propoſitio, ſive doctrina dicitur ab *hæreſi*, ſive electione, quia eſt proprio judicio electa contra oppoſitum univerſalis Eccleſiæ judicium, in qua oppoſitione præſertim ſita eſt ratio hæreſis, & ſine qua nullus proprie hæreticus cenſendus eſt. Unde S. Auguſtinus Lib. IV. *De Baptiſmo*, Capite XVI. ſupponens hominem eſſe aliquem, qui idem de Chriſto ſentiat, quod Photinus, & exiſtimet, ipſam eſſe Catholicam Fidem, ait: *Iſtum nondum hæreticum dico, niſi manifeſtata ſibi doctrina Catholicæ Fidei, reſiſtere maluerit, & illud quod tenebat, elegerit.*

XXXIV. Erronea propoſitio eſt quæcumque veritati, ſeu doctrinæ juxta unanimem Sanctorum Patrum, vel Eccleſiæ Doctorum revelatæ, ſed nondum per Eccleſiam definitæ; ſeu quæ opponitur doctrinæ, quæ licet non ſit per Eccleſiam definita, nec formaliter, & expreſſe revelata, infertur tamen communiter a Theologis, per diſcurſum ex revelatis, unde & concluſio Theologica dicitur; ſicque eſt virtualiter revelata, & proxime accedens ad Fidem, quia proximum eſt, ut per Eccleſiam definiatur, nihilque deeſt illi, ut fiat de Fide, præter definitionem Eccleſiæ; ac proinde quæcumque illi opponitur, proxime accedit ad hæreſim. Unde eſt, quod propoſitio, ſeu doctrina erronea, & hæreſi proxima coincidunt, & confunduntur, cum utraque ſit oppoſita doctrinæ ad Fidem accedenti, ſeu doctrinæ virtualiter revelatæ, ſeu ex revelatis illatæ, ſeu concluſioni Theologicæ. Sic erronea eſt, ac proinde hæreſi proxima iſta propoſitio: *Chriſtus non eſt riſibilis*, quia opponitur alteri virtualiter revelatæ, ſeu a Theologis per diſcurſum ex revelatis illatæ, nempe iſti: *Chriſtus eſt riſibilis*, quæ infertur ex iſta revelata: *Chriſtus eſt homo*. Ex eo enim, quod Chriſtus ſit homo, recte concluditur, & infertur, quod ſit riſibilis.

XXXV. Scandaloſa eſt, quæ affert cauſam ſcandali, ſeu quæ dat occaſionem ruinæ ſpiritualis, inclinando ad peccata, ſeu avertendo a virtutum exercitio, ut ſiquis data opera diceret, plura ſequi incommoda ex Sacramentali Confeſſione, ex jejuniis Eccleſiaſticis, eaque enumeraret, quibus ſegniores redderentur Chriſtifideles ad confitendum, & jejunandum. Blaſphema vero, ſeu impia dicitur quæcumque eſt injurioſa Deo, vel Deiparæ, aut Sanctis, illis debitas detrahendo perfectiones, vel indebitos affingendo defectus. Sic ſiquis videns bonos malis opprimi, & malos bonis affluere omnibus, Deum injuſtum vocaret, hic ut impius, & blaſphemus puniendus foret. Sic blaſphemi erant Phariſæi dum de Chriſto dicebant Matthæi Capite XII. *Hic non ejicit dæmones, niſi in Beelzebub principe dæmoniorum*. Sic injurius, & blaſphemus erat in Sanctos Apoſtolos hæreticus ille nomine Quintinus, natione Picardus; dum Paulum, *vas fractum*, Petrum, *Chriſti abnegatorem*; Joannem, *juvenem ſtolidum*; & Matthæum *fœneratorem* eſſe dicebat.

XXXVI. Offenſiva piarum aurium eſt quæcumque pias offendit aures, qualis eſſet ea quæ indecorum aliquid de Deo, vel de Sanctis licet non falſum proferret, ut ſiquis actiones humanas Chriſti, ceteris communes hominibus, vel ejus membra turpibus, & obſcenis explicaret vocibus. Temeraria propoſitio dicitur illa, quæ ſine gravi fundamento impugnat in re gravi communem Theologorum ſententiam; ſeu, ut explicant alii, quæ nullo Auctore fide digno, nulla probabili nixa ratione, extra communem Theologorum ſenſum vagatur; ut ſiquis aſſereret finale mundi Judicium poſt centum, vel ducentos annos immediate futurum; vel ſiquis Beatam Virginem in Cælum etiam quoad corpus aſſumtam negaret. Seditioſa tandem eſt illa, quæ diviſionem induceret in populo, ut ſiquis diceret, malo Prælato, ſeu Principi, non eſſe obediendum. Atque hæ ſunt notæ cenſuræ contra errores Wicleſi in hac Seſſione VIII. prolatæ. Sunt tamen & aliæ complures, quibus ſolent Romani Pontifices errores, ſeu propoſitiones hominum

Digitized by Google

minum perverſorum notare appellanturque ſapientes hæreſim, vel errorem, hæreſi proximæ, ſeu errori; maleſonantes, captioſæ, injurioſæ, paganæ, Judaicæ, atheæ, ſchiſmaticæ, ſimplicium ſeductivæ, aliiſque id genns nominibus, uti videre eſt in Decretis Romanorum Pontificum. Porro notis ſuperius explicatis damnati fuere in hac Seſſione VIII. Concilii Conſtantienſis quadraginta quinque Wiclefi articuli, ſeu errores, qui ſunt iſti.

1. Subſtantia panis materialis, & vini materialis manent in Sacramento Altaris &c.

2. Accidentia panis non manent ſine ſubjecto in eodem Sacramento.

3. Chriſtus non eſt in eodem Sacramento identice & realiter propria præſentia corporali.

4. Si Epiſcopus, vel Sacerdos eſt in peccato mortali, non ordinat, non conficit, non conſecrat, non baptizat.

5. Non eſt fundatum in Evangelio, quod Chriſtus Miſſam ordinaverit.

6. Deus debet obedire diabolo.

7. Si homo debite fuerit contritus, omnis confeſſio exterior eſt ſibi ſuperflua, & inutilis.

8. Si Papa ſit præſcitus & malus, & per conſequens membrum diaboli, non habet poteſtatem ſuper fideles, niſi forte a Cæſare.

9. Poſt Urbanum VI. non eſt aliquis recipiendus in Papam, ſed vivendum eſt more Græcorum ſub legibus propriis.

10. Contra Scripturam Sacram eſt, quod Eccleſiaſtici habeant poſſeſſiones.

11. Nullus Prælatus debet aliquem excommunicare, niſi prius ſciat eſſe excommunicatum a Deo, & qui ſic excommunicat, eſt hæreticus.

12. Prælatus excommunicans Clericum, qui appellavit ad Regem, & ad Concilium Regni, eo ipſo traditor eſt Regis, & Regni.

13. Illi qui dimittunt prædicare, ſive audire verbum Dei propter excommunicationem hominum, ſunt excommunicati.

14. Licet alicui Diacono, vel Presbytero prædicare verbum Dei abſque auctoritate Sedis Apoſtolicæ, vel Epiſcopi Catholici.

15. Nullus eſt Dominus civilis, nullus eſt Prælatus, nullus eſt Epiſcopus, dum eſt in peccato mortali.

16. Domini temporales poſſunt ad arbitrium ſuum auferre bona temporalia ab Eccleſia, poſſeſſionatis habitualiter delinquentibus.

17. Populares poſſunt ad ſuum arbitrium Dominos delinquentes corrigere.

18. Decimæ ſunt puræ eleemoſynæ, & Parochiani poſſunt propter peccata ſuorum Prælatorum ad libitum ſuum auferre eas.

19. Speciales Orationes applicatæ uni perſonæ per Prælatos, vel Religioſos, non plus proſunt eidem, quam generales, ceteris paribus.

20. Conferens eleemoſynam Fratribus eſt excommunicatus ipſo facto.

21. Siquis ingreditur Religionem privatam qualemcumque, redditur ineptior, & inhabilior ad obſervantiam mandatorum Dei.

22. Sancti inſtituentes Religiones privatas, ſic inſtituendo peccaverunt.

23. Religioſi viventes in Religionibus privatis non ſunt de Religione Chriſtiana.

24. Fratres tenentur per labores manuum victum quærere, & non per mendicitatem.

25. Omnes ſunt ſimoniaci, qui ſe obligant orare pro aliis, eis in temporalibus ſubvenientibus.

26. Oratio præſciti nulli valet.

27. Omnia de neceſſitate abſoluta eveniunt.

28. Confirmatio juvenum, Clericorum Ordinatio, locorum Conſecratio, reſervantur Papæ, & Epiſcopis propter cupiditatem lucri temporalis, & honoris.

29. Univerſitates, Studia, Collegia, Graduationes, & Magiſteria in eiſdem, ſunt vana gentilitate introducta, & tantum proſunt Eccleſiæ, ſicut diabolus.

30. Excommunicatio Papæ, vel cujuſcunque Prælati non timenda, quia eſt cenſura Antichriſti.

31. Peccant fundantes clauſtra, & ingredientes ſunt viri diabolici.

32. Ditare Clerum eſt contra regulam Chriſti.

33. Silveſter Papa, & Conſtantinus Imperator erraverunt Eccleſiam dotando.

34. Omnes de Ordine Mendicantium ſunt hæretici, & dantes eis eleemoſynam, ſunt excommunicati.

35. Ingredientes Religionem ſunt inhabiles ad obſervandum Divina præcepta, & per conſequens ad perveniendum ad Regnum Cælorum, niſi apoſtataverint ab eiſdem.

36. Papa cum omnibus Clericis ſuis poſſeſſionem habentibus ſunt hæretici, eo quod poſſeſſionem habent.

37. Eccleſia Romana eſt Synagoga Satanæ; nec Papa eſt immediatus Vicarius Chriſti, & Apoſtolorum.

38. Decretales Epiſtolæ ſunt apocryphæ, & ſeducunt a Fide Chriſti, & Clerici ſunt ſtulti, qui ſtudent eis.

39. Imperator, & Domini temporales ſeducti ſunt a diabolo, ut Eccleſiam dotarent bonis temporalibus.

40. Electio Papæ a Cardinalibus per diabolum eſt introducta.

41. Nec eſt de neceſſitate ſalutis credere, Romanam Eccleſiam eſſe ſupremam inter alias Eccleſias.

42. Fatuum eſt credere Indulgentias Papæ, & Epiſcoporum.

43. Juramenta illicita ſunt, quæ fiunt ad roborandum humanos contractus, & commercia civilia.

44. Auguſtinus, Benedictus, Bernardus damnati ſunt, niſi pœnituerint de hoc, quod habuerunt poſſeſſiones, & inſtituerunt, & intraverunt Religiones. Et ſic a Domino Papa uſque ad ultimum Religioſum omnes ſunt hæretici.

45. Omnes Religiones indifferenter introductæ ſunt a diabolo.

XXXVII. Hæc ſunt, quæ coargutione non indigent; *perfidiam enim eorum expoſuiſſe, ſuperaſſe eſt*, ut verbis utar S. Hieronymi, qui ita ad Marcellam ſcripſit, ubi Montani hæretici deliria narravit, confutavitque. Wiclefi autem errores, ſive articulos XLV. hucuſque deſcriptos Conſtantienſis hæc Synodus una cum eorum auctore damnavit, ipſiuſque oſſa juxta receptam, probatamque Eccleſiæ diſciplinam, quæ multis exemplis oſtendi poſſet, exhumari juſſit, & cremari, uti jam ſuperius dictum fuit.

*Fridericus Auſtriæ Dux a Concilio in gratiam receptus.*

XXXVIII. Poſtridie Seſſionis octavæ, ſeu die Dominica v. Maji cum Fridericus Auſtriæ Dux Conſtantiam ſub ſalvo conductu Sigiſmundi Au-

guſti veniſſet, ut ait Niemus, & ex eo alii Auctores paſſim, qui hujus Conſtantienſis Concilii Acta narrant, facta eſt ejuſdem Sigiſmundi rogatu Congregatio Deputatorum quatuor Nationum, in loco in qua Natio Germanica congregari ſolebat, in qua idem Sigiſmundus expoſuit, quomodo arma ſumſiſſet contra eundem Fridericum tam ob Joannis Pontificis abductionem, quam quod nonnullos Epiſcopos, & Abbates expuliſſet, ac viduas, & orphanos expoliaſſet; cumque jam Fridericus recipi in gratiam rogaret, conſilium petiit, quomodo agendum cum ipſo eſſet, eo quod ipſe Sigiſmundus juraſſet, numquam ſe pacem cum eo facturum. Et reſponſum eſt ei, ipſum minime obligari ejuſmodi juramento, poſſeque illum ſimpliciter ad miſericordiam, & veniam admittere, non ad pacem ex æquo faciendam, ut legitur in Actis editis: *Fuit per Dominos Deputatos diſputatum, & concluſum, quod ex hoc nullum incurreret perjurium, quia ſimpliciter eum reciperet ad miſericordiam, & tanquam hominem captivum, & dominium ejus captivum.*

XXXIX. Miſſis tunc quatuor Prælatis, qui eum adducerent, venit ille cum Duce Bavariæ, & Burgravio Nurembergenſi, ſeque, & omnia ſua Sigiſmundi Auguſti poteſtati ſubmiſit, & Joannem Papam XXIII. reducere pollicitus eſt, dummodo tam ei, quam ſuis de vita & bonis, quæ ſecum adſportaverint, cautum eſſet, & interim obſes Conſtantiæ permaneret, dum omnia executioni mandarentur. Atque hiſce conditionibus receptus eſt Fridericus in gratiam a Sigiſmundo, facto de ea re per Protonotarios, & Notarios Concilii publico inſtrumento, quod in Actis editis legere eſt. Ceterum quod Joannem Papam ſpectat, deſertus tunc ipſe fuit a Friderico, moxque ad Oppidum Cellæ duobus tantum milliaribus Conſtantia diſtans ductus eſt infelix Pontifex, ibique diligenter cuſtoditus, datis ipſi in conſortium, & ſolatium, Vitali Epiſcopo Tolonenſi una cum aliis octo Viris honoratis, duobus ex qualibet Natione. Annulum Piſcatoris dictum ab eo recepit idem Tolonenſis Præſul, miſitque Conſtantiam, ut Victorina Acta teſtantur apud Labbeum, ubi de hoc Concilio Conſtantienſi agit, & apud Spondanum ad annum MCDXV. Num. XXX.

S E S S I O IX.

XL. Seſſio nona celebrata eſt die Lunæ XIII. Maji, in qua prolata Citatione alias contra Joannem ipſum XXIII. decreta, accuſataque ejus contumacia a Promotoribus, & Procuratoribus Concilii, Cardinalis Florentinus ejuſdem Pontificis Litteras exhibuit, quibus Cardinales, Cameracenſem, S. Marci, & ipſum Florentinum Procuratores conſtituerat ad defendendam cauſam ſuam. Sed cum illi hoc munus ex parte recuſaſſent, & Henricus de Pirro Promotor Concilii dixiſſet, in cauſa hac perſonali, & Curiali Procuratorem non eſſe admittendum: ad obſervanda Juris ſolemnia, ac Judicii ordinem, rogati ſunt duo Cardinales Diaconi, & quidam Prælati Nationum, ut ad valvas Eccleſiæ ſe conferrent, inquiſituri, an Joannes adveniſſet. Recuſantibus Cardinalibus, id exequuti ſunt Prælati in valvis, & extra valvas Eccleſiæ, qui reverſi Concilio retulerunt, inquiſitione facta, Joannem minime comparuiſſe. Quibus actis, Synodus de ſolita benignitate eum expectandum decrevit *uſque ad diem craſtinum*, nempe XIV. Maji *hora qua celebrabitur Seſſio*. Delegati demum ſunt a Synodo in cauſa inquiſitionis contra eundem Pontificem Commiſſarii, duo Cardinales, de Urſinis, & S. Marci, Epiſcopi, Concordienſis, & Tarviſinus, ac Joannes Bononienſis Sacri Palatii Apoſtolici Cauſarum Auditor, Nationis Italicæ; Dolenſis Epiſcopus, Abbas S. Lupi, & Guillelmus Malignis dicti Palatii Auditor, Nationis Gallicanæ; Epiſcopus Metſeburgenſis, Andreas Electus Poznanienſis, & Bertholdus de Wildungen, ejuſdem Palatii Auditor, Nationis Germanicæ; Epiſcopus Linchſeldenſis, & Abbas B. Mariæ extra muros Eboraci, Nationis Anglicæ. Conſtituti ſunt denique Judices ad audiendas cauſas, quæ ad Synodum deferrentur, & in ipſa quoque Seſsione nona Benedictus Gentianus Magiſter Theologiæ Ordinis Benedictini unus ex Nunciis Univerſitatis Pariſienſis obtulit Concilio Epiſtolam ejuſdem Univerſitatis datam Pariſiis die XIV. Aprilis, qua laudabat Concilii conſtantiam in proſequendo negotium unionis poſt Joannis Papæ receſſum, & hortabatur ad illud conſummandum.

S E S S I O X.

*Sententia contra Joannem XXIII. lata.*

XLI. Seſsione decima habita die XIV. Maji, urgentibus Concilii Promotoribus iterum quæſitus Joannes Papa ad valvas Eccleſiæ, & extra a duobus Cardinalibus, & duobus Nationum Prælatis, nec repertus, de totius Synodi ſententia declaratus eſt contumax cum ſuis fautoribus. Deinde, referente Cardinale S. Marci ad Synodum, ex teſtium auditione, ac ſufficienti eorum depoſitione conſtare, ipſum Joannem Papam XXIII. fuiſſe dilapidatorem bonorum Eccleſiæ Romanæ, Simoniacum, Scandaloſum, perturbatorem Fidei Chriſtianæ, & alias talem, quod merito deberet ſuſpendi ab adminiſtratione bonorum Eccleſiaſticorum, ſpiritualium, & temporalium, communibus Patrum ſuffragiis decreta eſt, ac publicata contra eum Sententia definitiva, qua *ab omni adminiſtratione Pontificatus tam ſpirituali, quam temporali* ſuſpenſus eſt, eo quod legitimis documentis conſtaret, ipſum a tempore ſuæ aſſumtionis, *Papatum ipſum, & politiam Eccleſiæ in ſcandalum notorium ipſius, & Eccleſiæ male adminiſtraſſe, rexiſſe, & gubernaſſe, vitaque ſua damnabili, ejuſque nefandis moribus, Populis exemplum vitæ malæ tribuiſſe, & inſuper Eccleſias Cathedrales, Monaſteria, Prioratus Conventuales, & cetera Beneficia Eccleſiaſtica pretio appretiato Simoniace notorie diſtribuiſſe; bonaque, & jura Romanæ, & aliarum Eccleſiarum plurium notorie dilapidaſſe*; additque, ea etiam Sententia damnari Joannem, *quod charitative monitus, a præmiſſis deſiſtere noluit, ſed continue perſeveravit, & perſeverat, Eccleſiam Dei in præmiſſis notorie ſcandalizando*. Deinde prohibet omnibus Chriſtifidelibus cujuſcumque conditionis ac dignitatis ſint, ei deinde obedire, aut in quacunque re ad Papatum pertinente reſpondere ſub pœna Juris. Cum vero impactum eidem quoque hæreſis crimen fuiſſet, reſervatum eſt illud amplius inquirendum, ut ex Actis editis liquet.

S E S S I O XI.

*Joannis XXIII. crimina.*

XLII. Seſſione undecima quæ celebrata eſt die XXV. Maji, Promotores Concilii legi petierunt Articulos contra Joannem ipſum XXIII. objectos, & pro-

Digitized by Google

& probatos, de notoria dilapidatione bonorum Eccleſiæ, ſimonia in adeptione Cardinalatus, collatione, & diſtractione Beneficiorum, ac bonorum Eccleſiaſticorum, Gratiarum, Indulgentiarum, Diſpenſationum, Reliquiarum, oppreſſione pauperum, ac Virorum Eccleſiaſticorum, fuga in habitu indecenti, vita impudica, ſcandaloſa, & incorrigibili, aliiſque criminibus multis. Objectum enim inter alia fuit, imo & probatum, quod Romanus Pontifex electus, *velut Paganus divina Officia contemſit; Miſſis, & Veſperis Papalibus intereſſe non curavit; Horas Canonicas dicere, jejunia ſervare ſprevit; & ſi aliquoties celebravit, hoc fuit currenter more venatorum, & armigerorum &c.* Qui articuli numero LIV. lecti fuere una cum deſignatione teſtium, quorum aliqui Cardinales, alii Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Viri honorati fuere, quibus & alii additi ſunt, nulla tamen probatione fulti, de veneno in necem Alexandri V. parato, & de hæreſi contra reſurrectionem mortuorum, & vitam æternam, quam negaſſe dicebatur. Sed hi ultimi articuli jactati potius fuiſſe videntur, ideoque inter calumnias computandi, non enim probari potuerunt. Ceterum miſſis a Synodo ad Joannem per Cardinales, & per Prælatos articulis, ut ad eoſdem reſponderet, reſpondit ille: *Volo quod Concilium ſit defenſio mea, quod ſcio errare non poſſe; nec alia defenſione quacumque uti volo.* Cumque ad audiendam Sententiam dies ipſi craſtina diceretur, reſpondit: *Summe mihi placet Sententia ipſa, quam cum omni reverentia, etiam cum bireti mei depoſitione recipiam, eamque, quantum in me fuerit, confirmabo.* Atque de his, ut habent Acta, publicum inſtrumentum confectum eſt.

## S E S S I O XII.

### *Joannis XXIII. fuga & captura.*

XLIII. Seſſione duodecima celebrata die Mercurii XXIX. Maji decretum eſt, ut ſi Sedem Apoſtolicam quovis modo vacare contingeret, ad electionem futuri Summi Pontificis nullo modo procederetur, ſine deliberatione, & conſenſu hujus Generalis Synodi Conſtantienſis, & ſi contrarium fieret, ipſo facto irritum eſſet & inane. Lata deinde eſt depoſitionis Sententia in Joannem Papam XXIII. qua Synodus pronuntiat receſſum ipſius, clam, noctu, hora ſuſpecta, in habitu diſſimulato & indecenti, fuiſſe & eſſe illicitum, Eccleſiæ Dei, & ipſi Concilio notorie ſcandaloſum, pacis, & unionis Eccleſiæ turbativum, & impeditivum, Schiſmatis inveterati nutritivum, a voto, promiſſione, & juramento per ipſum Joannem Papam Deo, & Eccleſiæ, & huic Sacro Concilio præſtitis deviativum, ipſumque Joannem Simoniacum notorium, bonorumque, & jurium, nedum Romanæ, ſed & aliarum Eccleſiarum, piorumque locorum dilapidatorem manifeſtum; malumque ſpiritualium, & temporalium Eccleſiæ adminiſtratorem, & diſpenſatorem fuiſſe, & eſſe; inhoneſtis, ac diſſolutis moribus Populum Chriſtianum notorie ſcandalizantem ante aſſumptionem ad Pontificatum, & deinceps ad hæc uſque tempora; in iiſque criminibus poſt monitiones debitas, & ex charitate iteratas pertinaciter perſeveraſſe; propter quæ Sancta Synodus ipſum Joannem a Pontificatu, & omni ejus adminiſtratione, amovet, privat, deponit, univerſos, ac ſingulos Chriſtianos ab ejus obedientia, fidelitate, & juramento abſolutos declarans.

XLIV. Prohibet præterea Synodus in ipſa Seſſione XII. ne *Balthaſſar Coſſa nuper Joannes Papa XXIII.* vel *Angelus de Coriario Gregorius XII.* vel *Petrus de Luna Benedictus XIII. in ſuis obedientiis ſic nominati*, in Pontifices iterum eligantur; idque ſi fieret, irritum & inane ipſo facto eſſet. Porro Sententia data adverſus Joannem XXIII. uno omnium Concilii Patrum conſenſu approbata eſt, ac perlata ad eundem Joannem, cui intimata eſt a Joanne Epiſcopo Vaurenſi circa horam duodecimam die Veneris ultima Maji. Qui quidem Joannes, ſeu potius Balthaſſar ipſam Sententiam ſibi traditam per ſe ipſum ad partem legit, & deinde ad reſpondendum aliquod temporis intervallum habere voluit. Quo circa eadem die, & circa horam ſecundam poſt meridiem idem Vaurenſis Epiſcopus, & alii Prælati pro audienda reſponſione ad eum perſonaliter acceſſerunt, quibus reſpondit, dicta Sententia per eum viſa, lecta, bene concepta, ac plenius intellecta, ex ſua certa ſcientia eam approbare, ratificare, & emologare, & proceſſui contra ſe facto acquieſcere, & conſentire, apponendoque manum ad pectus, cum juramento affirmavit, ſe nihil contra eam Sententiam unquam acturum, Papatui cedens, & renuncians expreſſe; in hujuſque ſignum ſe jam de Camera ſua Crucem Papalem amoveri feciſſe, ac, ſi veſtes mutatorias habuiſſet, omnia Inſignia Papalia tunc coram Prælatis depoſuiſſet, voluiſſetque, quod ad Papatum nunquam fuiſſet aſſumtus, quia ex poſt nunquam habuerat bonum diem. Quæ omnia in Actis continentur, quæ etiam a Raynaldo, Spondano, Pagio, ac aliis referuntur.

XLV. Addit vero & iis Niemus in ejus Vita, & poſt Niemum laudati Auctores, eundem Balthaſſarem principio menſis Junii ejuſdem anni MCDXV. ductum fuiſſe ad Caſtrum Gotlenen prope Conſtantiam ſub cuſtodia prædicti Concilii per aliquot dies, & licentiatos fuiſſe ejus Familiares, ne illis cooperantibus evadere poſſet, traditumque poſtea cuſtodiæ Ludovici Ducis Bavariæ Comitis Palatini Rheni, Concilii Cuſtodis a Sigiſmundo Auguſto conſtituti in ſua abſentia, qui eum, inquit, *benigne pertractat, ſibique providet de omnibus opportunis, & habet duos Capellanos honeſtos, ſecum dicentes Officium, & coram eo celebrantes, & quoſdam honeſtos Nobiles ſibi in menſa miniſtrantes in loco ſpatioſo, & delectabili, non catenatus, non conſtrictus; & ita de aliquibus audivi, qui bene ſciunt.* Scribit vero Platina, Joannem ad Ludovicum Bavarum, qui cum Gregorio XII. ſentiebat, cuſtodiendum miſſum, donec aliud decerneretur, Heidelbergæ triennio ſine ullo Cubiculario, ſamulove Italico diligenter aſſervatum eſſe: *Teutonici*, inquit, *erant cuſtodes omnes, quibus cum Joannes nutu & ſignis loquebatur, cum nec ipſe linguam Teutonicam, nec illi viciſſim Italicam ſcirent.* Idem habet Nauclerus, qui locum carceris, in quo detentus Joannes fuit, non Heidelbergam, ſed Manheim nominat. Atque hinc deducit Spondanus, locum ejus carceris ſæpe mutatum fuiſſe.

XLVI. Manſit in ea cuſtodia Joannes, ſive potius Balthaſſar ferme per quadriennium, ab anno ſcilicet MCDXV. quo fuit depoſitus, uſque ad annum MCDXIX. quo, ſive Martini Papæ V. qui in ejus locum in hoc Conſtantienſi Concilio ſubrogatus fuit, tacita opera, ſive, ut quidam habent, ne forte diutius in Germania detentus novas aliquando turbas cieret, pretio triginta mil-

Z 2 lium

lium aureorum carcere exemtus eſt, eo animo ut eundem rurſus idem Martinus V. ſecuriori cuſtodia Mantuæ detineret, ſive denique, ut alii ajunt, liber abire permiſſus, ut novos tumultus in Italia excitaret, cum vir magni animi eſſet, & qui privatam vitam nequaquam pati poſſe videretur. Quicquid ſit, ſive conſcientia, ſive deſperans aliquid proficere, vel potius Deo Omnipotente Eccleſiæ ſuæ miſerto, ipſum excitante, idem Balthaſſar Coſſa, propria ſponte, nullis pactionibus interpoſitis, nulla requiſita cautione, recta Florentiam ivit, ubi Martinus V. cum tota ſua Curia erat; ibique non ſine multorum admiratione, ac ſimul commiſeratione, humi genibus fixis, & ad ejus pedes procumbens, eum ut Chriſti Vicarium veneratus eſt, omniaque tam de ſe, quam de ipſo Martino Papa V. in Concilio Conſtantienſi facta approbavit, & ratificavit in Vigilia SS. Corporis Chriſti, ſive die XXIV. Junii. Poſtmodum die Veneris XXIII. Junii a laudato Pontifice Cardinalis Epiſcopus Tuſculanus & Sacri Collegii Decanus renuntiatus eſt, ac ſedes ipſi prope Pontificiam paulo eminentior quam ceterorum Cardinalium poſita, ob memoriam Romani Pontificatus, quem aliquando juſte ac legitime geſſerat; quemque ut verum, ac legitimum Pontificem etiam hæc Conſtantienſis Synodus aliquando habuit, ipſum ſimpliciter Papam appellans, donec lata in eundem fuit exauctorationis Sententia, & deinceps, *nuper*, aut, *olim Papam*, uti videre eſt ſupra in Seſſione XII.

XLVII. Obiit tandem Balthaſſar Coſſa Florentiæ die XXII. Decembris ejuſdem anni MCDXIX. dolore, vel, ut alii ſcribunt, veneno adjutus. Honorificentiſſime ſepultus fuit in Baptiſterio S. Joannis, procurante Coſmo Mediceo Cive Florentino cariſſimo ipſius amico, quem ut Platina, & Sabellicus ſcribunt, homines exiſtimarunt, pecunia Balthaſſaris opes ſuas in tantum auxiſſe, ut & primarius apud Florentinos Cives, & ditiſſimus omnium apud Italos, ac fortaſſe apud exteras quoque Nationes deinceps ſit habitus, & collatus deinde in ejus poſteros Patriæ Principatus, ac dignitas ſola dignitate Regia inferior. Elegantiſſimi ejus Sepulcri formam ære expreſſam exhibet Oldoinus in Additionibus ad Ciaconium, in quo legitur, eum obiiſſe die XXII. Decembris; ſed putat Pagius in memorata Vita Joannis Papæ XXIII. Numero LXV. diem illum eſſe diem ſepulturæ, ipſumque obiiſſe die XX. Decembris; nam Papebrochius in Paralipomenis ad Catalogum Romanorum Pontificum CXII. refert extare Florentiæ apud ædes Caroli Strozzi Codicem mſ. memoriarum Alamanni ab anno MCCCXCVIII. uſque ad annum MCDXX. deſcriptarum vulgari lingua, in quo legitur: *Die XX. Decembris prædictus Joannes Papa obiit Florentiæ*. Veroſimile ergo eſt, eum obiiſſe die XX. & ſepultum tantum eſſe die XXIII. Nec enim idem Alamannus tunc vivens & ſcribens dicendus eſt erraſſe.

## S E S S I O XIII.

*De Communione Eccleſiaſtica a laicis ſub una ſpecie ſumenda;*

XLVIII. Seſſione decima tertia, quæ habita fuit die XV. Junii, Decretum editum eſt de Communione Euchariſtica ſub una ſpecie a Laicis, iiſque jejunis ſumenda contra Bohemos Huſſitas, declaratumque, hanc conſuetudinem ad evitandum aliqua pericula & ſcandala eſſe legitime introductam, licet in primitiva Eccleſia Sacramentum Euchariſtiæ ſub utraque ſpecie a Fidelibus ſumeretur, cum firmiſſime credendum ſit, *integrum Chriſti Corpus, & Sanguinem, tam ſub ſpecie panis, quam ſub ſpecie vini veraciter contineri. Unde cum hujuſmodi conſuetudo ab Eccleſia, & Sanctis Patribus rationabiliter introducta, & diutiſſime obſervata ſit, habenda eſt pro Lege, quam non licet reprobare, aut ſine Eccleſiæ auctoritate pro libito mutare. Quapropter dicere, quod hanc conſuetudinem, aut Legem obſervare, ſit ſacrilegum, aut illicitum, cenſeri debet erroneum, & pertinaciter aſſerentes oppoſitam, tanquam hæretici arcendi ſunt, & graviter puniendi*. Præſulibus etiam juſſit Synodus ſub pœna excommunicationis, ut Presbyteros Communionem ſub utraque ſpecie miniſtrantes Cenſuris Eccleſiaſticis ut hæreticos coerceant, invocato etiam, ſi opus fuerit, brachii ſecularis auxilio. In eadem Seſſione conſtituti ſunt quatuor Prælati, aut Doctores ex ſingulis quatuor Nationibus ad audiendas, & examinandas cauſas quarumcumque hæreſum, & errorum, & quarumcumque perſonarum etiamſi Pontificali, vel alia quavis Eccleſiaſtica, vel ſeculari præfulgerent dignitate, quæ ad Concilium deferrentur. In cauſa vero hæreſis contra Joannem Huſs jamdiu ventilata, quæ circa concluſionem exiſtebat, decretum eſt, ut per Judices deputatos huc uſque ea ulterius cognoſceretur, atque procederetur per eoſdem.

XLIX. Ergo dicti ſunt Huſſitæ a Joanne Huſs natione Bohemo, ac Pragenſis Academiæ Rectore, qui una cum Hieronymo Pragenſi Waldenſium & Wicleffitarum Pragæ renovare cœpit hæreſes initio ſeculi XV. iiſque eum errorem adjunxit, quem Conſtantienſis Synodus ſupra Seſſione XIII. damnavit, nempe, *Populum Chriſtianum debere Sacrum Euchariſtiæ Sacramentum ſub utraque panis & vini ſpecie ſuſcipere, & non ſolum ſub ſpecie panis, ſed etiam ſub ſpecie vini populum laicum paſſim communicare, etiam poſt cœnam, vel alias non jejunum*. Ordinarie jejunium naturale Euchariſticæ Communioni eſſe præmittendum Apoſtolica traditione, & utriuſque Eccleſiæ, Græcæ, atque Latinæ conſenſione, jam oſtendimus nos Tomo II. Conciliorum in Commentario ad Canonem XXIX. Concilii Trullani. Quod autem alium errorem ſpectat, de neceſſitate ſcilicet Communionis Euchariſticæ etiam a laicis ſub utraque ſpecie percipiendæ, docet Jueninus in ſuo Opere, *De Sacramentis*, Diſſertatione IV. Quæſtione IX. Cap. IV. Articulo I. §. I. poſt ſeculum XIV. non paucos Sectarios contendiſſe, Communionem ſub utraque ſpecie neceſſariam eſſe Jure Divino, Auctoremque ejus erroris primum fuiſſe Joannem Huſs, poſt cujus mortem duæ Huſſitarum Sectæ in Bohemia viſæ ſunt, Taborritarum nempe, & Callixtinorum, quos ita appellabant, quod Calicis uſum ad ſalutem ex Chriſti inſtitutione neceſſarium eſſe contenderent; tantuſque hujuſmodi hæreticorum ardor fuit pro illa nedum ſub ſpecie panis, ſed etiam ſub ſpecie vini Communione, ſeu, ut ipſi loquebantur, pro Calice, ut ſuis in Templis, domibus; Vexillis, & aliis rebus Calices pingerent, unde & Calicularii vocati, ortaque occaſio uni Poetarum dicendi

*Tot pingis Calices Bohemorum Terra per Urbes,*
*Ut credas Bacchi Numina ſola coli.*

L. Huſſitarum errorem de neceſſitate ſumen-

mendæ Euchariſticæ Communionis ſub utraque ſpecie ſequuti fuerunt deinde hæretici ſeculi XVI. Lutherani, & Calviniſtæ, & quamvis Lutherus aliquando eam in rem varius fuerit, uti citato loco oſtendit Jueninus, in Libro tandem, *De Saxonica Viſitatione*, Communionem, quæ ſub una tantum ſpecie facta fuerit, prorſus rejicit velnti Divinæ Inſtitutioni contrariam. Item Carloſtadius anno MDXXI. in Eccleſia Wittembergæ, in qua Lutheraniſmus primas egerat radices, Communionem ſub utraque ſpecie reſtituit in uſum, ratus eam ex Evangelii præſcripto ſervari debere, ac iniquos eſſe Eccleſiæ Romanæ Sacerdotes, qui eam populis ſubtraherent. Calvinus denique Libro IV. Inſtitutionum, Cap. XVII. §. XLVII. ſcripſit, ex officina Diaboli prodiiſſe Conſtitutionem, quæ dimidiam cœnæ partem Dei populo vel ſurata eſt, vel eripuit, Symbolum nempe Sanguinis, quod laicis interdictum, Clericis in peculium ceſſit. Ibidem Summos Pontifices ſugillans, ita loquitur: *Edictum æterni Dei eſt, ut omnes bibant; quod homo nova & contraria lege antiquare, & abrogare audet, ne omnes bibant.* Sed hoſce hæreticos variis temporibus exortos, eorumque errores jam merito damnarunt tres Synodi, Conſtantienſis, uti ſupra oſtenſum eſt, Baſileenſis, ut ſuo loco dicetur, ac præ ceteris Tridentina Œcumenica, Seſſione XXI. variis Canonibus de ea re editis, quibus Eccleſiæ Fides clare continetur.

### S E S S I O XIV.

*De renunciatione Gregorii XII.*

LI. Seſſione decima quarta noſtri hujus Conſtantienſis Concilii celebrata die IV. Julii, recte poſt Natalem Alexandrum obſervat Pagius, alium ſervatum fuiſſe ordinem quam in præcedentibus, quia ſcilicet in ea actum eſt de renunciatione Gregorii XII. quam ipſe Gregorius fieri voluit in manibus Sigiſmundi Auguſti, non autem Synodi. Ei itaque Seſſioni non præfuit initio Cardinalis, ſed Auguſtus ipſe, nec facta eſt mentio Concilii, aut Sedis Apoſtolicæ, ſed tantum Imperatoris; de eujus mandato lecta ſunt ejuſdem Gregorii Diplomata duo data Arimini tertio Idus Martii, anno ſui Pontificatus nono, quorum altero Joanni Dominici Cardinali Raguſino ſuæ obedientiæ, Joanni Patriarchæ Conſtantinopolitano, Wernero Archiepiſcopo Treverenſi, Ludovico Comiti Palatino Rheni, & Carolo de Malateſtis Domicello Ariminenſi, & Provinciæ Romandiolæ pro Sede Apoſtolica Rectori facultatem tribuebat ipſius vice ad pacem, & ad unionem Eccleſiæ promovendam; Concilium Conſtantiæ collectum, in quantum per Regem, & non per Balthaſſarem Joannem XXIII. dictum, convocatum eſſet, ſuo item nomine convocandi, & comprobandi, & quæ in eo fierent, pariter confirmandi, ea tamen lege, ut Balthaſſar ipſe nec præſideret, nec adeſſet.

LII. Diplomate altero pleniorem idem Gregorius XII. Carolo ipſi de Malateſtis tribuebat facultatem ad negotium illud exequendum, qui eam omnem transfudit in Joannem Cardinalem Raguſinum, qui declaratione ſolemni Concilium Gregorii nomine convocavit, & confirmavit, cui Titulus: *Schedula auctorizationis Concilii*. His actis, ſancitum eſt, ut in publicis monumentis, nulla de Romano Pontifice, aut Sede Apoſtolica facta mentione, annus tantum Regis Romanorum adſcriberetur, & hoc uſque ad ceſſionem incluſive. Mox Joannes ipſe Cardinalis Raguſinus ceterorum oſculo, & amplexu exceptus inter Franciſcum Venetum, & Antonium Aquileenſem Presbyterum collocatus eſt. Tum Joannis Cardinalis Oſtienſis Præſidis perſonam reſumſit, peractiſque pro more ceterarum Seſſionum Solemnibus, lectum eſt Procuratorium Gregorii XII. ad cedendum Pontificatu, datum Carolo de Malateſtis. Cumque is quæſiſſet, num magis expediret, abdicationem Pontificatus modo fieri Conſtantiæ, an vero expectari quouſque cum Petro de Luna, appellato Benedicto XIII. tractatum Niciæ fuiſſet: decretum eſt a Concilio, utilius eſſe pro unione Eccleſiæ eam mox Conſtantiæ fieri debere. Lecta ſunt deinde varia hæc Concilii Decreta. I. ut Acta omnia judiciaria, Sententiæ, & pœnæ, in obedientiis Joannis XXIII. & Gregorii XII. latæ, ac decretæ, occaſione, vel ex cauſa Schiſmatis, irritæ eſſent. II. ne Romanus Pontifex durante Concilio eligeretur abſque ejuſdem Concilii deliberatione, & conſenſu. III. ut omnia quæ Gregorius XII. in ſua obedientia alias recte, & Canonice geſſerat, rata eſſent. IV. ne Decretum iteratam ejus electionem vetans, factum ad ejus inhabilitatem intelligeretur, & quaſi Pontificiæ Dignitatis incapax eſſet, ſed pro bono pacis Eccleſiæ, & futuris ſcandalis, ſcrupulis, & ſuſpicionibus vitandis. V. ut Gregorii Cardinales ſtatim poſt ejus Ceſſionem reciperentur. VI. ut Curiæ ipſius Miniſtri ſuis in Officiis, & Gradibus confirmarentur. VII. Synodus Imperatorem Sigiſmundum adhortata eſt, ut Concilii ſecuritati, ac libertati futuræ electionis Summi Pontificis provideret, exacto a Conſulibus, & a Civibus Civitatia Conſtantienſis juramento, quod ipſe Edicto ſolemni præſtitit.

LIII. His peractis Carolus de Malateſtis facta pulchra collatione cum Themate ex Lucæ Capite II. *Facta eſt cum Angelo multitudo militiæ Cæleſtis*, vi Procuratorii ſui renuntiavit, ac ceſſit juri, titulo, & poſſeſſioni, eidem Gregorio in Pontificatu Romanæ & univerſalis Eccleſiæ competenti, *quod, quem, & quam habet coram Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui Eccleſiæ ſuæ Sanctæ eſt Caput, & Sponſus, in hac Sacroſancta Synodo, & univerſali Concilio ſanctam Romanam & univerſalem Eccleſiam repræſentante*. Ceſſionem ratam Concilium habuit, & collaudavit, & cantato Hymno, *Te Deum laudamus*, Decretum edidit de requirendo Petro de Luna, ut eandem Ceſſionem a ſe toties promiſſam faceret intra decem dies ab hujuſmodi requiſitione eidem facienda. Quod niſi præſtaret, eum Synodus ex tunc declararet notorium ſchiſmaticum, incorrigibilem, & pertinacem hæreticum, a Catholica Fide devium, omnique honore, ac dignitate indignum, & ejectum.

### S E S S I O XV.

*De damnatione articulorum Joannis Huſs.*

LIV. Seſſione decimaquinta, celebrata die VI. Julii, eodem Præſide Cardinale Oſtienſi poſt Decretum de ſervando ſilentio ſub graviſſimis pœnis, Joannis Huſs articuli, ac Libri damnati ſunt, ipſeque hæreticus declaratus, & uti talis ab ordine Sacerdotali dejiciendus, ac degradandus, & ſecularis Curiæ Judicio relinquendus. Pronunciata eſt autem Sententia damnationis articulorum hujus hæretici ſub eadem forma, qua condemnati ſunt articuli Wiclefi, de quibus ſupra in enarratione Seſſionis VIII. dictum a nobis

jam

Digitized by Google

jam fuit. Porro Joannis Huſs articuli in hac Seſſione xv. deſcripti, ſunt ſequentes.

1. Unica eſt ſancta univerſalis Eccleſia, quæ eſt Prædeſtinatorum univerſitas.

2. Paulus nunquam fuit membrum diaboli, licet fecerit actus quoſdam actibus Eccleſiæ malignantium conſimiles.

3. Præſciti non ſunt partes Eccleſiæ, cum nulla pars ejus ab ea finaliter excidat, eo quod Prædeſtinationis charitas, quæ ipſam ligat, non excidit.

4. Duæ naturæ Divinitas, & Humanitas ſunt unus Chriſtus.

5. Præſcitus etſi aliquando ſit in gratia ſecundum præſentem juſtitiam, tamen nunquam eſt pars Sanctæ Eccleſiæ; & Prædeſtinatus ſemper manet membrum Eccleſiæ, licet aliquando excidat a Gratia adventitia, ſed non a Gratia Prædeſtinationis.

6. Sumendo Eccleſiam pro convocatione Prædeſtinatorum, ſive ſint in Gratia, ſive non, ſecundum præſentem juſtitiam, iſto modo Eccleſia eſt articulus Fidei.

7. Petrus non fuit, neque eſt Caput Eccleſiæ Catholicæ.

8. Sacerdotes quomodolibet criminoſe viventes, Sacerdotii polluunt poteſtatem, & ſicut filii infideles ſentiunt infideliter de ſeptem Sacramentis Eccleſiæ, de Clavibus, de Cenſuris.

9. Papalis Dignitas a Cæſare inolevit, & Papæ præfectio, & inſtitutio a Cæſaris potentia emanavit.

10. Nullus ſine revelatione aſſereret rationabiliter de ſe, vel alio, quod eſſet Caput particularis Eccleſiæ, nec Romanus Pontifex eſt Caput Romanæ Eccleſiæ.

11. Non oportet credere, quod iſte quicumque eſt particularis Romanus Pontifex, ſit Caput cujuſcunque particularis Eccleſiæ, niſi Deus eum prædeſtinaverit.

12. Nemo gerit vicem Chriſti, vel Petri, niſi ſequatur eum in moribus, cum nulla alia ſequela ſit pertinentior, nec aliter a Deo recipiat procuratoriam poteſtatem, quia ad illud officium Vicarii requiritur, & morum conformitas, & inſtituentis auctoritas.

13. Papa non eſt manifeſtus, & verus Succeſſor Apoſtolorum Principis Petri, ſi vivit moribus contrariis Petro; & ſi quærit avaritiam, tunc eſt Vicarius Judæ Iſcariotis. Et pari evidentia Cardinales non ſunt manifeſti, & veri Succeſſores Collegii aliorum Apoſtolorum Chriſti, niſi vixerint more Apoſtolorum, ſervantes conſilia, & mandata Domini noſtri Jeſu Chriſti.

14. Doctores ponentes, quod aliquis per cenſuram Eccleſiaſticam emendandus, ſi corrigi noluerit, judicio ſeculari eſt tradendus, pro certo ſequuntur in hoc Pontifices, Scribas, & Phariſæos, qui Chriſtum nolentem eis in omnibus obedire, tradiderunt Pontio Pilato.

15. Obedientia Eccleſiaſtica eſt obedientia ſecundum adinventionem Sacerdotum Eccleſiæ propter expreſſam auctoritatem Eccleſiæ.

16. Quod nulla ſint opera indifferentia, ſed hæc ſit diviſio immediata humanorum operum, quod ſint vel virtuoſa, vel vitioſa, quia ſi homo eſt vitioſus, & agat quicquam, tunc agit vitioſe, quia ſicut peccatum inficit univerſaliter omnes actus hominis vitioſi, ſic virtus vivificat omnes actus hominis virtuoſi.

17. Sacerdos Chriſti vivens ſecundum Legem ejus, & habens notitiam Scripturæ, & affectum ad ædificandum Populum, debet prædicare, non obſtante prætenſa excommunicatione.

18. Quilibet prædicantis officium de mandato accipit, qui ad Sacerdotium accedit, & illud mandatum debet exequi, non obſtante excommunicatione.

19. Per Cenſuras Eccleſiaſticas Excommunicationis, Suſpenſionis, vel Interdicti ad ſui exaltationem Clerus Populum ſibi laicalem ſuppeditat, avaritiam multiplicat, malitiam protegit, viam præparat Antichriſto.

20. Si Papa eſt malus, & maxime ſi eſt præſcitus, tunc ut Judas Apoſtolus, eſt diabolus, fur, & filius perditionis.

21. Gratia Prædeſtinationis, eſt vinculum, quo Corpus Eccleſiæ, & quodlibet ejus membrum jungitur Chriſto Capiti indiſſolubiliter.

22. Papa, vel Prælatus malus, & præſcitus eſt æquivoce Paſtor, & vere fur, & latro.

23. Papa non debet dici Sanctiſſimus etiam ſecundum officium, quia alias Rex deberet dici Sanctiſſimus ſecundum officium, & tortores, & præcones dicerentur Sancti, imo & diabolus deberet dici ſanctus, cum ſit officiarius Dei.

24. Si Papa vivat Chriſto contrarie, etiamſi aſcenderet per legitimam electionem ſecundum conſtitutionem humanam, tamen aliunde aſcenderet, quam per Chriſtum, dato etiam quod intraret per electionem a Deo principaliter factam. Nam Judas Scarioth rite & legitime eſt electus a Deo ad Apoſtolatum, & tamen aſcendit aliunde in ovile ovium.

25. Condemnatio XLV. articulorum Joannis Wicleff per Doctores facta, eſt irrationabilis, & iniqua, & malefacta.

26. Non eo ipſo quod Electores, vel major pars eorum conſenſerit viva voce ſecundum ritus hominum in perſonam aliquam, eo ipſo illa perſona eſt legitime electa. Unde ſive Electores bene, vel male elegerint, operibus electi debemus credere.

27. Non eſt ſcintilla apparentiæ, quod oporteat eſſe unum Caput regens Eccleſiam, quod ſemper cum ipſa militante Eccleſia converſetur, & conſervetur.

28. Chriſtus ſine talibus Capitibus monſtruoſis per ſervos veraces diſcipulos ſparſos per Orbem terrarum melius ſuam Eccleſiam regularet.

29. Apoſtoli, & Fideles Sacerdotes Domini ſtrenue in neceſſariis regularunt Eccleſiam, antequam Papæ officium foret introductum.

30. Nullus eſt Dominus civilis, nullus eſt Prælatus, nullus eſt Epiſcopus, dum eſt in peccato mortali.

LV. Hos triginta Joannis Huſs, ſicuti & quadraginta quinque Joannis Wicleſi ſupra in Seſſione VIII. relatos recenſuit damnavitque iterum peculiari ſua Conſtitutione Martinus V. Papa anno 1. ſui Pontificatus, electuſque is fuit Pontifex Maximus in hoc Conſtantienſi Concilio Seſſione XLI. quæ habita fuit die VIII. Novembris anni MCCXVII. ut infra ſuo loco dicetur. Porro in ea Conſtitutione, quæ incipit, *Inter Curas*, narrat primum Pontifex quantum progreſſum habuerint perverſa dogmata prædictorum hæreticorum Wicleſi, & Huſſii, ex ſegnitie Prælatorum, qui ſicut canes muti contra ea non latrabant, ita ut exinde plures infecti in ſtercore mendacio-

daciorum putreſcerent. Tum quod plures eorum libros adhuc legerent, ac errores docerent, finemque eorum vitæ laudarent, jubet eos perquiri ac puniendos brachio ſeculari tradi. Denique expoſitis eorundem erroribus, mandat ut ſuper præmiſſis articulis quilibet de eis ſuſpectus, ſeu in eorum aſſertione deprehenſus, juxta hunc modum interrogetur. In primis, utrum cognoverit Joannem Wicleff de Anglia, & Joannem Huſs de Bohemia, & Hieronymum de Praga. Item, utrum credat, quod illud quod Concilium Conſtantienſe univerſalem Eccleſiam repræſentans approbavit, & approbat in favorem Fidei, & ad ſalutem animarum, quod hoc eſt ab univerſis Chriſtifidelibus approbandum & tenendum. Item utrum credat, & aſſerat, quod in nullo caſu ſit licitum jurare. Item, utrum credat, quod ad mandatum Judicis juramentum de veritate dicenda, vel quodlibet aliud ad cauſam opportunam etiam pro purificatione infamiæ, ſit licitum. Item utrum credat, quod perjurium ſcienter commiſſum ex quacumque cauſa, vel occaſione pro conſervatione vitæ corporalis, vel Patriæ, vel alterius etiam in favorem Fidei, ſit mortale peccatum. Item utrum credat quod deliberato animo contemnens Ritus Eccleſiæ, Cæremonias Exorciſmi, & Catechiſmi, aquæ Baptiſmatis conſecratæ, peccet mortaliter. Item, utrum credat, quod poſt Conſecrationem Sacerdotis in Sacramento Altaris ſub velamento panis & vini, non ſit panis materialis, & vinum materiale, ſed idem omnino Chriſtus, qui fuit in Cruce paſſus, & ſedet ad dexteram Patris. Item utrum credat, & aſſerat, quod facta Conſecratione per Sacerdotem ſub ſola ſpecie panis tantum, & præter ſpeciem vini, ſit vera Caro Chriſti, & Sanguis, & Anima, & Deitas, & totus Chriſtus, ac idem Corpus abſolute, & ſub una qualibet illarum ſpecierum ſingulariter. Item, utrum credat, quod conſuetudo communicandi perſonas laicas ſub ſpecie panis tantum, ab Eccleſia univerſali obſervata, & per Sacrum Concilium Conſtantiæ approbata, ſit ſervanda, ſic quod liceat eam reprobare, aut ſine Eccleſiæ auctoritate pro libito immutare. Item, utrum credat, quod Chriſtianus contemnens ſuſceptionem Sacramentorum Confirmationis, vel Extremæ Unctionis aut ſolennizationis Matrimonii, peccet mortaliter. Item, utrum credat, quod Chriſtianus ultra contritionem cordis habita copia Sacerdotis idonei, ſoli Sacerdoti ex neceſſitate ſalutis confiteri teneatur, & non laico, ſeu laicis quantumcumque bonis & devotis. Item, utrum credat, quod Sacerdos in caſibus ſibi permiſſis poſſit peccatorem confeſſum, & contritum a peccatis abſolvere, & ſic pœnitentiam injungere. Item, utrum credat, quod malus Sacerdos cum debita materia, & forma, & cum intentione facendi quod facit Eccleſia, vere conficiat, vere abſolvat, vere baptizet, & vere conferat alia Sacramenta. Item, utrum credat, quod Beatus Petrus fuerit Vicarius Chriſti, habens poteſtatem ligandi, & ſolvendi ſuper Terram. Item, utrum credat, quod Papa Canonice electus, qui pro tempore fuerit, ſit Succeſſor Beati Petri, habens ſupremam poteſtatem in Eccleſia Dei. Item, utrum credat, auctoritatem juriſdictionis Papæ, Archiepiſcopi, & Epiſcopi in ſolvendo, & ligando, eſſe majorem auctoritate ſimplicis Sacerdotis, etiamſi curam animarum habeat. Item, utrum credat, quod Papa omnibus Chriſtianis vere contritis & confeſſis ex cauſa pia & juſta poſſit concedere Indulgentias in remiſſionem peccatorum maxime pia Loca viſitantibus. Item, utrum credat, quod ex tali conceſſione viſitantes Eccleſias ipſas, & manus adjutrices eis porrigentes, ejuſmodi Indulgentias conſequi poſſint. Item utrum credat, quod ſinguli Epiſcopi ſuis ſubditis ſecundum limitationem Sacrorum Canonum hujuſmodi Indulgentias concedere poſſint. Item, utrum credat, & aſſerat, licitum eſſe, Sanctorum Reliquias, & Imagines a Chriſtifidelibus venerari. Item, utrum credat, quod Papa, vel alius Prælatus, vel ipſorum Vicarii poſſint ſuum ſubditum Eccleſiaſticum, ſive Secularem propter inobedientiam, ſive contumaciam excommunicare, Ita quod talis pro excommunicato ſit habendus. Item, utrum credat, quod inobedientia, ſive contumacia excommunicatorum creſcente, Prælati, vel eorum Vicarii in Spiritualibus habeant poteſtatem aggravandi, Interdictum ponendi, & brachium ſeculare invocandi, & quod illis Cenſuris per inferiores ſit obediendum. Item, utrum credat, quod liceat perſonis Eccleſiaſticis abſque peccato, hujus Mundi habere poſſeſſiones, & bona temporalia. Item, utrum credat, quod laicis ipſa ab eis auferre poteſtate propria non liceat, etiam ſi male viverent perſonæ Eccleſiaſticæ bona hujuſmodi poſſidentes. Item, utrum credat, quod liceat laicis utriuſque ſexus viris, & mulieribus libere prædicare Verbum Dei. Item, utrum credat, quod ſingulis Sacerdotibus libere liceat prædicare Verbum Dei ubicumque, quandocumque, & quouſcumque placuerit, etiamſi non ſint miſſi. Item, utrum credat, quod omnia peccata mortalia, & ſpecialiter manifeſta, ſint publice corrigenda.

LVI. Hactenus Martinus Papa V. in ſua Conſtitutione, quæ incipit, *Inter curas*, edita Conſtantiæ anno I. ſui Pontificatus, additque ibidem, ut qui de relatis hæreſibus, vel articulis, ſive eorum aliquo infamati fuerint, ad Ordinariorum Locorum arbitrium ſe purgare teneantur. Alii vero, qui per teſtes, ſeu propriam confeſſionem, ſive alias legitimas probationes convicti fuerint de prædictis hæreſibus, vel articulis, vel de aliquo eorum, eoſdem articulos, & errores ſolemniter, & publice revocare, abjurare, pœnitentiam condignam ſubire cogantur, *invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis*. Porro ex citata Martini Papæ V. Conſtitutione jam & illud addiſcere licet, Wicleffiſtas, & Huſſitas, præter relatos damnatoſque in Seſſionibus VIII. & præſenti XV. variis aliis infectos fuiſſe erroribus; de quibus videri poſſunt Prateolus, Spondanus, Raynaldus, Natalis Alexander, Berninus, aliique Auctores, qui hæreticorum errores notarunt.

LVII. Ceterum in eadem hac Seſſione XV. damnata eſt etiam Propoſitio Joannis Parvi Pariſienſis Theologi, quæ ſic habet: *Quilibet Tyrannus poteſt, & debet licite, & meritorie occidi per quemcumque Vaſſallum etiam per clancularias inſidias, vel ſubtiles blanditias, vel adulationes, non obſtante quocumque præſtito juramento, ſeu confœderatione factis cum eo, non expectata ſententia, vel mandato Judicis cujuſcumque &c.* ab eodem aſſerta ad cædem Ducis Aurelianenſis mandato Ducis Burgundiæ factam a crimine vindicandam. Varios errores hujus Theolo-

gi

gi recenſet, conſutatque Natalis Alexander in Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſeculi xv. & xvi. Cap. ii. Articulo iv. per totum. Porro decrevit Synodus, *quod pertinaciter doctrinam hanc aſſerentes, ſunt hæretici, & tanquam tales juxta Canonicas ſanctiones puniendi*. Promulgata eſt demum Synodi Conſtitutio contra omnes, & ſingulos cujuſcumque ordinis, & dignitatis, qui accedentes ad Concilium ipſum Conſtantienſe, & ad quælibet alia futura Concilia, aut ab iis redeuntes invaderent, detinerent, occiderent, aut ſpoliarent:

S E S S I O XVI.

LVIII. Seſſione decimaſexta die xi. Julii habita, Toronenſis Archiepiſcopus, aliique nonnulli Epiſcopi, Abbates, & Doctores omnes numero xii. conſtituti ſunt Procuratores Concilii, qui una cum Sigiſmundo Auguſto ad Regem Aragoniæ, & Petrum de Luna vocatum Benedictum XIII. proficiſcerentur, ut eum ad ceſſionem exemplo Joannis, & Gregorii inducerent; non enim, ut ex Pſalmo Davidico lxxi. lepide conſueverat dicere in Concilio Joannes Gerſonius, futura erat pax Eccleſiæ donec auferretur Luna. At vero pientiſſimi Principis conatus variis ſubterfugiis deluſit homo ambitioſus, & pervicax Petrus ipſe de Luna, ac tandem Perpiniano, obi cum Regibus, & Nuntiis Concilii Conſtantienſis congreſſus eſt, ſecedens, Paniſcolam ſe recepit. Quo rurſus froſtra vocato, & novam cum Regibus & Oratoribus collationem renuente, inter Sigiſmundum Cæſarem, & delegatos Concilii ex una & Oratores Regum Aragoniæ, Navarræ, & Caſtellæ, & Comitum Fuxi, & Armaniaci, qui Petro de Luna parebant, ex altera, aſtantibus etiam, & cooperantibus Oratoribus Regis Francorum, poſt varios tractatus, concordatum eſt demum in duodecim Capitula, ſeu Articulos, quos infra poſt Seſſionem Vigeſimam referemus, quoſque Sigiſmundus Imperator, Alphonſus Primogenitus Ferdinadi Regis Aragonii, Patre ægrotante & abſente, aliique Principes, & Oratores ſubſcriptione ſua confirmarunt, facto de eis inſtrumento die xiii. Decembris anni mcdxv.

LIX. Docent hæc Acta Concilii, aliique Auctores paſſim, qui ea narrant, Raynaldus, Spondanus, Natalis Alexander, & Pagius locis citatis; ex quibus etiam habemus, in eadem Seſſione xvi. deputatos fuiſſe Commiſſarios, Pariſienſem, Metenſem, Virdunenſem, & Leodienſem Epiſcopos ad promulgandam excommunicationem contra nobiles quoſdam prædones, qui Prælatos & Doctores a Galliæ Rege, & Academia Pariſienſi ad Concilium miſſos, & qui ad eundem Regem pro univerſalis Eccleſiæ bono, a Synodo, & Sigiſmundo Auguſto mittebantur, intercepiſſent, ſpoliaſſent, detinuiſſent, vexaſſent.

S E S S I O XVII.

LX. Seſſione decimaſeptima die xv. Julii celebrata, Synodus Sigiſmundo Imperatori in Aragoniam eunti ſecundum ea quæ in præcedenti Seſſione ſtatuta fuerant, ritu ſolemni bene precata eſt. Excommunicatio, & privatio bonorum, dignitatum, officiorum in eos decreta, qui Sigiſmundo Cæſari, & aliis cum ipſo in Aragoniam pro Schiſmatis extirpatione iter Concilii nomine ſuſcipientibus moleſti forent. Solemnes, ac generales Proceſſiones qualibet die Dominica, & Miſſarum celebrationes pro fauſta eorum profectione ac reditu decretæ ſunt, una cum conceſſione centum dierum Indulgentiarum iis, qui dictis Proceſſionibus intereſſent, & qui Presbyteri eſſent, unam Miſſam ob eam cauſam celebrarent; aliis vero, qui devote ſemel in die Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam recitarent, data Indulgentia xl. dierum in forma Eccleſiæ conſueta. Sane in prima Proceſſione, quæ facta fuit die xxi. Julii, Joannes Gerſonius Sermonem habuit, *De Viagio Regis Romanorum*, ita nempe inſcribitur Tomo i. Operum ipſius, Pag. 143. in quo duodecim propoſitionibus, ſeu directionibus de auctoritate Conciliorum Generalium etiam ſupra Romanum Pontificem diſſeruit; quod tamen de tempore dumtaxat Schiſmatis ab ipſo Gerſonio intellectum notavit Spondanus ad annum mcdxv. Num. liv. refragante Natali Alexandro, qui etiam ipſam Spondani explicationem figmentum appellat, alia loca Gerſonii adducens, qui abſolute ait, Generalia Concilia eſſe ſupra Romanum Pontificem. Sed demus eam eſſe Gerſonii ſententiam, non eſt is demum univerſalis Eccleſiæ Magiſter, & unicus Doctor cujus oracula ſequi oporteat. Sed de his alias.

LXI. Rurſus in eadem Seſſione xvii. promulgatum eſt Diploma, quo Angelus de Coriario dictus olim Gregorius XII. conſtitutus eſt Legatus perpetuus Piceni, ſeu Marchiæ Anconitanæ; aliæque gratiæ ei conceſſæ, quas videre eſt in Conſtitutione de ea re edita. Decrevit autem inter alia Synodus, Angelum Coriarium fore ſemper Epiſcopum Cardinalem ſub Titulo per eandem Synodum, vel futurum Romanum Pontificem declarando (quem fuiſſe Portuenſem Niemus, Tuſculanum vero ait Panvinius) itaut ſecundus poſt Romanum Pontificem dignitate, & ordine haberetur, niſi forte, Petro de Luna abdicante, aliud de utriuſque ordine decerneretur. Obiit tandem Recineti Angelus ipſe Coriarius octogenarius, ſive, ut aliis placet, nonagenarius, anno mcdxvii. paulo ante Martini V. creationem, non quidem Arimini ſepultus, ut habet S. Antoninus, Parte iii. Titulo xxii. Cap. iv. §. II. ſed ut diſerte legitur in ejus Epitaphio Recineti in principe ejus Civitatis Eccleſia, ubi extat ejus Sepulchrum, cujus exemplar exhibet Oldoinus in ſuis ad Ciaconium Notis, obi etiam addit, aperto ſepulchro anno mdcxxiii. cadaver habitu Pontificio adhuc ſarto ornatum maxima omnium admiratione integrum fuiſſe repertum, quod ſe accepiſſe dicit ab illis, qui illud propriis oculis aſpexerunt.

S E S S I O XVIII.

LXII. Seſſione decima octava celebrata die xvii. Auguſti demandata eſt quatuor Epiſcopis poteſtas finiendi, cum aliorum totidem ex omnibus Nationibus Aſſeſſorum conſilio, cauſas, & querelas omnes ad Synodum delatas, & deferendas, cauſis tantum Cathedralium Eccleſiarum, aliiſque majoribus exceptis. Litteræ deinde conſcribi ac dari juſſæ de gratiis a Joanne XXIII. olim Papa conceſſis, uſque ad ipſius adminiſtrationis in ſpiritualibus, & temporalibus ſuſpenſionem, exorbitantibus, & expectativis exceptis. Miſſi tandem Oratores in Italiam ad Angelum de Coriario Epiſcopum Cardinalem, olim Gregorium XII. nominatum, de quo ſuperius nonnihil diximus, & Cardinales cum ipſo exiſtentes pro negotiis unionis Eccleſiæ. Porro de Cardinalibus a Gregorio XII. creatis, notandum hic illud eſt, non fuiſſe ſcilicet illos ab Eccleſia receptos, niſi

niſi ante illius abdicationem, uti notat Natalis Alexander in Hiſtoriam Eccleſiaſticam Seculi XV. & XVI. Cap. 1. Articulo 1. Num. IV. in fine.

SESSIO XIX.

*De ſalvoconductu.*

LXIII. Seſſione decima nona habita die XXIII. Septembris, Hieronymus de Praga errores tam Wiclefi, quam Joannis Huſs ejuravit, & quicquid dixiſſet, judicio Sacri Concilii Conſtantienſis ſubjecit, ſeque in veritate Eccleſiæ Catholicæ ſemper manſurum profeſſus eſt, & Canonum ſeveritati obnoxium fore, ſi contra ſentiret, aut prædicaret. Quam abjurationem, ac profeſſionem, propria manu conſcripſit, & ſubſcriptione firmavit, juramento etiam præſtito ſuper ſancta Evangelia. Ibique declaratum eſt, Concilii Patres per ſalvumconductum a ſeculi Principibus conceſſum hæreticis, non ita ligari, quin contra ipſorum errores inquirere, ipſoſque hæreticos punire liceat, *ſi ſuos errores revocare pertinaciter recuſaverint*. Calumnioſum eſt itaque id quod ſolent recentiores hæretici objicere, ſalviconductus fidem ſervatam minime fuiſſe Hieronymo Pragenſi, & Joanni Huſs a Patribus hujus Concilii, ſicut & de facto Decreto ab hac Synodo de non ſervanda hæreticis fide a veritate alienum eſt. Nihil enim aliud Concilium de ſalvis conductibus declaravit, niſi Eccleſiaſticam poteſtatem in ſuo legitimo exercitio a ſeculari poteſtate impediri non poſſe, quominus liceat Eccleſiaſtico Judici officium ſuum exercere in hæretici examinatione, & damnatione. Quod verum eſt, quum ſuperligari non poſſit legibus, & pactis inferiorum, ut recte docet Gregorius Papa IX. in Capite, *Cum inferior*, XVI. *De Majoritate, & obedientia*.

LXIV. Sed nec ipſa Synodus Conſtantienſis ſalvumconductum Huſſio dederat, ſed Sigiſmundus Imperator, qui etiam credidit, ſe non eſſe amplius obligatum ad illum ſervandum, poſtquam ipſe Huſſius e Concilio fugit, ac fuga retractus cuſtodiæ mancipatus eſt. Dederat enim ille ſalvumconductum Jure communi contra vim injuſtam; non Jure ſpeciali contra vim omnem juſtam, & injuſtam. Citavit autem Concilium Hieronymum Pragenſem oblato ſalvoconductu, ſed cum hac clauſula, *ſalva ſemper juſtitia*, quæ quidem nequaquam violata eſt, cum per fugam expiraſſet ſalvuſconductus, & Leges Imperatoriæ in hæreticos pertinaces pœnam capitis decernant, uti videre eſt in Lege, *Quicumque*, Cod. *De hæreticis*. Quare nihil egit Synodus hæc contra fidem datam, ut mirum ſit, quoſdam qui vulgi ſemper ſermone loquuntur, violationem fidei hæreticis non ſervatæ a Synodo, pro re conſtanti habere, non lectis hujus Concilii Seſſionibus, aut Decretis. Inter ceteros præſtantiſſimus Theologus Martinus Becanus calumniam hanc Conſtantienſi Synodo impoſitam diſerte refellit in Manuali Controverſiarum, Capite, *De fide hæreticis ſervanda*.

LXV. Statutum eſt etiam, ut omnes & ſinguli Beneficiarii huic Concilio præſentes, fructus ſuorum Beneficiorum perciperent, ac ſi in iis reſiderent; itemque, ut de Proviſionibus ad Patriarchales, Metropolitanas, & alias Eccleſias a Joanne olim Papa XXIII. ante ſuſpenſionem illius factis, ſub nomine, & ſigillo Synodi Litteræ concederentur. Edita præterea eſt in eadem Seſſione Conſtitutio in favorem ſtrictioris obſervantiæ apud Fratres Minores Provinciarum Franciæ, Burgundiæ, ac Turonenſis, promovendæ, & confirmatæ ſunt denique Conſtitutiones Friderici II. & Caroli IV. Imperatorum circa libertatem, & immunitatem perſonarum, locorum, & bonorum Eccleſiaſticorum cum aliis multis ſuperadditis ad ea ſpectantibus ex diverſis Romanorum Pontificum, & Conciliorum Statutis.

SESSIO XX.

LXVI. Seſſione vigeſima, quæ celebrata eſt die 1. Novembris, ſupplicante Gregorio Tridentino Epiſcopo, decretum eſt Monitorium contra Fridericum Auſtriæ Ducem, qui bona, juraque Eccleſiæ Tridentinæ invaſerat. Contra quod nihilominus Procurator prædicti Ducis proteſtatus eſt de nullitate ejus, & appellando petiit inſtrumentum. Porro die XXI. Novembris anni MCDXV. uſque ad diem penultimam menſis Maji anni MCDXVI. nulla habita eſt Seſſio; lente enim, uti poſt alios notat Pagius, omnia procedebant, quia expectabatur Hiſpanorum acceſſus, & Sigiſmundi Auguſti reditus, qui tantum exeunte Februario anno MCDXVII. Conſtantiam advenit; ideoque prius deſcribendæ ſunt quædam Seſſiones anno MCDXVI. celebratæ, & ſubtractiones Hiſpanorum ab obedientia Benedicti XIII. ſive potius Petri de Luna.

LXVII. Ergo die XXX. Januarii anno MCDXVI. Congregatio Generalis in majori Conſtantienſi Eccleſia celebrata eſt, in qua Legatorum ad Petrum de Luna, & ad Ferdinandum Aragonum Regem miſſorum audita eſt relatio facta a Jacobo Archiepiſcopo Turonenſi uno ex prædictis Nunciis; tum Capitula inter Sigiſmundum Auguſtum, & Legatos Concilii ex una parte; & Regum ac Principum Petro de Luna adhærentium ex altera anno ſuperiori, ideſt, MCDXV. die XIII. Decembris Narbonæ concordata, propoſita ſunt, & in altera Congregatione die quarta Februarii anni MCDXVI. communi Patrum conſenſu approbata; cum juramento ſcilicet præſtito a Cardinalibus & Prælatis ad pectora ſua, a ceteris vero ad ſancta Evangelia. Approbarunt autem, & juraverunt ea Capitula fideliter obſervare Cardinales numero XX. Patriarchæ duo, Conſtantinopolitanus, & Antiochenus, ac ceteri, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Nuncii Regum ac Principum, & Procuratores Epiſcoporum abſentium, Univerſitatum, & Ordinum, atque Eccleſiarum particularium, & Capitulorum quotquot tunc Conſtantiæ erant, cum plurimi Epiſcopi ex abſentia Sigiſmundi Auguſti occaſionem ſumſiſſent ſuas Eccleſias viſitandi.

LXVIII. In ipſis XII. Capitulis, quæ a Raynaldo, Spondano, & ab aliis referuntur, ſtatuta hæc quidem fuerunt. I. ut a Patribus Conſtantientibus fieret nova convocatio Regum, & Prælatorum obedientiæ Benedicti XIII. Conſtantiæ infra tres menſes ſiſtendorum, ita tamen ut Litteræ convocationis Regibus, & per ipſos Prælatis mitterentur. II. nequid in eo Concilio tractaretur de rebus eoſdem Reges, aut Prælatos, ceteroſque obedientiæ prædictæ ſpectantibus, ſed tantum de extinctione Schiſmatis, & Eccleſiæ unione. III. ut quicumque eorum ad Concilium accederent, ſtatim in ejus reciperentur conſeſſum, quemadmodum aliarum obedientiarum ſuſcepti fuerant Antiſtites, & per Concilium ſic unitum contra Benedictum Pontificatui pure & libere renuntiare nolentem ageretur. IV. ut om-

nes Cenſuræ, & Sententiæ latæ contra Reges, Principes, Academias, & quaſvis perſonas obedientiæ Benedicti XIII. per Gregorium XII. & Joannem XXIII. eorumque Prædeceſſores, & per Concilium Piſanum a tempore exorti Schiſmatis abolerentur, imo & contra Benedictum ipſum, ſi pure, & libere cederet. V. ut confirmarentur collationes omnes a Benedicto factæ, gratiæque ab illo conceſſæ in ſua obedientia. VI. ut Cardinales Benedicti venientes ad Concilium admitterentur cum aliis ad electionem novi Pontificis. VII. ut Miniſtri Romanæ Curiæ a Benedicto conſtituti non deponerentur, dummodo illi non adhærerent facta ſubtractione. VIII. ut, ſi Benedictus ante abdicationem obiret, non eſſet alius Pontifex, quam qui a Concilio eligeretur. IX. ut provideretur ſuper Titulis Cardinalium, ad quos duo, vel plures ex diverſis obedientiis fuiſſent nominati. X. ut Benedicto ad Concilium ire volenti, aliiſque ex ipſius obedientia, provideretur de ſalvoconductu Regum, ac Principum per quorum ditiones tranſituri eſſent. XI. ut conventa utrinque juramento firmarentur, & a ſingulis Conſtantienſis Concilii Patribus, ac Principum Oratoribus probarentur. XII. ut conventorum inſtrumenta cuilibet parti traderentur.

LXIX. Hæc ſunt Concordata, quorum jam ſupra meminimus in Seſſione XVI. quæ in citata Generali Congregatione Conſtantienſi lecta ſunt. Quia primo capitulo cautum eſt, ut Letteræ convocationis a Concilio dirigerentur ad Reges, & per ipſos diſtribuerentur Prælatis in ipſorum Regnis conſtitutis, Joannes de Opizis Decretorum Doctor, atque Concilii Orator deſcribi curavit ſexaginta, ſcilicet pro Rege Aragonum viginti, totidemque pro Rege Caſtellæ, decem pro Rege Navarræ, quinque pro Comite Fuxenſi, & totidem pro Armeniacenſi. Exemplar harum Litterarum pro Rege Aragoniæ refert Raynaldus ad annum MCDXVI. Num. VI. Sed errorem eſſe in data illarum putat Pagius, non enim III. *Nonas Februarii*, ut Litteræ ipſæ habent, ſed pridie Nonas Februarii, ſeu II. Nonas Februarii, legendum eſſe inquit, quia ſcilicet Patres pro ipſorum Capitulorum approbatione, eorumque obſervatione congregati fuerunt die tantum quarta Februarii anni MCDXVI. uti ſuperius dictum eſt. Ait porro Raynaldus, ſe eas Litteras deſcripſiſſe ex Actis mſs. Concilii Conſtantienſis poſt Seſſionem XXI. & extare in Actis editis Concilii, Seſſione XXII. ubi revera extant, ſed ibi dicuntur datæ *ſecundo Nonas Februarii*, & referuntur integræ, non vero mutilæ, ut apud Raynaldum, qui, ut idem Pagius notat, ferc ſemper inſtrumenta in neceſſariis mutila refert.

LXX. At vero tam obſtinatus fuit animus Petri de Luna ad retinendum Pontificatum, ut Valla in Vita Ferdinandi Aragoniæ Regis, & poſt eum Mariana Lib. X. Cap. VII. ac alii referant, cum in Conventu Perpinianenſi quamvis conſtitutum in ætate LXX. annorum, cunctis, qui aderant audiendo defatigatis, ſeptem continuis horis probare niſum, ſe verum Papam eſſe, tum, ſi renunciandum ob commune commodum foret, in ſe uno, nonnulliſque Romanis Canonicis, quos ipſe nuncupaſſet, conſiſtere Summi Romani Pontificis electionem; quod unus ipſe omnium eſſet indubitatus Cardinalis, & ab indubitato Papa, ſcilicet Gregorio XI. creatus, cum ceteri qui ſe eodem nomine appellarent, creati eſſent tempore Schiſmatis; ideoque incertum eſſet, an veri eſſent Cardinales, & ob id an rite eligere Summum Pontificem poſſent. Sed cum omnes ejus cavillationes, & reſponſiones diligenter jam apertæ, & confutatæ fuiſſent, Ferdinandus Aragoniæ Rex ſentiens ſe ad mortem ex morbo ſontico tendere, nec unionem Eccleſiæ quoad ſe imperfectam relinquere volens, auctore præcipuo conſilii S. Vincentio Ferrerio, qui Benedicti auctoritatem antea ſequutus fuerat, principio anni MCDXVI. ipſa die Epiphaniæ Benedictum rurſum monitum, & reluctantem omnino deſerens, publico Edicto Perpiniani promulgato, quod & apud Labbeum legitur, in quo quæ ipſe cum illo, aliique egiſſent, ejuſdemque obſtinatum in Schiſmate animum narrabat, ac damnabat, vetuit, ne quiſquam ſuorum ſubditorum cujuſcumque conditionis, aut dignitatis eum amplius ut Papam agnoſceret, aut ei ut tali obſequeretur; utque omnes Eccleſiaſtici majores ac minores eo derelicto ad Eccleſias ſuas ſe reciperent, ſub pœna amiſſionis redituum, fructuum, officiorum. & dignitatum quarumcumque.

LXXI. Hanc ſubtractionem idem ipſe S. Vincentius ibidem Perpiniani coram Rege infirmo, ejuſque filio primogenito Alphonſo, multa nobilitate, & ingenti populi multitudine, Sermone facto, legit ac promulgavit, laudaturque iccirco quammaxime a Joanne Gerſonio, qui a Concilio Conſtantienſi Epiſtola ad eum ſcripſit, cujus hæc ſunt initio verba: *Nominatiſſimo Doctori, & Prædicatori zelanti ſalutem animarum Magiſtro Vincentio de Ordine FF. Prædicatorum Patri meo in Chriſto charitate dilectiſſimo Joannes de Gerſon*. Tenor autem Epiſtolæ hic eſt: *Tanta de virtutibus tuis, Doctor egregie, fama referente crebrius accepi, tanta ſpecialiter in collocutione familiari cum Reverendo Patre Domino Generali tui Ordinis Prædicatorum agnovi, ut mihi videaris recte figuratus ſecundum nomen tuum per illud Apocalypſis*: Vidi, & ecce equus, & qui ſedebat ſuper illum, habebat arcum, & data eſt ei corona, & exiit vincens, ut vinceret, *Exiſti quidem, ut vinceres, o Vincenti glorioſe, ſed quales tu vinceres, qua ratione, quibus armis, quo apparatu bellico, quali arcu tu tandem ipſe coronatus triumphares? Reſpondet ille, cujus es imitator, Paulus dicens*, Arma militiæ noſtræ non eſſe carnalia, *cum reliquis ſimilibus, qualia melius ipſe noſti ..... Reddunt tuæ charitati, tuoque zelo pacis Eccleſiaſticæ teſtimonium hoc inſigne, hoc celeberrimum præconium, quod inclyto Aragonum Regno numquam fuiſſent concordata pacis capitula, numquam ſubtractio, quæ tam viriliter, & tam legitime facta eſt ab illo, nimis, proh dolor! erga matrem Eccleſiam obdurato Petro de Luna, fuiſſet obtenta, ſi non auctoritatis tuæ pondus, & conſilii robur addidiſſes: cujus favoris tam egregii Nos ipſi Sacro Concilio præſentes, deſideratiſſimæ pacis annis jam fere XL. miſerabiliter exulantis fructuum & reditum proximum expectamus*. Hactenus Gerſonius in Epiſtola ad Sanctum Vincentium Ferrerium data.

LXXII. Quo tempore Alphonſi Aragoniæ Regis Oratores Conſtantiam ad Concilium acceſſerint, opportuniori loco infra dicemus; nunc illud ſciendum, quod licet idem S. Vincentius operam etiam omnem ſuam navaſſet, ut Reges Caſtellæ, & Navarræ a Petro de Luna ſe ſub-

tra-

traherent, & ſubtractionem in ſuis ditionibus publicarent; diſtulerunt tamen memorati Reges id exequi. Nam quamvis Joannis Caſtellæ Regis nomine, quia ſub prædicti Ferdinandi Aragonii Patrui, matriſque Catharinæ tutela adhuc puer agebat, die XV. Januarii Edictum ſubtractionis a Petri de Luna obedientia in ejus Regnis promulgatum fuerit, nihilominus Archiepiſcopi Toletanus & Hiſpalenſis cum nonnullis Prælatis Caſtellæ & Legionis non tam cito Edictis Regiis obtemperarunt, quod dicerent, Ferdinandum, minis & terroribus a Sigiſmundo Romanorum Rege, & Carolo Francorum, aliiſque Regibus, bellum ei terra marique minantibus, inductum fuiſſe. His acceſſit, quod cum in Regno Caſtellæ multi eſſent Petri de Luna beneficio devincti, & Ferdinandus Aragoniæ Rex obiiſſet die ſecunda Aprilis, vulgus ejus conſilii accuſandi occaſionem ſumſit; ex quo factum eſt, ut Caſtellæ Regnum in fide Benedicti XIII. aliquandiu ſteterit. Quomodo vero & ipſe Caſtellæ Rex eum deſeruerit, dicemus infra ſuo loco.

LXXIII. Sed, ut poſt Raynaldum, alioſque Scriptores Pagius notat, prædicti Archiepiſcopi, & Prælati Caſtellæ & Legionis inducti profecto fuerant a Petro ipſo de Luna, qui Ferdinandi deliberatione perculſus, ſibi adhærentibus Paniſcolæ convocatis, multiſque in ſui excuſationem, & adverſariorum accuſationem prolatis, ſe verum, ac legitimum Pontificem aſſeruit, & velle quoad viveret jura ſuæ dignitatis pro viribus tueri, proinde rogare, ne ipſum deſererent; qui vero id facerent, ab Eccleſiæ communione ejectos, dignitatibuſque omnibus, etiamque Regia, Cardinalitia, Patriarchali, Archiepiſcopali, & quacumque alia exutos ſe eſſe ſcirent; ſpeciatim vero Ferdinandum Aragoniæ Regem Regno privatum declaravit, & anathemate percuſſit. Ceterum mortuo, uti jam dictum ſuperius fuit, Ferdinando Aragoniæ Rege die ſecunda menſis Aprilis, ætatis ſuæ quadrageſimo tertio, ſucceſſit in ejus locum primogenitus illius Alphonſus virtutibus & ipſe inſignis, ac litteris eruditus, cognomento, *Magnanimus*, qui cum initio Regni ſui a nonnullis ſuaderetur obedientiam Benedicto XIII. reſtituere, negavit omnino, quæ prudenter geſta fuiſſent, inconſiderate mutare, miſitque Oratores ſuos Conſtantiam.

### SESSIO XXI.

*Hieronymi Pragenſis damnatio, & ſupplicium.*

LXXIV. His notatis, ut ad Seſſiones Concilii redeam, celebrata eſt die XXX. Maji Seſſio vigeſimaprima, in qua Hieronymus de Praga in hæreſim, quam ejuraverat tum alibi tum Seſſione XIX. uti ibidem notatum fuit, iterum relapſus, damnatus eſt, & poteſtati ſeculari relictus, poſt degradationem fieri ſolitam tandem combuſtus eſt. Res ita ſe habuit. Poſt Orationem ab Epiſcopo Laudenſi habitam, quam apud Cochlæum Lib. III. *Hiſtoriæ Huſſitarum*, legere eſt, lata fuit in ipſum Hieronymum damnationis ſententia, qua ipſum Sancta Synodus *hæreticum & in hæreſim relapſum, excommunicatum, anathematizatum pronuntiavit, & declaravit, atque damnavit.* Lata ſententia poteſtati ſeculari traditus, & ipſa die combuſtus eſt, non minoribus adulterinæ pietatis datis indiciis, quam Joannes Huſs dederat. De utriuſque ſupplicio Æneas Sylvius poſtea Papa ſub nomine Pii II. in Hiſtoria Bohemica, Cap. XXXVI. ita ſcribit: *Pertulerunt ambo conſtanti animo necem, & quaſi ad epulas invitati, ad incendium properarunt, nullam emittentes vocem, quæ miſeri animi poſſet facere indicium. Ubi ardere cœperunt, Hymnum cecinere, quem vix flamma, & fragor ignis intercipere potuit. Nemo Philoſophorum tam forti animo mortem pertuliſſe traditur, quam iſti incendium.* Refert præterea, Hieronymi cineres æque ac Joannis Huſſii in profluentem jactos fuiſſe, diſcipuloſque ejus terram ad venerationem abſtuliſſe, in qua ignis fuit, & utrumque apud Hæreticos Bohemos Martyrum honores meruiſſe, nec minores, quam apud Romanos Petrum, & Paulum Apoſtolos habitos eſſe. Cochlæus autem Libro IV. *Hiſtoriæ Huſſitarum*, & illud tradit, dies feſtos quotannis in eorum memoriam decretos fuiſſe.

LXXV. De morte iſtius Hieronymi Pragenſis elegantem Epiſtolam ad Leonardum Aretinum ſcripſit Poggius Florentinus datam *Conſtantiæ III. Kalendas Junii, qua die hic Hieronymus hæreſis pœnas luit*; in eaque Epiſtola commendare nimis videtur hæretici conſtantiam; quamobrem ad ipſum reſcribens Aretinus, eundem prudenter carpit, ſic inter alia inquiens. *Nudius tertius exemplum habuimus litterarum tuarum a Barbaro miſſum de Hieronymi ſupplicio; tu illi tamen plus tribuere videris, quam ego vellem, etſi judicium tuum ſæpe purgas .... ego cautius hiſce de rebus ſcribendum puto.* Sane verum eſt, Poggium in ea Epiſtola deſcribentem quam præfidenti animo Hieronymus ignem pertulerit, eidem tribuiſſe immenſas laudes, ſed eas ipſi tribuit uti Philoſopho, non uti Chriſti Martyri, quas idem Cochlæus diligenter expendit, & quam fuerit Hieronymus ipſo etiam Joanne Huſs noxior, atque in fide periculoſior, abunde oſtendit. Sed & Theodoricus Niemus, qui tunc Conſtantiæ aderat, licet Pontificum Romanorum virulentiſſimus inſectator, depingit tamen ipſum Hieronymum, magnum, & craſſum, ſatis eloquentem, ſed imprudentem, inſignemque & pertinacem hæreticum, in vita & morte præſumptione diabolica, & damnabili perſeverantem. Porro hæreticus Auctor Belli Huſſitici, ipſum Hieronymum damnationis tempore vaticinatum fuiſſe ſcribit his verbis: *Ad juſtiſſimum JeſuChriſti Tribunal appello, ut centeſimo ab hinc anno mihi ad hæc reſpondeatis.* Quidam ſimilia ab Huſs cippum Septentrionem verſus vidente his verbis prædicta aſſerunt: *Hodie anſerem aſſatis, centum ab hinc annis niveus Cygnus veniet, quem occidere non valebitis*; idque vaticinium in Luthero impletum ajunt. Verum hujuſmodi vaticinia falſa eſſe probat ſilentium coævorum Scriptorum, Poggii, Æneæ Sylvii, & inter alios Huſſitæ hiſtorici, qui Vitam Joannis Huſs initio ejus Operum editam ſcripſit, & Relationem de illius, & Hieronymi Pragenſis morte, quæ in fine eorundem Operum editæ ſunt. Jam non deſunt hæretici Conſtantienſem Synodum calumniantes de Litteris ſalviconductus Joanni Huſs, & Hieronymo Pragenſi datis contra fidem publicam violatis: ſed hanc calumniam egregie diluunt Bellarminus, Raynaldus, Spondanus, & inter alios Natalis Alexander in Hiſtoriam Eccleſiaſticam Seculi XV. & XVI. Diſſertatione VII. per totam.

LXXVI. Poſt Seſſionem vigeſimamprimam, die ultima Maji in majori Eccleſia Conſtantienſi publicum Edictum datum eſt, quo vocati ſunt Præſules, qui nondum Conſtantiam acceſſerant,



Digitized by Google

rogatique Principes, ut Oratores mitterent, Hiſpanis proximo tempore Coucilio adgregandis, ferretur ſeutentia ad gradu pellendum Petrum de Luua. Refert Edictum ipſum Raynaldns ad annum MCDXVI. Num. XXIII. ex Actia mſs. Concilii, *datum Conſtantiæ* II. *Kal. Junii, anno a Nativitate Domini MCDXVI. Apoſtolica Sede vacante*. Nulla poſt hæc facta eſt Seſſio uſque ad diem XV. menſis Octobris, ſed plures Congregationes Generales celebratæ ſunt, quas ex eiſdem pariter Actis recenſet idem Raynaldua Num. XXIV. & ſeqq. Jam non multa erat differeutia inter dictas Generales Congregationes omnium Nationum, & Seſſiones, quæ fieri quidem ſolitæ erant cum msgnis ſolemnitatibus, & Officio Divino; in Cougregationibus enim Generalibus uon modo ſolemnitates ipſæ omittebantur, quæ ad Seſſiouem publicam requirebantur, ſed & Officium Divinum, uti videre eſt apud Labbeum in Actis Coucilii Conſtantienſis, ubi legitur, die XX. menſis Februarii factam ſuiſſe Congregationem Generalem, ſed *ſine ſolemnitatibus Seſſionis, videlicet Officiorum Miſſæ, Litaniarum, & aliarum Orationum ad Seſſiones Synodales* pertinentium. Porro modus in publica Conciliornm Generalium Seſſione obſervandus, ſervatuſque iu ipſo Conſtantienſi Concilio videri apud laudatum Labbeum poteſt; de eaque re nonnihil jam diximus noa Tomo I. Conciliorum in Prolegomenis.

LXXVII. Ergo die tertio Junii eoacta eſt ſolemnis Congregatio, cui Regum, Romanorum, Galliarum, Angliæ, Aragonum, Neapolitani, Cypri, Poloniæ, Norvegiæ, Daniæ, & Sveciæ Oratores interſuiſſe ſcribit Raynaldus; quem tamen ſine dubio ſalli quoad Oratores Regis Aragoniæ, qui ipſos, non niſi poſt diem decimum Juuii miſit Conſtantiam, uotat Pagius, probatque ex Litteris quas per eoſdem Oratores sd Coneilinm prædictus Rex ſcripſit, excuſans ſe de tardiore ad Synodum acceſſu Oratorum ſuorum. Hæ quippe Litteræ datæ ſunt die X. Junii, ideoque ipſi Oratores Regis Aragoniæ die III. nondum Conſtantiam advenerant. In illa Congregatioue Bohemi, & Moravi illi, qui Joanuem Huſs innocentem publicis litteris prædicaraut, poſtulati hæreſeos apud Conſtantienſis Synodi ſubſellia, cum tempore conſtituto non comparuiſſeut, contumaciæ damnati ſuere, debitiſque pœnis affecti. Lectæ ſunt deiude Sigiſmundi Auguſti Litteræ, quibus celeris reditus ſpem dabat. Aliæ poſtea Joannis Naſſovii Archiepiſcopi Moguutini recitatæ ſunt Litteræ, quibus querebatur delatum apud Imperatorem ab obtrectatoribus ſuiſſe, ipſum in Eccleſiam Romanam, atque in Imperium conjuraſſe.

LXXVIII. Luſitaniæ Regis Oratores die prima Junii Conſtantiam ingreſſos eſſe ſcribit Theodoricua Noemus, qui Conſtantiæ aderat. Acta vero Cerretana addunt, eos in publico Patrum conſeſſu Regem ſuum in poteſtate Coucilii eſſe, & ſorte, renunciaſſe, a quibus non diſcrepant Acta mſs. a Raynaldo laudata, in quibus legitur, ipſos ad Congregationem generalem accedentes elegantem in iſtins Principis laudem, & commendationem Orationem habuiſſe. Die XXVII. Junii ſolemnibus initis Patrum cœtibus Guilielmi Argentinenſis Epiſcopi electi cauſa diſceptata eſt, deque eonciliandis cum eo Argentinenſibus actum, quod factum eſſe poſtea ſorſau in Seſſione XXXI. refert Spondanus ad annum MCDXVII. Num. III. ex Hiſtoria Scriptorum Argentinenſium Guillilmanni, in qua in Epiſcopo LXVIII. legitur, cognitam quoque iu Synodo ſuiſſe cauſam Guillelmi, qui qunm multo tempore cum Capitulo Eccleſiæ ſuæ, & Magiſtratu Civitatis coutendiſſet, & mnltas iis calamitatea maximo etiam ſuo damno intuliſſet, demum ab iis proditorie captus, & cuſtodiæ traditus eſt. Cumque vix poſt diverſas Synodi juſſioues permitti potuiſſet, ut Conſtantiam pro ſuæ cauſæ apud Patres diſceptatione remitteretur, toto ſere anuo iu contentione inter partes peracto, taudem Concilii Decreto, & Sigiſmundi Auguſti, quia in Epiſcopum, & Romani Imperii Principem manus injicere auſi eſſent Argentinenſes, communione interclusi ſuut & Imperiali proſcriptione damuati. Quare Argentinenſes pejora ſibi a Guillelmo Epiſcopo, & aliis vicinis prætextu proſcriptionis timentea, pecunia tranſigere optimum ſactu rati, ſex florenorum millla Cameræ Apoſtolicæ miſerunt, & multo majorem ſummam Sigiſmundo, ut Guillelmus iu Epiſcopatum remitteretur, & omnium controverſiarum oblivio fieret; ita ut quem omnibus ſtudiis & operibus paulo ante ejectum, & profligatum volnerant, jam immenſo etiam pretio eundem ut retinere poſſent, pepigerint.

LXXIX. Die quarta Julii celebrata eſt alia Congregatio generalis, in qua lectæ ſunt memoratæ Alphonſi Aragoniæ Regis Litteræ datæ die X. Junii, quarum partem recenſent Raynaldus, Spondanus, Pagius, ac alii. Die XVIII. Julii privatæ tantum cauſæ agitatæ ſunt. Quarta vero die menſis Septembris, coacto ſacro Patrum Senatu, nonnullorum Bohemiæ, & Moraviæ Procerum Joanuis Wiclefi, & Joannis Huſs lue infectorum, de quibus in generali Congregatione diei III. Junii actum ſuerat, contumacia a cauſarum Concilii Actoribus accuſata eſt, ac repetita omnia in eos geſta, & confecta publics monumenta lecta: renunciati deinde ex omnibus Nationibus ſuere Judices, qui eam cauſam cognoſcerent. Habitæ præterea ſunt aliæ Congregationes, nempe die X. Septembris, die XVI. & die XIX. ejuſdem menſis, quæ in Actis Concilii apud Labbeum, & apud Raynaldum legi poſſunt.

S E S S I O XXII.

LXXX. Celebrata eſt tandem Seſſio vigeſimaſecunda die XV. Octohris, in qua cum Oratores Joannæ Regiuæ Jeruſalem & Siciliæ, qui non ita pridem advenerant, requiſiti ſuiſſent, locum quem in conſeſſu tenebaut, cedere Oratoribus brevi venturis Regia Caſtellæ, & ad partem ſiuiſtram tranſire, ſeſſuri immediate poſt Oratores Regis Angliæ: decrevit Syuodus, ſi ſorte alii veuirent, qui locum occuparent, quem modo ipſi deſererent, nullum inde iis, ſicut nec aliis quibuſcumque præjudium ſore ex loco, & ordine Seſſionum, aut Proceſſionum. Poſtea Aragoniæ Regis Oratores uniti ſunt Synodo, & locati iu eodem ſcamuo inter medios Oratores Regis Francorum alteruo ordine, ita ut primus Joannes Gerſouins Cancellarins Eccleſiæ Pariſieuſis Orator Regis Francorum ſederet, & poſt eum Comes Cardonæ Orator Regis Aragoniæ, & ceteri ſic intermixti; quod pacis ſtudio ſactum Oratores Galli in Syuodo denunciarunt, ue inde jus aliquod dignitatis ſibi Aragouius vindicaret. Ex Indulgentia etiam Synodi, ac ſingulari privilegio, pro bouo pacis, & pro hac tantum vice

con-

conceſſum, ut tam eorumdem Oratorum Aragoniæ, quam Luſitaniæ, & Caſtellæ, atque Navarræ, cnm adveniſſent, tanta eſſet ſuffragiorum auctoritas, quanta foret omnium Epiſcoporum ſuorum Regnorum, ſi adeſſent; eoque modo conſtitutæ ſunt voces, ſeu ſuffragia quinque Nationum, addita Hiſpanica, cum hactenus fuiſſent tantummodo quatuor. Sed quia Luſitaniæ Regis Oratores conqneſti ſunt de hac prærogativa Aragoniis conceſſa, revocata eſt poſtea, ut dicetur infra Seſſione XXXVIII.

SESSIO XXIII. ET XXIV.

*De Petro de Luna, & citatione adverſus illum lecta.*

LXXXI. Seſſione vigeſimatertia habita die v. Novembris conſtitnti ſunt duodecim Judices Commiſſarii, duo videlicet Cardinales, Patriarcha Conſtantinopolitanus, duo Epiſcopi, ſeptem alii Doctores ad decernendum & dijudicandum, qua ratione contra Petrnm de Luna, ſeu Benedictum XIII. uſque ad perfectam Schiſmatis extirpationem procedendum eſſet, qui Schiſma nutriturns ad unum terrarum angulum in Caſtro munitiſſimo Paniſcolæ in litore maris, ubi ad eum non eſſet tutns acceſſus, ſe recluſerat. Habita eſt ab Ardecino Conſiſtorialium cauſarnm patrono Oratio in hæc verba: *Miſeremini mei ſaltem vos amici mei*; & inducta Eccleſia, quæ Patres hortabatur, ad diuturnum Schiſma, qno vexata fuerat, diſſipandnm, ut legitur in Actis mſs. a Raynaldo allatis, in quibus etiam habetur, Aragonios in eadem Seſſione conteſtatos fuiſſe, non debere Anglos eo privilegio potiri, ut unam Nationem conſtituerent, uniuſque Nationis auctoritate in Concilio excellerent, eamque litem auxere poſtea etiam Galli in Seſſione XXVIII. At Angliæ Oratores, ut priſtinum ordinem dignitatis tenerent, plura in Seſſione XXXI. ad ſnæ Nationis commendationem attulerunt, ut apud Raynaldum ipſum, ac Pagium videre eſt. Seſſione vigeſimaquarta, qnæ habita fnit die XXVIII. Novembris, Stephanus Epiſcopns Dolenſis, jubente Synodo, legit citationem contra Petrum de Luna, ſive Benedictum XIII. ut ad centeſimum diem Conſtantiæ coram Œcumenica Synodo ſe ſiſteret, vel ad ſeptuageſimnm ab intimatione eidem ipſi facienda, ſi liber ad eum pateret acceſſus, vel in Eccleſia Dertuſenſi, cui Paniſcolæ Oppidum ſuberat, aut in aliqua alia illius Diœceſis promulganda.

SESSIO XXV. ET XXVI.

LXXXII. Seſſione vigeſimaquinta celebrata die XIV. Decembris, Petrus Cardinalis de Fuxo Ordinis Minorum creatus olim a Benedicto XIII. Presbyter Cardinalis S. Stephani in Cœlio monte anno ætatis ſuæ XXII. Sancius Olorenſis Epiſcopus, & Bernardus Adurenſis, Oratores Fuxenſis Comitis, petentes uniri Synodo, admiſſi ſunt eo modo, quo antea Aragonenſes. Obſervat Spondanus, atque ex eo Pagius, quod cum Seſſione XXVIII. reperiatur Petrus Epiſcopus Olorenſis, quem Pamphilus in Chronicis Eremitarum S. Auguſtini ait fuiſſe ejuſdem Ordinis, neceſſe eſt, Schiſma fuiſſe in ea Eccleſia, uti & in quampluriniis aliis eo tempore Schiſmatis generalis, & hunc quidem Sancium Fuxenſis Comitis Oratorem fuiſſe a Benedicto XIII. conſtitutum, Petrum vero ab aliquo ex Pontificibus in Italia ſedentibus. In eadem Seſſione XXV. Olomucenſis Eccleſiæ in Regno Bohemiæ, & Marchionatu Moraviæ vacantis per obitum Wenceſlai Patriarchæ Antiocheni, qui auctoritate Apoſtolica eam habebat in Commendam, in ſpiritualibus, & temporalibus, adminiſtratio Joanni Epiſcopo Luzomuſſenſi commendata eſt uſque ad electionem futuri Summi Pontificis, & ex poſt ad tres menſes immediate ſeqnentes. Seſſione vigeſimaſexta habita die XXIV. Decembris, eſtque ultima anni MCDXVI. Regis Navarræ Oratores ad Concilium ſunt admiſſi, ſervato eodem modo, & ordine, qui in unione Oratorum Regis Aragoniæ fuerat ſervatus. Ad pacem autem inter Nationes ſovendam decretum eſt, nihil omnino excellentiæ, ſeu præeminentiæ, aut cujuſcumque alterius juris, aut poſſeſſionis cuiquam Nationi accreſcere, vel decreſcere ex loco Seſſionis, reſponſionis, ſubſcriptionis, & aliis hnjuſmodi, quæ prioritatem, vel poſterioritatem inducere poſſent.

SESSIO XXVII. ET XXVIII.

LXXXIII. Seſſio vigeſimaſeptima celebrata eſt die XX. Februarii anni MCDXVII. Præſide Joanne Epiſcopo Cardinale Oſtienſi, in eaque Commiſſarii Tridentinæ Eccleſiæ a Concilio deputati de Monitorio contra Fridericum Auſtriæ Ducem, de quo ſupra in Seſſione XX. dictum fuit, bonorum ejuſdem Eccleſiæ invaſorem Decreti executione relatione facta, ejuſdem contumaciam accuſarunt. Cumque poſt hæc Sigiſmundus Imperator poſt multos exantlatos labores pro Eccleſiæ unione adveniſſet Conſtantiam, die tertia Martii celebrata eſt eandem in rem Seſſio vigeſima octava, Præſide eodem Joanne Cardinale Oſtienſi, & præſente Sigiſmundo, in qua Synodus lata Sententia decrevit, Fridericum Auſtriæ Ducem, ob vexationem Georgii Tridentini Epiſcopi, ejuſdemque Eccleſiæ, & Oppidorum, Caſtrornm, villarum, bonorum, & jurium ad eam pertinentium occupationem, invaſionem, ac detentionem, & ob violatum juramentnm, qno in Sigiſmundi Auguſti judicio ſuper Tridentini Epiſcopi querelis acquietnrum ſe promiſerat, anathematis, & ſacrilegii vinculis innodatum, perjuriique reum, necnon pœnas privationis, & inhabilitationis in Carolina Conſtitutione contentas incurriſſe, ejuſque complices, & fautores iiſdem pœnis ſubjacere, eorumque loca Eccleſiaſtico ſuppoſuit Interdicto, quouſque ſatisfeciſſent, & abſoluti fuiſſent. Execntionem vero Sententiæ Sigiſmundo Auguſto demandavit, ceterorumque etiam Principum auxilium invocavit.

SESSIO XXIX. ET XXX.

LXXXIV. Seſſione vigeſimanona habita die VIII. menſis Martii, centeſimo nempe die a citatione contra Petrum de Luna, ſive Benedictnm XIII. decreta in Seſſione XXIV. Promotores, & Notarii adverſus eumdem nominati fuere; accuſata eſt ejus contumacia, & publica Inſtrumenta ea de re confecta. Tum ſeqnenti Seſſione trigeſima, quæ celebrata eſt die X. Martii, auditi ſunt Nuncii, ſeu Oratores, qui a Concilio miſſi fuerant ad citatum ipſum Petrum de Luna; ſcribitque Raynaldus ad annum MCDXVII. Num. IV. ex Actis mſs. hujus Conſtantienſis Concilii, Lambertnm, ac Bernardum, Concilii Oratores die XXI. Januarii tradidiſſe Petro ipſi de Luna libellum citationis pendente ex eo Bulla, in cujus parte altera Capita Apoſtolorum Petri & Pauli expreſſa erant, in altera vero effictæ Claves, diemque illi ſeptuageſimum peremtorium

rium indixiſſe, quo decretoria in ipſum Sententia de Schiſmate, & hæreſi ferenda erat; ad quæ additis plurimis verborum fucis reſpondit, uti conſueverat, Pontificem Concilio non ſubeſſe; hæreſeos vero crimen ita eluere conatus eſt, ementiens ſe opinionem ſuam Eccleſiæ Catholicæ ſententiæ ſubjacere. Subjunxit, congregatos Conſtantiæ, nec Synodum Generalem, nec univerſalem Eccleſiam repræſentare, cum ſint excommunicati, & per conſequens non poſſe juriſdictionem aliquam exercere, *præſertim cum minor in majorem, & maxime in Papam (quem nec Juris auctoritas, nec rationis debitum, nec alicujus obligationis neceſſitas ad hoc arctant) actum imperiaſum exercere non poſſit*. Addidit, conſtare maniſeſte, *quod actu præſidentes in dicta Congregatione*, ſeu in hoc præſenti Concilio Conſtantienſi, *ſunt ſuſpecti*.

LXXXV. Ingeſſit deinde plures in ipſum Concilium Conſtantienſe calumnias, & contumelioſa verba; petiitque, ut primum Piſani Concilii Acta abrogarentur, pollicitus ſe ceſſionem admiſſurum, ea lege ut uni ipſi utpote ante Schiſma a Gregorio XI. Indubitato Pontifice Cardinali renunciato creandi Pontificis jus permitteretur. Propoſuit & aliam de eligendis Compromiſſariis Judicibus viam, qua & Conſtantienſe Concilium diſſolvebat, & in ambages litium, novoſque Schiſmatum fluctus Eccleſiam conjicere moliebatur. Porro tradit Spondanus, Oratores ipſos ad Petrum de Luna a Concilio miſſos, fuiſſe Monachos Cluniacenſis; narratque ex Poggio Pagius, quod cum Petrus de Luna eos ad ſe venientes vidiſſet, dixit: *Synodales corvos audiamus*; alter vero eorum ita ei reſponderit: *Minime mirum videri debet, ſi corvi ad dejectum cadaver accedimus*. Erat enim Petrus, & ætate confectus, & dejectus a Synodo. In eadem tandem Seſſione audita prædictorum Nunciorum relatione, ſubtractionem obedientiæ a Ferdinando Aragonum Rege Petro de Luna factam ſuadente Sancto Vincentio Ferrerio Ordinis inclyti Prædicatorum, approbavit Synodus, ac laudavit; ejuſdemque Petri de Luna Conſtitutionem quandam datam Maſſiliæ apud Sanctum Victorem XIV. Kalendas Junii, Pontificatus ejus anno XIII. tanquam unionis Eccleſiæ obicem nullius eſſe, aut fuiſſe roboris declaravit. Quod autem de S. Vincentio Ferrerio dixi, teſtatur Epiſtola Joannis Gerſonii, quam ſupra deſcripſi.

SESSIO XXXI.

LXXXVI. Seſſione trigeſimaprima celebrata die ultima Martii Monitorium contra Philippum Comitem Virtutum ex familia Vececomitum Mediolanenſium promulgatum eſt, qui Albertum Aſtenſem in Lombardia Epiſcopum vi armata captum in carcerem conjecerat; ut niſi Epiſcopum libertati reſtitueret, ipſe, & ejus complices anathemati, terræque, ac dominia Eccleſiaſtico Interdicto ſubjicerentur. Decretum præterea fuit In ipſa Seſſione XXXI. ut Guillelmus Bajonenſis in Aquitania Epiſcopus in Schiſmate a Petro de Luna conſtitutus, & Concilio præſens, mortuo jam Petro ejus competitore, obedientiæ Joannis XXIII. tanquam verus Epiſcopus a Clero & Populo Bajonenſi agnoſceretur & coleretur; Capituloque ejuſdem Eccleſiæ vetitum, ne ad alterius Præſulis electionem procederet.

SESSIO XXXII. XXXIII. XXXIV. ET XXXV.

LXXXVII. Seſſionibus trigeſima ſecunda, trigeſima tertia, trigeſima quarta, quæ habitæ ſunt diebus prima Aprilis, duodecima Maji, & quinta Junii, Judiciariæ Actiones contra Petrum de Luna continuatæ ſunt, contumax declaratus eſt, Commiſſarii ad teſtes ſuper certis articulis contra ipſum audiendos deputati, de teſtiumque examine relatio ad Synodum facta. In jus iterum vocatus eſt ad dicendum, objiciendum, & proponendum coram Commiſſariis, quicquid dicere, objicere, & proponere vellet contra teſtes in hac cauſa auditos, eorumque dicta, & Inſtrumenta prolata. Cauſæ ſeries coram Synodo recenſita eſt, Inquiſitiones lectæ, omniaque ſecundum Juris apices ad Sententiam proxime ferendam neceſſaria peracta ſunt. Seſſione vero trigeſima quinta celebrata die XVIII. Junii, Regis Caſtellæ & Legionis Oratores inter quos ſpectabilis erat F. Ludovicus de Valle Oleti Dominicanus, Concilio ſunt conjuncti, & Acta in hanc diem contra Petrum de Luna approbarunt, concordataque Narbonenſia, de quibus alias cum ab ipſis, tum a Synodo, eorum reſpectu exequutioni demandata fuerunt.

SESSIO XXXVI. ET XXXVII.

*De Sententia exauctorationis adverſus Petrum de Luna lata.*

LXXXVIII. Seſſione trigeſima ſexta habita die XXII. Julii, peremtoria citatio contra Petrum de Luna publicata eſt, ut die XXVI. ejuſdem menſis in Eccleſia Conſtantienſi ſe ſiſteret, definitivam Synodi Sententiam in cauſa ſua auditurus, Cenſuras, ſententias, & pœnas ab ipſo contra bonum unionis latas, aut decretas eadem Synodus irritas pronuntiavit. Gratias omnes, & Diſpenſationes, & omnia alia ab ipſo in Ditionibus Joannis Regis Caſtellæ & Legionis acta ad diem uſque decimum octavum Junii ultimo præteriti pro bono pacis approbavit, confirmavitque. Seſſione autem immediate ſequenti, nempe trigeſima ſeptima, die XXVI. Julii celebrata, Præſide Joanne Epiſcopo Cardinali Oſtienſi, & præſente Sigiſmundo Auguſto, lata eſt tandem in Petrum ipſum de Luna Benedictum XIII. in ſua obedientia nuncupatum exauctorationis Sententia, tanquam perjurum, univerſalis Eccleſiæ ſcandalizatorem, fautorem, & nutritorem inveterati Schiſmatis, pacis, & unionis Eccleſiæ impeditorem, & turbatorem, ſchiſmaticum, & hæreticum: Articuli Fidei, *Unam Sanctam Eccleſiam Catholicam*, violatorem pertinacem cum ſcandalo Eccleſiæ Dei, incorrigibilem notorium & maniſeſtum; ac omni titulo, gradu, honore indignum, a Deo ejectum & præciſum, omni jure in Pontificatu quomodolibet illi competente privatum, & ab Eccleſia Catholica tanquam membrum aridum præciſum ſacra Synodus pronuntiavit; omneſque Chriſtianos ab ejus obedientia, juramentis, atque obligationibus ipſi quomodolibet præſtitis abſolvit.

LXXXIX. Sententiam adverſus Petrum de Luna, ſeu Benedictum XIII. in hoc Conſtantienſi Concilio latam approbavit deinde, ejuſque memoriam damnavit Senenſis Synodus, de qua loquemur infra in Hiſtoria Concilii Baſileenſis; perſeveranteſque poſt illius obitum quoquo modo in obſervantia, aut quolibet favore ejus obedientiæ, aut ejus Succeſſorum, pœnas, & Cenſuras in dicta Sententia contentas pronunciavit, ſic inquiens: *Hæc Sancta Synodus*, nempe Senenſis, *Sententiam damnationis, & condemnationis*

*tionis in perſonam damnatæ memoriæ Petri de Luna, olim Benedicti XIII. in ſua obedientia nuncupati, ſchiſmatici & hæretici pronunciati per Sacrum Conſtantienſe Concilium, & inhibitionem factam omnibus, & ſingulis Chriſtifidelibus ſub pœnis fautoriæ hæreſis, & Schiſmatis, ac privationis omnium Beneficiorum Dignitatum, & honorum Eccleſiaſticorum, ac mundanorum, & alias pœnas Juris infligendo, ut dicta Sententia præfati Concilii, cujus totum tenorem hic haberi vult, & habet pro ſufficienter expreſſo, latius continetur, ratam, & gratam habens, ejuſque executionem continuare volens, decernit, ſtatuit, & declarat, omnes, & ſingulos poſt obitum dicti Petri de Luna continuantes, ſeu perſeverantes in credulitate, vel obſervantia erroris, & Schiſmatis ejuſdem Petri ſic, ut præmittitur, damnati, vel jus aliquod ab eo in eas directe, vel per indirectum derivaſſe, aut derivari potuiſſe prætendentes, ſeu in vicem ejus ſuccedentes, eorumque receptatores, defenſores, & fautores, cujuſcumque ſtatus, præeminentiæ, vel conditionis exiſtant, etiam Pontificali, Cardinalatus, Imperiali, vel Regali, aut alia quacumque Eccleſiaſtica, vel ſeculari præfulgeant dignitate, omneſque & ſingulos eiſdem conſiliis, auxiliis, vel favoribus aſſiſtentes, vel receptantes, necnon quoſcumque victualia, ſpecies aromaticas, & pannos, ſed & plumbum, pulveres, bombardas, vel arma, ſeu inſtrumenta bellica, ſeu res alias quaſcumque eis adducentes, ſive alia quæcumque negotia, vel commercia publice, vel occulte facientes cum eiſdem: eos etiam, qui ſcienter per dominia, terras, diſtrictus, vel loca ſuæ ditioni ſubjecta, præmiſſa in toto, vel in parte præfatis hæreticis adduci, vel apportari, vel ſubditos ſuos cum eis negotiari permiſerint, fore obnoxios, atque ligatos pœnis, & Cenſuris in dicta Sententia contentis; cum etiam novi erroris inventores non ſint, alieno tamen facinori prædamnato ſuam communionem immiſcuerunt, nullo eiſdem exceptionis, immunitatis, privilegii, ſtatuti, vel conſuetudinis præſidio ſuffragante, per hanc tamen approbationem, & declarationem, ſtatutum, ſive decretum, non intendit privilegiis, habilitationibus, declarationibus, quibuſcumque perſonis per Sanctiſſimum Dominum noſtrum Papam Martinum Quintum conceſſis, & concedendis præjudium generare, ſeu in aliquo derogare.* Extat hæc ratificatio damnationis Petri de Luna, & aggravationis contra ei ſuccedentes, atque participantes inter Acta memorati Concilii Senenſis apud Labbeum, Tomo XVI. Editionis Venetæ, & apud alios Scriptores.

XC. Ex hac Concilii Senenſis Sententia Pagina in Vita Martini Papæ V. Numero XXXVI. demonſtrari poſſe autumat, Petrum de Luna, Benedictum XIII. in ſua olim obedientia nuncupatum, jam tunc mortuum fuiſſe, ideoque mortem ejus copulandam eſſe cum anno MCDXXIII. illud quippe Decretum editum eſt contra ipſum eodem anno, vel ſaltem ante menſem Februarium anni MCDXXIV. quo diſſolutum eſt Senenſe Concilium. Supponitur enim, tunc illum fuiſſe jam mortuum, cum appelletur Petrus de Luna *damnatæ memoriæ*. Sicut enim cum loquimur de aliquo Viro pio jam defuncto, vocamus ipſum *ſanctæ memoriæ*, vel *bonæ memoriæ* Virum: ita Concilium loquens de Petro de Luna tanquam de ſchiſmatico, vocat ipſum *damnatæ memoriæ*. Ideo autem, ut Pagina ſubjicit, potius dicendus eſt obiiſſe anno MCDXXIII. quam initio anni MCDXXIV. ante diſſolutionem Concilii Senenſis; quia cum in omnium ſententia obierit, vel in die Pentecoſtes, vel menſe Septembri, vel exeunte Novembri, alius annus ejus morti aſsignari non poteſt, quam annus MCDXXIII. cum obierit, uti dictum eſt, ante diſſolutionem Concilii Senenſis, quæ contigit menſe Februario anni MCDXXIV. uti conſtat ex ejuſdem Concilii Actis apud memoratum Labbeum, alioſque Conciliorum Collectores. Ceterum teſte Oldoino in ſuis ad Ciaconium Notis, vixit Benedictus XIII. ſeu Petrus de Luna fere ſemper exul a Cardinalibus ſuæ obedientiæ, ac licet a Conciliis Piſano, & Conſtantienſi damnatus, numquam tamen dum vixit, Inſignia Pontificia depoſuit. Exceſſit tandem e vivis anno Domini MCCCXXIII. ut Hieronymus Zurita, Mariana, & alii vetuſtiores Hiſpaniæ Auctores affirmant, ſeu ex Ciaconio, aliiſque fere omnibus, anno MCCCXXIV. menſe Septembri, vel ad extremum Novembris, ſeu ut aliis placet, die Pentecoſtes, quæ incidit eo anno in diem XI. Junii, adeo in ſua obſtinatione perſeverans, ut & ſuos ſacramento adjuraverit, alium in ſuum locum eligere. Quinimo, ut habet Auctor Burdigalenſis illius temporis, etiam poſtquam loquelam amiſit, accepto calamo ſuis qui aderant Cardinalibus injunxerat ſub pœna maledictionis æternæ alium poſt mortem ſuam eligere in Papam.

XCI. Eodem teſte Oldoino, mortuum Benedictum ex veneno habent Scriptores quidam Hiſpani a Thoma Monacho ei propinato, conſilii nefarii auctore Cardinale Piſano, qui ad capiendum Benedictum in Hiſpaniam ex Italia ſe contulerat. Cenſent tamen alii, eum ætate potius octogenaria, vel nonagenaria, quam veneno confectum interiiſſe. Cadaver in Templo Arcis Paniſcolæ ubi deceſſit, compoſitum eſt, funere tranſlatitio, quod ſexto poſt anno odorem ſuaviſſimum afflare compertum eſt, ut ex gratia potius, quam ex fide, nonnulli ſcripſiſſe putantur. Joannes Luna ejus nepos Illueſcam transferendum curavit ſuæ ditionis Oppidum Aragoniæ, quod nihilominus dicitur hactenus incorruptum ibi perſeverare, ſi qua tamen vulgi rumoribus fides; quod ſi ita res habet, naturali cauſæ, quamvis ignotæ, non miraculo tribuendum eſt, ut ſcite notat Natalis Alexander in Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſeculi XV. & XVI. Cap. I. Articulo I. Num. V. Poſt ejus obitum duo Cardinales Schiſmatici ſecundum ſuprema ipſius mandata, Ægidium Sancii Munionis, Aragonenſem, Barcinonenſis Eccleſiæ Canonicum Antipapam elegerunt, favente Alphonſo Aragonum Rege, qui poſt annos quinque, anno ſcilicet MCDXXIX. die XXVI. Julii abdicavit pſeudopontificatum.

XCII. Annos triginta ſedit Benedictus ipſe XIII. ſeu dubius aliquando Pontifex, ſeu antipapa, annis pene quindecim ante Concilium Piſanum, duobus & viginti ante Conſtantienſe. S. Antoninus Parte III. Titulo 11. Cap. VII. ſcribit, Petrum de Luna manentem in ſua pertinacia tranſiviſſe *annos Petri ad cumulum ſuæ damnationis*; ex quo videtur, ut notat Pagius in Vita Martini Papæ V. Num. XXXVII. credidiſſe, eum pro illegitimo haberi debere, quod tranſierit annos Petri, ideſt, annos XXV. quot nimirum Sanctus Petrus Romæ ſedit Pontifex, vixit enim Benedictus triginta in ſuo Pontificatu, uti dictum eſt.

eſt. Licet autem ex eo forſan quidam commenti ſint, in Pontificis Romani Coronatione dici ſolitum fuiſſe, *Non videbis annos Petri*; tamen, uti obſervat Andreas Victorellus in Notis ad Ciaconium, Auguſtinus Patricius, qui Lib. I. Sectione II. Cap. III. Sacrarum Cæremoniarum S. R. E. ſeriem, atque Ritum Pontificiæ electionis diligenter recenſet, ne verbulum, quidem de hac re in laudato ſuo Cæremoniali habet; unde id inter fabulas reputatur, & ab aliquo non bene feriato Viro ſcriptum eſſe oportet. Quamvis enim, uti poſt alios idem Pagius notat, myſterio non vacare quidam credant, quod nullus in tanto numero legitimorum Pontificum, quamvis juniori ætate permulti creati ſint, nemo hactenus fuerit, qui annos XXV. Romanæ Sedi S. Petro attributos, non ſolum non prætergreſſus ſit, ſed nec quidem attigerit; non tamen propterea poteſt inde inferri, conſueviſſe dici Summis Pontificibus in ſua ipſorum coronatione, *Non videbis dies Petri*. Quis enim, inquit Spondanus ad annum MCDXXIV. Num. III. futurorum adeo ſecurus, ut nulla præcedente revelatione divina rem tantam poſſit aſſerere. Ut ut ſit, ex loco S. Antonini deduci illud poteſt, ejus tempore creditum fuiſſe, S. Petrum annos XXV. Romæ ſediſſe. Sed de hoc temporis ſpatio videri poſſunt eruditiſſimi Blanchinus, & Vignola in Notis ad Anaſtaſium, & præter Ciaconii Adnotatores Pagius in S. Petri Pontificatu.

XCIII. Dignum hoc loco & illud notatu eſt, Benedictum ipſum XIII. poſt Clementis VII. pſeudopontificis Avenione ſedentis obitum, in Schiſmate electum Papam ab illius obedientiæ Cardinalibus, ſediſſe Avenione, & Paniſcolæ, triginta annorum ſpatio, Bonifacii IX. Innocentii VII. Gregorii XII. Alexandri V. Joannis XXIII. & Martini V. Romæ ſedentium æmulum: Violata deinde ſpretaque Jurisjurandi religione, qua ſe ad cedendum Pontificatu obſtrinxerat, ſi Cardinalibus obedientiæ ſuæ pro bono pacis, & Eccleſiæ expedire videretur, Dignitatis Inſignia invicta pertinacia retinuit. Ad Piſanum uſque & Conſtantienſe Concilium, & latam a Patribus in ipſum, æmulumque Gregorium XII. Sententiam, dubius fuit Pontifex, deinceps vero notorius antipapa. Quamobrem electus anno MDCCXXIV. in Romanum Pontificem die XXIX. Maji F. Vincentius Maria S. R. E. Cardinalis Urſinus, qui in memoriam B. Benedicti Papæ XI. Ordinis Prædicatorum, cujus & ipſe alumnus fuerat, idem nomen ſibi impoſuit, licet a primo Cardinali Diacono proclamatus fuerit ſub BENEDICTI XIV. nomine, correctum id merito fuit, appellatuſque eſt Benedictus XIII. nulla habita ratione Pontificatus Petri de Luna, ſeu Benedicti XIII. quia ſcilicet uſque ad mortem in ſua obſtinatione perſeveravit; cum alias habita ratio fuerit Pontificatus Gregorii XII. ubi electus anno MDLXXII. Romanus Pontifex Hugo Boncompagnius, appellatus eſt Gregorius XIII.

XCIV. Quicquid ſit, quod Cardinales ſpectat a Benedicto XIII. creatos, hi ab iis, qui de Cardinalibus ſcripſerunt, recenſentur: Petrus Blani Gallus Diœceſis Mimatenſis Juris utriuſque Doctor; Ferdinandus de Calniello Hiſpanus, Tarraconenſis Epiſcopus; Gaufridus Hiſpanus, Referendarius Apoſtolicus; Petrus Serra, Martini Regis Aragoniæ Sobrinus, Catanenſis in Sicilia Epiſcopus; Berengarius Angleſola Hiſpanus, Gerundenſis Epiſcopus; Bonifacius Amanatus Piſtorienſis, Juriſprudentiæ Conſultiſſimus, Protonotarius Apoſtolicus; Ludovicus de Barro Gallus, Regum Galliæ ſanguine progenitus, filius Roberti Ducis Barrenſis, & Mariæ, Joannis Regis Francorum filiæ, Virdunenſis Epiſcopus; Antonius de Chalento, Comitis Sabaudiæ Cancellarius, Lauſanenſis Epiſcopus; Michael de la Salva Legum Doctor, Navarrus, Epiſcopus Pampilonenſis; & inter alios Petrus de Fuxo Gallus ex illuſtri Comitum Fuxenſium Domo, primum Epiſcopus Laſcarenſis, deinde Convenarum, tum Lomberienſis, poſtea Aquenſis, tandem Arelatenſis Archiepiſcopus, ex Ordine Fratrum Minorum aſſumtus, a Martino V. Pontifice Maximo miſſus deinde in Hiſpanias Legatus, ubi Caſtellæ, & Aragoniæ Reges conciliavit, & Schiſmatis reliquias ſuſtulit. Porro qui ex iſtis Cardinalibus ad Concilium uſque Conſtantienſe, de quo agimus, vixerunt, Benedictum in Schiſmate pertinacem deſeruere, plures etiam ante Piſanam Synodum. Qui ad Concilium ipſum Conſtantienſe, aut poſt ejus celebrationem, ad Martini V. obedientiam ſtatim acceſſerunt, legitimi Cardinales ſunt habiti. Qui vero ab eodem Benedicto creati, in ejus obedientia, & poſt Synodum Conſtantienſem permanſerunt, nempe Exhiminus Dahæ, Julianus Dobla, Dominicus de bona ſpe Carthuſianus, Joannes Carrerius, habiti ſunt, ut pſeudocardinales, & ſchiſmatici.

S E S S I O XXXVIII.

XCV. Seſſione trigeſima octava, quæ habita eſt die XXVIII. Julii, Sententiæ contra Oratores Henrici Infantis Caſtellæ, & eorum Conſanguineos, vel Familiares latæ a die prima Aprilis anni MCDXVI. reſciſſæ ſunt. Revocata eſt facultas Oratoribus Regis Aragoniæ conceſſa, cujus ſupra in Seſſione XXII. fecimus mentionem, de ſuffragiis ſcilicet pro omnibus Prælatis, & Eccleſiaſticis Viris Ditionum ejuſdem Regis tam intra, quam extra Hiſpaniam ferendis; decretumque eſt, ut Prælatos tantum Hiſpanos repræſentarent; & Oratores Regum Caſtellæ, Luſitaniæ, & Navarræ repræſentarent pariter Regnorum ſinguli ſuorum Prælatos, & alios, qui ad Concilia vocari conſueverunt. Tradit autem ad annum MCDXVII. Spondanus ex Gonzale de Avila in Hiſtoria Salmantina, Lib. III. Cap. IV. tantam fuiſſe tunc Burgundiæ Ducis apud omnes exiſtimationem, ut Oratores ejus cum Epiſcopis Conchenſi & Cordubenſi Caſtellani Regis Oratoribus contenderint de loci, ac ſeſſionis præcedentia.

S E S S I O XXXIX.

XCVI. Seſſione trigeſima nona celebrata die nona Octobris anni MCDXVII. eodem Joanne Oſtienſi Præſide, Decretum perpetuum de Conciliis Generalibus ſtato tempore celebrandis editum eſt; ut ſcilicet quinquennio poſt abſolutionem Concilii hujus Conſtantienſis, aliud celebraretur; & illo abſoluto, aliud ſeptennio poſt; ac deinceps ſingulis decenniis in locis a Pontifice Romano per menſem ante finem cujuslibet Concilii de ejuſdem Concilii conſenſu; vel in defectum Pontificis, ab ipſo Concilio indicendis; *ut ſic per quandam continuationem ſemper, aut Concilium vigeat, aut per termini pendentiam expectetur*. Quem terminum liceat Summo Pontifici de conſilio S. R. E. Cardinalium ob emergentes

forte

forte caſus breviare, ſed nullatenus prorogare; nec locum pro futuro Concilio celebrando deſtinatum abſque evidenti neceſſitate mutare. Decretum ſic incipit: *Frequens Generalium Conciliorum celebratio Agri Dominici cultura eſt præcipua*.

XCVII. Addita eſt Proviſio adverſus futura Schiſmata, nimirum ut ſi Schiſma oriri in Pontificatu contingat, ipſo Jure terminus Concilii tunc forte ultra annum pendens, ad annum proximum abbreviatus cenſeatur: ad quod omnes Prælati, ac ceteri, qui adeſſe Concilio tenentur, ſub pœnis Juris, ac aliis per Concilium imponendis abſque alia vocatione convenire debeant; necnon Imperator, ceterique Reges, ac Principes, vel perſonaliter, vel per Oratores tanquam ad commune incendium extinguendum concurrant. Quilibet vero pro Romano Pontifice ſe gerentium, intra menſem a die, qua noverit alium, vel alios Inſignia Pontificatus aſſumſiſſe, teneatur ſub interminatione maledictionis æternæ, & amiſſione Juris, ſi quod forte ſibi quæſitum eſſet in Pontificatu, necnon inhabilitatis ad qualibet Dignitates, Concilium Generale in loco prius deſignato indicere, Competitores ad cauſam dicendam provocare, ad Concilium accedere, nec inde recedere, donec per Concilium cauſa Schiſmatis ſit finita. Nullus inſuper contendentium de Pontificatu ipſi Concilio ut Pontifex præſideat; imo poſtquam inceptum fuerit Concilium, omnes ipſo Jure ſint ab adminiſtratione ſuſpenſi. Quod ſi forte electionem Romani Pontificis per metum in conſtantem virum cadentem, ſeu impreſſionem, fieri contingat, irrita ſit, nec per ſequentem conſenſum, etiam ceſſante metu, rata fiat. Non tamen liceat Cardinalibus ad aliam electionem procedere, niſi ſic electus obierit, vel ceſſerit, donec a Concilio Generali de electione hujuſmodi fuerit judicatum &c.

XCVIII. In eadem Seſſione trigeſima nona, Profeſſionis Fidei formula a ſingulis futuris Romanis Pontificibus in ſuæ creationis primordiis, & ante electionis ipſorum promulgationem emittendæ præſcripta eſt, cujus hic eſt tenor: *Anno a Nativitate Domini milleſimo &c. Ego N. electus in Papam, Omnipotenti Deo, cujus Eccleſiam ſuo præſidio regendam ſuſcipio, & Beato Petro Apoſtolorum Principi, corde, & ore profiteor, quandiu in hac fragili vita conſtitutus fuero, me firmiter credere, & tenere Sanctam Fidem Catholicam ſecundum traditiones Apoſtolorum, Generalium Conciliorum, & aliorum Sanctorum Patrum, maxime autem Sanctorum octo Conciliorum, videlicet primi Nicæni, ſecundi Conſtantinopolitani, tertii Epheſini, quarti Chalcedonenſis, quinti, & ſexti Conſtantinopolitanorum, ſeptimi item Nicæni, octavi quoque Conſtantinopolitani, necnon Lateranenſis, Lugdunenſis, & Viennenſis Generalium etiam Conciliorum: & illam Fidem uſque ad unum apicem immutilatam ſervare, & uſque ad animam, & ſanguinem confirmare, defenſare, & prædicare: Ritum quoque pariter Sacramentorum Eccleſiaſticorum Catholicæ Eccleſiæ traditum omnimode proſequi, & obſervare. Hanc autem Profeſſionem, & confeſſionem meam per Notarium ſcriniarium Sanctæ Romanæ Eccleſiæ me jubente ſcriptam propria manu ſubſcripſi, & Tibi Omnipotenti Deo pura mente, & devota conſcientia ſuper tali Altari &c. firmiter offero in præſentia talium &c. Datum &c.* Prohibuit tum Synodus Decreto edito, ne tranſlationes Epiſcoporum, & aliorum Prælatorum ipſis invitis fiant, abſque magna, & legitima cauſa, quæ vocata parte cognita fuerit, & judicata de conſilio S. R. E. Cardinalium, vel majoris partis eorundem, & cum ſubſcriptione. Vetuit tandem altero Decreto Reſervationem, & perceptionem a Romanis Pontificibus fieri ſolitam Procurationum Ordinariis, & aliis inferioribus Prælatis debitarum ratione Viſitationis, necnon & Spoliorum decedentium Prælatorum, aliorumque Clericorum, ſive in Curia Romana, ſive extra obierint.

S E S S I O XL.

XCIX. Seſſione quadrageſima, quæ habita eſt die xxx. Octobris, eodem Joanne Epiſcopo Cardinale Oſtienſi Præſide, decretum eſt, futurum Romanum Pontificem proxime eligendum cum hocce Sacro Concilio, vel deputandis ab eo per ſingulas Nationes *debere reformare Eccleſiam in capite, & in membris, & Curiam Romanam ſecundum æquitatem, & bonum regimen Eccleſiæ*, & quidem ante diſſolutionem Concilii ſuper certis articulis, ſcilicet, I. *De numero, qualitate, & natione Cardinalium*. II. *De Reſervationibus Sedis Apoſtolicæ*. III. *De Annatis, communibus ſervitiis, & minutis*. IV. *De Collationibus Beneficiorum, & Gratiis expectativis*. V. *De Confirmationibus Electionum*. VI. *De Cauſis in Romana Curia tractandis, vel non*. VII. *De Appellationibus ad Romanam Curiam*. VIII. *De Officiis Cancellariæ, & Pœnitentiariæ*. IX. *De exemtionibus, & incorporationibus tempore Schiſmatis factis*. X. *De Commendis*. XI. *De fructibus medii temporis*. XII. *De non alienandis bonis Romanæ Eccleſiæ*. XIII. *Propter quæ, & quando Papa poſſit corrigi, & deponi*. XIV. *De extirpatione Simoniæ*. XV. *De Diſpenſationibus*. XVI. *De Proviſione Papæ, & Cardinalium*. XVII. *De Indulgentiis*. XVIII. *De Decimis*. Decretum deinde eſt, ut non obſtante abſentia Cardinalium Petri de Luna procederetur ad electionem novi Pontificis; qui tamen ſi advenirent, antequam facta eſſet Electio, & huic Concilio adhæreſent, admitterentur cum aliis. Denique forma eligendi Romanum Pontificem præſcripta eſt, & quidem de Cardinalium conſenſu, ut nimirum hac vice dumtaxat ad eligendum novum Romanum Pontificem, ipſis Cardinalibus adjungerentur ſex Prælati, vel aliæ honorabiles Perſonæ Eccleſiaſticæ in Sacris Ordinibus conſtitutæ de qualibet Natione in eadem Synodo pro tunc exiſtentes; & ut quicumque a duabus partibus Cardinalium, & a cujuslibet Nationis delegatorum duabus item partibus eligeretur, is verus eſſet, & indubitatus Romanus Pontifex Maximus. Ceterum cum quinque Nationes (nam ad Italicam, Gallicanam, Germanicam, & Anglicanam, Hiſpanica tandem poſtea acceſſerat) in ipſa Seſſione deſignentur, triginta Electores cum viginti Cardinalibus, qui aderant, pro electione deſignantur.

S E S S I O XLI.

*De electione Papæ Martini Quinti.*

C. Seſſione quadrageſima prima celebrata die VIII. Novembris, Præſide, ut in ceteris hactenus memoratis Joanne Cardinale Oſtienſi, & Sigiſmundo Auguſto præſente poſt Solemnia more ſolito peracta, lecta eſt Conſtitutio Clementis Papæ VI. quæ incipit, *Licet*, de modo &

ſorma Conclavis, dę qua ſupra dictum a nobis fuit in Commentario ad Canonem II. Concilii II. Lugdunenſis; & poſt juramenta præſcripta ab Electoribus Romani Pontificis, & Cuſtodibus Conclavis emittenda, nominati ſunt Electores Nationum triginta, Cardinalibus adjungendi, fueruntque Joannes Patriarcha Conſtantinopolitanus, Archiepiſcopi quinque, undecim Epiſcopi, & unus Electus, ac duodecim Abbates, aut alii in Dignitatibus Eccleſiaſticis, ſive Sæcularibus, ſive Regularibus conſtituti, qui in Actis recenſentur apud Labbeum, & Raynaldum ad annum MCDXVII. Deputati ſunt pariter pro cuſtodia Conclavis tam pro parte Cardinalium, quam pro Nationibus quidam Prælati, qui omnes in manibus prædicti Joannis Oſtienſis Præſidentis, tactis Cruce & Evangeliis juraverunt, ſe capitula jam ſtatuta obſervaturos. Promulgata eſt deinde excommunicatio, atque Beneficiorum, Officiorum, & Dignitatum privatio contra eos, qui ex abuſiva licentia res & bona electi Pontificis invaderent. Denique Cardinales numero xx. vel, ut aliis placet, XXIII. ex triplici obedientia Gregorii XII. Joannis XXIII. & Benedicti XIII. Concilio præſentes una cum cæteris triginta Electoribus a quinque Nationibus deſignatis, & quidem ſex pro qualibet Natione, uti dictum eſt, Conclave eadem die VIII. Novembris ſunt ingreſſi paratum in Domo Communitatis Civitatis Conſtantienſis, ac tertio poſt die, nempe XI. Novembris concordibus ſuffragiis in Romanum Pontificem elegerunt Odonem, ſeu Othonem Columna ex nobiliſſima, ac pervetuſta Columnenſi Romana ſtirpe, S. Georgii ad velum aureum Diaconum Cardinalem, qui Martinus Quintus appellari voluit in honorem S. Martini, in cujus Feſto electus Pontifex fuit.

CI. Cum vero electus hic Pontifex tantum eſſet Diaconus, die Sabbati XX. ejuſdem Novembris a Joanne Epiſcopo Oſtienſi in Presbyterum, & ſequenti die Dominica in Epiſcopum conſecratus eſt, ac ſtatim more ſolito per Raynaldum Cardinalem Brancatium Archidiaconum ſolemni celebritate coronatus, exindeque per Civitatem ductus, regentibus hinc inde equi ejus frænum Sigiſmundo Auguſto, & Friderico Marchione Brandeburgenſi Imperii Electore Archicamerario. Sumſit ſymbolum ſigilli, verſiculum Pſalmi LIII. *Averte mala inimicis meis, & in virtute tua diſperge illos*. Plura de ejus electione videri poſſunt in Actis ipſis Concilii hujus Conſtantienſis, & apud Raynaldum, Spondanum, Ciaconium, & ad ipſum Addentes. Ceterum, ut notat Pagius in ejus Vita, Num. IV. in fine, nullus ante ex Pontificibus Romanis majori, imo nec pari univerſæ Eccleſiæ conſenſu electus, & coronatus dici poteſt Martino Papa V. cujus creationi, & coronationi non ſolum Cardinales Ordinarii Electores, verum etiam cunctarum Chriſtiani Orbis Nationum ex tribus partibus in quas Eccleſia fuerat ante diſtracta, ſpeciales delegati ſuffragia ſua, & præſentiam ſingulatim contulerunt. Juri Pontificio Peruſii operam dedit primum Martinus, rediensque poſt nonnullos ad Urbem annos, ab Urbano VI. Protonotarius, & Referendarius dictus eſt; a Boniſacio poſtea IX. Urbani ſucceſſore Nuncius Apoſtolicus per Italiam deſtinatus, tandem ab Innocentio VII. anno MCDV. Cardinalis Diaconus Tituli S. Georgii ad velum aureum renunciatus fuit. Electioni interfuit Gregorii XII. quem etiam ab omnibus Cardinalibus deſertum Senas Luca revertentem ſequutus eſt, nec eum unquam deſervit, donec per Concilium Piſanum ab eo diſcedere coactus eſt. Electioni itaque Alexandri V. & poſtea Joannis XXIII. præſens fuit; quo Pontifice varia munia egregie obivit. Humanitate autem, ac manſuetudine ſimul & juſtitia ita excelluit, ut cum præterea in Concilio Conſtantienſi inter partium altercationes ita ſe medium habuiſſet, ut publicæ tantummodo utilitati conſulens, in neutram partem inclinare videretur, quæ etiam potiſſima cauſa ipſius electionis in ipſis ejuſdem Synodi Actis continetur, adeo omnibus ſe gratum exhibuit, ut nullus aptior exiſtimatus fuerit, qui quaſſatam diuturno Schiſmate Eccleſiam reſtaurare ſalubriter poſſet.

## S E S S I O XLII.

CII. Ergo Seſſione quadrageſima ſecunda celebrata die XXVIII. Decembris anni MCDXVII. cui ipſe Martinus V. Pontifex præſedit, Sigiſmundus Auguſtus, & Ludovicus Bavariæ Comes abſoluti ſunt ab onere cuſtodiendi Balthaſſarem Coſſam, olim Joannem XXIII decretumque eſt, ut eum in manus ipſius Pontificis, aut ab eo nominandorum traderent. Tradit autem Pagius in Vita Martini V. Num. VIII. in fine, ipſum Balthaſſarem adhuc toto anno milleſimo quadringenteſimo decimo octavo, & aliquot menſibus anni ſequentis MCDXIX. detentum fuiſſe in Germania, donec Florentiæ eodem anno MCDXIX. menſe Junio Martinum Papam adiit, a quo benigne exceptus dictus eſt Cardinalis Tuſculanus, aliiſque honoribus inſignitus. Sed de his videri poſſunt, quæ a nobis dicta ſuperius ſunt, ſicut & de ejus obitu. Porro ineunte anno MCDXVIII. Martinus Papa cernens, ut refert Platina in ejus Vita, renaſcentis hydræ caput reſtare, ſcilicet Petrum de Luna, qui appellabatur Benedictus XIII. cum aliquot Cardinalibus, & Prælatis Paniſcolæ tanquam in arce Schiſmatis ſe continentem, quibuſdam Aragoniæ Populis utram in partem inclinarent, adhuc titubantibus, approbante Concilio Conſtantienſi, Alamannum Ademarium Tituli S. Euſebii Presbyterum Cardinalem Piſanum dictum, Legatum a Latere ſuo in Aragoniam miſit, qui ſub pœnis, & Cenſura Eccleſiaſtica Petrum ipſum de Luna admoneret, ut Pontificatu ſe abdicaret. Quod cum etiam Cardinales, qui cum ipſo ſentiebant, ſuaderent, reſpondit Petrus cavillationibus quibuſdam, id ſibi nequaquam integrum eſſe, ſe autem cum Martino conventurum, ſi vera eſſent, quæ de hominis integritate, & humanitate dicerentur. Ex quatuor igitur Cardinalibus Petro adhærentibus duo pertinaciam illius inſpicientes, ab eo ad Martinum Papam V. ſtatim defecere; duo autem alii, qui in Petri fide manſerunt, anticardinales habiti ſunt, quorum alter Carthuſienſis fuit, alter Julianus Dobla appellatus.

CIII. Narrat quidem hæc Platina, qui etiam poſtea tradit, quatuor fuiſſe Cardinales, qui Petrum tunc deſeruerunt, & anno MCDXIX. Florentiam ad Martinum acceſſiſſe, a quo humaniſſime fuerunt recepti, & in dignitatibus ſuis confirmati. Idem quod Platina referunt Panvinius, & alii Scriptores non pauci. Verum ex Surita in Hiſtoria Aragonenſi Lib. XII. Cap. LXVI. & ſequenti docet Pagius in Vita ipſius Martini V. Numero IX. jam ante Ademarium, miſſum fuiſſe a

Mar-

Martino ſtatim ac electus fuit Pontifex Maximus in Hiſpaniam Bernardum Burdigalenſem, qui res Conſtantiæ factas denunciaret, Alphonſumque Regem exiſtimantem nihil ſibi denegandum, ob Petri de Luna, ſive Benedicti XIII. deſertionem, multa a Martino petiiſſe per Nuncios, ob quorum repulſam non parum in eum commotus fuerit, nec parvam Petro ipſi de Luna occaſionem exhibuerit obdureſcendi in Schiſmate. Hanc Bernardi Burdigalenſis in Aragoniam miſſionem, antequam Alamanus, ſive Alemannus Cardinalis mitteretur, veram recte exiſtimat Pagius citato loco. Alemannus enim miſſus non eſt ante annum MCDXVIII. cum præſens fuerit Seſſioni XLIII. hujus Concilii, in qua recenſetur inter Cardinales ſub Cardinalis Piſani nomine; & tamen Bernardus Burdigalenſis juxta Suritam miſſus eſt a Martino ſtatim poſt ſuam electionem. Quomodo vero poſtea a prædicto Alemanno Legato omnium Regnorum Alphonſi Regis Aragoniæ Acta ejuſdem Conſtanſienſis Concilii promulgata Leridæ fuerint, refert idem Surita, Cap. LXIX. Cardinales autem illos, qui a Petro de Luna ad Martinum defecere, confirmatos ab eodem in dignitatibus ſuis fuiſſe Gebennæ anno MCDXVIII. non vero Florentiæ anno MCDXIX. memoratus Pagius docet in laudata Vita Martini V. Papæ.

S E S S I O XLIII.

CIV. Quod interim Seſſiones Concilii ſpectat, celebrata eſt Seſſio quadrageſimatertia die XXI. Martii anni MDCXVIII. eique præfuit idem Martinus V. Pontifex Maximus, qui etiam Conſtitutionem edidit, in qua quædam Reformationis capita decreta ac promulgata ſunt, quæ apud Labbeum legere eſt, Spondanum, Raynaldum, Natalem Alexandrum, alioſque complures. Primum de exemptionibus abrogandis, quæ ab obitu Gregorii Papæ XI. conceſſæ eſſent, iis exceptis, quæ uni toti Ordini, & quæ Eccleſiis, Monaſteriis, Capitulis, Conventibus, Beneficiis, ſive locis ea temporis intercapedine ſub modo exemtionis aut conditione fundatis conceſſæ erant. Alterum de revocandis unionibus Beneficiorum ex eo tempore factis, niſi ex legitimis, veriſque cauſis factæ fuerint, licet Apoſtolicæ Sedis auctoritas intervenerit. Tertium de fructibus Beneficiorum vacantium non attribuendis Romano Pontifici, vel Apoſtolicæ Cameræ, verum Juris, & Conſuetudinis, vel Privilegii diſpoſitioni relinquendis. Quartum de Suſpenſione ſimoniace Ordinatorum, deque nullitate Electionum, Poſtulationum, & quarumvis Proviſionum ſimoniace factarum. Quintum de Diſpenſationibus revocandis, quibus conceditur Electis, ſeu Proviſis ad Eccleſias, Monaſteria, & quæcumque Beneficia, ne munus Conſecrationis Epiſcopi, ſive Benedictionem Abbatis, ſive debitos, & annexos aliis Beneficiis Ordines ſuſcipiant. Sextum de Decimis, & aliis oneribus Eccleſiis, & Eccleſiaſticis Perſonis non imponendis a quovis Romano Pontifici inferiore. Septimum de Vita & honeſtate Clericorum ac præcipue circa Veſtes, & eorum Tonſuram.

CV. His addenda quæ Philippus Labbeus in Appendice ad hoc Concilium Conſtantienſe edidit veluti ad Seſſionem XL. ſpectantia, & quæ ex duobus mſs. Codicibus, uno Bibliothecæ Vaticanæ, altero Palatinæ, publicavit Emmanuel Schelſtrate Vaticanæ Bibliothecæ Præfectus, & ad Seſſionem potius XLIII. reducenda obſervavit. Primum, quod eſt de numero, & qualitate Cardinalium, & modo promotionis eorum, ſtatuit, ut deinceps numerus Cardinalium S. R. E. *adeo ſit moderatus, ut nec gravis ſit Eccleſiæ, nec ſuperflua numeroſitate vileſcat*; qui ex omnibus Orbis Chriſtiani partibus, proportione ſervata, quantum fieri poterit, aſſumantur; *ut notitia cauſarum, & negotiorum in Eccleſia emergentium facilius haberi poſſit, & æqualitas Regionum in honoribus Eccleſiaſticis obſervetur*. Numerus ad XXIV. definitur, quos Viros eſſe oporteat ſcientia, moribus, & rerum experientia excellentes, Doctores in Theologia, aut in Jure Canonico, & Civili, præter admodum paucos ex ſtirpe Regia, aut Ducali, vel magni Principis oriundos, in quibus competens litteratura ſufficiat, non autem fratres, aut nepotes ex fratre, vel ſorore alicujus Cardinalis viventis &c.

CVI. Alterum ejus reformationis Capitulum, quod eſt de Proviſionibus Eccleſiarum, Monaſteriorum, Prioratuum, Dignitatum, & aliorum Beneficiorum, vetat aliquem ad Epiſcopales dignitates eligi, *niſi ſit Doctor, aut licentiatus cum rigore examinis in Theologia, aut Jure Canonico, vel Civili*, Tertium de Annatis, quo ſtatuitur, ut pro ſuſtentatione Summi Pontificis, & S. R. E. Cardinalium, de Eccleſiis, & Monaſteriis Virorum duntaxat vacantibus, & vacaturis, ſolvantur pro fructibus primi anni, a die vacationis, ſummæ pecuniarum in Libris Cameræ Apoſtolicæ taxatæ, quæ communia ſervitia nuncupantur; ſi quæ vero male taxatæ ſunt, juſte taxentur. Si autem infra annum bis Eccleſiæ vacaverint, ſemel tantum ſolvatur; nec debitum hujuſmodi in ſucceſſorem tranſeat &c. Extat tamen, uti inter alios notat Natalis Alexander, qui & hæc reformationis Capitula recenſet, Nationis Gallicanæ deliberatio Conſtantiæ facta ante Martini V. Electionem, de non ſolvendis Annatis, & communibus, ac minutis ſervitiis, & reſponſio ejuſdem Nationis ad Appellationem per Cardinales, miniſterio Joannis de Scribanis contra eam factam, quæ apud Nicolaum de Clemangiis, apud Orthuinum in Faſciculo rerum expectendarum, & inter probationes Libertatum Gallicanæ Eccleſiæ legi poſſunt. De Annatis autem nonnihil dicemus nos alio loco.

CVII. Capitulum quartum, quod eſt de cauſis in Romana Curia, vel extra ipſam tractandis, ſtatuit, ut cauſas, quæ ad forum Eccleſiaſticum de Jure, vel Conſuetudine non pertinent, Curia Romana ad ſe non trahat, niſi de conſenſu partium: quæ vero ad ipſam per Appellationem devolutæ ſunt, aut ad eam alias de Jure pertinent, in ea tractentur: cæteræ committantur in partibus; Matrimonialium cauſarum prima cognitio non habeatur in Curia. Appellationes vero fruſtratoriæ ante diffinitivam ſententiam interpoſitæ ſub gravibus mulctis vetantur. Quintum de exemtionibus idem habet ac primum editionum Labbei, Binii, & aliarum, licet prolixius, atque explicatius. Sextum de Commendis, vetat, ne impoſterum Monaſteria, aut magni Prioratus Conventuales, ultra decem Religioſos, & Officia Clauſtralia habere conſueti, dignitates Majores poſt Pontificalem in Cathedralibus, ſive Eccleſiæ Parochiales, ulli Prælato, etiam Cardinali, dentur in Commendam. Septimum de fructibus medii temporis, idem eſt cum tertio Labbeanæ, Binianæ, & aliarum hu-

hujus Concilii editionum. Octavum de non alienandis rebus Eccleſiaſticis, omnes alienationes rerum immobilium, & Jurium Eccleſiæ Romanæ ſine Concilii conſenſu, & ſubſcriptione majoris partis Cardinalium illius obedientiæ: necnon omnes alienationes rerum ſimilium aliarum Eccleſiarum, Monaſteriorum, & aliorum Beneficiorum ſine conſenſu libero Rectorum, & Miniſtrorum eorumdem per quoſcumque pro Romanis Pontificibus ſe gerentes, a tempore Gregorii Papæ XI. factas penitus revocat; alienationes autem a Prælatis, & Miniſtris, præter, & contra Juris formam factas reſcindit.

CVIII. Sequitur Capitulum nonum, *de quibus cauſis Papa corrigi poſſit, vel deponi*, & hoc tantum habet: *Non videtur, prout nec viſum fuit in pluribus Nationibus, circa hoc aliquod novum ſtatui, vel decerni.* Decimum de Simoniacis idem habet cum quarto vulgatarum editionum. Undecimum de Diſpenſationibus idem eſt cum quinto earundem editionum. Duodecimum de Reſidentia jubet, ut Epiſcopi, & Superiores hujuſmodi, in ſuis Eccleſiis, & Diœceſibus, Abbates autem in ſuis Monaſteriis perſonaliter reſideant, a quibus ſi ſex menſes continuos abſuerint, perceptione fructuum, & proventuum per biennium ſint privati, illique fructus Eccleſiis, & Monaſteriis applicentur; ſi biennio abſuerint, Eccleſiis ipſis, & Monaſteriis priventur; itemque declarat Pontifex, ſe non intendere diſpenſare circa Beneficis incompatibilis obtinentes. Decimumtertium de Proviſione Papæ & Cardinalium, ipſorum ſuſtentationi aliter non poſſe provideri declarat, quam hucuſque factum eſt, ſcilicet per Beneficia, & communia ſervitia, quæ vacantiæ nuncupantur; ſed quæ Beneficia non poſſint a Cardinalibus poſſideri, declarat. Decimumquartum de Indulgentiis, Pontificem deinceps a nimia Indulgentiarum effuſione temperare ſtatuit, ne vileſcant, & olim conceſſas ab obitu Gregorii XI. citra perpetuas; item quæ dicuntur de pœna, & culpa, ſive de plena remiſſione conceſſas locis, itemque omnes conceſſas ad inſtar alterius Indulgentiæ revocat, & irritas declarat. Decimumquintum de Decimis, & aliis oneribus Eccleſiaſticis, idem eſt cum Sexto vulgatarum editionum. Porro per hæc, & alia cum ſingulis Nationibus concordata, necnon per ea, quæ in Cancellariæ Regulis poſita ſunt, factum eſſe ſatis Articulis de reformatione facienda die trigeſima Octobris anni MCDXVII. promulgatis, declaravit Pontifex de conſenſu & approbatione Concilii.

CIX. At vero quænam fuerint Concordata cum Nationibus, & quæ in Cancellariæ Regulis poſita, neque Acta edita, neque mſs. exprimunt. Maxima tamen fuit circa Reformationis negotium, Cardinalium, & Nationum diſſentio, uti poſt Raynaldum, alioſque Scriptores obſervant Natalis Alexander in Hiſtoriam Eccleſiaſticam Seculi XV. & XVI. & in Vita Martini V. Pagius Num. XI. Certe Nationes Germanica, & Anglicana, Sigiſmundo Augusto incitante, reformationem Electioni Pontificis præmitti volebant. Cardinales vero cum Nationibus Italica, Hiſpanica, & Gallicana contendebant prius electionem fieri Summi Pontificis, ut docet proteſtatio ab ipſis facta poſt Seſſionem XXXVIII. quam ex quatuor mſs. Codicibus edidit doctiſſimus Schelſtrate. Natio Anglicana, jubente Magnæ Britanniæ Rege, Germanicam dimiſit, & tribus aliis ſe adjunxit. Duo etiam Cardinales, Bononienſis, & Senenſis cum nonnullis Prælatis ad frequentiorem acceſſere ſententiam. Sigiſmundus, & Germani eo demum ſe recepere, ut ſecuritas ipſis daretur per Decretum irritans, quod poſt electionem Papæ fieret reformatio, ante Coronationem ipſius, & adminiſtrationem aliquam. Id Cæſari datum, cautioniſque Decretum his verbis conceptum eſt: *Sacroſancta Synodus ſtatuit, & decrevit, quod futurus Summus Pontifex per Dei gratiam, & pro primo aſſumendus, cum hoc ſacro Concilio, vel deputandis per ſingulas Nationes debeat reformare Eccleſiam in Capite, & Curia Romana, ſecundum æquitatem, & bonum regimen Eccleſiæ, antequam hoc Concilium diſſolvatur, ſuper materiis Articulorum, videlicet &c.* Ita fragmenta Actorum Concilii hujus Conſtantienſis ex Codicibus mſs. a laudato Inperius Schelſtrate edita.

CX. Ceterum Auctor Anonymus Burdigalenſis in Hiſtoria Pontificum hoc ipſo tempore vivens, a Spondano ſæpius laudatus diſerte ait, multa quidem in hoc Concilio circa reformationem Eccleſiæ tam in Capite, quam in membris tractata fuiſſe, pauca vero concluſa. Gobelinus autem Perſona, qui anno MCDXVIII. finem imponit ſuo Coſmodromio, Cap. XCVI. ait, cum ante electionem Pontificis electi fuiſſent Viri litteratiſſimi ex omnibus Nationibus, qui nomine totius Concilii reformationem ordinarent, & conſcriberent, illis moram facientibus, ortam eſſe diſſenſionem inter Nationes, Germanica una cum Rege, nempe Sigiſmundo, petente, ut priuſquam ad electionem Pontificis procederetur, fieret reformatio tam in Capite, quam in membris; ceteris contra aſſerentibus, melius fore, ut per Pontificem fieret; tandem reformatione concepta, ſed nondum publicata, proceſſum eſſe ad electionem Pontificis; qui poſtquam creatus fuiſſet, petitam a Nationibus fuiſſe publicationem Articulorum præconceptorum; ſed quia non omnes æque ardenter inſtabant, ac Cardinales in hoc torpebant, Nationem Gallicanam a Sigiſmundo Rege petiiſſe, ut Pontificem ad id urgeret; ipſumque reſpondiſſe, ipſam olim obſtitiſſe, ne reformatio ante Electionem fieret; adiret igitur modo illum, cum jam non ſibi integrum eſſet de iis agere, ſicuti Sede vacante. Porro zelantiſſimi Epiſcopi, uti olim Generali Concilio Vienneni, ita & huic Conſtantienſi Concilio Libellos exhibuerant de reformatione Eccleſiæ, taliſque eſt ille eidem huic Concilio oblatus a Petro de Alliaco Cardinali Cameracenſi, qui inſcribitur, *De Emendatione Eccleſiæ*, editus una cum aliis Opuſculis, quæ eandem rem ſpectant, Pariſiis MDCLXXI. apud Franciſcum Clouſier.

SESSIO XLIV. ET XLV.

CXI. Sed ut reliquas Concilii Seſſiones narremus, Seſſione quadrageſima quarta celebrata die XIX. Aprilis anni MCDXVIII. Martinus Pontifex *Decreto hujus Generalis Concilii* in Seſſione trigeſimanona edito ſatisfacere cupiens ac volens inter alia diſponenti, *ut Concilia Generalia celebrentur in loco, quem Summus Pontifex per menſem ante finem hujus Concilii, approbante, & conſentiente Concilio deſignare teneatur, Concilium proxime futurum Papiæ celebrandum, eodem conſentiente, & approbante Concilio indixit.* Seſſione denique quadrageſimaquinta habita die XXII.

xxii. Aprilis anni mcdxviii. abſolutum eſt hoc Conſtantienſe Concilium, quod annis quatuor, & ſex menſibus duraverat; conceſſaque eſt a Summo Pontifice Plenaria Indulgentia omnibus, qui Concilio interfuerant, ſemel in vita, atque ſemel in morte, ea tamen lege, ut pro abſolutione in vita, per annum qualibet feria ſexta jejunarent; & pro Abſolutione Plenaria in mortis articulo, per alium annum, niſi legitime impediti eſſent, quo caſu alia pietatis peragerent opera; cum onere jejunandi qualibet feria ſexta poſt annum alterum uſque ad finem vitæ, vel alia pietatis opera peragendi. Tum finis Concilio impoſitus eſt, Umbaldo, ſive, uti alias legitur, Raynaldo Tituli S. Viti in macello Diacono Cardinali de mandato Pontificis, ac totius Concilii, pronunciante hæc gratiſſima verba: *Domini ite in pace*; reſpondentibus omnibus, *Amen*.

CXII. Antequam vero Patres ab ipſa Seſſione exirent, Nuncii Wladislai Regis Poloniæ, & Witoldi, ſive Alexandri Ducis Lithuaniæ petierunt, quendam Libellum cujuſdam Fratris Joannis Falekemberg crudiſſimos quoſdam errores continentem, riteque jam damnatum tanquam hæreticum per Delegatos in cauſa Fidei, ac etiam per omnes Nationes Concilii, modo etiam in Seſſione publica damnari, ſeu publice damnatum pronunciari, antequam præſens Concilium diſſolveretur; alioquin proteſtabantur de gravamine, & de appellando ad futurum Concilium. Quibus reſpondit Pontifex ore proprio, quod omnia *determinata, & decreta in materiis Fidei conciliariter*, tenere, & inviolabiliter obſervare volebat, ſeque ipſa *ſic Conciliariter facta* approbare, & ratificare, *& non aliter, nec alio modo*. Quod cum iteraſſet Pontifex per Concilii Advocatum, mox lecta eſt Bulla Pontificis, qua omnibus & ſingulis, qui Concilio interfuiſſent ejus cauſa, tam Dominis, quam eorum Familiaribus Abſolutionem Plenariam ſemel in vita ſua, præviis quibuſdam jejuniis, ac præterea in articulo mortis conceſſit, uti jam notatum paulo ſuperius fuit. Hæc Bulla in Actis Concilii editis apud Labbeum, atque alios Collectores Conciliorum dicitur data *Conſtantiæ in loco Seſſionis publicæ dicti Concilii, decimo Kalendas Junii, Pontificatus noſtri anno primo*; ſed, ut recte notat inter alios Pagius, legendum, *decimo Kalendas Maji*, ſeu die xxii. Aprilis, quo celebrata Seſſio in xlv. & ultima; præſertim vero, quod, ut idem Pagius obſervat, Martinus ipſe Papa V. decimo Kalendas Junii jam non erat Conſtantiæ; inde enim receſſerat *die xvj. Maji anno Chriſti MCDXVIII.* teſte Felice Contelorio, qui ejuſdem Martini V. Pontificis itinera ex ms. Vaticano Codice deſcripſit.

CXIII. Dici porro nequit quantum ſibi Ludovicus Maimburgus, Natalis Alexander, Boſſuetius, aliique complures Auctores Galli recentiores auctoritate Concilii hujus Conſtantienſis, ac præſertim Decretorum, quæ in ejus Seſſionibus iv. & v. expreſſa ſunt circa Concilii Generalis auctoritatem ſupra Romanum Pontificem Maximum blandiantur; quos tamen egregie jam olim confutarunt doctiſſimi Scriptores, Emmanuel Schelſtratius in Tractatu, quem de ſenſu, & auctoritate ipſorum Decretorum Conſtantienſis Concilii Seſſione iv. & v. edidit Romæ anno mdclxxxviii. & Cœleſtinus Sfondratus in ſua Gallia vindicata, ac noviſſime inclyti Ordinis Prædicatorum alumnus Sacræ Congregationis Indicis a ſecretis, Theologus præſtantiſſimus, & de Litteraria Republica optime meritus Joſephus Auguſtinus Orſi in celeberrimo Opere ſuo, quo ea in re recentiorem Cleri Gallicani ſententiam a Boſſuetio propugnatam confodit. Sane, ut alia omittam, Martinus V. Pontifex Seſſione xlv. ea ſolum Concilii Acta confirmavit, quæ ad *materiam Fidei* pertinent, *& Conciliariter facta*; non vero approbat, quæ ad Fidem non ſpectant, nec ſunt *Conciliariter facta*; qualia ſunt Decreta Quartæ, & Quintæ Seſſionis. Nec enim ea Propoſitio, *Concilium eſt ſupra Papam certum & indubitatum*, de fide eſt; alioquin totus fere Catholicus Orbis, ſi paucos in Gallia excipias, omneſque Doctores, & Univerſitates, ipſique Romani Pontifices, qui contrarium ſcriptis & exemplis docuere, hæretici vocandi eſſent, quod utique nec Maimburgus, nec Alexander, nec Boſſuetius, quinimo nec ipſi aperti Romanæ Eccleſiæ hoſtes unquam dixerint, vel ſomniarint. Ea inſuper Decreta non fuiſſe Conciliariter edita, jam ſupra oſtendimus, docetque inter alios Auctores Gallos Henricus Spondanus Appamienſis Epiſcopus, & rei Theologicæ, atque hiſtoricæ peritiſſimus.

*Decreta Concilii Conſtantienſis de auctoritate Concilii a Cardinali Turrecremata egregie expenſa.*

CXIV. Ceterum cum multi, qui eruditi videri volunt, &, quod mirum eſt, nonnulli etiam, qui favore Pontificum Eccleſiaſticis Beneficiis vitam commodam ducunt, quammaxime præfidunt citato Conſtantienſis Concilii Decreto de auctoritate Concilii Generalis ſupra Romanum Pontificem, ad perſpiciendam Patrum Conſtantienſium mentem operæ pretium duco attexere hoc loco, quæ docte, ac ſolide Cardinalis Turrecremata, qui etiam Concilio ipſi Conſtantienſi interfuit, docet in ſua celebri Summa, *De Eccleſia*, Cap. xcix. Hæc quippe magis magiſque elucidant ſenſum ac ſtatum hujus Concilii. Non eſt verum, inquit, imo falſum, quod Adverſarii dicunt, videlicet, quod Conſtantiæ declaratum ſit, ſive decretum, quod Univerſalis Synodus in Spiritu Sancto legitime congregata Generale Concilium faciens, Eccleſiam militantem repræſentans, poteſtatem a Chriſto habet immediate, cui quilibet cujuſcumque ſtatus, ſive dignitatis, etiamſi Papalis exiſtat, obedire tenetur &c. Plane numquam, ut ingenue fatetur laudatus Cardinalis omni exceptione major, Conſtantiæ ſub hac forma legitur aliquod Decretum factum. Declaratio autem facta per Patres illos ſub obedientia Joannis XXIII. congregatus emanavit ſub hac forma: *Hæc Sancta Synodus Conſtantienſis Generale Concilium faciens pro extirpatione præſentis Schiſmatis, & unione, ac reformatione Eccleſiæ in Capite, & in membris fienda declarat, quod ipſa in Spiritu Sancto congregata Generale Concilium faciens, & Eccleſiam Catholicam militantem repræſentans, poteſtatem a Chriſto habet immediate, cui quilibet &c.* Ecce manifeſte, quod Decretum illorum Patrum non loquitur univerſaliter de qualibet Synodo univerſaliter, ſed de illa ſingulariter, pro cujus tempore non erat in Eccleſia unus Paſtor totius Eccleſiæ indubitatus. Et ita patet primum, videlicet, quod falſum ſit, quod tale Decretum in forma, qua proponitur, factum fuerit Conſtantiæ.

CXV. Se-

CXV. Secundo, non militant quæ inducuntur de Concilio Conſtantienſi, quoniam dato, quod tale Decretum, quod dicitur per Adverſarios ibi fuiſſe factum, non habet neceſſitatem, quoniam hoc, quod Adverſarii præſupponunt, videlicet quod fuerit ab univerſali Concilio legitime congregato, & repræſentante univerſam Eccleſiam militantem, eſt valde dubium apud multos, imo plurimorum judicio, ſcilicet eorum, qui fuerant de obedientia Gregorii XII. & Benedicti XIII. falſum, quoniam ſicut apertiſſime patet ex geſtis illius Congregationis, Decreta illa, ſi ita ſint appellanda, facta ſunt ſolum a Patribus aliquibus obedientiæ Joannis XXIII. Pro quo notandum, quod Congregatio illa Conſtantiæ celebrata tria tempora habuit. Primum fuit, in quo ſola obedientia præfati Joannis, ideſt, Balthaſſaris Coſſæ, Conſtantiæ convenerat. Secundum tempus fuit, in quo Angelus Corlarius vocatus in obedientia ſua Gregorius XII. juri ſuo cedens, præfatæ Congregationi ſub certis modis, & formis ſe conjunxit. Tertium tempus eſt, in quo Reges, & Principes, ac Prælati obedientes Petro de Luna Benedicto XIII. vocato in obedientia ſua, per ſuos Oratores nova facta convocatione Concilii, ſe univerunt præfatæ Congregationi ad pacem dandam univerſali Eccleſiæ, & fuimus nos (inquit laudatus Turrecremata) tunc præſentes in minoribus conſtituti; pro quo ſolo tempore convenientibus omnibus ſimul tribus obedientiis, fuit certum dicere, quod univerſalis Eccleſia repræſentative congregata eſſet Conſtantiæ; nullus autem dubitat, quin aſſerere, quod ſola obedientia Joannis faceret Concilium univerſalem Eccleſiam repræſentans, eſſet temerarium & ſcandaloſum aliis duabus obedientiis.

CXVI. Tertio, ea quæ inducuntur de Decretis Concilii Conſtantienſis non militant, quoniam auctoritati illius aliæ duæ obedientiæ, ſcilicet Gregorii XII. & Benedicti XIII. apertiſſima contradictione in plena Congregatione ſe oppoſuerunt, & eorum contradictio fuit acceptata. Contradixit, ac reclamavit in primis Gregorius ita in ſua obedientia vocatus, qui verum ſe Romanum Pontificem aſſerens, & ſcribens, mittens poſt præfatam declarationem factam ab illis de obedientia Joannis, Oratores ſuos Conſtantiam, committit eis Dominis ſcilicet Cardinali S. Sixti, Joanni Electo Patriarchæ Conſtantinopolitano, Archiepiſcopo Trevirenſi, Comiti Palatino, Carolo de Malateſta auctoritatem, Congregationem ipſam Conſtantienſem, in quantum per Serenitatem Regiam, & non per Balthaſſarem, ſe nuncupari facientem Joannem XXIII. vocatam, vice ſua convocandi, & auctorizandi Generale Concilium, remota tamen omnimode inde prædicti Balthaſſaris præſidentia & præſentia ab eiſdem. Verba formalia ſunt Bullæ datæ auctoritatis præfatis Oratoribus, quæ inſerta eſt geſtis præfati Concilii. Quod autem hæc verba & geſta Domini Gregorii præfato Decreto contradicant, & opponantur, manifeſtum eſt.

CXVII. Contradixit præterea eidem Decreto obedientia Dominorum Regum, Prælatorum, & Principum, & Communitatum, qui Petro de Luna Benedicto XIII. vocato, uti vero Summo Pontifici univerſalis Eccleſiæ adhærebant; nam ut ex geſtis ejuſdem Concilii patet, pro eo quod tenebant præfatos Patres Conſtantiæ congregatos ſub obedientia Joannis, ſive etiam Gregorii, non facere Concilium univerſale, nec eorum Congregationem repræſentare Eccleſiam Dei Catholicam, noluerunt ſe unire illi, niſi prius juxta Compacta in Narbona cum bonæ memoriæ Imperatore Sigiſmundo nova fieret per eos, apud quos veram eſſe arbitrabantur Dei Eccleſiam, Concilii convocatio, ſicut & factum eſt, nobis præſentibus in minoribus conſtitutis. Quæ omnia ita facta eſſe, & ab omnibus acceptata, Synodus ipſa Conſtantienſis per diverſas Seſſiones apertiſſime teſtatur. Quibus tribus obedientiis ita in nomine Chriſti Conſtantiæ convenientibus ſub intentione celebrandi Concilium univerſale, habita eſt certitudo, & fides apud omnes Chriſtifideles, univerſale Concilium univerſalem Eccleſiam repræſentans Conſtantiæ celebrari, & non ante concurrente ambigua inter Fideles concertatione, apud quem trium pro Romanis Pontificibus ſe gerentium Apoſtolicæ Sedis auctoritas reſideret, & Principatus. Ut enim teſtatur devotiſſimus Bernardus Lib. v. De Conſideratione: *Fides ambiguum non habet, alias ſi habet, Fides non eſt, ſed opinio*. Ex qua contradictione duarum aliarum obedientiarum clariſſime perſpicit quiſque doctus, quam præſumtuoſa ſit illa aſſertio, quod obedientia illa Balthaſſaris Conſtantiæ conveniens, faceret Concilium univerſalem Eccleſiam repræſentans.

CXVIII. Quarto, ea quæ inducuntur de Decretis Concilii Conſtantienſis, nullius ſunt roboris, aut momenti, quoniam in illorum determinatione non modo non intervenit univerſalis Eccleſia, ſed obedientia una tantum, ſcilicet Joannis XXIII. ut dictum eſt; ſed etiam non integre tota illa obedientia, quoniam plures Patres doctiſſimi illius obedientiæ non præſtiterunt conſenſum, aut aſſenſum ſuum; item nec ipſe in ſua obedientia vocatus Joannes XXIII. quoniam cum poſt receſſum ſuum Conſtantia, Schafuſæ conſtitutus audiret præfatam declarationem concluſam, Dominis Oratoribus Chriſtianiſſimi Regis Franciæ viſitantibus eum, videlicet Domino Duce Bavariæ, Domino Nicolao de Calavilla, aliiſque eorum Collegiis, amaro animo conqueſtus eſt, falſa quædam, & erronea adverſus auctoritatem Romani Pontificis Decreta per Æmulos ſuos poſt receſſum ejus eſſe concluſa.

CXIX. Quinto, præfata Decreta Concilii Conſtantienſis non militant, quoniam nunquam fuerunt per omnes alias obedientias ſimul approbata, imo nec recepta, imo tota Synodus ex tribus obedientiis congregata ſtatutis ſuis videtur deſignaſſe, Decretum illud nunquam in mente ſua inſediſſe. Quod patet ex duobus, primo ex eo quod in Seſſione xxxvi. ita dicitur: *Sacroſancta Synodus Conſtantienſis ſtatuit, & decrevit, quod futurus Romanus Pontifex per Dei gratiam de proximo aſſumendus cum hoc Sacro Concilio, vel deputandus per ſingulas Nationes, debeat reformare Eccleſiam in capite Romanæ Curiæ ſecundum æquitatem, & bonum regimen Eccleſiæ &c.* Et ſequitur in xiii. Articulo: *Propter quæ, vel quomodo Papa poſſit corrigi, vel deponi*. Ecce quod manifeſte debeat intelligi, quod Synodus illa hoc diſcernens, non approbaverit, aut mente habuerit illa Decreta prima Conſtantiæ. Secundo ex eo quod præfata Synodus Conſtantienſis, poſtquam Papa Martinus fuit creatus, morem obſervando antiquorum Conciliorum humiliter petivit ab eo confirmationem & ro-

Digitized by Google

& roborationem omnium, quæ ſecerat; cum autem confirmare, & roborare ſuperioris auctoritatis ſit, planiſſimum eſt, quod Synodus illa integra ex omnibus obedientiis Chriſtianitatis non erat hujuſmodi fidei, quod Concilium univerſale habeat a Chriſto immediate poteſtatem, cui etiam Papa obedire teneretur.

CXX. Sexto præfatum Decretum Conſtantienſe non militat, quoniam per Apoſtolicam Sedem non fuit approbatum, imo videtur per Dominum Martinum, nempe Papam V. reprobatum, ſive annullatum in condemnatione errorum Joannis Wicleſ, & Joannis Huſs, inter quos, ut patet in Bulla, quam approbante Conſtantienſi Concilio Martinus Papa miſit univerſis Prælatis Nationis Germaniæ, unus Articulus condemnatus, eſt: *Quod Petrus non eſt, nec fuit Caput Eccleſiæ Sanctæ*. Secundus Articulus, de quo mandat præfatus Dominus Martinus Prælatis, & Inquiſitoribus Fidei, ut inquirant ſuſpectos de præfatis erroribus, eſt: *Utrum credant, quod Papa Canonice electus, qui pro tempore fuit ejus proprio nomine expreſſo, ſit Succeſſor Beati Petri habens auctoritatem ſupremam in Eccleſia Dei*. Hæc ibi. Clariſſimum eſt autem, quod hi duo Articuli per Martinum Papam, aſſentiente, & approbante Concilio plenario Conſtantienſi, videlicet, quod Papa ſit Caput Sanctæ Sedis Catholicæ, ideſt, Univerſalis, & quod habeat ſupremam poteſtatem in Eccleſia Dei, non poſſunt ſimul ſtare cum Decreto illo, quod Conſtantiæ ſactum legitur per quoſdam de obedientia Joannis XXIII. ſive Balthaſſaris Coſſæ, de ſuperioritate Conciliorum ſupra Papam, quoniam, ut habetur in Capite, *Inferior*, Diſtinctione XXI. *Sola Sedes potior inferiorem convenienter abſolvit*; nec poteſt quiſquam, qui inferioris auctoritatis eſt, eum qui majoris poteſtatis eſt, adigere, aut propriis ſubjugare diffinitionibus. Si Papa manens Papa alterius judicio præterquam Dei ſubjaceat, non poteſt ſtare in veritate Articulus ille diffinitus Conſtantiæ per Dominum Martinum, quod Papa ſupremam poteſtatem in Eccleſia habet. Atque hæc ſunt, quæ in ipſa Concilii Conſtantienſis Decreta jam olim notavit doctiſſimus Cardinalis Turrecremata adverſus ſui, ac noſtri pariter ævi politicos, qui ejuſdem freti auctoritate pertinaciſſime contendunt Romanum Pontificem Maximum Concilio Generali ſubeſſe.

*Mendacia quædam de Concilio Conſtantienſi.*

CXXI. Scite & illud obſervat Ludovicus Bail in ſua Summa Conciliorum, ubi de Concilio Conſtantienſi agit, non deſuiſſe, qui & hoc ipſum Concilium arguerunt. Nam Huſſitæ per illius Decreta ab erroribus ſuis nequaquam deterriti vocaverunt Concilium angulare, non Generale; quod ibi nempe non Prælati de Regnis Orbis, ſed pauci Monachi, & ſimoniaci Urbis fuiſſent, Legis Dei, inquiunt, & veritatis æmuli manifeſti; irridebantque Juriſdictionem Papalem propter Schiſma trium inter ſe contendentium de Papatu. Impudentius vero Conſtantienſe hoc Concilium exagitat Continuator Urſpergenſis, ubi is in Paralipomenis ſuis, temere aſſerit, potuiſſe maxima negotia pro gloria Dei, pro publica utilitate in eo peragi, ſi putris caro Eccleſiaſticorum potuiſſet ferre ſalem Evangelicum. De Patribus hujus Concilii affirmare non veretur, quod Prophetias aſpernarentur, Chriſtumque in membris ejus perſequerentur. Texit inſuper eorum catalogum, qui huic Concilio adfuerunt, & ait, ſexaginta millia, & quingentas perſonas numeratas fuiſſe inter Feſta Paſchæ, & Pentecoſtes: interfuiſſe addit CCCXLVI. Archiepiſcopos, & Epiſcopos; Abbates vero, & Doctores DLXIV. ſeculares Principes, Duces, Comites, Armigeroſque Milites ſexdecim millia. Impudentiſſimum vero eſt illud quod ſtatim ſubjicit, adfuiſſe ſcilicet mulieres publicas DCL. Barbitonſores DC. & CCCXXX. Joculatores Fiſtulatores, Coquos, alioſque id genus. Sed hæc calumnia eſt Scriptoris impii, ac ſcurræ, ſicut & illa Auctoris Catalogi teſtium veritatis, qui & iſtis mendaciis, calumniiſque addit, pium quendam Virum publice in Templo, ubi Patres Miſſam de Spiritu Sancto, & Hymnum, *Veni Sancte Spiritus*, canere erant ſoliti, affixiſſe hanc ſchedam: *Aliis rebus occupati nunc adeſſe vobis non poſſumus*.

CXXII. Hæc & plura alia perverſi homines de hoc Concilio confixerunt, odio exacerbati, uti laudatus Bail obſervat, propter damnationem Joannis Huſs, ac Hieronymi Pragenſis, calumnianturque, Concilium decreviſſe, non eſſe ſervandam fidem hæreticis, & contra ſalvum-conductum hæreticos ipſos combuſiſſe. Sed hanc calumniam jam nos ſupra abunde confutavimus in enarratione Seſſionis XIX. hujus Concilii Conſtantienſis, Num. LXIII. & ſeq. Porro illud eſt, in quo errarunt Patres, ubi ſcilicet dixerunt, Romani Summi Pontificis auctoritatem inferiorem eſſe auctoritate Generalis Concilii, & poſſe Concilium Generale etiam de ipſis Romanis Pontificibus Maximis judicare. Sed hunc errorem jam non modo recentiores Theologi complures, verum etiam antiquiores egregie confutarunt, uti ſuperius variis in locis hujus Hiſtoriæ notatum fuit. Videri autem inter alia poſſunt dicta a nobis Tomo I. Conciliorum in Prolegomenis ad Concilia, Cap. XXVI. quod eſt inſcriptum, *Summus Pontifex eſt abſolute ſupra Concilium*; & Cap. XXVII. *De origine appellationis ad futurum Concilium*.

CXXIII. Addi & his poſſunt variæ Quæſtiones ſuper poteſtate & auctoritate Romani Pontificis Maximi, quas ex ſententiis Angelici Doctoris S. Thomæ Aquinatis recenſet eruditus Ludovicus Bail Auctor Gallus in Apparatu ad Summam Conciliorum, quem Tomo I. præfixit, & præſertim Quæſtionem LII. & plures alias ſequentes uſque ad Quæſtionem LIX. in quibus demonſtrat, quanta ſit Papæ auctoritas in ipſa Concilia Œcumenica. Quamobrem mirum videri non debet, ſi præ ceteris Theologi inſignes Dominicani, & inter alios pietate, doctrina, ac dignitate Eminentiſſimi Cardinales Turrecremata & Cajetanus tantum Magiſtrum & Doctorem ſequuti, eam ſententiam, quæ eſt de auctoritate Papæ in Concilia Generalia, acerrime propugnarint. Atque hæc ſunt, quæ in hoc Conſtantienſe Concilium adnotanda cenſui, quod doctiſſimus, & religioſiſſimus Cardinalis Bellarminus Lib. I. *De Conciliis & Eccleſia*, Cap. VII. partim approbatum, partim reprobatum dicit; reprobatum ſcilicet a Conciliis Florentino & Lateranenſi Quinto, *quantum ad primas Seſſiones, ubi definit, Concilium eſſe ſupra Papam*; approbatum autem, *quantum ad ultimas Seſſiones, & ea omnia, quæ approbavit Martinus V.* Qui tandem Ritus in hoc Concilio, & in Baſilienſi ſervati fuerint, docet in ſuo Cæremoniali Patricius.

HI-

# HISTORIA
## CONCILII BASILEENSIS.

I. Quum in Conſtantienſis Concilii Seſſione trigeſimanona decretum jam eſſet, ut lapſo poſt finem illius Concilii quinquennio convocaretur aliud, & poſt illud finito ſeptennio alterum, ac deinceps perpetuo de decennio in decennium, Generale haberetur Concilium; cumque in Seſſione quadrageſimaquarta Martinus V. Pontifex Maximus, qui eidem Seſſioni præfuit, prædicto Seſſionis XXXIX. Decreto inhærens, de conſenſu Patrum Conſtantienſium, proximum futurum Concilium Papiæ celebrandum indixiſſet, ad quod Prælati tempore indicto convenire deberent: anno MCDXXIII. futuros in Concilio ipſo Papienſi, ſeu Ticinenſi creavit Præſides Donatum Archiepiſcopum Cretenſem, Jacobum Epiſcopum Spoletanum, Petrum Abbatem de Roſatio Benedictinum Diœceſis Aquileenſis, & Leonardum de Florentia Ordinis Prædicatorum Magiſtrum Generalem, quos ampliſſima decernendi in Concilio, transferendi illius in aliam Italiæ Urbem, ſi id tempus, & neceſſitas poſtulaſſet, atque indicendi ad ſeptennium proxime recurrens alterum, deſignandæque Urbis, poteſtatem fecit, Litteris ſuis datis *Romæ apud S. Petrum* VIII. *Kal. Martii, Pontificatus anno* VI. ſeu die XXII. Februarii anni MCDXXIII. quæ referuntur Concilio Baſileenſi apud Labbeum.

II. Initium huic Papienſi Concilio datum eſt menſe Maji ejuſdem anni MCDXXIII. ut habet Codex ms. S. Victoris apud Spondanum, Num. II. ſed cum nulli adhuc Tranſalpini adveniſſent præter duos Abbates Burgundos, & Joannem Baſtonum Carmelitanum a Clero Anglicano miſſum, & præterea peſtifera lues Ticini graſſaretur, poſt duos menſes inutiliter ibidem tranſactos, mutari locum Synodi Præſidibus placuit, deſignataque ab eiſdem Civitate Senarum ad Kalendas Novembris, ut legitur in eodem Codice Victorino, cujus Auctor tunc vivebat, eam translationem confirmavit idem Martinus Pontifex, & Ludovico Epiſcopo Magalonenſi præcepit, ut cum Senenſium Oratoribus de excipiendis Patribus, & tuenda Concilii libertate, ad quod una cum Cardinalibus ſe conferre meditabatur, paciſceretur, ut ipſemet Litteris ſuis docet apud laudatum Spondanum ad ipſum annum MCDXXIII. Num. III. *Super ordinatione, & celebratione Concilii Generalis in Civitate Senarum, & acceſſu noſtro, necnon Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, & Romanæ Curiæ, & aliorum venientium ad Concilium, & Civitatem prædictam. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Id. Augusti, Pontificatus noſtri anno* VI.

III. Prima Seſſio in eo Concilio habita eſt VIII. Kalendas Novembris, ſeu die XXV. Octobris, iis Præſidibus, quos primum Papiam Martinus Papa V. miſerat; in eaque Seſſione cœpta eſt reformatio a Fidei fundamento; damnatio hæreſum Wicleſitarum, & Huſſitarum facta non ita pridem in Concilio Conſtantienſi, confirmata eſt, ad eoſque hæreticos penitus extirpandos Senenſis hæc Synodus Principes adhortata eſt, conceſſione Indulgentiarum iis propoſita, qui hæreticos ceperint, & in poteſtatem Inquiſitorum, aut Ordinariorum tradiderint. Sententiam deinde contra Petrum de Luna olim Benedictum XIII. in ſua obedientia nuncupatum jam ab eodem Conſtantienſi Concilio latam, ratam habuit, & perſeverantes poſt ejus obitum quoquo modo in eodem Schiſmate pœnis, & Cenſuris in ea ſententia contentis damnavit. Extat hæc ratificatio damnationis Petri de Luna, & aggravationis contra ei ſuccedentes, & participantes, inter Acta Concilii Senenſis, apud Labbeum, & refertur etiam a Pagio in Vita Martini Papæ V. Num. XXXV.

IV. Actum præterea eſt in hac Senenſi Synodo de Græcorum ad unitatem Eccleſiæ reductione. Cumque Martinus V. Nuntios Conſtantinopolim ad Patriarcham, & Imperatorem ea de re miſiſſet, Imperator vero reſpondiſſet, hoc negotium tunc non poſſe utiliter, & fructuoſe pertractari, nihilominus decrevit Synodus, negotium iſtud minime deſerendum eſſe, ſed cum ſe facultas offerret, ei pro viribus intendendum. Legationis ab Antonio Maſſano ad Patriarcham, & Imperatorem Græcorum ſuſceptæ nomine Martini V. Papæ relationem legere eſt inter laudata Acta Concilii Senenſis apud eundem Labbeum, & apud Spondanum, Raynaldum, Pagium, alioſque Auctores. Porro agendum & in hoc Senenſi Concilio erat de Eccleſiaſtica diſciplina, & Chriſtifidelium moribus in primævum decus reſtituendum, ſed cum pauci Prælati ad hoc conveniſſent Concilium, nec ſpes eſſet deinceps venturos, ob ingruentes undique bellorum tempeſtates, maxime vero ob fœdos conatus Alphonſi Aragonum Regis, Schiſma renovantis, die XIX. Februarii anni MCDXXIV. ad proſequendum commodiori loco, & tempore inchoatam reformationem, Civitatem Baſileenſem ad Concilium Œcumenicum ſeptennio poſt celebrandum, juxta Conſtantienſis Concilii Decretum Seſſione XXXIX. editum deſignarunt: *Proteſtantes tamen, quod propter hoc, ipſum Concilium Senenſe non cenſeatur diſſolutum eſſe, ſed quod ipſi Præſidentes cum inclytis Nationibus ad omnem reformationem hic poſſibilem concurrere vellent*. Atque hoc idem Nationum Deputati, quilibet pro ſua Natione proteſtati ſunt, uti conſtat ex memorato ms. Codice Victorino, & ex Actis Concilii Senenſis.

V. Indicta eſt itaque in Senenſi Concilio Synodus Baſileæ, quæ eſt Civitas Germaniæ in Provincia Biſuntina die XIX. Februarii anno Domini MCDXXIV. & die XXVI. ejuſdem menſis Senenſe Concilium diſſolverunt, ac publicis Litteris Patribus, ut ad ſuas redirent Diœceſes, die VII. Martii edixere, intentatiſque graviſſimis pœnis, prohibuere tum iis, tum Regum, ac Principum Oratoribus, ne ullos celebrarent conventus, quibus ipſum Concilium Senenſe renovare, vel propagare viderentur; quorum Decretum

Mar-

Martinus Papa V. ratum habuit, Litteris datis *Romæ apud S.Petrum* IV. *Idus Martii, Pontificatus anno* VII. Poſtea vero ſuis aliis Litteris datis etiam *Romæ apud S. Petrum* IV. *Idus Aprilis, anno* VII. certiores fecit Baſileenſes de ſoluto ipſo Senenſi Concilio, deque ingenti honore ipſorum Civitati delato, in qua ſolemnes Epiſcoporum totius Orbis conventus celebrandi eſſent, ipſoſque ad Pontificium Nomen colendum, & Eccleſiaſtici Ordinis tuendam dignitatem eſt cohortatus. Utræque ipſæ Litteræ extant in laudatis Actis Concilii Senenſis apud Labbeum, earumque meminit inter alios Pagius in Vita Martini V. Num. XLV. qui etiam aliarum Litterarum numero ſequenti mentionem facit, quas dedit *Romæ apud S. Petrum* IV. *Idus Martii*, eo anno Pontificatus ſeptimo, quibus Antonium Epiſcopum Portuenſem, Petrum S. Stephani in Cœlio monte Presbyterum, & Alphonſi S. Euſtachii Diaconum, Cardinales deſignavit, ad quos univerſi Fideles referrent, quæ cenſura caſtiganda, vel in meliorem ordinem redigenda viderentur. Ceterum ut Cardinales ceteris exemplo ſuo prælucerent, atque ad ſuſtentandam univerſæ Eccleſiæ rerum molem aptiores eſſent, leges quaſdam eiſdem impoſuit, quas ex Vaticano Codice recenſet in Vita ejuſdem Pontificis Contelorius, & Raynaldus ad annum MCDXXIV. Num. IV.

VI. Sane anno MCDXXXI. inſtante jam tempore celebrationis Concilii Generalis ex Decreto primum Concilii Conſtantienſis, ac deinde Senenſis, quo Baſileæ Civitas ad ipſum habendum Concilium deſignata eſt, Martinus Pontifex Diploma edidit, quo & Concilii indictionem confirmavit, & Julianum Cæſarinum Cardinalem Diaconum in Foro piſcium, Virum doctrina, facundia, & rerum experientia, prudentiaque mirabilem, omnibuſque, tam Latinis, quam Græcis illorum temporum Scriptoribus laudatiſſimum, jam in Germania apud Sigiſmundum Regem Romanorum agentem, & ut docet Cochlæus Lib. VI. Hiſtoriæ Huſſitarum, ubi ejuſdem Martini Papæ ea in re Litteras refert, cum ampliſſima facultate Legatum a Latere conſtitutum, pro Bello ſacro contra Bohemos Huſſitas indicendo, & aliis gerendis, quæ ad eandem rem pertinerent, tanquam Angelum pacis ad prædictam Civitatem Baſileenſem a latere Legatum deſtinavit cum plena, & abſoluta poteſtate ipſius Pontificis nomine, Concilio in ea celebrando præſidendi, *ac in illo pro ſua ſapientia illa proponendi, deliberandi, ordinandi, ſtatuendi, & decernendi, quæ ad laudem & honorem Dei, & conſervationem, & augmentum Religionis, Fidei Chriſtianæ, ſtatum Eccleſiæ, reformationem quoque totius Cleri, & Eccleſiaſtici Status in moribus, & vita, necnon reductionem Orientalis Eccleſiæ, & quorumlibet aliorum oberrantium ad gremium Eccleſiæ Militantis, ac conſervationem Eccleſiaſticæ libertatis, ſalutemque quoque, quietem, & pacem Regnorum, Regum, Ducum, Principum, & quorumlibet Fidelium Populorum noverit pertinere; ac ibidem cum debita maturitate, & deliberatione, prout in tanta re convenit, ea omnia proponendi, decernendi, concludendi, & exequendi, per quæ hæreſes, & errores, tum de Bohemia, quam de aliis quibuſcumque Regnis, Provinciis, Terris, & locis penitus extirpentur.* Hæc Martinus in ſuo Diplomate dato *Romæ apud SS. Apoſtolos Kalendis Februarii, Pontificatus anno decimoquarto*; ideſt, anno Chriſti MCDXXXI. legiturque apud Labbeum, Raynaldum, alioſque Scriptores de Concilio Baſileenſi agentes.

VII. Verum cum ipſe Julianus Cardinalis expeditioni Germanorum contra Hæreticos Huſſitas intenderet, ecce interim diem ſuum claudit extremum Martinus Papa V. & quidem, ut complures ejus Vitæ Auctores narrant, die XX. Februarii ejuſdem anni MCDXXXI. laudatus ab omnibus multarum virtutum; ei enim Eccleſia unionem, Italia quietem, Roma reſtaurationem debuit. Accuſatur a quibuſdam de nimia cumulandarum pecuniarum cupidine, ſed eum tamen excuſat inter alios S.Antoninus, Parte III. Chronicorum, Titulo XXII. Cap. VII. §. III. quod eæ ſcilicet inſumtæ ſint in ſtipendiarios, & contra hoſtes Eccleſiæ; præter ingentes illas, quæ in reſtaurationes Eccleſiarum, aliaque Urbis ornamenta expenſæ fuerunt. Sed nec mirum videri debet, ſi & dum viveret, culpatus ab aliquibus fuerit, cum enim mortalium virtus, felicitaſque invidiam comitem habere ſoleat, Populus perpetuo inſanus, non ſolum eum, ſed & aliquot ejus Succeſſores, quos viventes carpſerat, mortuos deinde laudavit. Quam in rem Joannes Gobelinus Hiſtoricus in Præfatione Libri I. ſuorum Commentariorum ita ſcribit: *Martinum V. vidi, & Eugenium IV. & Nicolaum V. & Calliſtum III. quos, dum vixere, damnavit Populus, fato defunctos magis extulit præconiis.*

VIII. Quod noſtrum Baſileenſe Concilium ſpectat, qui Martino V. ſucceſſit Eugenius IV. creatus Pontifex Maximus die III. menſis Martii anni MCDXXXI. ſive die VI. ejuſdem menſis, ut alii tradunt; ſolicitus in primis de ſacra ipſa in Bohemos expeditione, & Baſileenſis Concilii celebratione, eidem Juliano Cardinali Cæſarino Litteras dedit ipſo ſuæ Coronationis die, nempe IV. Idus Martii, quæ extant apud Labbeum, quibus ejus Legationem a Martino Papa V. ita confirmavit, ut tamen quod circa negotium Concilii mutationem in pluribus factam audiret, ab eo de iis reddi certior poſtulaverit. Receptis vero ejus Litteris, quæ quidem non extant, ſed quarum mentio in reſponſione Eugenii habetur, cum percepiſſet Pontifex, paucos, aut nullos Patres Baſileæ conveniſſe, reſcripſit ad eundem Julianum Cardinalem ſecundo, ſeu pridie Kalendas Junii, ei mandans, ut interim negotium Bohemorum agens, eo expedito, Baſileam ſe transferret; extantque hæ Litteræ apud eundem Labbeum, earumque inter alios meminit Natalis Alexander in Hiſtoriam Eccleſiaſticam Seculi XV. & XVI. Diſſertatione VIII. Articulo II. & in Vita Eugenii Papæ IV. Pagius Num. VIII. ubi etiam poſt ipſum Alexandrum notat, Julianum ipſum, quod videret expeditionem in Bohemos hæreticos moram nectere, Baſileam miſiſſe Joannem Polmar, ſeu de Polomar, Auditorem Sacri Palatii Apoſtolici, & Joannem de Raguſio Doctorem in Theologia Pariſienſem Ordinis Prædicatorum Procuratorem Generalem Delegatos ad præſidendum Concilio ipſi Baſileenſi; qui quidem die XIX. Julii ejuſdem anni MCDXXXI. Baſileam pervenientes, die XXIII. ejuſdem menſis convocatis omnibus Eccleſiaſticis Perſonis, in Capitulo Majoris Eccleſiæ Baſileenſis Concilium inchoaverunt, decernentes tamen, majorem numerum ad res tractandas eſſe expectandum.

Quare nulla Seſſio habita eſt ante menſem Decembrem, licet Julianus Cardinalis jam per aliquot menſes Baſileæ ſubſtitiſſet, uti conſtat ex Seſſionibus Actorum ipſius Concilii apud Labbeum, Spondanum, Raynaldum, Baſilea autem, ſeu Baſilia, ut idem Pagius notat, eſt antiqua, & inſignis Germaniæ Civitas ad Rhenum Provinciæ Biſuntinæ, media fere inter Conſtantiam, & Argentoratum ad quindecim leucas, quæ Helvetiis poſtmodum fœdere contributa, poſtremus eſt eorundem Helvetiorum Conventus, ſive Pagus.

IX. Cum vero Julianus Cardinalis Baſileæ aliquandiu ſubſtitiſſet, ac de rebus gerendis trium circiter menſium ſpatio cum Patribus, qui aderant, conſilium iniiſſet, ad Bohemos tandem verbis alliciendos, qui ſuperari armis non poterant, quod quererentur, nunquam ſibi traditam fuiſſe, qualem voluiſſent audientiam, Concilii nomine die xv. Octobris Epiſtolam ſcripſit, qua eoſdem Bohemos benigne hortatus eſt, ut Oratores ad Synodum mitterent, quibuſcum de eorum ad unitatem Eccleſiæ reditu pacifice tractari poſſet, oblato pleno, ac ſufficienti ſalvoconductu. Meminit hujus Epiſtolæ Spondanus, extatque inter Epiſtolas Synodales hujus Concilii. Eodem autem tempore Synodus monita, Catholicos Bohemis vicinos conditiones pacis ab eis, poſt victoriam menſe Auguſti de Catholicis reportatam, oblatas acceptare velle, ignominioſum id eſſe arbitrans, miſit Joannem Niderium Dominicanum, & Joannem Gelhuſium, ſive de Mulbrun Ciſtercienſem, ut Catholicos conſolarentur, & meliora ſperare hortarentur, & a fœdere cum hæreticis ineundo dehortarentur; ſimulque Moravos, Bohemoſque ad Concilium ante vocatos ad veniendum ſedulo urgerent, prout traditur in Narratione compendioſa rerum de Bohemia ad Concilium Baſileenſe vocatis, quam ex editione Freheriana Æneæ Sylvii anni MDCII. poſt Cap. I. inſeruit Labbeus ſuæ editioni Conciliorum ante Concilium ipſum Baſileenſe, eam enim non ſatis fideliter, & prudenter congeſſerat Ortwinus Gratius in ſuo rerum expetendarum Faſciculo, uti inter alios obſervat Pagius loco citato.

X. Porro in ea Epiſtola non modo habetur, Joannem Niderium, & Joannem Gelhuſium tertio Kalendas Novembris Baſilea verſus Monachium Bavariæ Oppidum diſceſſiſſe; ſed & Julianum Cardinalem, ſtatim ac Baſileam advenit, miſiſſe ad Sigiſmundum Imperatorem, & ad Fridericum Ducem Auſtriæ, pro componendo bello, quod huic erat cum Philippo Duce Burgundiæ; & hoc factum eſſe, ut reddita pace, liceret omnibus Baſileam tuto venire; ſed nullibi legitur, Julianum ipſum Cardinalem Bohemos per Litteras evocaſſe; ſed imo, ut ibidem additur, eoſdem Niderium, & Gelhuſium Litteras accepiſſe a Synodo Sigiſmundo Cæſari reddendas, quibus Bohemi, & Moravi ad Concilium vocabantur, quas ipſe mox in Bohemiam perferendas curavit; cumque in Italiam proficiſceretur, Imperialem a Romano Pontifice Coronam ſuſcepturus, Protectorem Synodo dediſſe Willelmum Bavariæ Ducem. Ex quibus ſequi videtur, quod obſervat Pagius, aliique eruditi Scriptores, Litteras, quæ Concilii nomine ad Bohemos datæ fuerunt, perperam a quibuſdam Auctoribus Juliano Cardinali attributas fuiſſe.

XI. Certior de his factus Eugenius Pontifex, ratus creari inde Orthodoxæ Fidei periculum, & Conſtantienſis, ac Senenſis Conciliorum Decreta, atque auctoritatem infringi, cum damnati in iis Articuli in diſceptationem a Baſileenſibus Patribus vocarentur, quia ſcilicet invitabantur ipſi Bohemi ad diſputandum, & contendendum ſuper Articulis in prædictis Conciliis, & per Proceſſus Apoſtolicos tam ſolemniter condemnatis, ſtatim, nempe ſecundo Idus Novembris, Apoſtolicis Litteris ſuis Baſileenſem Synodum ſolvendi, atque aliam Bononiæ poſt decem & octo menſes celebrandam, cui ipſemet præeſſe, & in ea Græcos Romanæ Eccleſiæ adgregare decreverat, indicendi, eidem Juliano Cardinali Legato poteſtatem fecit. Certior enim etiam factus fuerat per Joannem pulchri-panis Canonicum Biſuntinum a Juliano Cardinali ad ſe miſſum, nullos ferre Prælatos adhuc Baſileam acceſſiſſe, & tam eam Civitatem, quam vicina loca infeſtari armis Ducum Burgundiæ, & Auſtriæ, inter ſe bellantium, adeo ut non eſſet tutus ad eam acceſſus; ac tandem in ipſa Civitate Baſileenſi multa gravia ſuboriri ſcandala, cum multi ex civibus Huſſitarum hæreſi infecti Clerum perſequerentur, & crudeliter trucidarent, ut ipſe Eugenius narrat in prædictis Litteris ad Julianum datis, quæ apud Binium juxta Spondanum datæ dicuntur ſecundo, ſeu pridie Idus Novembris; unde ea corrigenda Epiſtola, quæ extat apud Labbeum, ubi dicitur data *II. Idus Februarii*, & conſequenter anni MCDXXXII. cum tamen Bulla revocationis ipſius Concilii Baſileenſis dicatur apud eundem Labbeum publicata Romæ, & alibi, XV. *Kalendas Januarii Pontificatus anno* I. ideoque anno Domini MCDXXXI. Sed de his vide laudatum Pagium in citata Vita Eugenii IV. Papæ, Num. x. & ſeq.

XII. Sigiſmundus interim, qui Mediolanum pervenerat menſe Novembri anni MCDXXXI. dieque XXV. ejuſdem menſis in Baſilica Ambroſiana ferream Coronam aſſumſerat, ubi receptis Eugenii Papæ Litteris die XVIII. Decembris prædicti anni MCDXXXI. ſcriptis, & a Labbeo relatis, quibus certior fiebat de diſſolutione Baſileenſis Concilii, Epiſtolam ſcripſit die IX. Januarii anni MCDXXXII. qua Eugenio ſignificavit, vehementiſſime mirari ſe ejus revocationis Diplomate, quod innumeras calamitates, & graviſſima ſcandala allaturum erat, & Catholicam Fidem radicitus enervaturum; & tam pro zelo, quem ad Religionem haberet, quam ex debito officii, quod gereret Advocati, & Defenſoris Eccleſiæ, enixiſſime rogavit, ut permitteret Concilium Baſileæ celebrari, niſi vellet Eccleſiam in deterrimas conditiones prolabi, ipſeque ſiniſtræ ſuſpicionis notæ ſubjici. Una cum ea Epiſtola, quæ extat apud Labbeum, miſit etiam Monita quædam ſuper facto Concilii, quæ & ibidem leguntur, quibus in primis præcipuam allegatam ab Eugenio diſſolutionis cauſam, nempe reductionem Græcorum ita diluit, ut quamvis ea reductio valde optanda eſſet, poſſet tamen illa abſque ullo Fidei Catholicæ periculo differri; cum præſertim hæc reductio, quæ tot centenis annorum perſiſtit, durarit ſine læſione Romanæ Eccleſiæ, cum a Græcia, & ſuis concredentibus hucuſque Chriſtianitas nihil violenti pertulerit; quinimo & hanc debere differri, quouſque diſſenſio Fidei, & deformitas morum in Chriſtianis Latinis compoſita eſſet, cum credibile non ſit, Græcos Ri-

tui

Digitized by Google

tui noſtro conformari velle, videntes nos in tanta diſſenſione, & deformitate morum, & vitiorum, nec unquam aliquam correctionem adhiberi, ſed de die in diem nos in viliora, & magis inordinata corruere.

XIII. Ad alteram diſſolutionis Concilii cauſam, qua negabat Pontifex, Bohemos hæreticos jam prædamnatos audiri amplius debere, reſpondit in eadem Epiſtola ſua Sigiſmundus, nec eam eſſe mentem Concilii, nec ſuam, ſed ſolum ut vocarentur ad inſtructionem a Patribus Concilii accipiendam, prout Martinus ipſius Eugenii Deceſſor pluribus Epiſtolis ſuis tam ipſi Sigiſmundo, quam Regi ipſi Poloniæ faciendum præſcripſerat: ſi vero Concilium diſſolveretur, jactaturos Huſſitas, Catholicos fugere, & Eccleſiam eorum rationibus ſuccumbere, qui & propterea, & deteriora mala Populis illaturi eſſent, quo & probatior ipſorum Religio videri poſſet. Tertio reſpondit Imperator, ſi diſſolvatur Concilium jam congregatum pro reformatione morum in Populo Catholico, & Statu Eccleſiaſtico, timendum plane eſſe, ne inde occaſionem caperent irruendi contra Clericos, in quos debacchabantur, dicentes, in congregandis, & diſſolvendis Conciliis ſine fructu illuſores fieri; & re vera jam Civitatem Magdeburgenſem expuliſſe Archiepiſcopum ſuum cum Clero, eique fere omnes Civitates Saxoniæ ſubſidio eſſe. Quarto, licet plures Principes, Nobiles, ac Civitates poſt victoriam a Bohemis contra Catholicos reportatam cum iis trengas iniiſſent, majorem tamen partem adhuc contra eos ſe ſuſtinere, ponendo ſpem totalem in Concilio, pro liberatione ſua; audientes autem Concilium debere diſſolvi, ipſos etiam ad redimendas vexationes, fœdera, & treugas inituros. Quinto, quum Concilium inter cetera pro conſtituenda inter Principes pace congregatum fuerit, audientes illius diſſolutionem Concilii, converſuros ſe ad gladium, ſicque fieri errorem noviſſimum pejorem priore.

XIV. Hæc & alia plura ad Eugenium Papam Sigiſmundus ſcripſit, ut in ejus Epiſtola videre eſt, ſed longe vehementius ad eundem Pontificem prædicti Concilii Baſileenſis Præſes Julianus Cardinalis Cæſarinus, ut demonſtrat ejus Epiſtola, quæ extat inter Opera Æneæ Sylvii, apud Ortwinum in Faſciculo rerum expetendarum apud Spondanum. In ipſa Epiſtola, quam aliqui a Concilio ſcriptam, alii ab ipſo Juliano a ceteris Patribus coacto aſſerunt, poſt narrata, quæ hactenus in Cauſa Bohemorum geſta eſſent, pro neceſſitate celebrationis Concilii in Civitate Baſileenſi eædem quas Sigiſmundus, aliæque etiam proponuntur, ac late explicantur cauſæ, propter quas Concilium iſtud non poſſet ſine magno ſcandalo, & prope everſione Fidei diſſolvi. Magna prorſus libertate, haud tamen ſine debita reverentia Auctor ejuſdem Epiſtolæ Pontifici objicit oblocutiones, quæ in eum undique proventuræ eſſent, eumque hortatur, ut etiamſi ſciret, ſe occidendum ratione hujus Concilii, non permittat ſe tam indelebili ignominia notari, & tanta ſcandala ſequi, quorum diſtrictam rationem Deo eſſet redditurus. Addit inter alia, debere ipſum Pontificem rebus Concilii ita ſtudere, ut, etiamſi certus eſſet perdere Romam, & totum Romanæ Eccleſiæ Patrimonium, ſubveniendum potius eſſet Fidei Catholicæ, atque animabus, pro quibus Chriſtus mortuus eſt. Diluit poſtea rationes in Litteris Eugenii pro diſſolutione Concilii allatas, conquerenſque de duplicitate verborum illius, qui Litteras ejus diſſolutionis attulerat, quaſi non ipſi Juliano Cardinali fideretur, proponit rurſum periculum præſentiſſimum Schiſmatis, Patreſque Baſileenſes omnino decreviſſe Baſileæ Concilium continuare, ac mittere quendam inſignem Virum ad ipſum Pontificem, quem etiam obſecrat, ut ſi nihilominus ſtatuiſſet illud diſſolvere, ſaltem ad aliquod tempus differret, quo jam cœpta in Concilio adimpleri poſſent. Satis tandem ſe clamaſſe dicens, & raucas factas eſſe fauces ſuas, Chriſtum invocat in auxilium Eccleſiæ ſuæ, quam ſuo pretioſiſſimo Sanguine fundavit. Affert & hanc Epiſtolam ex Ænea Sylvio Raynaldus ad annum MCDXXXI. ſed more ſuo in multis mutilam, & truncatam, ut notat Pagius in Vita Eugenii IV. Papæ Num. XVI. ubi etiam ait, putare ſe Epiſtolam ſcriptam menſe Decembri, cum diſſolutio Concilii nondum Romæ publicata eſſet, ut ex ejus Epiſtolæ lectione perſpicue apparet.

XV. Porro Julianus Cardinalis Legatus acceptis prædictis Eugenii Papæ Litteris datis Romæ pridie Idus Novembris, quibus ſcilicet ei Concilium Baſileenſe diſſolvere præcipiebat, in earum primum executione hæſit; tum etiam volens obedire Summo Pontifici, Præſidentiam dimiſit, ut ait Pius II. in ſua Retractatione, qui etiam addit, ipſum tamen Julianum videntem creſcere in dies Antiſtitum numerum undique adventantium, itemque Oratores Regum, atque Principum, & nonnullos etiam Cardinales occurrere, Præſidentiam ipſam reſumſiſſe, & auctoritatem Concilii mirum in modum extuliſſe. Ergo conſiderans Julianus, præcipuam illam Eugenii cauſam pro diſſolutione Concilii, quæ erat Antiſtitum paucitas, & itinerum difficultas, ceſſare; nec tam diſſolutionem Eugenium injunxiſſe, quam rebus ſic, ut narrabat, ſtantibus, poteſtatem diſſolutionis feciſſe videretur; maximeque neceſſariam eſſe ad res Germanicas, & Bohemicas Synodi continuationem, nec denique poſſe amplius abſque pudore, & Principum, ac Prælatorum injuria, & querimonia rem in alium locum, aliudve tempus remitti: decrevit omnino ulterius procedere, præſertim quod nondum publicata eſſet Romæ Concilii diſſolutio; factum enim id fuit die VIII. Decembris anni MCDXXXI. Habita igitur generali Congregatione die Veneris VII. Decembris, Primam Synodi Seſſionem indixit Julianus Cardinalis Præſes Concilii in diem Veneris XIV. in Eccleſia Cathedrali Baſileenſi celebrandam, de qua infra, ſicut & de ceteris ejuſdem Concilii Seſſionibus dicemus.

XVI. Antequam ipſas Seſſiones narremus, abs re non erit ordinem in Concilio Baſileenſi ſervatum exponere; ex eo enim multum lucis affertur aliis Conciliis. In hoc itaque Baſileenſi Concilio decretum eſſe ſcribit Spondanus ad annum MCDXXXI. Num. XI. ut multitudo omnis in quatuor Nationes primum diſtincta, Italicam, Gallicam, Germanicam, & Hiſpanicam, & ex iis pari ex unaquaque numero, quatuor Conventus, quas ſacras Deputationes appellabant, conſtituerentur, inter quos, quantum fieri poterat, etiam pari numero adeſſent Cardinales (quandiu ſcilicet hi interfuerunt) Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Magiſtri, Doctores. Habebant quoque diverſa ac propria Tribunalia,

variis nominibus cenſita, videlicet Fidei, Pacis, Reformationis, & Communium; celebrationis quippe hujus Concilii cauſæ prædicabantur, extirpatio hæreſum, pacis inter Principes Conciliatio, & morum emendatio, Erant cuique Conventui proprii Megiſtratus, ac Miniſtri; Præſidens, qui concionem advocaret, negotia proponeret, & ſecundum majoris partis ſententias concluderet; Promotor, qui tanquam Curator publicus ingereret negotia, inſtaretque, ut abſolverentur; Scriba, qui geſta, Decretaque publicis monumentis adnotaret; Lector, ſive apparitor, qui Conventus nomine Patres convocaret, & Edicta proponeret. Conveniebant ter in hebdomada iiſdem horis, propriis in Prætoriis, ubi confecta re Divina, rebus gerendis deinde operam dsbant.

XVII. Ex quatuor deinde Conventibus, ut idem Spondanus ſubjicit, duodecim Virorum Collegium creabatur, qui appellabantur duodecim Deputati, terni ex unoquoque Conventu, Viri doctrina, & experientia clariores; ad hoſque primum negotia omnia deferebantur; qui rebus digeſtis, vel reſpuebant, vel, ſi admittendas judicabant, ad Collegium, ſive Tribunal, cui competebant, mittebant; eratque duodecim illis Deputatis poteſtas, cum aliquod grave inſtaret, convocare quatuor Conventus etiam extra ordinem; quæ vero ab iis ad quempiam ex Conventibus remittebantur, in concione per Præſidentem illius Conventus proponebantur; neque licebat prima die de propoſitis quidquam decernere, niſi res neceſſariam celeritatem exigeret. Quod major pars ſtatuiſſet, firmabatur ſigno Præſidentis, & ad alios tres Conventus deferebatur; & ſi ita minori parti videretur, etiam deferebatur eorum ſententia cum rationibus & argumentationibus utriuſque partis. Quod autem per tres Conventus approbatum erat, ad Præſidentem hujus Concilii publicis documentis deferebatur; qui ſtatuto die in generali Congregatione, quæ octavo quoque die fiebat, de es re referebat. Neque ei licebat de ulla re agere cum Patribus in generali Conventu, niſi prius deliberatum de illa, ſive, ut ajebant, concluſum fuiſſet per quatuor, aut ſaltem tres ſpeciales Conventus, ſeu Deputationes. Demum ubi quippiam approbatum erat in generali Conventu, ſive Congregatione, id in formam Decreti redactum, in publica univerſi Concilii Seſſione ſolemni ritu ſtatuebatur,

XVIII. Cum vero res erat in publica Seſſione promulganda, conveniebant Patres, ut idem Spondanus refert, ad Baſilicam Civitatis, & nonnumquam Clerus cum ſacra pompa, ubi re Divina per aliquem ex Prælatis facta, Præſules, Abbateſque omnes ſacras veſtes, & sliquas inſulas ſumebant. Præſidem autem Concilii Mitra, & veſte pretioſiori ornatus in Pontificali Sede ad Altare ſedens, faciem ad Patres convertebat; cui Diaconus, & Subdiaconus in ſacris veſtibus ut celebraturo adſtabant: Patres inſulati hinc inde in ſubſelliis Chori ſedebant: Legati vero Regum & Principum in medio ante faciem Præſidentis humilioribus ſedibus: poſt eos Generales Ordinum, Magiſtri, Doctores, Graduatique omnes, & alii Sacerdotes, ſuo quique ordine. Dictis poſtea precibus cum Litania (qualis forma ex Concilio Conſtantienſi edita extat in principio Actorum Baſileenſis) unus, aut duo Prælati, reliquis omnibus ſuo loco ſedentibus, cum Mitra ſuggeſtum aſcendentes Decreta legebant; iiſque perlectis, interrogabant Præſidentes, an placerent; & Præſidens Concilii pro toto Concilio, alii pro ſuis Conventibus, reſpondebant, *Placet*. Aderant Scribæ, qui rogati omnia adnotabant, ut lecta erant, & in Acta publica redigebant. Tum depoſitis ſacris veſtibus, dimiſſo Senatu domum revertebantur. Decretum vero ſcriptum Concilii Bulla, ſive Sigillo muniebatur; cum tamen quæ a Scribis notabantur, non prius ederentur, quam a Correctoribus, quibus ea provincia demandata erat, emendarentur. Erant vero præterea in Concilio alii Miniſtri, ſeu Officiales, puta Promotores, ſedium diſtributores, Procuratores, & Advocati, Judices, & Auditores Cauſarum, Auditor Cameræ juriſdictionem habens in omnes Conciliares, Soldanus Prætor, & exequutor Auditoris, denique Magiſtratus, & Miniſtri omnes, qui in Romana Curia eſſe ſolent.

XIX. Hactenus Spondanus, eademque fere longe ante ipſum tradit Auguſtinus Patricius in collectionis ſuæ epilogo; quæ pariter tractantur in Appendice Actorum editionis Conciliorum a Binio adornatæ, & ſtatuta dicuntur in generali Congregatione die veneris die XXVI. Septembris una cum pluribus aliis articulis de recto vivendi modo, & modeſtia, ac honeſtate tam a Prælatis, quam ab aliis omnibus in Concilio exiſtentibus ſervandis. Plura de Generali Concilio, ac de aliis ad ipſum ſpectantibus videri poſſunt, quæ ſcripſimus Nos Tomo I. Conciliorum in Prolegomenis ad ipſa Concilia, & quæ Deo dante dicemus in Commentariis ad Cæremoniale Eccleſiæ Romanæ a laudato Patricio concinnato, & deinde a Marcello Corcyrenſi Archiepiſcopo publici juris factum, Lib. I. Sect. XIV. Cap. I. & ſequentibus.

SESSIO I.

XX. Quod vero primam Seſſionem hujus Concilii ſpectat, quæ habita eſt die XIV. menſis Decembris in Eccleſia Cathedrali Baſileenſi, celebrata ſolemni Miſſa de Spiritu Sancto per Philibertum Epiſcopum Conſtantienſem in Provincia Rothomagenſi, & cantatis Litaniis, Antiphonis, aliiſque devotis orationibus, Cardinalis Præſidens in Pontificalibus ſedens ſuper Cathedram ad hoc ſibi præparatam, aliiſque Prælatis in Pontificali habitu, atque cum Mitris in capite exiſtentibus Sermonem ad Synodum habuit de recto vivendi modo, & pura in rebus agendis mente, ſumto Themate ex Propheta Iſaia Cap. LII. *Mundamini qui fertis vaſa Domini*. Sermone autem finito, idem Philibertus Conſtantienſis Epiſcopus Ambonem aſcendit, & nomine Synodi Baſilenſis *univerſalem Eccleſiam repræſentantis, in Spiritu Sancto legitime congregatæ*, legit primo Decretum Seſſionis XXXIX. Concilii Conſtantienſis de celebratione frequenti Generalium Conciliorum. Secundo expoſuit, quomodo Papienſe Concilium in hujus executionem Decreti celebratum eſſet. Tertio legit Inſtrumentum electionis Civitatis Baſileenſis pro Generali Concilio celebrando in Concilio Senenſi factum auctoritate Martini Papæ V. & ab eo confirmatum peculiari conſtitutione Romæ data IV. Idus Martii, Pontificatus ejuſdem Martini anno VII. Quarto ejuſdem Pontificis Diplomata & Litteras Legationis Juliani Cardinalis. Quinto Eugenii IV. Litteras eam Legationem confirmantes. Sexto Decre-

cretum, quo dictum eſt, cum Civitas Baſileenſis locus eſſet celebrationi Concilii Generalis deputatus, & jamdiu tempus præſtitutum adeſſet, teneri omnes ad illud accedere, tam Prælatos, quam ceteros, qui de Jure, vel conſuetudine Generalibus Conciliis adeſſe debent. Septimo alterum Decretum, quo Synodus in hæc tria toto ſolicitudinis ſtudio incumbere ſe velle ſignificavit, in extirpationibus hæreſum, Chriſtiani Orbis pacem, & morum reformationem. Octavo Toletani XI. Concilii Decretum de ordine in Conciliis ſervando. Nono aliud iſtius Concilii Baſileenſis Decretum, ad vitandas diſſenſiones, quæ inter nonnullos Principes, certaſque Eccleſias intervenire conſueverant, de ſalvis cujuſcumque Prælati aut Principis honoribus, præeminentiis, & dignitatibus in quibuſcumque actibus, Seſſionibus, ſuffragiis, dictis, aut factis, quæ præpoſtere fieri poſſent, ut inde nullum præjudicium cuique generaretur, nulli jus novum acquireretur. Decimo excommunicationis Decretum a Concilio Conſtantienſi editum, & in hac Baſileenſi Synodo confirmatum contra eos qui venientes ad Concilium impedirent, vel alia quacumque ratione ſive venientes, ſive præſentes Concilii Patres moleſtarent. Undecimo comminationes pœnarum intentatas Concilii perturbatoribus. Duodecimo Decretum aliud de percipiendis integre Beneficiorum fructibus a Beneficiariis, qui Eccleſiæ cauſa Concilio interfuerint: electique ſunt tandem & in hac Seſſione Officiales Concilii, & Miniſtri, Notarii, ſeu Scribæ, Protonotarii, ſeu Correctores, Promotores, ſeu Procuratores, ac Sedium Ordinatores, uti in Actis hujus Concilii videre eſt apud Labbeum, Harduinum, Raynaldum, Spondanum, Natalem Alexandrum, Pagium, alioſque Scriptores complures, qui Baſileenſia hujus Concilii Acta fuſe ac diligenter ſcripſere.

S E S S I O II.

XXI. Seſſione Secunda habita die XV. Februarii anni MCDXXXII. juxta Acta S. Victoris Pariſienſis a Spondano ad eum annum, Num. VII. laudata, celebravit Miſſam de Spiritu Sancto Philibertus Epiſcopus Conſtantienſis, qui in Seſſione I. Decreta ſuperius notata in Ambone legit; ceteriſque ſervatis precum ſolemnitatibus, ac præſente Willelmo Bavariæ Duce Concilii Protectore, Berengarius Epiſcopus Petracorienſis Nationis Gallicanæ ex ſuggeſto Decreta legit hujus Seſſionis Secundæ, in qua decretum, ac definitum eſt, I. *quod eadem ſacra Baſileenſis Synodus, ſacris Conſtantienſi & Senenſi Conciliis Generalibus decernentibus atque ordinantibus, & auctoritate Apoſtolica interveniente, fuit, & eſt in hoc loco Baſileenſi debite, legitimeque, ac rite initiata, & congregata*. II. Declarationes duas ex Decretis Concilii Conſtantienſis innovat, approbatque, unam qua aſſerit, *quod ipſa Synodus in Spiritu Sancto legitime congregata Generale Concilium faciens, & Eccleſiam Militantem repræſentans, poteſtatem immediate a Chriſto habet, cui quilibet, cujuſcumque ſtatus, vel dignitatis, etiamſi Papalis exiſtat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad Fidem, & extirpationem dicti Schiſmatis, & ad generalem reformationem Eccleſiæ Dei in Capite & in membris*. Alteram, qua ſtatuit, non parentes Decretis Concilii Conſtantienſis, *& cujuſcumque alterius Concilii Generalis legitime congregati*, gravibus pœnis mulctandos, cujuſcumque ſtatus, vel dignitatis exiſtant, *etiam Papalis*. III. quod ipſa Baſileenſis Synodus *pro hæreſum extirpatione, ac morum generali reformatione Eccleſiæ in Capite & in membris, necnon pace inter Chriſtianos procuranda, ut præmittitur, in Spiritu Sancto legitime congregata, per nullum quavis auctoritate, etiamſi Papali dignitate præfulgeat, diſſolvi, aut ad alium locum transferri, ſeu ad aliud tempus prorogari debuit, aut potuit, debet, aut poteſt, debebit, aut poterit, in futurum abſque ejuſdem Synodi Baſileenſis deliberatione & conſenſu*.

XXII. Definitum eſt denique ac decretum in eadem hac Seſſione Secunda, quod nulla perſona cujuſcumque ſtatus, dignitatis, ſeu conditionis fuerit, in eadem Synodo actu exiſtens, aut futura, eidem incorporata, vel incorporanda, a tempore arrepti itineris ad ipſam ſanctam Synodum ſine fraude continuari, ad recedendum ab eadem a quoquam quavis auctoritate, etiamſi Papali dignitate præfulgeat, directe, vel indirecte in læſionem, ſeu perturbationem dictæ ſanctæ Synodi, invita ſine deliberatione, & conſenſu ipſius ſanctæ Synodi requiri, moneri, compelli, citari, evocari ad alium locum, etiam Curiam Romanam valeat, ſeu ne ad eandem ſanctam Synodum veniat, poſſit, aut debeat quomodolibet impediri. Si autem a quoquam quavis auctoritate, etiamſi Papali dignitate præfulgeat, ut præmittitur, in contrarium attentatum fuerit, ſeu attentaretur in futurum, aut Proceſſus pœnales, vel mandata, etiam Cenſuras Eccleſiaſticas, ſeu translationes Prælatorum invitorum, vel privationes, aut inhabilitationes eorundem, ſeu aliorum Beneficiatorum quorumcumque, aliaſque quaſcumque pœnas continentes, ut ab eadem ſancta Synodo recedant, vel non accedant ad eandem, aut eidem non adhæreant, fulminati fuerint, fulminentur, aut fulminarentur in futurum, totum ſit irritum, & inane, nec eiſdem Proceſſibus, Cenſuris, ac pœnis, tanquam irritis, & inanibus quomodolibet obediendum fore, prædictoſque Proceſſus, & Cenſuras, cum omnibus inde ſequutis, & inde ſequuturis, quatenus de facto proceſſiſſent, aut procederent in futurum, caſſat, & irritat, & annullat, & pro caſſis, atque nullis habendos decernit, diffinit, ordinat, & declarat.

XXIII. Hæc, aliaque hujus Baſileenſis Concilii Decreta objicere ſolent, qui Conciliorum Generalium auctoritem ſupra Romanos Pontifices evehunt; ſed irrito plane conatu; illius enim Decretis, qua parte Pontificiam auctoritatem impugnant, omnes Viri Sancti doctrinaque præcipui, qui eo tempore claruerunt, quammaxime adverſati ſunt. Agmen ducat S. Antoninus Theologus & Canoniſta præſtantiſſimus, qui Parte III. Titulo XXII. Cap. X. §. IV. Concilium ipſum Baſileenſe poſtquam ab Eugenio IV. Pontifice juſſum eſt diſſolvi, vocat *Conciliabulum viribus caſſum, Synagogam Sathanæ, temerarium, & præſumtuoſum Conventum &c.* S. Joannes Capiſtranus, *De Papæ & Concilii auctoritate*, Parte III. eandem Baſileenſem Synodum appellat *Synodum profanam, excommunicatam, interdictam, baſiliſcorum ſpeluncam, dæmonum cavernam &c.* Beatus Nicolaus Albergatus, teſte Sigonio in ejus Vita, Cap. XIII. *cum audiſſet, quæ in contemtum Apoſtolicæ Sedis Baſileenſes decreviſ-*

Digitized by Google

*creviſſent, Vir antiquæ probitatis exarſit, atque graviter eorum facta increpuit, & ut in auctoritate Summi Pontificis permanerent, admonuit*. Teſte Pio II. in Bulla Retractationis, *multi doctiſſimi Viri, & ſanctitate celebres ſcire ſe dicebant, Baſileenſes Spiritum Sanctum non habere Auctorem*. Idipſum docet Cardinalis Turrecremata, Lib. II, *De Eccleſia*, Cap. c. ſic inquiens: *Talia Decreta Concilii Baſileenſis*, videlicet contra Romani Pontificis auctoritatem, *ad furorem quorundam hoſtium Apoſtolicæ Sedis cum multitudine Populi parvi pretii, & nullius auctoritatis publicata ſunt; & ideo plures attendentes, prædicta Decreta adverſa eſſe Sanctorum Patrum doctrinæ, non modo in Deputationibus ſuis contradixerunt, & reclamaverunt, verum etiam in Seſſionibus ipſius Concilii intereſſe noluerunt*. Ut aliorum teſtimonia omittam, addi & his poſſunt duarum Œcumenicarum Synodorum, Florentinæ, ac Lateranenſis v. Oracula, quarum altera in publica Seſſione habita pridie Nonas Septembris anni MCDXXXIX. Declarationes ipſas Baſileenſes *tanquam impias, ſcandaloſas, in manifeſtam Eccleſiæ ſciſſuram, ac omnis Eccleſiaſtici Ordinis confuſionem tendentes damnat, reprobatque*. Lateranenſis autem v. Synodus, cui Lodovicus XII. Galliæ Rex tanquam legitimæ, & Œcumenicæ per ſuos Legatos ſe adhærere profeſſus eſt, Seſſione XI. Baſileenſe Concilium appellat *Conciliabulum ſchiſmaticum, ſeditioſum, & nullius prorſus auctoritatis*.

XXIV. Si ergo, uti ex adductis hactenus teſtimoniis liquet, Concilium Baſileenſe reprobatum damnatumque fuit a Viris ſanctis, ac doctis, & ab ipſis legitimis Generalibus Synodis veluti *ſchiſmaticum, ſathanicum, temerarium, præſumtuoſum, dæmoniacum, ſerpentinum, factioſum, veſanum, furioſum, ſcandaloſum, viribus caſſum, Spiritu Sancto deſtitutum, Sanctorum Patrum doctrinæ & exemplis adverſum*; erubeſcere tandem Adverſarii deberent, tam miſeris, indignis, pudendiſque Baſileenſis Concilii teſtimoniis uti ad oppugnandam ſupremam ipſam Romanorum Pontificum auctoritatem, quam tamen merito allati ſuperius Sancti, ac docti Viri propugnare non deſtiterunt, uti eorum teſtimonia oſtendunt; ex quibus etiam conſtat, quod in ſua Gallia Vindicata notavit inter alios eruditiſſimus Cardinalis Sfondratus Diſſertatione III. §. VI. Baſileenſem nempe Synodum non ſolum ob evectum antipapam Felicem V. de quo nos infra ſuo loco dicemus, ſed etiam quod Eugenio ipſi Papæ IV. obtemperare nollet, illumque Concilio ſubmittere conaretur, graviter a Viris doctrina & pietate præcipuis vapulaſſe, & execrationi habitam. Si enim Concilium eſt ſupra Papam, ſi hunc citare, punire, ac obſequium detrectantem in ordinem redigere poteſt; quid tandem Synodus deliquit, ſi Eugenio, cum Concilio non pareret, alium Pontificem ſuffecit? Uſa eſt poteſtate ac jure ſuo; non ergo *ſchiſmatica, non ſathanica, non veſana* dici debuit; aut ſi debuit, non tunc ſolum, cum Eugenium dejecit, ſed multo maxime cum citavit, cum decrevit, cum Concilio ſubjecit, ex his enim neceſſario ſequebatur, deponi etiam poſſe, nam ad Superiorem id ſpectat. Nec cauſa deponendi deerat; ſi enim Pontifex eſt Concilio ſubjectus, ergo non ſolvere Concilium, non transferre, non Patres anathemate punire, non aliud Concilium indicere poterat. Qui tamen cum omnia faceret, nec Decretis Baſileenſium toties repetitis acquieſceret, merito pœnas dabat. Si ergo Eugenius Concilio ſubjectus, ſi nocens, ſi obſtinatus, quid mali Concilium fecit, ſi ſubjectum, & nocentem damnavit, aliumque Pontificem delegit? Ergo Baſileenſe iſtud Concilium aut ſemper, aut nunquam deliquit.

XXV. Ita plane ratiocinatur doctiſſimus Sfondratus contra illos, qui ajunt, Synodum Baſileenſem tunc ſolum damnatam eſſe, cum Eugenium depoſuit, Amadæo antipapa ſuffecto, non autem cum inhærens Conſtantienſi Concilio, ac Senenſi in recitata II. Seſſione decrevit, certum legitimumque Pontificem Concilio ſubjacere. Sed recte ſubjicit citato loco laudatus Auctor, & Theologus præclariſſimus, multis modis impugnari eam Seſſionem poſſe. Conſtat enim ex dictis ſuperius, quo tempore Seſſio ipſa habita eſt, Baſileenſem Synodum jam ab Eugenio ſolutam, revocatamque fuiſſe, & quidem Diplomate Pontificio Romæ dato die XVIII. Decembris anni MCDXXXI. ob invitatos ſcilicet ad Concilium Bohemos, ut etiam dictum ſuperius fuit, & videri poteſt apud Spondanum ad annum MCDXXXI. Num. IX. Porro ſi non confirmata a Romano Pontifice Synodus, nullius eſt roboris, ut docent Theologi paſſim, quanto magis nullius roboris erit, non tantum non confirmata, ſed poſitive rejecta, reſciſſa, & improbata? Deinde conſtat & illud ex Sanctorum Patrum teſtimoniis, & ex communi Theologorum ſententia, non poſſe a Concilio definiri, niſi illa, ad quæ definienda a Romano Pontifice Maximo convocatum eſt; ideoque S. Leo Magnus in Epiſtola LIII. ad Pulcheriam, & S. Gregorius itidem Magnus Lib. VI. Epiſtola XXXI. ad Eulogium Epiſcopum Alexandrinum, & Anaſtaſium Antiochenum Epiſcopum, ac Paſchalis II. in Epiſtola III. ad Eliam apud Labbeum, quæ in Conciliis Œcumenicis, Conſtantinopolitano I. & Chalcedonenſi contra auctoritatem Patriarchæ Alexandrini Decreta fuerant, irrita, & inania eſſe voluerunt, ut alibi etiam a nobis oſtenſum fuit. Si ergo Sancti Patres nequidem tantorum Conciliorum auctoritate, qualia ſunt Conſtantinopolitanum I. & Chalcedonenſe, moveri potuerunt, ut admitterent, quæ contra auctoritatem Patriarchæ Alexandrini Decreta fuerant; quanto minus admiſiſſent, quæ Concilium Baſileenſe perperam ſtatuere auſum fuit contra Oracula Romani Pontificis? An pejor cauſa, minorque reverentia Papæ exhibenda, quam Alexandrino Patriarchæ? aut major Baſileenſi Concilio, quam Conſtantinopolitano I. & Chalcedonenſi auctoritas, ut quod illa in Patriarcham non poterant, iſtud poſſet in Romanum Pontificem? Nihil ergo ex Decretis Secundæ Seſſionis Baſileenſis contra ſuperioritatem Pontificis Romani deduci poteſt; idemque dicendum ad alias ejuſdem Baſileenſis Synodi Seſſiones, in quibus multa ſupremæ Pontificiæ poteſtati contraria ſtatuta ſunt.

## SESSIO III.

XXVI. Seſſione tertia habita die XXIX. Aprilis ejuſdem anni MCDXXXII. ſuperiora Decreta Conſtantienſis Concilii de auctoritate *cujuſcumque Generalis Concilii* ſupra Papam repetita, & confirmata ſunt; eorumque vi Synodus ipſa Baſileenſis Eugenium Papam *cum omni reverentia, & inſtantia ſupplicat, & per viſcera miſericordiæ*

*diæ Jeſu Chriſti exorat, requirit, & obteſtatur, ac monet, quatenus prætenſam diſſolutionem,* Concilii ſcilicet Baſileenſis, *ſicut de facto proceſſit, ita de facto revocet, & ipſam revocationem, quemadmodum & diſſolutionem fecit, per diverſas Mundi partes tranſmittat, & publicet, ab omnique impedimento dicti Concilii deſiſtat; quinimo eidem, ut debet, faveat, & aſſiſtat, omniaque præbeat ſubſidia, & auxilia opportuna, necnon infra trium menſium ſpatium, quod ad hoc pro termino peremtorio præfigit, & aſſignat, ſi corporalis ipſius diſpoſitio patiatur, perſonaliter veniat; ſin autem, perſonam, vel perſonas loco, & vice ſui deſtinet, & tranſmittat cum plenaria poteſtate ad omnia & ſingula in hoc Concilio peragenda uſque ad totalem ipſius concluſionem per omnes, & ſingulos actus gradatim, & ſucceſſive.* Atque hic nnta Concilii hujus audaciam, atque temeritatem, ubi non modo Eugenium Papam monuit, ut intra tres menſes, vel accederet ipſe ad Concilium, vel mitteret Legatos ſuos cum plenaria poteſtate; ſed ubi potiſſimum ita eidem Pontifici comminatum fuit: *Alioquin ſi hæc Sanctitas Sua facere neglexerit (quod de Chriſti Vicario non eſt aliqualiter ſperandum) Sancta Synodus, prout juſtum fuerit, & Spiritus Sanctus dictaverit, neceſſitatibus Eccleſiæ providere curabit, & procedet ſecundum quod juris Divini fuerit pariter & humani.* Monet mox etiam Cardinales, ut & ipſi intra idem trium menſium ſpatium ad Concilium veniant, Canonico impedimento ceſſante, alioquin proviſurum Concilium contra contumaces, prout ordo Juris poſtulabit.

XXVII. Ante Seſſionem IV. quæ habita fuit die xx. Junii, Julianus Cardinalis Concilii Præſes novam die v. Junii ad Eugenium IV. Epiſtolam ſcripſit, priore de qua jam ſupra loquuti ſuimus non minus vehementem, quam ex Ænea Sylvio, Faſciculo rerum expetendarum Ortwini, & ex Actis Navarricis, refert Spondanus ad annum MCDXXXII. Num. x. aitque, Julianum Cardinalem poſt commemorata, quæ apud Egram, & Bituriges ſtatuta fuiſſent, & quæ ſpes affulgeret converſionis Bohemorum, oſtendere, ſi his non moveretur Pontifex, provocaturum ipſum Eccleſiam ad indignationem, & Populum Chriſtianum irritaturum. Hortatur itaque in ea Epiſtola Julianus Cardinalis Eugenium Papam quammaxime, ut ad Concilium accederet ad res ſummi momenti perficiendas exemplo Chriſti, & Apoſtolorum, nec ejus diſſolutioni amplius inſiſteret; ſi non poſſet perſonaliter venire, mitteret majorem partem Cardinalium; ſi nec hoc poſſet, ſaltem hoc unum verbum diceret: *Placet, ut fiat Baſileenſe Concilium*; utrum autem illud legitimum eſſet, pendere ait ex Concilio Conſtantienſi, quod illud fieri decrevit: ſi Conſtantienſe verum eſſet, item Baſileenſe; neminem autem dubitare viſum eſſe, quin illud legitimum fuerit, ſimiliter & quicquid ibi decretum eſt; nam ſiquis diceret, Decreta illius non eſſe valida, neceſſe pariter habere, privationem Joannis XXIII. factam vigore illius Decretorum non valuiſſe; ſi illa non valuit, nec etiam Martini V. electionem factam, adhuc Joanne ſuperſtite. Si Martinus non fuit verus Papa, nec Eugenium eſſe, qui per Cardinales ab eo creatos fuit electus; nullius igitur magis intereſſe defendere Decreta Concilii Conſtantienſis, quam ipſius Eugenii; & ſi quodcumque illius Concilii Decretorum revocaretur in dubium, eadem ratione poſſe revocari alia quæcumque ejuſdem Concilii Decreta; eademque ratione, nec aliorum quorumcumque Conciliorum Decreta valida fore, quia qua ratione vacillat fides unius, vacillare & reliqua omnia neceſſe eſt, juxta argumentationem S. Auguſtini in Epiſtola 111. ad S. Hieronymum, relata a Gratiano in Canone, *Si ad Scripturas*, Diſtinctione IX.

XXVIII. His & alia addit in ea Epiſtola Julianus Cardinalis ad ipſam Concilii Baſileenſis firmitatem, diſſolutionis ejus, aut tranſlationis inconvenientiam, necnon Pontificis ad id agendum impotentiam veluti Concilio inferioris adſtruendam; excuſanſque demum libertatem dicendi ex pura mente, & integro animo procedentem, ita concludit: *Dixi ſæpe, & jam dico, & proteſtor coram Deo, & hominibus, quod cauſa eritis Schiſmatis, & infinitorum malorum, ſi non mutaveritis ſententiam.* Quæ verba Juliani eſſe inquit Spondanus, ſicut & totam Epiſtolam, quam etiam ait ſcriptam in ſumma amaritudine animi, & a Baſileenſibus Patribus, atque a Principibus, urgentiſſimis querelis agitati. Addit, dubitare quidem nonnullos de ea Epiſtola, quam tamen ait ſe illam reperiſſe in Codice Navarrico Scriptoris, qui Baſileenſi ipſi Concilio interfuit, ideoque eandem, ut veram agnoſcere. Partem ejus Epiſtolæ ex memorato Ænea Sylvio refert Raynaldus ad annum MCDXXXII. Num. v. ex eoque Pagius in Vita Eugenii Papæ IV. Num. XXVI.

## SESSIO IV.

XXIX. Seſſione quarta celebrata die xx. Junii prædicti anni anni MCDXXXII. plura a Patribus ſtatuta ſunt. I. conceſſus eſt Bohemis, aliiſque ad hoc Baſileenſe Concilium venire volentibus commeatus, ſive ſalvus-conductus ampliſſimus, qualis in Conventu Egrenſi poſtulatus fuerat; miſſuſque eſt ad Sigiſmundum Regem in Italiam unus ex Nunciis Synodi, qui ad Conventum Egrenſem profectus fuerat, ut ejus nomine publica fides eiſdem daretur. II. quia S. R. E. Cardinales jam ad Synodum vocati fuerant, ne aliquibus forſan venire negligentibus inobedientia prodeſſe videretur, ſtatutum eſt, ut ſi forte contingeret durante Concilio Sedem Apoſtolicam vacare, electio Summi Pontificis non alibi, quam in loco Concilii fieret, non obſtantibus Conſtitutionibus jam editis, vel edendis, quibus ex certa ſcientia derogatum eſt; contrarium vero attentantes, tam active, quam paſſive ad electionem ipſam Romani Pontificis, & ad alias quaſcumque Dignitates inhabiles forent; omnibuſque habitis Dignitatibus privati eſſent, & infamiæ notam, ac etiam excommunicationis ſententiam ipſo facto incurrerent; quod ſi forte his non obſtantibus alicubi præterquam in loco Concilii fieret aliqua electio, tam electus, quam illi adhærentes ſupradictas pœnas incurrerent pari modo. III. ne quis prætextu alicujus juramenti, vel obligationis, aut promiſſionis ſe ab acceſſu ad Concilium diſpenſatum exiſtimaret, ſi jure, aut conſuetudine ad illud accedere teneretur: Cenſuras vero, & ſententias quaſcumque *per quemcumque quavis etiam Romani Pontificis auctoritate fulminatas, cum omnibus inde ſequutis, aut ſequuturis eadem Sacra Synodus nullas, & irritas, ac nullius roboris, ſeu momenti exiſtere pronunciavit, declaravit, & definivit.* IV. quod multiplicatio Cardinalium eſſet Eccle-

ſiæ

ſiæ diſpendioſa, atque oneroſa, ſtatutum illud eſt, Pontificem, durante Concilio, nullum creare poſſe Cardinalem, alioquin eorum creatio irrita eſſet, & inanis. V. Bullam plumbeam, ſeu ſigillum fieri ſtatutum eſt, ad Litteras, & ad Acta Synodi hujus obſignanda, cujus in uno latere miſſio Spiritus Sancti in ſpecie Columbæ, in altero vero hæc verba inſculpta eſſent: *Sacroſancta Generalis Synodus Baſileenſis*. Denique Alphonſo Carriglio, ſeu Carrilio Hiſpano Tituli S. Euſtachii Cardinali regimen Civitatis Avenionenſis, & Comitatus Venuſini commiſit in eadem IV. hac Seſſione Synodus, quouſque cum Summo Pontifice per ipſam Synodum, vel aliquo ejus nomine pleniori tractatu aliter ſtatutum fuiſſet. Sed de hac re vide plura apud Spondanum ad annum MCDXXXII. Num. X. & in Vita hujus Cardinalis in Additionibus ad Ciaconium.

S E S S I O V.

XXX. Seſſione quinta celebrata quinto Idus Auguſti in Vigilia S. Laurentii conſtituti ſunt Judices in cauſis Fidei, ceteriſque negotiis, aliique Officiales deputati ad examinandum cauſas ad Concilium deducendas, quorum omnium poteſtas ultra tres menſes non duraret; quibus finitis, eſſet in poteſtate Congregationis Generalis etiam citra Seſſionem publicam in eorum locum quos decreverit, deputare. Creati ſunt etiam alii Miniſtri, & Officiales in eadem Seſſione nominati; editumque præterea eſt Decretum, ut nullus ex Patribus, aliiſve Conciliaribus pro quacumque cauſa, ſeu lite mota, vel movenda, aut quavis alia occaſione ad Romanam Curiam, ſeu coram quocumque Judice Ordinario, vel Delegato, extra locum Synodi, illa durante, invitus trahi, aut evocari poſſit: *ſiquid vero in contrarium attentatum fuerit quovis modo per quemcunque quavis etiam Summi Pontificis auctoritate, decrevit irritum & inane.*

XXXI. Porro, uti notat Pagius in Vita Eugenii IV. Num. XXX. antequam celebraretur ipſa quinta Seſſio, Synodus die XVIII. Julii in Congregatione Generali ſalvum-conductum, qui in Actis hujus Concilii legitur, extatque apud Labbeum, dedit Andreæ de Conſtantinopoli Coloſſenſi, & Joanni Tarentino Archiepiſcopis, ac Bertrando Epiſcopo Magalonenſi, necnon Antonio de Sancto Vito Apoſtolici Palatii cauſarum Auditori, Eugenii Papæ Nunciis, quo pleniſſima libertas, & ſecuritas ipſis concedebatur veniendi ad Synodum, & ab ea recedendi. Advenere autem hi Nuncii Baſileam paulo poſt prædictam Seſſionem quintam, auditique in publico, ac ſolemni Conventu fuerunt; Andreas quidem undecimo Kalendas Septembris, Joannes vero octavo Kalendas ejuſdem menſis; Orationeſque luculentiſſimas habuere, quæ extant apud eundem Labbeum. Coloſſenſis quidem, recenſitis ab Eccleſiæ origine hæreſibus, duas potiſſimum tunc regnare dixit, Græcorum, & Huſſitarum, quæ nullo pacto extirpari poſſint, niſi Catholici ſint inter ſe concordes, Apoſtoli verba ad Corinthios inculcans: *Non ſit Schiſma in Corpore*. Græcorum unionem ait deſerendam non eſſe, de qua tanta ſpes affulgeat; id vero fieri non poſſe, niſi ipſis colendi Romanum Pontificem exemplum præbeatur: inveteratos enim Schiſmaticos ad unitatem Eccleſiæ reduci non poſſe ab iis, qui novam ſciſſuram moliuntur. Quomodo enim Græcus Romanum Pontificem tam facile a ſuis contemni videns, eidem honores debitos reddat? De Huſſitarum converſione ſatagendum ſuadit, ſed cavendum Patribus monet, ne cum exterarum gentium hæreſes purgare quærunt, novellos errores domi nutriant. Id igitur ſummo ſtudio agendum, ut debitus honor, ac reverentia Pontifici Maximo, *quem unicum loco Dei in Terra ſuſpicimus*, tribuatur; ſub tali Religionis *Patre, & Præſule*, & veterum, & recentium hæreſum reſperſa zizania facile evulſum iri, ſi Patres ejus præcepta juſtiſſima tanquam devotiſſimi filii ſuſcipiant: *Ad quod pium, & neceſſarium opus, & totius Eccleſiæ diuturna conſuetudo, & veterum Conciliorum auctoritas, & Sanctorum Patrum Sententiæ hortantur*: mores Eccleſiaſticos non poſſe componi, ſi Schiſma fuerit in Corpore: ad eam correctionem hortari Eugenium Papam, qui Petri Sedem tenet, & Fidem, *ſine cujus auctoritate nulla Lex, aut Decreta ſatis roboris habere poſſunt*: Ipſum Eugenium reformationem a ſe incepturum, ſi huic publicæ Actioni debitus honor tribuatur.

XXXII. Tarentini autem Archiepiſcopi Oratio tota eſt de Primatu, & Auctoritate Summi Pontificis, de eaque, variis ſacris allatis Canonibus, uberius ac luculentius ediſſerit, *Eugenium verum, indubitatum, atque unicum Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti Vicarium, cui ſoli convenit in altum rete ducere, hoc eſt, in profundum diſputationum, & difficultatum ſe immiſcere*, graviſſimis, ac juſtiſſimis de cauſis Baſileenſe Concilium diſſolviſſe. Egregia in ipſa Oratione exponit memoratus Archiepiſcopus Tarentinus, *ſpectare ad Summum Pontificem, non ſolum Generales Synodos convocare, ſed & ſua ſententia roborare Concilia convocata; alias in irritum labi quicquid præter ejus auctoritatem ſtatuitur, & non proprie Concilia, ſed Conciliabula nuncupari*. Magna admiratione dignum eſſe, quod Baſilienſes Patres Summum Pontificem citare præſumſerint; cum ſcriptum ſit: *Nemo Judex judicabit Primam Sedem juſtitiam temperare deſiderantem; & Concilium non poſſit Papam judicare*; Unde *ſi totus Mundus ſentiret in aliquo negotio contra Papam, videtur quod Papæ ſententiæ ſtandum eſſet*. Alienum eſſe inquit a Chriſtiana Religione Chriſti Vicarium impetere, & moleſtia afficere. Cum ipſis Baſileenſibus Patribus graviter expoſtulat, quod contra libertatem, auctoritatem, & poteſtatem Romani Pontificis plura Decreta ediderint, ac promulgarint. Addit inter alia, cum perciperet Eugenius omnino Synodum fieri, Græcorum, Huſſitarum, morumque cauſa, nec poſſet ipſe tam propter invaletudinem, quam graves alias cauſas Italiam deſerere, offerre ipſum alium in Italia locum Eccleſiæ ſubjectum, quem plene Concilii poteſtati tribueret; nec tempus celebrationis prorogaturum, ſed confeſtim, ac ejus electio facta eſſet, ſe ſe illo translaturum, ſubiturumque ante omnia reformationem in perſona ſua non ſolum a tempore, quo ad Summum Apoſtolatus apicem aſſumtus eſt, ſed & a tenera juventute; indeque proceſſum iri ad reliqua Romanæ Curiæ membra, Principeſque, Prælatos, & alios, qui reformatione indigerent. Editæ ſunt Iſtæ Nuntiorum Eugenii IV. Orationes in Appendice I. Synodi Baſileenſis apud Labbeum Tomo XVII. Conciliorum editionis Venetæ.

XXXIII. Ad hæc prolixam reſponſionem de-

dedit Baſileenſis Synodus tertio Nonas Septembris, ejuſdem anni MCCCCXXXII. qua Summum Pontificem orat, ne contriſtet Spiritum Sanctum, in quem delinquere, formidabile eſt. Nihil porro gravius in Spiritum Sanctum committi, quam perturbare Sacra Concilia, *quæ Spiritu Sancto diriguntur*. Id peccatum graviſſima pœna dignum eſſe, cum non in unam perſonam, aut gentem, ſed in totum Chriſti Corpus myſticum perpetretur. Ea Oratorum Eugenii, ſeu potius Apoſtoli verba ab ipſis tam crebro inculcata, *Non ſit Schiſma in Corpore*, ipſimet Eugenio inculcari debere, cujus Sanctitatem per diverſos Oratores Synodus exoravit, *ut ſicut Catholicum Pontificem decet, velit Catholicæ Eccleſiæ ſe conjungere, quam hoc Sacrum Concilium repræſentat*. Si quæ ſciſſio ſit in Eccleſia, ejus Auctorem cenſendum Eugenium; idque exemplis conatur oſtendere. Sibi maxime cordi eſſe converſionem Græcorum, & Huſſitarum, Coloſſemque Archiepiſcopum alterum Eugenii Nuncium rogat, ut ſuo nomine Legationem ad Græcos pro eorum curanda reconciliatione ſuſcipiat, cum aliis Collegis, ipſi adjungendis. Falſo appingi Patribus Baſileenſibus, quod Summum Pontificem contemnant; paratos eſſe reverentiam Sancti Petri Succeſſori debitam, ipſi exhibere, *dummodo a Corpore Eccleſiæ, extra quam non eſt ſalus, ſe nolit ſegregare*. Quod ſi fecerit, numquid tamen, & ipſi tacebunt, tanquam canes muti non volentes latrare? numquid periclitantem Eccleſiam clauſo ore aſpicient; aut S. Pauli exemplum non ſequentur, *qui reſtitit in faciem Cephæ in eo, in quo reprehenſibilis erat?* Græcos non minus facile Baſileam venturos, quam olim Lugdunum venerint, aut ad Conſtantienſe Concilium Oratores miſerint; ſed quæ ſpes ipſos ad Bononienſe Concilium, cujus indictionem Eugenii nomine Baſileenſibus Nuncius obtulerat, venturos, ſi tam facile Concilia diſſolvi videant; ſi tam ſolemne Concilium Baſileenſe per ſeptennium expectatum, & a duobus Pontificibus Romanis indictum, re infecta in limine ipſo evaneſcat. Non videre Patres Baſileenſes, quæ ſpes converſionis Huſſitarum eſſe poſſit, *ſi Decreta Concilii Conſtantienſis, in quo illa hæreſis damnata eſt, infringantur*.

XXXIV. Hæc & alia reſpondit ad Coloſſenſis Archiepiſcopi Orationem. Ad Tarentini vero, probat in primis Synodus, quæ de Romani Pontificis Primatu ab illo copioſe, ac magnifice dicta ſunt; ſeque operam daturos Patres Baſileenſes pollicentur, ut omnes de Summi Pontificis Poteſtate ita ſentiant. Sed nihilominus aſſerunt, *ipſum Romanum Pontificem obedire teneri mandatis, ſtatutis, ordinationibus, ac præceptis hujus Sanctæ Synodi Baſileenſis, & cujuſcumque alterius Concilii Generalis legitime congregati, in his, quæ pertinent ad Fidem, ad extirpationem Schiſmatis, & ad generalem reformationem Eccleſiæ Dei in capite, & in membris, quemadmodum declaratum extitit per Generale Concilium Conſtantienſe totam repræſentans Eccleſiam*. Fuſe de auctoritate Eccleſiæ, & Concilii Generalis diſſerit Synodus, tantamque eſſe Eccleſiæ auctoritatem ait, ut ſola Chriſti Evangelia illa dicantur, quæ Eccleſia recipit. Cauſas, & excuſationes diſſolutionis Baſileenſis Concilii ab Eugenio prætextas, multis nominibus nullas eſſe, quinimo & valde damnoſas in rebus, propter quas Concilium celebrari deberet; ideoque non potuiſſe Synodum illas admittere, aut diſſolutioni Concilii acquieſcere. Hæc ipſi Baſileenſes Patres copioſiſſime in Reſponſione Nunciis Eugenii Papæ facta, ac data *Baſileæ in Congregatione Generali, tertio Nonas Septembris, anno a Nativitate Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimo ſecundo*, legiturque apud Labbeum citato Tomo XV. Collectionis ſuæ Conciliorum Venetæ editionis; ex ea autem data conſtat, perperam in Actis mſs. Navarricis, Nunciorum Eugenii Orationes, & Baſileenſis Synodi ad eaſdem Reſponſionem poſt Seſſionem nonam collocari.

SESSIO VI.

XXXV. Sane triduo poſt ipſam datam Reſponſionem, nempe die VI. Septembris celebrata eſt Seſſio ſexta, in qua Concilii Promotores contumaciam Eugenii Papæ IV. accuſarunt, quod nec diſſolutionem Concilii revocaſſet, nec comparuiſſet per ſe, vel Procuratores die ipſi in tertia Seſſione indicta. Qua expoſtulatione excitati Pontificis Nuncii petierunt, ut ad evitanda ſcandala ſuperſederetur in negotio proceſſus contra Romanum Pontificem, & Cardinales. Accuſata & ab eiſdem Promotoribus abſentium Cardinalium contumacia, Auditor Juliani Cardinalis Legati juſtas ſe quorundam abſentiæ cauſas habere aſſeruit, quibus examinandis duo Epiſcopi commiſſi fuere, rem poſtea Patribus relaturi. Ex hac eadem ſexta Seſſione miſſum eſſe a Synodo Gerardum Landrianum Epiſcopum Laudenſem ad Regem Angliæ, docent Acta Patriciana apud Spondanum; extatque in Actis editis apud Labbeum ejuſdem Epiſcopi graviſſima Oratio, qua de legitima hujus Baſileenſis Concilii convocatione diſſerens, hortatus eſt Regem ipſum, Prælatos ſuos ad iſtud mittere, & pacem cum hoſtibus facere. Denique idem Spondanus ſcribit, in Actis Navarricis haberi plura capita reformationis morum, & modi vivendi Conciliaribus indicti, publicatique in Congregatione Generali die Veneris XXIV. menſis Octobris ejuſdem anni MCCCCXXXII. ante Seſſionem ſeptimam, quæ deſideratur tam in Actis editis a Binio, quam etiam a Labbeo; niſi dicamus cum Pagio in Vita Eugenii IV. Papæ, Num. XXXII. illa capita eadem eſſe ac ea, quæ a Labbeo Tomo XII. editionis Pariſienſis Col. 794. & 798.

SESSIO VII.

XXXVI. Seſſione ſeptima, quæ habita eſt die VI. Novembris ejuſdem anni MCDXXXII. poſt Miſſam de Spiritu Sancto per Epiſcopum Novarienſem cantatam, & alia peracta de more Solemnia, quæ deſcribi, ait Spondanus ad annum ipſum MCDXXXII. in Actis Sancti Victoris Pariſienſis, iterum promulgatum eſt Decretum Seſſionis IV. de non eligendo Summo Romano Pontifice extra locum Concilii, ſi eo durante Sedem Apoſtolicam vacare contingeret. Sed quia ex hoc Decreto apud aliquos exorta erat dubitatio, ne tempus decem dierum ad intrandum Conclave definitum Conſtitutione edita in Concilio Lugdunenſi Generali II. ſub Gregorio X. (quam nos ſupra ſuo loco explicuimus, ubi Decreta, & Canones ejuſdem Concilii percurrimus) ſaltem a tempore notæ vacationis in loco hujus Concilii curreret, & arctaret, cum terminus nimis brevis eſſet propter multos Cardinales in partibus remotis a Concilio exiſtentes, Synodus terminum intrandi Conclave, durante Concilio, ad

ſexsginta dies prorogavit a die vacationis computandos, itaut ante illos dies ſexaginta ad electionem Romani Pontificis minime procederetur, Statutum eſt quoque, nt Beneficia Cardinalium, qui intra prædictum Decretum aliqnid attentarent, etiamſi eſſent Eccleſiæ Metropolitanæ, remitterentur Collationi Ordinariorum, nulla penitus habita ratione Reſervationum Sedis Apuſtolicæ.

S E S S I O VIII.

XXXVII. Seſſione octava celebrata die XVIII. Decembris prædicti anni MCDXXXII. Eugenlo Papæ ea adimplere negligenti, quæ Seſſionibus III. & VI. decreta ſuerant, tempus ampliatum eſt ad ſexageſimum diem, intra quod intervallum, niſi attentatam hujus Baſileenſis Concilii diſſolutionem, & alterius convocatinnem irritas decerneret, abſque ulteriori monitione, & declaratione, ſecundum ſeveritatem Juris in ipſum ageretur; omneſque ejns promotiones, atque ordinanes Eccleſiarum irritæ eſſent, atque inanes. Cardinales quoque ſub pœna privationis Beneficiorum, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, aliique ſub pœnis Juris ad hanc Synodum accedere ſine mora juſſi ſunt; ac decretum etiam eſt, præter Generalem hanc Synodum Baſileenſem, ea durante, nullam aliam cogi poſſe, omnibuſque propterea prohibitum ad aliam Synodum accedere ſub pœna excommunicationis, & privationis omnium Beneficiorum. Edixit præterea Synodus, ne Romanns Pontifex eorum, qui Baſileenſi huic Concilio intereſſent, aut adhærerent, Beneficia aliis conferret, alioqni collatio irrita eſſet. Probibuit demum, ue nova onera, vel tributa Terris Romanæ Eccleſiæ, vel ceteris imponeret, aut earnm alienationes, infeudationes, & impignorationes ſaceret; ſactaſqne, vel faciendas irritas declaravit.

XXXVIII. Teſte Spondano, anno Chriſti MCDXXXII. exeunte, Oratores Bohemorum Nurembergam ingreſſi ſunt vexillum præſerentes, cujus una pars Crucifixi Imaginem habebat depictam, altera vero Calicem Euchariſtiæ figura ſuperpoſita; verum a Catholicis moniti id poſtea nuſquam fecere. Notat autem & illud poſt alios Pagius in Vita Eugenii IV. Num. XXXV. ſolos Pragenſes appellari conſueviſſe *Calixtinos*, eo quod in omnibus ſere cum Eccleſia ſentirent, excepta neceſſitate promiſcui Calicis: Bohemos tamen omnes hac in parte cum Pragenſibus conveniſſe, ideoque Calicem, ut jam dictum etiam ſuperius fuit in Enarratione Seſſionis XIII. Concilii Conſtantienſis, non ſolum in vexillis, ſed etiam in parietibus, & Templis ſolitos fuiſſe depingere. Unde Dubravius Lib. XXVI. cujuſdam diſtichon de Calice inſeruit ab illis uſitato, ac etiam ſupra jam a nobis relato.

*Tot pingis Calices Bohemorum Terra per Vrbes,*
*Vt credas Bacchi Numina ſola coli.*

Porro prædicti Bohemorum Oratores, quorum nomina ibidem Pagius recenſet, cum trecentis equitibus ingreſſi ſunt die Janusrii anni MCDXLIII. Baſileam, acceſſeruntque ad Synodum die IX. ejuſdem menſis. Hns benigne tum alloquutus eſt Julianus Cardinalis Apoſtolicæ Sedis Legatus, & longa, ac luculenta Oratione, quam apud Labheum legere eſt, ad ea quæ pacis, & unionis eſſent, cohortatus eſt, Hæc Oratio, ut legitur in Narratione compendioſa de Bohemis, non omnibus Bohemis probata fuit; unde cum eis par facundia non eſſet, per Joannem Rokiſanam a vico ejus nominis Pragenſis Eccleſiæ ſic dictum pancis verbis reſponderunt, gratias in primis agentes Deo, qui ipſos multipliciter conſolari dignatus eſſet; deinde Cardinali Legato, univerſæque Synodo ob benignum erga ipſos affectum, & honeſtam acceptionem; tandem vero poſtularunt diem, quo audirentur ſuper articulis, quibus potiſſimum inſiſtebant; aſſignatuſque fuit illis dies XVI. Januarii. Atque hanc Joannia Rokiſanæ oratiunculam, quæ in Conciliorum collectione deſideratur, apud Cochlæum legere eſt Lib. VI. Hiſtoriæ Huſſitarum.

XXXIX. Licet Bohemi, uti Spondanus, Raynaldus, Pagius, aliique Scriptores docent, in multis ab Eccleſia Catholica diſſentirent, urgebant tamen potiſſimum circa quatuor articulos, a quibus ſe nunqam abſceſſuros declaraverant in Epiſtola Encyclica Conradi Archiepiſcopi Pragenſis, qui a Fide Catholica apoſtataverat, ac Baronum, Civitatum, & Communitatum Bohemiæ ad ceteros Pricipes, & Civitates Regni data menſe Januarii anni MCDXXI. quam refert Cochlæus Lib. V. *Hiſtoriæ Huſſitarum*. Articuli autem illi erant. I. de miniſtranda publice omnibus Communione ſub utraque ſpecie. II. de omni peccato mortali in quolibet ſtatu per reformationem deſtruendo. III. de prædicando ubique libere Verbo Dei. IV. de abſcindenda ſuperflua Cleri donatione. Adveniente itaque prædicta die XVI. Joanuarii anni MCDXXXIII. Joannes Rokiſana, de quo ſupra mentionem fecimus, pauca præfatus primum articulum de Communione ſub utraque ſpecie proponere cœpit uſque in tertium diem, ſemper ante meridiem. Deinde Wenceslaus, ſeu Nicolaus Taborita ſecnudum articulum de corrigendis, & elimandis peccatis publicis in medium protulit per bidui ſpatium. Poſt quem Udalricus Presbyter orphanorum tertium articulum de libera prædicatione Verbi Dei duobus item diebus propnſuit. Poſtremo Petrus Payne Anglus de quarto articulo, qui erat de civili dominio Clericorum, per tres dies diſſeruit. Fecerunt autem copiam ſuarum diſputationum Concilio in ſcriptis, & gratias egerunt, quod auditi fuiſſent. Atque hæc ſunt quæ leguntur in narratione compendioſa de Bohemis ad Concilium Baſileenſe vocatis, in qua & iſta adduntur: *Poſterioreſque tres ſatis inciviliter in noſtros invexerunt, Joannem Wiclephum, & Joannem Huſſum a doctrina laudantes, nihil veriti Doctores Evangelicos vocare, quos quidem Eccleſia damnaret.*

XL. His ut aliquid reſponderetur Joannes de Raguſio, Ordinis Prædicatorum Procurator Generalis, facultatem a Synodo petiit reſpondendi privato nomine ad primum articulum Bohemorum; cujus petitioni cum aſſenſiſſet Synodus octo diebus reſpondit horis antemeridianis; ſed cum inter loquendum crebro hæreſeos, & hæreticorum vocabulum haberet in ore, Procopius cognomento Raſus a Presbyteratu, quem olim ſumſerat, multis victoriis, ſceleribuſque nobilitatus, unus ex iis Pragenſibus, qui ad Synodum acceſſerant, eum loquendi modum non ferens, de hac injuriâ apud Synodum conqueſtus eſt; parumque abfuit, quin ob id Bohemi Baſilea diſcederent, vixque placari potuerint. Reſpondit deinde ad alterum articulum per quatuor dies Ægidius Carlerius Eccleſiæ Cameraceenſis Decanus. Ad tertium dixit per tres dies

Hen-

Henricus Kalteiſen Confluentinus Ordinis Prædicatorum, qui juxta Trithemium in Catalogo, *De Scriptoribus Eccleſiaſticis*, fuit poſtea Nidroſienſis in Norvegia Archiepiſcopus. Reſpondit denique ad quartum tribus item diebus Joannes Polemarius Archidiaconus Barchinonenſis Auditor cauſarum Sacri Palatii. Extant prolixiſſimæ æque ac doctiſſimæ iſtæ Orationes apud Labbeum Tomo XVII. Conciliorum Venetæ editionis. Verum tametſi præſtantiſſimi ipſi Theologi egregie articulos illos confutaſſent, Bohemi nihilominus eoſdem articulos pertinaciter defendebant præſertim primum, adeo ut Joannes Rockiſana reſponſiones Joannis de Raguſio ſex diebus impugnarit, ut videre eſt apud laudatum Labbeum.

XLI. Cum ergo diſputatio diſputationem pareret, eoque pacto difficillima videretur concordia, propoſitum tunc aliud remedium fuit a Willelmo Bavariæ Duce Baſileenſis hujus Concilii Protectore; ut nempe omiſſis diſputationibus res amice componeretur. Utrinque deputati ſunt aliqui de concordia tractaturi; qui cum die XI. Martii prædicti anni MCDXXXIII. conveniſſent, & juſſi eſſent dicere ſuam ſententiam; qui a parte Concilii erant, dixerunt, optimum ſibi videri, ſi Bohemi Catholicis unirentur, atque unum Corpus efficerentur; quod Corpus omnes diverſitates opinionum, ſive Sectarum concordare, & declarare poſſet, atque definire, quid in ſingulis agendum foret ſive credendum. Sed Bohemi poſt aliqualem deliberationem dixerunt, hanc viam non videri ſatis aptam, niſi prius quatuor illi articuli declarati eſſent, itaut aut ipſi cum Catholicis, aut hi cum illis ſentirent; alioquin ridiculum eſſe ajebant, ſi jam uniti, in articulorum rurſus deciſione diſcreparent. Verum Bohemis reſponſum eſt, ſi rite unirentur, invocato Spiritu Sancto, nequaquam eos in hujuſmodi deciſione erraturos, quando quilibet Chriſtianus tali definitioni credere debeat: Sed ſurdis, ut ajunt, ſabula canebatur; nam alii tres, qui diſputaverant pro tribus aliis articulis, adhuc etiam adverſus reſponſiones jam datas pertinaciter diſputabant.

XLII. Narrat hæc poſt Spondanum, Raynaldum, alioſque Scriptores, qui de hoc Baſileenſi Concilio tractarunt, Pagius in Vita Eugenii IV. Num. XXXVII. & XXXVIII. additque Num. XXXIX. Julianum Cardinalem Concilii Præſidem habuiſſe tunc ad Oratores Bohemorum Orationem his uſum verbis: *Audivit hæc Sancta Synodus poſt decem dies cum magna patientia quatuor veſtrorum articulorum propoſitiones*; tum vero in fine hunc fuiſſe in modum loquutum: *Propoſuiſtis proximis diebus quatuor articulos; ſed audimus præter hos quatuor, multa vos alia habere dogmata peregrina, in quibus a nobis diſſentitis. Neceſſarium eſt, ſi veſtra unitas, & perfecta fraternitas inter nos ſequi debet, ut omnia in hoc ſacro Concilio propalentur, quatenus per gratiam Spiritus Sancti, qui pacis, & veritatis eſt Auctor, debita, ac ſalubris proviſio fieri poſſit. Nec ex levibus conjecturis iſta accepimus. Partim enim a fide dignis perſonis audivimus, partim quidam, qui hic ſunt, propriis oculis in Bohemia viderunt, partim etiam ex veſtra relatione perpendimus. Magiſter enim Nicolaus ſecundo loco proponens allegavit inter alia Joannem Wicleff Evangelicum Doctorem. Si illum creditis eſſe Evangelicum, conſequens eſt, ut dicta ejus authentica reputetis; ſi vero non ita putatis, æquum eſſet, ut hoc nobis innoteſcat. De iis igitur, & quibuſdam aliis vos rogamus, ut nos certificare velitis, quid credatis, & quam ſuper his fidem adhibeatis. Nec ſic requirimus, ut motiva, & rationes veſtras nunc explicetis; ſed ſatis nobis nunc eſt, ut ad ſingulos articulos nobis reſpondeatis per verbum*, Credimus, *aut*, Non credimus. *Quod ſi feceritis, ut ſperamus, tunc aperte cognoſcemus, vos cupere, ut bonam de vobis exiſtimationem capiamus. Siquid autem eſt, de quo velitis per nos certificari, interrogate audaciter, & confeſtim vobis reſpondebimus: parati enim ſumus juxta Beati Petri doctrinam, unicuique poſcenti reddere rationem de ea, quæ in nobis eſt, Fide*. Atque ad hæc paucis reſponderunt Oratores Bohemorum, veniſſe ſe tantum, ut quatuor illos articulos proponerent, non tam ſuo, quam publico totius Regni Bohemorum nomine, nec aliud dixerunt.

XLIII. Cum vero Bohemi ipſi Oratores conditiones concordiæ a Baſileenſi Synodo oblatas accipere noluiſſent, & Baſilea diſcedere feſtinarent, hinc Willelmus Bavariæ Dux Synodi Protector rurſus quatuor Viris utrinque adſcitis, de re pacifice traſigenda tractavit; ex quorum conſilio Synodus ipſa decrevit inſignem Legationem cum Oratoribus Bohemorum Pragam mittere, ubi ad diem Feſti SS. Trinitatis, quæ in eo anno MCDXXXIII. in ſeptimam diem Junii incidebat, conventurus Populus eſſet; miſſique fuere Philibertus Conſtantienſis in Normannia Antiſtes, Petrus Auguſtenſis Epiſcopus, Joannes Polemarius Archidiaconus Barchinonenſis, de quo non uno in loco facta eſt mentio in hac Hiſtoria, Fridericus Parſperber Præpoſitus Ratiſponenſis, Ægidius Carlerius Decanus Cameracenſis; Alexander Sparro Juriſconſultus Anglus Thomas Haſelbachius Theologus Viennenſis, Henricus Toegius Canonicus Magdeburgenſis, Martinus Bernerius Decanus Turonenſis, & Joannes Gelhuſius Mulbrunenſis Monachus, qui omnes juſſu Concilii una cum Bohemorum Oratoribus profecti ſunt Pragam die XIV. menſis Aprilis. Quid autem actum ab iſtis fuerit, ſuo loco dicetur inferius; narranda enim prius alia ſunt, ac primum ea quæ in nona, ac decima ſequenti Seſſione ſtatuta fuere.

SESSIO IX. ET X.

XLIV. Habita eſt nona Seſſio die XXIII. Januarii anni MCDXXXIII. in eaque Synodus Sygiſmundi Cæſaris protectionem ſuſcepit, omneſque ſententias, etiam *privationem Regnorum, Provinciarum Dominiorum, bonorum, & quarumlibet dignitatum forſan continentes*, ab Eugenio Papa, aut alio ejus nomine in ipſum Sigiſmundum latas, aut ferendas reſcidit; ejuſdemque protectionis beneficium Willelmo Bavariæ Duci, & aliis Concilio adhærentibus conceſſit; univerſiſque Chriſtifidelibus ſub pœna excommunicationis, *& privationis dignitatis cujuslibet, Eccleſiaſticæ, & Mundanæ*, interdixit, ne Eugenio Papæ, aut alteri ejus nomine in hujuſmodi Sententiarum exequutione parerent. Non multo poſt celebrata eſt Seſſio decima, & quidem die XIX. Februarii ejuſdem anni MCDXXXIII. in qua rurſum Eugenii contumacia per Promotores accuſata, is ad valvas Eccleſiæ ab Uticenſi, & Novarienſi Epiſcopis proclamatus eſt. Julianus Cardinalis Præſes Concilii dixit, hanc Synodum deputare Judices Concilii

cilii ad videndum, & examinandum proceſſum factum contra eundem Eugenium, ut de ea re in Generali Congregatione relationem faciant.

XLV. Interea Eugenius Sigiſmundi Cæſaris, aliorumque Principum adhortationibus, ac precibus victus, Baſileenſis Concilii diſſolutionem reſcidit Diplomate quod incipit, *Ad ſanctam Petri Sedem*, dato XVI. Kalendas Martii, biduo ante finem ſexaginta dierum eidem a Synodo Seſſione VIII. præfinitorum. Extat Diploma in Actis Navarricis, in Appendice Actorum Binii, ac Labbei, & apud Raynaldum ad annum Chriſti MCDXXXIII. Num. V. In eo Diplomate Eugenius recenſitis cauſis Congregationis, & Diſſolutionis Concilii, ſignificat, ſe ex fideli plurimorum relatione accepiſſe, cauſas, quæ hujus Baſileenſis Concilii celebrationem impediebant, ceſſaſſe; bellorum ſedatas tempeſtates; Bohemorum Oratores Baſileam veniſſe; majoremque Prælatorum, ac Doctorum confluxiſſe numerum. Proinde cum reprehenſibile non ſit, ſi ſecundum varietatem temporum ſtatuta quandoque variantur humana, ſuperiori diſſolutionis Decreto non obſtante, ſtatuit & jubet de Conſilio S. R. E. Cardinalium ut Baſileæ ſacrum Generale Concilium per ſuos Legatos illuc quantocyus tranſmittendos, & qui ſuo nomine eidem Concilio præſideant, celebretur; mandatque omnibus, & ſingulis Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis, qui ad Concilia Generalia venire tenentur, ut ad dictum Baſileenſe Concilium infra tres menſes conveniant. Præterea idem Eugenius alio Diplomate dato Kalendis Martii ejuſdem anni MCDXXXIII. quod & apud memoratos Scriptores legitur, quatuor Concilii Præſides nominavit, Jordanum nempe Sabinenſem, & Petrum Albanenſem, Epiſcopos, ac Nicolaum Tituli S. Crucis in Jeruſalem, & Angelottum Tituli S. Marci, Presbyteros, Cardinales, qui Concilium ipſum Baſileenſe auctoritate ſua regerent.

XLVI. Antequam vero hæc ad Patrum Baſileenſium notitiam perveniſſent, auditi ſunt in Synodo miſſi ab Eugenio Legati, Joannes Mella Protonotarius Apoſtolicus, & Epiſcopus Cervienſis, duoque Abbates ad VIII. Idus Martias, qui legationem ſuam in hunc fere modum expoſuerunt: potuiſſe Pontificem de plenitudine poteſtatis legitime Concilium diſſolvere, & transferre, integris Conſtantienſis Concilii ſanctionibus: placere tamen ejus Sanctitati, pacis & concordiæ cauſa aliquid de jure ſuo remittere: ac proinde orare, ut translationem Concilii Bononiam æquo animo Patres ferrent, quam ipſe pro publica dumtaxat Eccleſiæ utilitate decreviſſet: ipſum Decretorum omnium contra Patres promulgatorum abrogationem polliceri, ſi & ipſi ſua in Pontificem, eique adhærentes edita reſcinderent: ſi Bohemi Bononiam petere recuſarent, concedere, ut Patres Baſileæ intra certum tempus cum eis agerent, ac in eorum reconciliationem incumberent, modo elapſo termino Bononiam ſe ſe conferrent: quæ Civitas ſi minus grata eſſet, aliam eligerent intra Italiam: ſi vero nihil horum æquum videretur, duodecim Prælati e Baſileenſium cœtu eligerentur neutri parti ſuſpecti, qui una cum Principum Oratoribus de his deliberarent: & ſi Concilium in Germania neceſſario celebrandum judicarent, placere Pontifici, ut locus alter a Civitate Baſileenſi eligeretur. Hactenus Nuncii Papæ Eugenii; quibus tamen reſpondere Patres Baſileenſes, *Baſileenſe Concilium legitime inchoatum, nec a Romano Pontifice ſine ipſius conſenſu diſſolvi potuiſſe*. Synodalis hæc reſponſio, quæ incipit, *Speravit hactenus*, edita eſt inter Epiſtolas Synodales Concilii hujus Baſileenſis, legiturque apud Labbeum, & alios Scriptores.

S E S S I O XI.

XLVII. Seſſione itaque undecima habita die XXVII. Aprilis, confirmarunt Patres, quæ in Conſtantienſi Synodo de celebratione Conciliorum ſtatuta jam fuerant, & quædam eorum in ſuum ſenſum explicarunt, decernentes, teneri omnino Pontificem per ſe, vel per Legatos ad Concilium accedere perinde ac ceteros, quibus de Jure competit, ſub pœnis ſuſpenſionis a Papatu, & aliis Beneficiis, ac Dignitatibus ipſo facto incurrendis, niſi infra quatuor menſes reſipuerint: *Ex tunc Romanus Pontifex a Papali, & prædictæ perſonæ a ſuarum Dignitatum adminiſtratione ſint ipſo facto ſuſpenſi. Quæ quidem Papalis adminiſtratio ad ſacrum Concilium ipſo Jure devolvatur*. Quas pœnas ſi per duos menſes animo ſuſtinuerint indurato, *tam contra Romanum Pontificem, quam prædictas perſonas uſque ad privationem incluſive per Concilium Generale procedatur*. Statuunt præterea, *ut non obſtante quacumque etiam Romani Pontificis prohibitione*, omnibus ad quos de jure ſpectat, etiam S.R.E. Cardinalibus, liberum ſit ad Generalia Concilia proficiſci. Declarant & inſuper, verba illa, *nullatenus prorogetur*, in Decreto Concilii Conſtantienſis poſita, ita prohibitive intelligi, ut Concilium etiam per Papam prorogari nequeat, aut congregatum diſſolvi, ſeu transferri, *ſine ipſius Concilii expreſſo conſenſu*; utque ipſa Baſileenſis Synodus per neminem, *etiamſi Papalis fuerit dignitatis*, diſſolvi, aut transferri poſſit, niſi de expreſſo conſenſu duarum partium cujuslibet Deputationis, ſubſequente etiam conſenſu duarum partium Congregationis Generalis.

XLVIII. Edicitur præterea in eadem XI. Seſſione, ne Patres *ante completam reformationem in Capite, & in membris*, diſſolutioni Concilii conſenſum præſtent, aut loci mutationem fieri permittant, niſi ex cauſis juſtis, ac manifeſtis. Locum quoque futuri Concilii integro menſe ante diſſolutionem eligi edicitur juxta Conſtantienſis Concilii ſtatutum; utque Cardinales ante ingreſſum Conclavis, & Pontifex electus hujus Decreti obſervantiam, & executionem jurent; ut in Synodis Provincialibus, & Diœceſanis, necnon in Comitiis, & Capitulis Religioſorum quorumlibet Ordinum promulgetur. Quælibet tandem mandata cum cenſurarum, privationum & quarumcumque pœnarum interminatione facta Curialibus, & Officialibus Romanæ Curiæ *tam per Eugenium IV. quam ejus Camerarium, vel alium eorum auctoritate*, per quæ facultas ad Concilium veniendi tolli, impediri, vel reſtringi poſſet, in hac eadem Seſſione XI. iidem Baſilienſes Patres irrita eſſe declarant.

XLIX. Receptis ſubinde a Sigiſmundo Auguſto Litteris ſcriptis Viterbii die IX. Maji, quibus ſignificabat, Eugenium Papam deſignaſſe Legatos, qui ſuo nomine Concilio præeſſent, ſed eorum profectione legitimis impedimentis retardata, interim alios Præſides ſubdelegare, nempe Joannem Mellam Archiepiſcopum Tarentinum, & alios: Baſilienſes Patres tam Decretum Eugenii

nii de Concilio, quod multis modia captioſum, & ſubdolum eſſe arguebant, & ad deſtructionem Concilii magis, quam ad confirmationem compoſitum, quam ipſos Præſidentes ſubdelegatos admittere recuſarunt: quos ad novi Concilii celebrationem, non ad iſtius, quod dudum inchoatum, & hucuſque continuatum fuerat, confirmationem miſſos, ex ipſis Eugenii Papæ Litteris, & Mandatis colligebant. Sed & offenſionem concitabat graviſſimam illa Mandatorum Apoſtolicorum clauſula, qua poteſtas dabatur Legatis expediendi omnia negotia cum Synodi conſilio: quibus verbis Epiſcopos Conſiliarios dumtaxat, non Judices in Conciliis agnoſcare videbatur.

L. Conſtant hæc ex Synodali Reſponſione Patrum Baſileenſium, quæ incipit, *Speravit*, edita in actis hujus Concilii apud Labbeum; ſic autem inter alia inquiunt: *Sed & non mediocriter facultas data Legatis nos admirari compellit, in qua negotia quæque Eccleſiæ Univerſalis per dictos Præſidentes expedienda mandantur cum conſilio Concilii. Quæ verba juxta ſignificationem propriam, aut Regulas Juris Canonici, & Civilis, innuunt, ut conſilium Concilii peti dumtaxat, non autem ſequi oporteat. Igitur ſi Concilium conſuluerit, aut dictaverit aliquid expedire, & Præſidentibus non libeat fieri, ſecundum eum non licebit. Qui ſi Præſidentes nihil eorum, quæ ad Fidem, vel ad generalem Reformationem Eccleſiæ pertinent, aut aliquid quod Fidei, vel bonis moribus contradicat, agere decreverunt? Concilium erga probibere non poterit? Ergo de Judice fiet Conſiliarius? Quid ſi Præſidentes totum Concilium condemnare, vel judicare deliberent, ſecundum boc contradicere non poterit? Ergo de Judice fiet reus? Deluſorium eſſet ergo & falſum Decretum illud tanta maturitate a SS. Patribus in Concilio Conſtantienſi digeſtum, in quo cavetur*, Quod quilibet etiam Papa Statutis, Mandatis, & Decretis Concilii Generalis obedire teneatur in his, quæ pertinent ad Fidem, extirpationem Schiſmatis, & univerſalem reformationem Eccleſiæ in Capite, & in membris: quod ſi non obedierit, condignæ pœnitentiæ ſubjiciatur, & debite puniatur, etiam ad alia Juris ſubſidia, ſi opus fuerit, recurrendo: *Secundum boc non ſolum Præſidentes, ſed & Papa obnoxius eſt Decretis, & præceptis Concilii. Erga potius Concilium cum conſilio Papæ, vel Præſidentium, quam e contra, negotia Eccleſiæ concludere debet.*

## SESSIO XII.

LI. Seſſione duodecima celebrata die XIII. Julii, repetitis Concilii Conſtantienſis Decretis de ſuprema, & a Chriſto immediate accepta Conciliorum auctoritate, Synodus rogatu Sigiſmundi Auguſti per ſuas Litteras inſtantis inducias adhuc aliorum dierum ſexaginta Eugenio concedit; infra quos niſi attentatam Concilii diſſolutionem revocet, & Baſileenſe Concilium per Generalium Conſtantienſis, & Senenſis Conciliorum ſtatuta, approbationemque Martini V. & ipſius Eugenii IV. legitime inchoatum, a tempore hujuſmodi inchoationis continuatum fuiſſe, & eſſe declaret, continuarique debere, & ipſi pure, ac ſimpliciter adhæreat, & cum effectu; ex tunc Sancta ipſa Synodus *in virtute Omnipotentis Dei, a quo ſemper ſuper omnes Chiſtifideles immediate poteſtatem vindicat*, prædictum Dominum Eugenium manifeſte contumacem *ab omni adminiſtratione Papatus in ſpiritualibus, & temporalibus ipſa facto ſuſpendit, & ſuſpenſum declarat.* In eadem hac Seſſione jus Sacrarum Electionum confirmatum, & roboratum eſt: Pontificiis Reſervationibus modus adhibitus: Juramenti formula Electoribus præſcripta, quo ſe ad eligendum eum obſtringerent, quem futurum *Eccleſiæ in ſpiritualibus, & temporalibus utiliorem crederent*: Simoniacas electiones execratur & irritas declarat Synodus; Summumque ipſum Pontificem exhortatur, *ut pro confirmatione earum electionum, quas ad eum deferri contigerit, nihil penitus exigat, aut recipiat; alioquin ſi ſecus faciendo notorie, & incorrigibiliter ex boc Eccleſiam ſcandalizet, futuro Concilio deferatur.* De Annatis exigi ſolitis dicemus infra.

## SESSIO XIII.

LII. Seſſione decimatertia die XI. Septembris habita, cui interfuerunt ſeptem Cardinales, accuſata iterum a Promotoribus Concilii Eugenii contumacia, quod exacto LX. dierum ſpatio ſibi peremtorie definito, diſſolutionem Synodi a ſe tentatam non revocaſſet, Patres omnino ad ejus condemnationem procedere decreverant. At Willelmus Bavariæ Dux Concilii Protector tam ſuo, quam Imperatoris nomine, necnon major Civium pars, aliique inſtiterunt pro ulteriori dilatione triginta dierum cum promiſſione de nulla unquam amplius petenda. Interim vero Eugenius cum repulſam Præſidum a ſe ſubdelegatorum intellexiſſet, urgente Imperatore, & tribus Cardinalibus, quos apud ſe habebat, Concilium legitime indictum a tempore ſuæ inchoationis, continuatum fuiſſe, proſequutionemque habere debere declaravit, ad hæreſes, & morum corruptelam extirpandam, perinde ac ſi nulla diſſolutio, aut translatio facta fuiſſet, quas omnino revocabat, Synodumque promovere, & omni favore proſequi pollicebatur, ea tamen lege, ut ab ipſo allegati Præſides admitterentur, omniaque, ac ſingula contra perſonam, auctoritatem, & libertatem ipſius Eugenii, ac Sedis Apoſtolicæ, Cardinalium, aliorumque ipſi adhærentium in Concilio Decreta, geſtaque reſcinderentur. Atque hæc expreſſa ſunt quidem Litteris datis Kalendis Auguſti, quæ in Appendice Concilii hujus Baſilienſis editæ ſunt, ſicut & aliæ datæ Idibus ejuſdem menſis, quibus Archiepiſcopo Spalatenſi, Epiſcopo Cervienſi, & Nicolao Abbati Nunciis ſuis Eugenius commiſit, ut Synodalium geſtorum, ſuæ perſonæ, auctoritati, ac libertati obnoxiorum revocationem urgerent; eiſdemque facultatem tribuit revocandi, atque irrita declarandi omnia, quæ ab ipſo, vel ejus auctoritate contra Concilium, aut Concilio adhærentes facta, aut decreta fuiſſent.

LIII. Cum vero nec ita fieri ſatis Baſileenſibus Patribus animadverteret, qui nihil eorum, quæ feciſſent, revocari poſſe, aut debere, ſed Pontificem eis pure, ac ſimpliciter adhærere tanquam Synodo inferiorem contendebant, idem Pontifex Decretum in primis Seſſione XII. contra ſuam Sanctitatem, Cardinales, ceteroſque conditum Conſtitutione Idibus Septembris promulgata, quæ in Actis Concilii hujus extat, de plenitudine poteſtatis irritum, & inane pronunciavit. Publicatæ ſunt poſtea prolixiores aliæ ejuſdem Eugenii Papæ nomine Litteræ Apologeticæ ad univerſos Chriſtifideles contra Synodum ipſam Baſileenſem, quibus ejuſdem Synodi Acta con-

Digitized by Google

contra Sedis Apoſtolicæ, ipſiuſque Pontificis, ut ſit, auctoritatem, a Pontifice nuſquam approbari poſſe, aut approbatum iri conteſtabatur. Deinde explicans, quod a Patribus objectum erat, ipſum nempe Eugenium delegatis a ſe Præſidibus mandaſſe, ut cum Synodi conſilio omnia decernerent, ait, Concilium ſequi debere Præſides Legatos Pontificis, non vero contra; itaut ſi Papa, vel ejus Legati aliquid decernerent, Synodus vero contrarium ſtatueret, in Papæ, vel ipſius Legati, non vero in Coocilii ſenteutia acquieſcendum eſſet.

S E S S I O XIV.

LIV. Seſſione decimaquarta celebrata ſeptimo Idus Novembris, cui interfuit Sigiſmundus Imperiali paludamento, Corona, Sceptro, aureo Pomo, uudoque enſe, atque aliis Imperii Iuſignibus ornatus, eodem rogante Imperatore ſancitum eſt, terminum Eugenio ſæpius prorogatum, ad nonageſimum rurſum diem differri; itaut intra id temporis adhærere Concilio deberet, & omuia, quæ coutra illud, & ei adhæreotes feciſſet, aut decreviſſet, ac ſpeciatim Litteras, quas ſuperius recenſuimus, revocare; & quæ iu eo geſta fuiſſent, confirmare ſecundum formulas ei præſcriptas, quæ habentur iu Actis Concili hujus Baſileenſis; eaque ratione futurum promiſerunt Patres, ut omnes ſe ad ejus pedes ſubmitterent, & uti unicum legitimumque Chriſti Vicarium venerarentur.

S E S S I O XV.

LV. Seſſione decimaquinta, quæ celebrata eſt die XXVI. Novembris, eſtque ultima anni MCOXXXIII. præſeute pariter Sigiſmundo Imperatore multa ſalutaria ſtatuta ſunt, præſertim vero, ut ſingulis annis ſemel ſaltem Diœceſana Synodus ab Epiſcopo celebretur; Provincialia vero Concilia ad minus infra biennium, & deinde quolibet ſaltem triennio. Plura iu hanc diſciplinam jam uos diximus Tomo I. Conciliorum iu Commentario ad Canouem XIX. Concilii Chalcedonenſis, ubi etiam varios aliorum Conciliorum Canones explicuimus. Porro mandat hæc Baſileenſis Synodus, Proviociales ipſas, Diœceſanaſque Synodos, dum celebrautur, biduo triduove duraturas, & quædam etiam ſtatuit de modo celebrationis, & rebus in iis agendis, morumque cenſura tam Eccleſiaſticorum, quam Regularium utriuſque ſexus Diœceſano Epiſcopo ſubjectorum. Juſſit præterea in eadem XV. Seſſione hæc Synodus Prælatis omnibus Religionum, & Ordinum quorumcunque, ad quos celebrare Capitula pertinebat, ut ea ſtatutis temporibus celebrari curareut, itaut ad veram ſingularum Religionum reformationem intenderent ſecundum Canonicas Sanctioues, & ipſarum Religionum Conſtitutiones, ut Regularis obſervantia vigeret, declarans, ſe non intendere Juribus quorumcunque quomodolibet derogare.

S E S S I O XVI.

LVI. Seſſione decimaſexta habita die V. Februarii anni MCDXXXIV, Synodus Litteris Eugenii Papæ IV. more Curiæ Romanæ bullatis, ac datis XVIII. Kalendas Januarii anni MCOXXXIII. quas attulerant Tarentiuus Archiepiſcopus, & Chriſtophorus Cervienſis Epiſcopus, & quibus Pontifex confirmabat Concilium Baſileenſe, lectis, examinatis, ac diligenter inſpectis, declarat, ipſum Eugenium per hujuſmodi Litteras plene ſatisfeciſſe monitioni, citationi, & poſtulatis Concilii, quod eum in Seſſione XIV. in jus vocaverat, ipſaſque Litteras, quæ incipiunt, *Dudum Sacrum Generale &c.* approbat, & in Acta refert. In iis Litteris profitetur primum Pontifex, *Sacrum Baſileenſe Generale Concilium, per Generalium Conſtantienſis, & Senenſis Conciliorum ſtatuta, ordinationeſque felicis recordationis Martini Papæ V.* ac ſuas *pro extirpatione hæreſum, pace populi Chriſtiani, ac generali reformatione Eccleſiæ in Capite, & in membris, & pertinentibus ad ea legitime inchoatum, ex certis cauſis in aliis* ſuis *Litteris expreſſis* diſſolviſſe; verum quod a dicta diſſolutione ortæ ſint graves diſſenſiones, & graviores oriri poſſent; decernere, & declarare ſe ait, & quidem de conſilio, & conſenſu Cardinalium, *præfatum Generale Concilium Baſileenſe a tempore prædictæ inchoationis ſuæ legitime continuatum fuiſſe, & eſſe, proſequutionemque ſemper habuiſſe, continuari, ac proſequutionem habere debere ad prædicta, & pertinentia ad ea, perinde ac ſi nulla definitio facta fuiſſet: quinimo præfatam diſſolutionem irritam & inanem de conſilio, & aſſenſu ſimili* declarat; ſeque *ipſum Sacrum Generale Concilium Baſileenſe pure, & ſimpliciter, & cum effectu, ac omni devotione, & favore proſequi &c.* Porro Joannes Cardinalis Turrecremata, qui Concilio ipſi Baſileenſi adfuit, Lib. II. *Summæ, De Eccleſia*, Cap. C. docet, iis Eugenium Litteris non approbaſſe quicquid per Concilium decretum eſſet, aut inſtitutum, nec ſe obligaſſe ad comprobanda illa, quæ Patres præter auctoritatem Conciliis licitam condere vellent; nec denique revocando diſſolutionem Concilii a ſe prius factam negaſſe, haud ſe potuiſſe revocare; ſed quod ex revocatione dicerentur oriri multa ſcandala, agnoviſſe, illa ſe feciſſe nou ex veris cauſis, licet veris tunc exiſtimatis.

LVII. Teſtimonium Turrecrematæ pluribus quidem conatur refellere Natalis Alexander in Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſeculi XV. & XVI. Diſſertatione VIII. Articulo III. Num. XXXVII. & ſeqq. Sed videri poſſunt, quæ in eum locum egregie inter alios obſervat Sfondratus in ſua Gallia Vindicata, Diſſertatione III. §. VI. ubi enarrat Seſſionem XVI. noſtri hujus Concilii Baſileenſis. Lougum enim eſſet velle hoc loco recentiorum quorundam Gallorum argumenta refellere, quæ ad adſtruendam ſupremam Conciliorum auctoritatem ſupra Romanos Pontifices congerere ſolent. Legi plene ad ea omnia confutanda præ cæteris poteſt præſtantiſſimus Theologus Joſephus Auguſtinus Orſi Dominicanæ Familiæ alumnus ſacræ Congregationis Indicis a ſecretis, & doctiſſimis operibus editis, noviſſime autem Eccleſiaſtica Hiſtoria Italico idiomate eleganti ſtylo, conſcripta, atque omnigena eruditione referta toti Litterariæ Reipublicæ notiſſimus, jure meritoque a Viris doctis, atque ab Eminentiſſimis S. R. E. Cardinalibus, imo & ab ipſo Regnante BENEDICTO XIV. Pontifice Maximo magni habitus.

LVIII. Quod Legatos ſpectat ab Eugenio miſſos, ut Baſileenſi Concilio præſiderent, ii quidem in Generali Congregatione Nationum, die XXIV. Aprilis MCOXXXIV. incorporati ſunt Concilio nominibus privatis, ſcilicet Nicolaus Titulo S. Crucis in Jeruſalem Presbyter, Julianus S. Angeli Diaconus, S. R. E. Cardinales, Joannes Archiepiſcopus Tarentinus, Petrus Epiſco-

ſcopus Paduanus, & Ludovicus Abbas S. Juſtinæ; decretumque juraturos illos in ſua incorporatione fideliter agere pro honore Concilii, ejuſque decreta defendere, ac ſpecistim illud Concilii Conſtantienſis de ſubjectione Romanorum Pontificum poteſtati coactivæ Generalium Conciliorum in iis, quæ pertinerent ad Fidem, extirpationem Schiſmatum, & ad generalem reformationem Eccleſiæ in Capite, & in membris; juratnros etiam, quod ſalubre conſilinm darent ſecundum Denm & conſcientias, nec revelarent ſuffragia ſingulorum, unde veriſimiliter poſſet oriri aliqnod odium, vel ſcandalum; nec denique recederent a loco Concilii abſque licentia a Deputatis obtenta. Porro Legatos ſe ſe propriis nominibns, non Pontificis Engenii IV. aut Sedis Apoſtolicæ obligaſſe, expreſſe declarant hujus Baſileenſis Concilii Acta apnd Labbeum, in quibns ſic inter alia legitur: *Legati Sanctiſſimi Domini noſtri incorporati ſunt Concilio nominibus privatis &c.* Tum panlo poſt: *In eorum incorporatione jurabunt nominibus propriis fideliter laborare pro ſtatu, & honore hujus ſacri Concilii &c.*

S E S S I O XVII.

LIX. Seſſione decimaſeptima celebrats die xxvi. Aprilis, cui interſuiſſe Sigiſmundum Inſignibus dignitatis ſnæ ornatum una cum centnm Prælatis Mitratis Acta ipſa Concilii hujus declarant, admiſſi fuere prædicti Legati in Concilio Præſidentes una cnm ipſo Juliano Cardinale antiquo Præſidente, ſed abſque nlla juriſdictione coactiva, & ſalvis modis procedendi In Concilio eatenns obſervatis, & ea lege, ut Acta Concilii bulla, & ſigillo ejuſdem Concilii obſignarentnr. Statntum præterea & in hac Seſſione a Patribus ſuit, *quod præter Feriam ſextam, in qua ordinaria eſt Congregatio Generalis, non poſſit fieri alia, niſi fuerit conclaſum prius per tres Deputationes ad minus; & tunc intimetur ipſis Præſidentibus, vel alteri ex eis, quod ponat ſchedulas. Et ſi non fecerint, unus ex Deputatibus, quicumque ſit, ponat ſchedulas &c.*

S E S S I O XVIII.

LX. Seſſione decimaoctava, quæ habita eſt die xxvi. Junii repetitnm eſt denuo a Patribus Conſtantienſis Decretum de Conciliorum ſupra Romanos Pontifices anctoritate: *Ad magnam*, inqniunt, *Eccleſiæ Catholicæ utilitatem per finem dignoſcitur, ut ipſius auctoritas, cui omnes ſubeſſe tenentur, in ſuo olim Concilio Conſtantienſi declarata ſæpius manifeſtetur, & ad omnium notitiam perducatur, & quemadmodum nonnulla Concilia præcedentium Synodorum ſalubres inſtitutiones, & declarationes innovare conſueverunt, ita & hæc ſancta Synodus neceſſariam illam declarationem de Generalium Conciliorum auctoritate innovat: primo, quod Generalis Synodus in Spiritu Sancto legitime congregata, Generale Concilium faciens, Eccleſiam militantem repræſentans, poteſtatem a Chriſto immediate habet, cui quilibet cujuſcumque ſtatus, vel dignitatis, etiamſi Papalis exiſtat, obedire tenetur in his quæ pertinent ad Fidem, & extirpationem Schiſmatis, & ad generalem reformationem Eccleſiæ in Capite & in membris*. Declarat tum etiam Synodns, *quod quicumque cujuſcumque ſtatus, vel dignitatis, etiamſi Papalis exiſtat, qui Mandatis, ſive Ordinationibus, aut præceptis hujus ſanctæ Synodi, aut cujuſcumque alterius Concilii Generalis legitime congregati, ſuper præmiſſis, ſeu ad ea pertinentibus factis, vel faciendis, obedire contumaciter contemſerit, niſi reſipuerit, condignæ pœnitentiæ ſubjiciatur, & debite puniatur, etiam ad alia Juris ſubſidia, ſi opus fuerit, recurrendo*. Hæc Synodi Conſtantienſis Decreta, tametſi in qninque Seſſionibus hucuſqne repetita, inculcata, & confirmata ſint, ſcilicet Seſſione II. III. XII. XVI. & XVIII. adhnc tamen nullius ſunt roboris, neque enim Romanns Pontifex Maximus, Capnt Eccleſiæ, & ſuperior omnibus quibuſvis Conciliis, Decretis ipſis ſubjectus eſt, nt ſaniores Theologi docent.

LXI. Præter hanc Seſſionem habita eſt a Patribns Congregstio xvi. Kalendas Julii, in qua promulgata ſuit Conſtitutio Caroli IV. Imperatoris contra violatores immunitatum Eccleſiæ aucta, & amplificata, uti videre eſt apud Labbeum Tomo xvii. Conciliorum Venetæ editionis, apud quem etiam legitur Eugenii Papæ IV. Conſtitutio de Veneratione Feſti Corporis Chriſti, & Indulgentiis ejns Feſtivitati conceſſis auctoritate pariter Synodsli publicata eſt, & nbique ſervari juſſa. Videri autem poſſunt quæ nos de ejuſdem Feſti inſtitutione, ac ſolemni Proceſſione ſcripſimus Tomo II. Cæremonialis Epiſcoporum Cap. XXXIII. qnod jam nos noſtris Commentariis illnſtravimns. Porro Spondanns ad annnm MCDXXXIV. Num. II. inter alia tradit, Josnnem Patriarcham Antiochenum obtuliſſe Synodo Baſileenſi in hac Seſſione XVIII. Tractatum a ſe compoſitum, quo probare conatus eſt, Concilium eſſe ſupra Papsm, ac propterea non poſſe illud diſſolvi ab Eugenio abſque ejnſdem conſenſu, ſed ipſum ei teneri obedire. Extat & hic Tractatns apud laudatum Labbeum.

S E S S I O XIX.

LXII. Seſſione decimanona celebrata die VII. Septembris ejnſdem anni MCDXXXIV. de Concilio pro Græcorum Unione celebrando actum eſt. Pro cujus intelligentia ſciendum eſt, quod anno ſnperiori ad Synodum ſcripſerant Joannes Palæologus Græcorum Imperstor, & Joſeph Pstriarcha Conſtantinopolitanus, Concilium Œcumenicum utriuſqne Eccleſiæ ſecundum antiqnnm ordinem & conſuetudinem ſummopere ſe deſiderare ſignificantes: ad quod promovendum miſernnt Demetrinm Palæologum Protoveſtiarinm una cum Iſidoro Abbate Monaſterii S. Demetrii, & Joanne Dyſipato Imperatoris ſamiliari: cum qnibns habitis diverſis tractatibus a Præſidibus, & aliis Concilii Deputatis, primo diſceptatum eſt de loco Concilii, ac petentibus Græcis, ut Conſtantinopoli celebraretur, Baſileeſibns vero Patribus ut Baſileæ, convenerunt demum, ut in Occidente congregaretur, ac loca nominata, Calabria, Ancona, vel alia Terra maritima, Bononia, Mediolsnum, vel alia Civitas in Italia; extra Italiam autem Buda in Hungaria, Vienna in Anſtria, & ad ultimum in Sabaudia; ita tamen, ut, ſi perſuaderi Imperatori poſſet, eligeretur Baſilea, alioqui tenerentur Baſileenſes poſt unum menſem ab adventu Græcornm, ad locum ſe conferre, quem elegiſſent; Græcis vero triremes, ſumtnſqne neceſſarii ſuppeditarentur. Singula conventionis capita, quæ prollixius a Spondano, & Raynaldo narrantur, Synodus approbavit, rogavitque Engeninm Pontificem, nt in ſavorem Fidei, & Eccleſiaſticæ Unitatis, huic conventioni, omnibuſ-

buſque illius capitibus aſſenſum præberet. Quod ipſum præſtitiſſe teſtatur Auguſtinus Patricius Cap. XLII. Actorum hujus Concilii, & poſt illum Pagius in Vita Eogenii IV. Num. LXXX.

LXIII. In eadem Seſſione XIX. uti inter alios memorati Scriptores notant, Decretum præterea editum eſt, ut Judæi, & alii Infideles ad Verbi Dei prædicationem audiendam compellantur, obſerveturque Conſtitutio Concilii Viennenſis de docendis diſcendiſque linguis Hebraica, Arabica, Græca, & Chaldaica. Anteriora omnia Decreta de vitanda eorum communicatione, in Fide moribus, victu, habitatione, converſatione, commercio, necnon de veſtitus diſtinctione, renovata ſunt, & confirmata. Judæis ad Fidem converſis indultum eſt, ut bonis ſuis vel immobilibus optimo jure fruerentur; ſi hujuſmodi autem bona uſoris, aut illicito quæſtu parta eſſeot, ac notæ perſonæ, quibus eſſet reſtitutio facienda, illis omnino reſtituerentur: *Quia non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum*. His vero perſonis non exſtantibus, *quia talia per manus Eccleſiæ eſſent in pios uſus convertenda*, Synodus vicem gerens univerſalis Eccleſiæ, in favorem ſuſcepti Baptiſmatis tanquam in pium uſum, hujuſmodi bona illis attribuit; Chriſtianos omnes, tam Eccleſiaſticos Viros, quam ſæcolares hortatur, ut egentibus Neophytis ſubveniant; Diœceſaniſque mandat, ot curam ipſorum ſingularem gerant. Prohibitum tandem Judæis eſt, mortuos Judaico more ſepelire, aut alios antiquos Sectæ ſuæ Ritus quoquo modo ſervare.

## S E S S I O XX.

*De concubinatu avertendo.*

LXIV. Seſſione vigeſima habita XI. Kalendas Februarii anni MCDXXXV. Decretum eſt, ut *Clericus publicus Concubinarius a perceptione fructuum ſuorum Beneficiorum trium menſium ſpatio ſit ipſo facto ſuſpenſus, quos ſuus Superior in fabricam, vel alium evidentem Eccleſiarum utilitatem, ex quibus hi fructus percipiantur, convertat; necnon & hujuſmodi publicum Concubinarium, ut primum talem eſſe innotuerit, mox ſuus Superior monere teneatur, ut infra breviſſimum terminum Concubinam dimittat, quam ſi non dimiſerit, vel dimiſſam, aut aliam publice reſumſerit, jubet hæc Sancta Synodus, ut ipſum ſuis omnibus Beneficiis omnino privet: & nihilominus hi publici Concubinarii, uſquequo eam eis per ſuos Superiores poſt ipſarum Concubinarum dimiſſionem, manifeſtamque vitæ emendationem fuerit diſpenſatum, ad ſuſceptionem quorumcunque bonorum, Dignitatum, Beneficiorum, vel officiorum, ſint inhabiles, qui ſi poſt diſpenſationem recidivo vomitu ad hujuſmodi publicum concubinatum redierint, ſine ſpe alicujus diſpenſationis ad prædicta prorſus ſint inhabiles.* Docet mox etiam Synodus, qui intelligendi ſint Concubinarii poblici, & ait, non ſolum eos intelligi, quorum concubinatus per ſententiam, aut confeſſionem in jure factam, ſeu per rei evidentiam, quæ nolla poſſit tergiverſatione celari, notorius eſt, ſed etiam, qui mulierem de incontinentia ſuſpectam, & infamatam tenet, & per ſuum Superiorum admonitus ipſam cum effectu non dimittit. Vetat tum etiam ſub interminatione maledictionis æternæ, ne tales, ſicut nonnullis in locis fieri conſueverat, pecuniaria mulcta in ſuis turpitudinibus ſordeſcere permittantur; & ne filii eorum ex tali concubinatu procreati, apud ipſos habitent. Cum autem omne fornicationis crimen Lege Divina prohibitum ſit, & ſub peccati mortalis pœna neceſſario evitandum, monet Synodus, omnes etiam laicos, tam uxoratos, quam ſolutos, ut ſimiliter a concobinatu abſtineant: *Nimis enim reprehenſibilis eſt, qui uxorem habet & ad alienam mulierem accedit*: Qui vero ſolutus eſt, ſi continere nolit, *juxta Apoſtoli conſilium*, uxorem ducat.

LXV. De Clericorum, aliorumque ſacrorum hominum concobinatu, ac de variis pœnis, quibus & Summi Pontifices, & ſacræ Synodi eum coercere conati ſont, ſæpe a oobis in Commentariis noſtris ad præcedentes Cannnes Conciliorum Tomis I. II. & III. dictum eſt, & quidem non ſine animi ſenſu, tum præſertim, quod multi reditus Eccleſiaſtici præpoſtero, ac turpiſſimo abuſu in ſcorta a non pancis Beneficiariis expendi ſoleant. Hinc enim eſt, quod inter alias pœnas, quibus incontinentes ipſi a ſacris Canonibus mulctantur, una eſt illa privatio ſcilicet Eccleſiaſticorum redituom, imo & ipſorum Beneficiorum. Si veterem Diſciplinam inſpiciamus, certe olim ex ſola ſuſpicione, & ex frequenti ſolo com feminis colloquio Presbyteri exauthorabantur, nulla ſpe reſidua reſtitotionis. Ita ſane ſtatuit & quidem juxta Decreta S. Gregorii, Troslejenſis Synodus anni CMIX. Can. IX. *Si quicumque Presbyter*, inquit, *non ſolum in noſtra Parochia, ſed in noſtra Diœceſi confeſſus, vel Legali, ac Regulari Judicio fuerit convictus de cohabitatione, vel frequentatione, vel acceſſu cum feminis contra Canones, modis omnibus ſecundum Decreta Beati Gregorii, ſine gradus ſui reſtitutione deponetur*. Noſtra hac tempeſtate vix Presbyterum invenies, qui in domibus, ubi extant mulieres vel extraneæ, non habitet, earumque opera in rei domeſticæ famolitio non utatur. Quamobrem non mirum videri debet, ſi inter ſacros homines, multi ſunt, qoi in ruinam labuntur, ii præſertim, qui reditibus Eccleſiaſticis abundant; paoperiores ſiquidem de cibo utplorimum cogitant, non de voluptate.

LXVI. Mirom porro illud videri debet, cur innumeros pene laicos, ac ſacros homines noſtra hac potiſſimom tempeſtate incontinentia infecerit. Licet enim ardua res ſit Caſtitatis virtos, fateri nihilominus cogimur, ineſcuſabiles eſſe, & fere nulla commiſeratione dignos, qui eam violant. Nulli enim teſte Apoſtolo in Epiſtola 1. ad Corinthios, Cap. VII. præcepta eſt a Deo virginitas: *De virginibus*, inquit, *præceptum Domini non habeo*. Colpandi ergo quammaxime ſont, qui carnis ſpurcitiis dediti, non modo a conjugio, qood eſt concupiſcentiæ remedium abſtinent, ſed, quod horrendiſſimum eſt, Epiſcopalium quoque manuum impoſitioni ſe ſe ſubjicere audent, & nonnunquam etiam ambire regimen animarum. Hos plane merito carpit inter alios S. Bernardus vicem ſui, ac noſtri pariter temporis dolens, ubi in Libro, *De Converſione ad Clericos*, ita inquit, Cap. IX. *Ingrediuntur cum macula Tabernaculum Dei viventis, inhabitant cum macula Templum Sanctum Domini polluentes, judicium multiplex accepturi; quod tam graviſſime conſcientias gerunt, & nihilominus ſe ſe ingerunt in Sanctuarium Dei*. Quod Laicos ſpectat, ſive uxorati ſint, ſive ſoluti ſi in carnis vitium labantur, debent hi quidem graviter a Confeſſariis reprehendi, & non ſolum

Ca-

Canonica pœnitentia mulctari, verum etiamſi recidivi fuerint a ſacramentali abſolutione privari, ob eam præclariſſimam rationem, quam docet Baſilienſis Synodus in hac Seſſione xx. cujus verba, licet a nobis ſuperius fuerint deſcripta, digna tamen ſunt, ut ea iterum recitemus: *Nimis enim reprehenſibilis eſt*, inquit, *qui uxorem habet, & ad alienam mulierem accedit*. Qui vero ſolutus eſt, ſi continere nolit, *juxta Apoſtoli conſilium, uxorem ducere debet*.

LXVII. Antequam ulterius progrediar, monendos cenſeo Sacros Homines, ut omnes prorſus occaſiones amputent, quæ inducere, ac fovere concubinatum poſſunt, in earumque numero ſunt extraneæ mulieres præſertim adoleſcentes, quas una cum Clericis habitare vetuit inter alias Synodus I. Nicena Œcumenica, Canone III. quem nos fuſe Tomo I. Conciliorum explicuimus, allatis ea in re aliorum plurium Conciliorum Decretis; itemque frequentationes, acceſſuſque ad feminas a Synodis vetiti, inter quas Carthaginenſis III. Can. xxv. vetuit Clericis feminas inviſere, niſi permittente Epiſcopo, & alio quopiam Clerico concomitante. Concilium Epaonenſe Can. xx. jam omnibus prorſus Clericis prohibuit mulieres inviſere horis pomeridianis, niſi tamen neceſſitas inſtet; tunc enim eas permittit inviſere, modo comites adhibeant ſibi teſteſque Clericos alios: *Epiſcopo*, inquit, *Presbytero, Diacono, vel ceteris Clericis, horis præteritis, ideſt, meridianis, vel veſpertinis, ad feminas probibemus acceſſum; quæ tamen ſi cauſa fuerit, cum Presbyterorum, aut Clericorum teſtimonio videantur*. Jubet demum Concilium Tarraconenſe, Can. I. ut Clerici conſanguineas, cum ſubeſt neceſſitas, viſitent, idque raro, & celeri ſalutatione, & præterea teſtem ſolatii ſui fide & ætate probatum ſecum adhibeant.

LXVIII. Quammaxime autem præcidendæ ſunt a Sacris Hominibus quædam nimiæ directiones ſpirituales mulierum, tam illæ, quæ in Sacramentali Confeſſione, quam aliæ quæ extra illam fieri ſolent. Multi etenim prætextu alterutrius ſpiritualis directionis familiaritates cum ſexu molliore indecoras contrahere ſolent, & quod dolendum eſt, aliquando degenerantes in tetras neceſſitudines. Egregie in hac re diſſerit quidem S. Hieronymus, cujus loca affert Ludovicus Vivaldus Ordinis Prædicatorum tractans XII. perſequutiones Eccleſiæ: *Aliud*, inquit, *eſt genus hypocritarum, qui ſub ſpecie Religioſitatis ſine nuptiis quærunt novum genus uxorum, ut ait Hieronymus. Et ſicut idem ad Euſtochium ſcribit, nonnulli Presbyteratum, & Diaconatum ambiunt, ut mulieres licentius alloquantur, & videant. Fingunt, ſe fore Patres Spirituales, ut ſub ſpecie obedientiæ, humilitatis, ac mortificationis, illas tandem ad turpitudinem deducant.* Ubi nota, jam vel olim non defuiſſe, qui e Patribus Spiritualibus in Patres carnales tranſierint, & filias ſpirituales matres fecerint. Id plane & noſtris hiſce temporibus Confeſſariis aliquando accidit. Quod non eſt cur ſilentio premendum putemus juxta conſilium Bracharii, qui probra Sacrorum Hominum adeo alte infodi cupit, ut in nullius oculos incurrant. Sed ut ſciſſime inter alios obſervat eruditiſſimus Raynaudus in Diſſertatione, *De ſobria alterius ſexus frequentatione per Sacros & Religioſos Homines*, Cap. XIII. Num. VIII. fruſtra in hac re obduceremus ſiparium turpitudini huic ſacrilegæ, cum Pontifices vibratis frequenter fulminibus propudioſa hæc capita perculerint, Pius IV. Clemens VIII. Paulus V. Gregorius XV. & alii, quibus addi poteſt Regnans BENEDICTUS XIV. Pontifex in celebri ſua Conſtitutione, quæ incipit, *Sacramentum Pœnitentiæ*, edita anno MDCCXLI.

LXIX. Aureus plane eſt in eandem hanc rem locus Gerſonis, qui in Tractatu, *De probatione ſpirituum*, Capite I. ad finem ſic inter alia inquit: *Hoc præcipue conſiderare neceſſe eſt, ſi ſit mulier, qualiter cum ſuis Confeſſoribus converſatur, & Inſtructoribus: ſi collocutionibus intendat continuis ſub obtentu nunc crebræ Confeſſionis, nunc prolixæ narrationis viſionum ſuarum, nunc alterius cujuslibet confabulationis. Expertis crede, præſertim Auguſtino, ac Domino Bonaventuræ: vix eſt altera peſtis, vel efficacior ad nocendum, vel inſanabilior. Quod ſi nihil haberet aliud detrimenti, niſi temporis præſentis latiſſimam hanc conſumtionem, abunde Diabolo ſatis eſſet. Habet aliud, ſcitote; habet inſanabilem videndi, loquendique* (interim de tactu ſilentium ſit) *pruriginem, venitque ut Didoni illud apud Poetam.*

..... hærent infixi pectore vultus,

Verbaque, nec placidā mēbris dat cura quietē.

*Cum tamen in pace ſit Dei locus: nullus idcirco mirabitur, ſi tales ad fabulas converſi avertuntur a veritate: ſi præterea mulieres hæ curioſe agentes, ſunt quales notat Apoſtolus*: Semper diſcentes, & nunquam ad ſcientiam veritatis pervenientes. *Ubi autem non eſt veritas, ſit vanitas, & falſitas, neceſſe eſt*. Unde non mirum, ſi S. Hugo Gratianopolitanus in hac ſpirituali directione erat cautiſſimus, ut ſcribit Auctor ejus Vitæ; tantum enim aberat, ut familiarius ageret cum Pœnitentibus, ut potius quamvis mulieres benigne audiret, nunquam tamen in eas defigeret oculos, ſed vultu averſo exponentibus peccata operam daret, & alios ſimiliter faciendum doceret, arduum id eſſe negotium, & Satanæ mille nocendi artibus expoſitum, ideoque cautiſſime, & attentiſſime obeundum ſuo hoc exemplo conteſtans.

LXX. Quod aliam directionem ſpectat, quæ extra Pœnitentiæ Sacramentum exercetur, complexus eſt quidem omnia officia Sacrorum Hominum ad hanc mulierum directionem ſpiritualem, aut piam opitulationem in ſpiritu pertinentia Auctor Libri, *De Clericorum ſingularitate*, poſtquam monſtravit ita placere Deo, ut in Sacris ſuis cum feminis triumphent Sacerdotes: religioſe videlicet Sacra noſtra, & in primis Sacramenta eis impertiendo; ſubiicit mox, Sacrorum hominum ad mulieres acceſſus, ſine quibus præſtari hæc directio non poſſet, & infrequentes eſſe, & magna cura adhibita peragi, & undecumque micare honeſtatem; quæ niſi declinata familiaritate, contemtionem effuſura ſuper Sacerdotem, retineri nullo modo poteſt. Hæc omnia plene illuſtrantur a laudato eruditiſſimo Auctore Theophilo Raynaudo in citata celebri Diſſertatione, *De ſobria alterius ſexus frequentatione per Sacros, & Religioſos Homines*, Capite XIII. & alibi paſſim.

LXXI. Rurſus quod Sacri ac Religioſi Homines vi ſui ſtatus ad magnam perfectionem comparandam adſtringuntur, & a cœno, quod af-

fricare illis poſſet familiaritas cum mulieribus, abhorrere maxime debent, conſtituta ſpecialiter ſunt nonnulla, quibus nitori, & famæ eorum hac in parte conſuleretur. Hinc inter alia vetitum eſt Monachis, facere ſibi commatres, non quidem baptizando, quod minorem ingeneret familiaritatem, ut Gloſſa notavit, ſed levando e ſacro Fonte pueros eorum. Id enim ad præcludendas familiaritates cum mulieribus ſtatutum eſſe Canone, *Pervenit*, Cauſa XVIII. Quæſtione I. conſtat ex S.Gregorio Magno Pontifice Maximo, e cujus Epiſtola XL. Libro III. quæ data eſt ad Abbatem Valentinum, Canon ille depromtus eſt, qui ſic habet: *Pervenit ad nos, quod in Monaſterio tuo paſſim mulieres aſcendant, &, quod adhuc eſt gravius, Monachos tuos ſibi commatres facere, & ex hoc incautum cum eis communionem habere. Ne ergo hac occaſione, humani generis inimicus ſua eos, quod abſit, calliditate decipiat; ideo hujus te præcepti ſerie commonemus, ut neque mulieres in Monaſterio tuo deinceps qualibet occaſione permittas aſcendere, neque Monachos tuos commatres ſibi facere. Nam ſi hoc denuo ad aures noſtras quocumque modo pervenerit, ſic te ſeveriſſime noveris ultioni ſubdendum, ut emendationis tuæ qualitate ceteri ſine dubia corrigantur.*

LXXII. Eadem prohibitio, ne Monachi habeant commatres, ex Libro Capitularium Regum Francorum deſcripta eſt a Gratiano, Can. CIV. *De Conſecratione*, Diſtinctione IV. ſed cum additamento: *Monachi*, inquit, *ſibi compatres, commatresve non faciant, nec oſculentur feminas.* Sed de hoc oſculi additamento alias. Sane quod Monachis prohibetur, jam aliis Religioſis, ac Sacris Hominibus vetitum eſſe intelligitur, idque etiam expreſſe variæ Synodi declararunt, prohibentes vel ſecularibus Clericis, facere ſibi commatres, quia ſcilicet non pauci incontinentes ex eiſdem Sacris Hominibus ſub fuco affinitatis ſpiritualis liberiorem habentes acceſſum ad commatrum domos, cum ipſis turpe commercium perpetrarunt. Res nota omnibus eſt, maleque adeo olet, ut alicubi ob funeſtiſſima ejus rei exempla, ſanctiſſima compatris commatriſque nomina peſſimam in partem accipiantur. At hiſce omiſſis, audiendus S. Carolus, qui in Synodo II, Diœceſana Mediolanenſi, Decreto XVII. ita ſtatuit: *Clericis, qui Sacris Ordinibus initiati ſunt, infantem de Sacro Baptiſmi Fonte ſuſcipere vetitum ſit; iidemque in Confirmationis Sacramento compatres ne ſint.* Idipſum ſtatuunt & aliæ paſſim Synodi, ad evitandum ſcilicet ea occaſione periculoſam familiaritatem matrum, & propinquarum eorum, quos ſuſcipiunt.

LXXIII. Haudquaquam dubito, quin immani hodiernæ incontinentiæ torrenti, turpique concubinatui, ac frequentibus adulteriis, quæ ubique locorum inundaverunt, occaſionem præbeat conniventia maritorum, & parentum, qui adoleſcentes uxores ſuas, & filias, turpis lucri gratia, verſari ſolas ſinunt cum viris, ab iiſque circumduci noctu per vias, vinariaſque tabernas, brachio ſuſtentatas, ut alios & quidem multos omittam, qui in propria domo, ubi adoleſcentulæ ipſæ uxores ac filiæ degunt, viris, atque adoleſcentibus ædiculas locant, ut ideo non mirum ſit, ſi vel puellulæ, quæ viri adhuc potentes non ſunt, fœdo commercio violentur. Optandum plane eſſet, ut huic amovendo abuſui pia Epiſcoporum, ac Principum ſollicitudo provideret, ſicut & illi, qui in aliquibus Civitatibus invaluit, in quibus formoſæ orphanæ adoleſcentulæ ſolæ vagantur per vias, vicoſque, non ſine evidenti naufragio virginitatis, uti fidem loculentiſſimam faciunt complures id genus puellæ Magiſtratus juſſu a ſatellitibus captæ in viis, plateis publicis, porticibuſque, & deinde non ſolum defloratæ inventæ, ac gravidæ, verum etiam venerea lue undique infectæ. Peroptandum itaque, ut quemadmodum docet S. Carolus in Concilio I. Provinciali, Epiſcopi, quanta maxima poſſunt diligentia, obſervent ſibi commendatum gregem, neque ab eo unquam oculos dejiciant, quid ei opus ſit, animadvertentes, ut ex Prophetæ Ezechielis Cap. XXXIV. ſententia, *confractas partes alligare, infirmas conſolidare, ægrotas ſanare, abjectas oves reducere, perditas requirere, & recuperare poſſint.*

LXXIV. Adeo autem curæ debet eſſe Epiſcopis caſtitatis puellarum cuſtodia, ut Sanctus Ambroſius Libro II. *De Officiis*, Cap. XXVIII. conſtanter aſſerat, ubi alia deſint, confrigenda eſſe Sacra ipſa Eccleſiæ Vaſa, ut nimirum Chriſti auro ſervetur caſtitas: *Huic muneri*, inquit, *proficere debuit aurum Redemtoris, ut redimeret periclitantes.* Legendum integrum Caput, ſed ea dumtaxat notabo, quæ idem S. Doctor, & Epiſcopus zelantiſſimus ibidem ſcribit: *Aurum Eccleſia habet, non ut ſervet, ſed ut eroget, & ſubveniat in neceſſitatibus. Quid opus cuſtodire, quod nihil adjuvat? An ignoramus quantum auri, atque argenti de Templo Domini Aſſyrii ſuſtulerint? Nonne melius conflat Sacerdos propter alimoniam pauperum, ſi alia ſubſidia deſint, quam ſacrilegus contaminata aſportet hoſtis.* Sed quid opus eſt vetera Aſſyriorum exempla commemorare, cum adhuc memoria hominum extet funeſtiſſima illa omnium Urbis direptio anni MDXXVII. quo Germanus Caroli V. Imperatoris Exercitus in extremam calamitatem Urbem redegit, direptis non modo Templis, verum etiam ipſis Cardinalium Domibus, Principum, Legatorum, Antiſtitum, & aliorum compluriumexpugnatis; Virginibus, Matronis, ſacris Virginibus conſtupratis; Reliquiis Sanctorum diſperſis, & igne combuſtis; Sacratiſſima Euchariſtia conculcata, omni in ſumma genere impietatis, & ſævitiæ commiſſo.

LXXV. Sed nec opus eſt, ut alendis pauperioribus puellis, earumque ſervandæ caſtitati, Sacra Vaſa conflentur, cum in ipſis Urbibus, ubi id genus puellæ inveniuntur, multa extent loca pia, vel inutilia prorſus, vel pio uſui minoris momenti deſtinata, in quibus alias ſummo Chriſtianæ Reipublicæ bono ali gratis, & ſervari poſſent centenæ puellæ per vias, & plateas diſperſæ. Laudo plane Epiſcoporum zelum, qui domos ædificant, dotantque, ut in iis ſcilicet furtivi partus alantur, ſed puto ſatius fore, ſi puellæ vagæ, & periculo expoſitæ, locis tutis includerentur, quo earum concubinatus evitaretur, partuſque furtivi impedirentur. Ita etiam fieri poſſet cum meretricibus, quæ aliquando converſæ ad Deum, ob indigentiam victus iterum ad vomitum redeunt, lueque venerea innumeros pene perdunt, quibus curandis opus fuit ampla ædificia conſtruere, eaque multis reditibus locupletare.

LXXVI. Pudicitiæ ruinæ, fœdoque concubina-

binatui occaſionem haud dubie præbent nocturnæ vigiliæ noſtra hac tempeſtate introductæ, & uſque ad auroram protrahi ſolitæ, in quibus, ut pii cordatique omnes dolent, fruſtra adverſus hunc abuſum ſacris Præconibus Verbi Dei declamantibus, nuptæ innuptæque puellæ promiſcue cum viris ludunt. Porro ſi Patribus Illiberritani Concilii ſeculo Chriſti III. celebrato, Can. XXXV. *prohiberi placuit, ne feminæ in Cœmeterio pervigilent, eo quod ſæpe ſub obtentu Orationis, ſcelera latenter committantur*; ſi fatente S. Hieronymo adverſus Vigilantium ſcribente, ſolemniſſimæ Paſchæ Vigiliæ, ac pernoctationes in Templis, quas in Caput XXV. Matthæi ex traditione Apoſtolica inductas eſſe affirmat, culpa juvenum, & viliſſimarum mulierum, fuere infamatæ, tametſi non adhuc ſuo ævo abolitæ, ne paucorum culpa Religioni præjudicaret, ſine qua in ſuis, & aliorum domibus labi potuiſſent; ſi quum Romæ adhuc tempore S. Hieronymi in uſu eſſent, monebat tamen ille in Epiſtola ad Lætam, ut vigiliarum dies, & ſolemnes pernoctationes in Templis, ſic Virguncula filia celebraret, ut nec tranſverſum quidem unguem a matre diſcederet; ſi tandem cum ne hæc quidem tutela ſatis firma ad obſtruendas iniquitates videretur, deſitum eſt a Vigiliarum celebratione in Templis, & commeantibus mulieribus; multo magis opus eſſet ut in privatis Domibus vetarentur, in quibus ad longam noctem promiſcue mares, ac feminæ, adoleſcenteſque, non ſanguine conjunctæ, non affines familiariſſime converſantur.

LXXVII. Sunt parentes, qui vigilias haſce in domibus ſuis obſtinate volunt, quod inde multum lucri, aut protectionis captent, quod fœdo filiarum commercio cum adoleſcentibus fore aliquando ſperent, ut Principi, nobilive, aut ditiſſimo adoleſcenti nubant, quia ſcilicet ea ſors interdum cecidit ſuper aliquas puellas infimæ plebis. Sed hæc prava parentum conſilia jam fere ſemper ſupremorum Magiſtratuum non modo ſecularium, verum etiam Eccleſiaſticorum ſapientia eluſit, gravi pœna parentibus id genus, ac puellis mulctatis, fuſtigationibus, carcere, exilio; ut omittam adoleſcentum fere omnium calliditatem, qui ſpe matrimonii centenas puellas decipiunt, & perpetua amiſſæ virginitatis, quæ recuperari amplius nequit, injuria afficiunt. Notiſſima hæc plane, noſtraque hac tempeſtate variis etiam funeſtis exemplis comprobata, ut de hac re fuſius differere ſupervacaneum videatur. Utinam aliorum vulnera hodiernis parentibus, puelliſque ad cautelam proficerent.

LXXVIII. Reliquum eſt, ut ad evitanda domeſtici concubinatus pericula, Epiſcopi omnem ſuam curam impendant: ob familiaris enim rei inopiam coacti parentes cum natis, & germani fratres in eodem lecto una cum ſororibus ſuis dormire, fœdum cum eiſdem commercium non ſemel perpetrarunt. Teſtantur id quidem ſacræ Synodi, & inter alias Moguntina, ſeu Namnatenſis relata in Capite I. *De cohabitatione Clericorum & mulierum*. Sed quammaxime ad noſtram rem facit Conſtitutio Concilii Turonenſis ſecundi, quod habitum fuit anno DLXVII. ubi Canone XIV. hæc habet: *Ne occaſio famam laceret honeſtatis, quia aliqui laici, dum diverſa perpetrant adulteria, hoc quod de ſe ſciunt, in aliis ſuſpicantur, ſicut ait Seneca, peſſimum in eo vitium eſſe, qui in id, quo inſanit, ceteros putat furere: at ergo ipſe ſiniſtræ exiſtimationis aditus amputetur, nullus Sacerdotum, ac Monachorum colligere alium in lecto ſuo præſumat*. Porro quod parentes in lectis ſuis cubare natos ſuos ſinunt, factum eſt, ut paſſim vel ipſi infantes, malitia ſupplente ætatem, res narrent & agant, quas plerique adulti ignorant. Debent profecto & huic malorum ſeminario, quantum poſſunt Confeſſarii occurrere. Atque ut alia omittam, & finem tandem huic rei faciam, debent iidem potiſſimum occaſiones, quas vocant proximas voluntarias, omnino præcidere, negata penitus iis Sacramentali Abſolutione, qui ab ipſis occaſionibus removeri nolunt. Merito enim damnata fuit ab Alexandro Papa VII. quorundam Caſuiſtarum propoſitio, quæ eſt Num. XLI. *Non eſt obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, ſi hæc nimis utilis eſſet ad oblectamentum concubinarii*, vulgo, regalo; *dum deficiente illo, nimis ægre ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficile inveniretur*. Doctrinæ hæ plane ſunt horrendæ, & Theologo Chriſtiano, ac præſertim Religioſo indignæ.

LXXIX. Præter Decretum contra concubinarios, ordinatum quoque in eadem Seſſione XX. fuit & illud ad vitandum ſcandala, & multa pericula, ſubveniendumque conſcientiis timoratis, *quod nemo deinceps a communione alicujus in Sacramentorum adminiſtratione, vel receptione, aut aliis quibuſcumque Divinis, vel extra, prætextu cujuſcumque Sententiæ, aut Cenſuræ Eccleſiaſticæ, ſeu Suſpenſionis, aut prohibitionis, ab homine, vel a Jure generaliter promulgatæ teneatur abſtinere, vel aliquem vitare, aut Interdictum Eccleſiaſticum obſervare, niſi Sententia, prohibitio, Suſpenſio, vel Cenſura hujuſmodi fuerit in vel contra perſonam, Collegium, Univerſitatem, aut locum certum, aut certam, a Judice publicata, vel denunciata ſpecialiter, aut expreſſe; aut ſi aliquem ita in notoriæ Excommunicationis ſententiam conſtiterit incidiſſe, quod nulla poſſit tergiverſatione celari, aut aliquo modo Juris ſuffragio excuſari*. Vetitum quoque & illud fuit, ne Civitas aliqua, Oppidum, Caſtrum, vel locus Interdicto Eccleſiaſtico ſubjiciatur ob culpam, ſeu cauſam privatæ cujuſcumque perſonæ, niſi talis perſona prius fuerit nominatim & ſolemniter excommunicata, & Domini, ſeu Rectores, ac Magiſtratus, vel Officiales illorum locorum *auctoritate Judicis requiſiti, hujuſmodi perſonam excommunicatam infra biduum inde cum effectu non ejecerint, aut ad ſatisfaciendum compulerint*. Ad lites denique citius terminandas decretum eſt, ne ſuper eodem gravamine, aut interlocutoria Sententia ſecundo appelletur: *quodque ante diffinitivam frivole vel injuſte appellans, ultra condemnationem expenſarum, damnorum, & intereſſe, in quindecim florenis auri de Camera parti appellatæ per appellationis Judicem condemnetur*.

LXXX. Antequam Seſſio vigeſimaprima celebraretur, Synodus in Congregatione generali, decimo Kalendas Junii habita, Ludovico Cardinali Arelatenſi in Concilio exiſtenti mandatum dedit, quod extare in Actis Navarricis ſcribit Spondanus ad annum MCDXXXV. Num. XII. quo poſt narratas diſputationes, quæ factæ fuiſſent apud Delegatos Concilii pro rebus Fidei tractandis, de Conceptione Beatiſſimæ Virginis,

utrum ejus Anima in inſtanti ſuæ infuſionis in corpore præſervata fuerit a peccato originali, an non; eidem injunxit, ut diligenter procuraret per omnes Bibliothecas, ac ſingula Archiva Univerſitatum, Eccleſiarum, Monaſteriorum, Regumque, ac Principum, perquiri quoſcumque Libros, Scripta, Acta, deliberationes, deciſiones, Concluſiones publicas, vel privatas quaslibet in Generalibus Studiis, & alibi de hac materia factas, aut quæ ad eam quomodolibet ſpectarent; eaſque extrahi, atque ad Synodum deferri, ut iis adjuta poſſet hanc Quæſtionem decidere tandem, & definire. Id vero Ludovicum ipſum Cardinalem diligenter præſtitiſſe, intelligitur ex Decreto de ea re facto poſt quadriennium in Seſſione XXXVI. ubi de illo, ac de variis ad illud ſpectantibus dicetur.

## SESSIO XXI

LXXXI. Seſſione vigeſimaprima celebrata die nona Junii ejuſdem anni MCDXXXV. varia edita ſunt Decreta; & primo quidem, *ut tam in Curia Romana, quam alibi, pro, ſeu in confirmatione electionum, admiſſione poſtulationum, præſentationum proviſione, collatione, diſpoſitione, electione, poſtulatione, præſentatione, etiam a Laicis facienda, inſtitutione, inſtallatione, & inveſtitura, de Eccleſiis etiam Cathedralibus, & Metropolitanis, Monaſteriis, Dignitatibus, Beneficiis, Officiiſque Eccleſiaſticis quibuſcumque, nec non Ordinibus ſacris, & Benedictione, ac Pallio, de cetero nihil penitus ante vel poſt exigatur, ratione Litterarum Bullæ, Sigilli, Annatarum communium, & minutorum ſervitiorum, primorum fructuum, deportuum, aut ſub quocumque alio titulo, colore, vel nomine, prætextu cujuſvis conſuetudinis, privilegii, vel ſtatuti, aut alia quavis cauſa, vel occaſione, directe, vel indirecte, ſolum Scriptoribus, Abbreviatoribuſque, & Regiſtratoribus Litterarum, ſeu minutarum, pro ipſorum labore, competenti ſalario ſolvendo.* Adverſus hujus Decreti tranſgreſſores pœnæ Simoniacorum ſtatutæ ſunt; *& ſi, quod abſit, Romanus Pontifex, qui præ ceteris univerſalium Conciliorum exequi & cuſtodire Canones debet, adverſus hanc ſanctionem aliquid faciendo Eccleſiam ſcandalizet, Generali Concilio deferatur; ceteri vero pro modo culpæ juxta Canonicas ſanctiones per ſuos Superiores digna ultione puniantur.*

LXXXII. Secundo ſtatutum eſt, ut quicumque non violentus, ſed habens coloratum titulum, pacifice, & ſine lite Prælaturam, Dignitatem, Beneficium, vel Officium triennio proximo hactenus poſſedit, vel in futurum poſſidebit, non poſſit poſtea in Petitorio, vel Poſſeſſorio a quoquam etiam ratione Juris noviter impetrati, moleſtari, excepto hoſtilitatis caſu, vel alterius legitimi impedimenti, de quo proteſtari, & juxta Concilium Viennenſe illud intimare teneatur. Lis autem hoc caſu quoad futuras controverſias intelligatur, ſi ad executionem Citationis, Juriſque ſui in Judicio exhibitionem, ac terminorum omnium obſervationem proceſſum fuerit. Mandat tum etiam Synodus, ut *Ordinarii diligenter inquirant, nequis ſine titulo Beneficium poſſideat, quod ſi talem quandocumque repererint, declarent, jus illi non competere, vel huic, ſi ſibi videatur, niſi ſit intruſus, ſeu violentus, aut alias indignus, vel alteri idoneo provideant.*

*De Divino Officio rite celebrando.*

LXXXIII. Tertio, ſaluberrima Decreta edita ſunt de modeſtia, gravitate, devotione in celebrando, & recitando Divino Officio, tam in Miſſa, quam in Horis Canonicis: *Statuit igitur Sancta Synodus, ut in cunctis Cathedralibus, ac Collegiatis Eccleſiis, horis debitis, ſignis congrua pulſatione præmiſſis, Laudes Divinæ per ſingulas Horas non curſim, ac feſtinanter, ſed aſiatim, ſive, ut quidam legunt, ſedatim, ac tractim, & cum pauſa decenti, præſertim in medio cujuslibet verſiculi Pſalmorum, debitam faciendo inter ſolemne, ac feriale Officium differentiam, reverenter ab omnibus perſolvantur.* Statuit præterea, ut Horas Canonicas dicturi, utique in Choro, *cum tunica talari, ac ſuperpelliceis mundis ultra medias tibias longis, vel cappis juxta temporum, ac Regionum diverſitatem, Eccleſiae ingrediantur, non Caputia, ſed Almucias, vel birreta tenentes in capite: qui cum in Choro fuerint, gravitatem ſervent, quam & locus & Officium exigunt: non inſimul, aut cum aliis confabulantes, ſeu colloquentes, aut litteras, ſeu ſcripturas alias legentes: & cum pſallendi gratia ibidem conveniant, juncta, ac clauſa labia tenere non debent, ſed omnes præſertim, qui majori funguntur honore, in Pſalmis, Hymnis, & Canticis, Deo alacriter modulentur. Cum dicitur,* Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, *omnes conſurgant. Cum nominatur glorioſum illud Nomen Jeſus,* in quo genu flectitur Cæleſtium, terreſtrium, & infernorum, *omnes caput inclinent. Nemo ibidem, dum Horæ in communi publice cantantur, legat, vel dicat privatim Officium; nam non ſolum obſequium, quo obnoxius eſt Choro, ſubtrahit, ſed alios pſallentes perturbat.*

LXXXIV. Statuit quarto, ut qui in Matutinis ante finem Pſalmi, *Venite exultemus*; in aliis Horis ante finem primi Pſalmi; in Miſſa ante ultimum *Kyrie eleiſon*, uſque in finem Divino Officio non interfuerit, niſi forte neceſſitate cogente, ac petita, & obtenta a Præſidente Chori licentia diſcedere oporteat, pro illa Hora abſens cenſeatur, ſalvis Eccleſiarum conſuetudinibus, ſi quæ forte circa hoc arctiores exiſtant. Vult mox Synodus, ut *idem in his obſervetur, qui a principio uſque in finem in Proceſſionibus non permanſerint.* Jubet præterea, ut in illis Eccleſiis, in quibus, ſingulis Horis certæ diſtributiones ſtatutæ non ſunt, omnino etiam de groſſis fructibus, ſi opus ſit, deputentur, ut juxta menſuram laboris, plus minuſve quiſque capiat emolumenti, tollens prorſus abuſum illum, quo in una duntaxat Hora præſens, totius diei diſtributiones uſurpat; & illum, quo Præpoſiti, vel Decani, aut alii Officiales ex hoc ſolum, quod Officiales ſunt, licet actualiter pro utilitate Eccleſiæ non abſint, quotidianas diſtributiones percipiunt. Quoſcumque etiam alibi Beneficiatos, ſeu in Sacris conſtitutos, cum ad Horas Canonicas teneantur, admonet Synodus, ſi orationes ſuas Deo acceptas fore cupiunt, ut non in gutture, vel inter dentes, ſeu deglutiendo, aut ſyncopando dictiones, nec colloquia, vel riſus intermittendo, ſed ſive ſoli, ſive aſſociati, Diurnum, Nocturnumque Officium reverenter verbiſque diſtinctis peragant; ac tali in loco, unde a devotione non retrahantur, ad quam ſe diſponere, & præparare debent juxta id, quod ſcri-

ptum

ptum eſt, Eccleſiaſtici ſcilicet Cap. XVIII. *Ante orationem præpara animam tuam, ne ſit quaſi qui tentat Deum.*

LXXXV. Similiter jubet Synodus, ut quicumque in Eccleſia Beneficiatus præſertim de majoribus, Divinorum tempore officiorum, per Eccleſiam, vel foris circa ipſam deambulando, aut cum aliis colloquendo, vagari viſus fuerit, non ſolum illius Horæ, ſed totius diei præſentiam ipſo facto amittat; qui, ſi ſemel correctus non deſtiterit, per menſem diſtributionibus careat, vel graviori, ſi pertinacia exegerit, pœnæ ſubjaceat, itaut tandem deſiſtere cogatur. Ut autem cuncta in Domo Dei ordinate procedant, & quilibet ſciat quid ſibi agendum imminet, mandat & illud Synodus, ut *ſtatuatur tabella aliqua continue pendens in Choro, in qua quid per unumquemque ex Canonicis, vel aliis Beneficiatis, in ſingulis Horis per hebdomadam, aut majus tempus legendum cantandumve ſit, ſcribatur: qui autem ſecundum quod ibi deſcriptum fuit, per ſe, vel alium neglexerit, pro qualibet Hora diſtributiones unius diei amittat.*

LXXXVI. Rurſus in eadem ipſa Seſſione vigeſimaprima refellit Synodus varios abuſus, ac primo illum aliquarum Eccleſiarum abuſum, in quibus, *Credo in unum Deum*, quod eſt Symbolum, & Confeſſio Fidei noſtræ, non complete uſque ad finem cantabatur, aut Præfatio, ſeu Oratio omittebatur, vel in Eccleſiis cantilenæ ſeculares admiſcebantur, ſeu etiam Miſſæ privatæ ſine Miniſtro, aut per ſecretas orationes ita ſubmiſſa voce dicebantur, ut a circumſtantibus audiri non poſſent. Abuſum mox etiam illum abolet cultui Divino manifeſte derogantem, quo nonnulli Eccleſiarum Canonici contrahentes debita, ſic ſe creditoribus obligabant, ut niſi ſtatuto tempore ſatisfacerent, a Divinis ceſſarent Officiis, obligationemque hujuſmodi, etiamſi jurejurando eſſet firmata, irritam decernit, ac præterea ſtatuit; *ut qui talem illicitum contractum fecerint, trium menſium fructus ipſi Eccleſiæ applicandos ipſo facto amittant; & quandiu Divina non reſumſerint, nullos ex ipſa Eccleſia proventus percipiant.* Prohibet præterea, ut tempore Miſſæ Majoris, Capitula, ſeu Actus Capitulares per Canonicos non celebrentur, niſi urgens, & evidens ingrueret neceſſitas: qui vero ad talem horam Capitulum indixerit, vult Synodus, ut *a diſtributionibus quotidianis per hebdomadam ſit ſuſpenſus, neque ipſi Canonici pro hora illa diſtributiones ipſas lucrentur.*

*De Feſto fatuorum, & quodnam illud?*

LXXXVII. Damnat denique Synodus *turpem etiam illum abuſum in quibuſdam frequentatum Eccleſiis, quo certis anni celebritatibus nonnulli cum Mitra, Baculo, ac veſtibus Pontificalibus more Epiſcoporum benedicunt; alii ut Reges, ac Duces induti, quod Feſtum fatuorum, vel Innocentium, ſeu puerorum in quibuſdam Regionibus nuncupatur; alii larvales, & theatrales jocos; alii choreas, & tripudia marium, ac mulierum facientes, homines ad ſpectacula, & cachinnationes movent; alii comeſſationes, & convivia ibidem præparant.* Hæc omnia deteſtans Synodus, ſtatuit ac jubet in eadem memorata Seſſione vigeſimaprima *tam Ordinariis, quam Eccleſiarum Decanis, & Rectoribus ſub pœna ſuſpenſionis omnium proventuum Eccleſiaſticorum trium menſium ſpatio, ne hæc, aut ſimilia ludibria; neque etiam mercantias, ſeu negotiationes nundinarum in Eccleſia, quæ domus orationis eſſe debet, aut etiam in Cæmeterio exerceri amplius permittant; tranſgreſſoreſque per Cenſuram Eccleſiaſticam, aliaque Juris remedia punire non negligant.* Omnes autem conſuetudines, ſtatuta, ac privilegia, quæ his non concordant circa hæc Decretis, niſi forte majores adjicerent pœnas, irrita eſſe, eadem Synodus in hac eadem Seſſione tandem decernit.

LXXXVIII. Quod fatuorum Feſtum ſpectat, quod tantopere Baſileenſis hæc Synodus in hac Seſsione XXI. habita jam anno MCDXXXV. deteſtatur, ac damnat, antiquum profecto eſt, a nefariis Paganis ritibus in Kalendis Januarii obſervatis originem ducens, & in Gallicanis potiſſimum Eccleſiis uſitatum. Teſte Beletho Auctore duodecimi ſeculi in Explicatione Divinorum Officiorum, Cap. LXXII. Feſtum Hypodiaconorum, quod vocabatur ſtultorum, a quibuſdam perficiebatur in Circumciſione, a quibuſdam vero in Epiphania, vel in ejus Octavis. Fiebant autem, ut idem Auctor ſcribit, *quatuor tripudia poſt Nativitatem Domini in Eccleſia, Levitarum ſcilicet, Sacerdotum, Puerorum, ideſt, minorum ætate, & ordine, & Hypodiaconorum.* Porro quod ſub exitum menſis Decembris initium ſumerent pravæ illæ Feſtivitates, *libertas Decembrica* appellata eſt, de qua idem Belethus, Cap. CXX. hæc habet: *Reſtat, ut de eo nunc agamus, quod ultimo loco in partitione ſuperiori propoſitum fuit, nimirum de quadam libertate Decembris, quæ hoc tempore in quibuſdam locis obſervatur. Sunt enim nonnullæ Eccleſiæ, in quibus uſitatum eſt, ut vel etiam Epiſcopi, vel Archiepiſcopi in Cænobiis cum ſuis ludant ſubditis, itaut etiam ſe ſe ad luſum pilæ demittant. Atque hæc quidem libertas ideo dicta eſt Decembrica, quod olim apud Ethnicos moris fuerit, & hoc menſe ſervi, & ancillæ, & paſtores veluti quadam libertate donarentur, fierentque cum dominis ſuis pari conditione, communia Feſta agentes poſt collectionem meſſium. Quamquam vero magnæ Eccleſiæ, ut eſt Remenſis, hanc ludendi conſuetudinem obſervent, videtur tamen laudabilius eſſe non ludere.*

LXXXIX. Antiquum hujuſmodi abuſum non ſemel evellere conata eſt ſuprema Summorum Pontificum auctoritas. Extant enim Litteræ Petri Capuani Cardinalis Legati Innocentii III. Papæ in Francia anno MCXCVIII. quibus præcipit Odoni Epiſcopo Pariſienſi, & aliquot ejuſdem Eccleſiæ Canonicis, ut Feſtum illud, quod fatuorum appellabatur, & in Pariſienſi Eccleſia, ut in ceteris invaluerat, in quo etiam plerumque enormitates abominabiles, & opera flagitioſa committi contingebat, penitus abolerent, quod dictus Epiſcopus, aliique ad id nominati Commiſſarii exequuti ſunt, facta ordinatione in Eccleſia deinceps obſervanda, quæ habetur apud Guſſumvillam in fine Notarum ad Epiſtolas CXXVI. & CXXVII. Petri Bleſenſis. Illud etiam Feſtum interdixit Concilium Pariſienſe anno Domini MCCXII. Parte IV. Cap. XVI. ubi ita ſtatuit: *A Feſtis vero follorum, ubi Baculus*, ſcilicet Epiſcopalia, *accipitur, omnino abſtineatur.* Reprobant & eum abuſum Statuta Eccleſiæ Nivernenſis anno MCCXLVI. apud Martene Tomo IV. Anecdotorum Col. 1070. Concilium quoque Copriniacenſe anni MCCLX. Capite II. ſic inquit: *Rur-*

Digitized by Google

*Rurſus eum in balleatione, quæ in Feſto Sanctorum Innocentium, in quibuſdam Ecelesiis fieri inolevit, multæ rixæ, contentiones, & turbationes tam in Divinis Officiis, quam aliis conſueverant provenire, prædictas balleationes ulterius ſub intimatione anathematis fieri probibemus.*

XC. Conatæ ſunt & aliæ Syoodi abuſum ipſum evellere, qoi tameo magis magiſque viguit præſertim in Germaoia, & io Gallia, ot ex ejus Syoodis, atqoe Scriptoribus addiſcere licet, præſertim vero ex Concilio Saltzburgenſi aooi MCCLXXIV. Cao. XVII. Teſte Doraodo Libro VII. *Rationalis Divinorum Officiorum*, Capite XLII. Subdiaconi ſuo ævo, nempe ioitio Seeuli XIV. quo ipſe claruit, ſaeiebaot *Feſtum in quibuſdam Ecclesiis in Feſto Circumeiſionis ..... in aliis in Epiphania, & etiam in aliis in Octava Epiphaniæ, quod vocant Feſtum ſtultorum*. Inter ludicra autem hujuſmodi Feſtivitatum præcipuum locum obtinebat electio Abbatis, vel Epiſcopi ſtultorum, cojus ludibria expooit Cæremooiale ms. Eccleſiæ Vivarienſis anoo MCCCLXV. exaratum, Fol. 15. ſic inqoiens, *Die* XVII. *Decembris conveniunt Sclafardi, & Clericuli, ut Abbatem eligant, quo electo, cantatur,* Te Deum, *& tune per conſocios ſubtollitur, ac ſuper bumeros ad domum, ubi ceteri pro potu ſunt congregati, lætanter deportatur, atque in boc ſpeeialiter ornato, & præparato ponitur, & collocatur. Ad ejus introitum omnes debent aſſurgere, etiam Dominus Epiſcopus, ſi fuerit præſens, ac impenſa reverentia conſueta per conſodales, & conſocios Electo, fructus ſpecies, & vinum cum credentia eidem dentur &c. Sumto autem potu idem Abbas, vel major ſuccentor ex ejus officio, abſente Abbate, incipit cantando ea, quæ ſecuntur; ab iſta enim parte Sclafardi, Clerieuli, ceterique de ſubtus Chorum debent eſſe, ſimulque cantare, ceteri vero deſuper Chorum ab alia parte ſimul debent reſpondere &c.* uti videre eſt apod Dufreſnium in ſuo Gloſſario, verbo, *Kalendæ*, ubi Cæremoniale ipſom deſcribit.

XCI. Ex eodem Cæremoniali Epiſcopus ſtultus, qui & ab Abbate diſtioctus erat, eligebatur io Feſto SS. Innoceotium eodem ritu, quo Abbas ſtultorum: *Deinde Electus per Sclafardos ſubtollitur, & campanilla præcedente portatur ad domum Epiſcopalem, ad cujus adventum januæ ipſius domus, abſente, vel præſente ipſo Domino Epiſcopo, debent totaliter aperiri, ac in una de feneſtris magni tinelli debet doponi, & ſtans dat ibi iterum benedictionem verſus villam*. Sed & ludicra impia miſceotes, Epiſcopom Sacra peragentem imitabantur, uti refert prædictum Cæremooiale ſub Feſto Sancti Stephaoi Fol. 100. ita inqoieos: *Epiſcopus ad Matutinas Miſſam majorem, & Veſperas cum ſuo Capellano in Epiſcopali Catbedra marmorea decenter ornata debet per bas tres Pontificaliter præſidere. Unde in introitu dictarum Horarum debet in Veſtiaris Cappa communi ſerica indui, & ornari, una cum Mitra, & ſericis cyrotbecis. Capellanus vero ejus Cappa etiam communi ſerica induatur, portans in capite parvam pulvinar, ſive cuſſinum loco capelli, ſive birreti, & ſic ornati præcedentibus ceroferariis more ſolito Cappis ſericis ornati, una cum rege,* (apparitore) *a dicto Veſtiario procedentes cum manſuetudine ad dictam Catbedram perveniunt Epiſcopalem, ubi una cum prædicto ſuo Capellano ad ejus pedes ſedente, babens ſemper Croſſam in manibus reſidebit, quandiu Horæ prædictæ celebrabantur*. Sobdiaconus Epiſtolam cantaturus, vel Diacoous Evangelium, geou flexo ſupplicationem ei impeodebant, quos ille ſua mano dextera ſignabat. Verum, finitis Matutiois, Miſſa, & Veſperis, Capellanus ejus alta voce dicebat: *Silete, ſilete, ſilentium babete*. Et poſt benedictionem, quam Epiſcopos ſtultus largiebatur, Iodulgeotiæ etiam dabaotur, quarum formulas citato loco receoſet Dufreſnius.

XCII. Neque vero abominabilis ille ritus a Pragmatica Saoctione etiam vetitus poſt Decretom Syoodi Baſileenſis io hac Seſſiooe XXI. anoi MCDXXXV. editum io Gallia ceſſavit. Laudatus enim Guſſumvilla poſt Notas ad memoratas Epiſtolas Petri Bleſenſis exhibet Epiſtolam a Facultate Theologica Studii Pariſienſis ad Prælatos, & Capitula Eccleſiarum Regni Franciæ datam aono Domioi milleſſimo quadriogeoteſimo quadrageſimo quarto, die XII. menſis Martii, in qua deceroit, oon licere Epiſcopis, vel Archiepiſcopis ſatoorum deriſorie, & cum ludibrio electorum, oti Ioſigniis Pontificum, ſcilicet Mitra, & Baculo Paſtorali, nec *ante ſe facere portare Crucem eum Baculo*; nec inſuper *facere Divinum Officium in Eccleſia cum ſupradictis Inſigniis, nec dare benedictiones legentibus Lectiones Matutinales, nec etiam benedicere Populum*; nec etiam a ſortiori ratiooe licitum eſſe, *facere unum Papam Fatuorum, qui ſimiliter cum Inſigniis Papalibus faciat Divinum ſervitium, aut benedicat Populum*. Extat Lib. I. Theſauri novi Anecdotorom Col. 1804. Epiſtola Caroli VII. Fraocorum Regis data Naocæi in Lotharingia *die decimaſeptima Aprilis anni MCDXLV. poſt Paſcba, anno Regni ſui* XXIII. ſcripta ad ioſtaotiam Epiſcopi Treceoſis, qoa Rex maodat Ballivo, & Præpoſito Treceoſibus, ot exequutiooi maodari corent Decretum Concilii Baſilcenſis acceptatum a Conveotu Bituriceoſi, in quo Pragmatica Sanctio anno MCOXXXVIII. edita eſt; quia Trecenſes licet ab eo tempore abſtinuiſſeot a neſando illo Feſto, in diebus tamen Innocentium, & Circumciſionis proxime præteritis Feſtum ipſum iterum celebrarant ſub prætextu, quod Pragmatica Saoctio ad inſtantiam Epiſcopi Brixieoſis Noocii Apoſtolici abrogata eſſet. Quare Rex illud omnino prohibet, & mandat, ot Epiſtola Univerſitatis Pariſienſis ea occaſiooe ſcripta effectum ſuom ſortiatur. Sed his non obſtantibus mos ille perdurabat io Civitate Remenſi aono MOIX. uti videre eſt apod Marlotum in Metropoli Remeoſi, Lib. IV. Sane ſopereſſe alicubi reliquias hujuſmodi carminum, ſaltatiooum, atqoe ioſulſorom ſpectaeulorum, qoæ vetuit olim Baſileenſis Syoodus, notat Thomaſſinus in Opuſcolo, *De dierum Feſtorum celebratione*, Lib. II. Cap. IX. Num. XVIII. io fine, ubi etiam autumat, eam Baſileenſis Syoodi Sanctiooem zelantiſſimo Gerſooi tribueodam, qui in ipſo Concilio acerrime perſtrinxit tantum ſcelus, & Chriſtiani Nominis dedecus.

XCIII. Poſt celebratiooem enarratæ hucuſque Seſſionis vigeſimæ primæ habitæ, uti dictum eſt, die oona Junii, decreta ſuot quædam in Congregationibus Geoeralibus celebratis menſibos Auguſti, & Septembris, de prærogativis Graduatorum ineorporatorom Coocilio in electionibus, & aſſequotionibos Beoeficiorum Eccleſiaſticorum: de Collectoribus fructuum, & pro-

Digitized by Google

proventuum Cameræ Apoſtolicæ, qui ad Concilium accedere juſſi ſunt, rationem de receptis & expoſitis redditurı; & contra Appellationes Cauſarum per Synodum judicatarum. Quæ omnia facta ſunt in præjudicium auctoritatis Eugenii Papæ, & Sedis Apoſtolicæ, nemine fere reclamante; ſed quod ſpectabat ad Annatas, diu & acriter de iis diſputatum eſſe in Congregationibus, tradunt Acta Patriciana, tandemque pro earum abrogatione inter omnia quatuor Collegia concluſum fuiſſe; ſed Archiepiſcopum Tarentinum, & Epiſcopum Paduanum Eugenii Papæ Legatos proteſtatos eſſe, iniquum eſſe, inaudito Pontifice, tantum detrimenti Eccleſiæ Romanæ inferri: hoc enim modo Dignitatem Pontificiam ſine viribus ruituram: non tanti eſſe Eccleſiæ Romanæ Patrimonium, ut a tyrannis Pontifices ſuis ſumtibus defendi valerent; aut, ut tot aliis Eccleſiæ neceſſitatibus, Legationibus, ſubventionibus ſufficere poſſet: at nihilominus Patres aſſerentes, ſe neceſſitati Romanæ Eccleſiæ conſulturos, Decretum de Annatarum abrogatione ſanxiſſe, & publicaſſe.

XCIV. Miſit autem illico Synodus ad Eugenium Oratores, ut tum alia Decreta Synodi, tum quæ de Electionibus, Cauſarum evocationibus, & Annatis Patres ſtatuiſſent, confirmaret. Joannes de Bacheiſtein Decretorum Doctor unus ex Legatis Florentiæ Orationem habuit ad ipſum Pontificem, quæ in Appendice Baſileenſis hujus Concilii edita eſt, quamque inter alios deſcripſit Natalis Alexander in Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſeculi xv. & xvi. Diſſertatione ix. Articulo iv. Num. iii. In ea autem Oratione Joannes ipſe Legatus ad Eugenium magna quidem libertate eidem inſinuavit, niſi petitionibus Synodi acquieſceret, Synodum ipſam daturam operam efficacem, per quam Decreta ſua ab omnibus, etiam quacumque præfulgerent dignitate, inviolabiliter ſervarentur; ac ſpeciatim quod de Annatis decretum fuiſſet, ait Legi Divinæ, & Canonibus Sanctorum Patrum conſonum eſſe; eoque jam omnino aboleri debere, quod introductæ fuiſſent occaſione Expeditionum Terræ Sanctæ, quæ jam ceſſaſſent; aliaque ingentia mala, & ſcandala ex earum exactione oriri conſueviſſent: earum vero loco Synodum per alios honeſtiores modos Pontifici, & Cardinalibus proviſuram, dummodo ei placeret Decreta Synodi ſervari, & aliis ſervanda proponere, prout in Bulla ſuæ adhæſionis promiſerat.

XCV. Brevis reſponſio Eugenii Papæ ad prædicta propoſita per Oratores Synodi extat apud ipſum Labbeum poſt memorati Joannis de Bachelſtein Orationem. Sed & ſtatim etiam miſit Eugenius Oratores ad Synodum, Ambroſium Priorem Generalem Camaldulenſium, Virum Græce Latineque doctiſſimum, & Antonium de Sancto Vito Apoſtolicæ Cameræ Auditorem petitionibus Synodi reſponſuros. Ambroſii nomine pro parte Eugenii Papæ die vii. Octobris in Congregatione Generali ad petitiones Oratorum Concilii reſpondit quidem Antonius, extatque ejus reſponſio apud laudatum Labbeum; ſed tamen quoad ipſum Annatarum Decretum breviter reſpondit, neminem ſatis mirari, quod in re tam gravi, irrequiſitis, & inſciis Pontifice, & Cardinalium Collegio, tam cito, & inſperato concluſum fuerit; quod etiam ſi unquam faciendum fuit, hoc præcipue tempore omittendum videbatur, quo Romana Eccleſia, & multæ aliæ innumerabilia damna ſunt paſſæ: ſi qui in his prætendebantur abuſus, his providendum fuiſſe ſine privatione ſubſtantiæ; aut ſaltem proviſionem debitam ſimul faciendam, ut ſic juſtitia & pax obviarentur ſibi.

XCVI. Præter hanc reſponſionem conſtat plane & illud, prædictos Oratores alias habuiſſe Orationes, quibus inter alia petiere a Synodo, ut Decretum Annatarum ſuſpenderetur, aut debita Sedi Apoſtolicæ fieret proviſio, & inſuper ſuſtinuerunt, Annatas Jure Divino, naturali, & humano tolerari poſſe. At vero Julianus Cardinalis Concilii Præſes ex Congregatione Generali habita tertio Nonas Novembris prædicti anni MCDXXXV. ad Oratorum Eugenii Orationes reſpondens, & reſumens præcipua earum Orationum capita, quibus Patres hortati ad pacem & unitatem cum Pontifice ſervandam, ejus ſanctum propoſitum ad res, quarum cauſa Concilium celebrabatur, laudaverant; Sedem Romanam opibus abundare debere, ut oppreſſos relevet, & indigentibus ſubveniat, explicaverant; Annatas Jure Divino, naturali, & humano tolerari poſſe, ideoque aut ſuſpendi debere Decretum, quo eas Synodus ſublatas volebat, aut proviſionem Sedi Apoſtolicæ ſufficientem fieri poſtulaverant: Julianus ipſe primo optimam Synodi mentem ad unitatem colendam explicavit; ut autem utrinque ſervaretur, neceſſarium eſſe, ut Pontifex quæ ad juſtitiam ſpectarent, primo ipſe præmitteret, hoc eſt, Eccleſiæ univerſali jus ſuum tribueret, Univerſalis Concilii, quod illam repræſentabat, Decreta diligenter, & per alios ſuo exemplo & juſſu ſervari faciendo, Sanctorum Prædeceſſorum ſuorum imitatione, Damaſi, Gelaſii, & Gregorii: Concilii ſtatuta in nullo derogare ejus poteſtati, quia pro tempore, loco, cauſiſque, & perſonis, utilitate, vel neceſſitate ſuadente, moderari, diſpenſareque poſſet, atque, ut Summi Principis Epicheja, quæ ab eo auferri nequiret: ſi vero in aliquo læderetur a Concilio ejus auctoritas, paratum illud eſſe, quicquid illud eſſet, ad juſtitiæ rectitudinem, & regulæ normam redigere: in prohibendis Annatis nihil Synodum feciſſe, quam quod Divinæ Scripturæ, ſacrorum Conciliorum, Romanorum Pontificum, probatorumque Doctorum Codices ſtatuiſſent; ne videlicet pro rebus Spiritualibus, & Eccleſiaſticis quid ante, vel poſt ab invitis exigatur, quod in Annatis multo abuſu, & ſcandalo fieri compertiſſimum eſſet: nec tamen prohiberi Decreto Synodi, quin pro vitæ ſuſtentatione, aliiſque Eccleſiæ neceſſitatibus Summus Pontifex, aliarumque Eccleſiarum Antiſtites charitativum ſubſidium indicere, Decimam, ſeu aliam quotam imponere, fructuſque aliquorum Beneficiorum ad tempus reſervare, vel alias ſubventionum ſpecies petere poſſent: denique proviſuram competenter Synodum Sedi Apoſtolicæ, dummodo obſervantiæ Decretorum Synodalium rationem ipſa haberet.

XCVII. Hæc & alia pluribus Julianus, quæ ſemina fuere novorum inter Pontificem, & Synodum diſſenſionum; queſti ſunt enim Pontificii Baſileenſes hoc tempore hæc de Annatis conſtituiſſe, non pietatis, aut juſtitiæ zelo, ſed ſola mente Pontificem ad ea quæ vellent, cogendi; cum id maxime urgendum tunc ſuſcepiſſent,

quod

quod viderent Eugenium Roma exactum, patrimonio omni Eccleſiæ ab hoſtibus ſpoliatum, tantumque non oſtiatim mendicantem; & non alia conditione ſubventuros ſe ei pollicebantur, quam ſi prius Decreta Synudi approbaſſet, & ſe ei ſubmiſiſſet: *Quid vero non boaſſent*; ait Spondanus ad annum MCDXXXV. Num. xiv. *ſi in ſui tali neceſſitate ſubſidium aliquod novum Eccleſiis impoſuiſſet, ut ſæpe ab aliis factum eſt, abſque tot tumultuoſis calamitatibus. Sane ſi verum loqui liceat, quis convenientior unquam modus excogitari potuit, quo Regna, & Provinciæ, ipſæque Eccleſiæ minus graventur, & aptius communi omnium Chriſtianorum Patri pro debito ſubveniatur, quam per Annatas, ſive primorum fructuum ſolutionem*. Annatas porro in uſus, ac neceſſitates Summi Chriſtianorum Pontificis, & ſupremæ poteſtatis agnitionem inſtitutas volunt, qui eas tuentur, imitatione inſtitutionis Veteris Teſtamenti, qua Primitiæ, & Decimæ fructuum agnoſcendo Dei conditoris in omnes res humanas dominio, atque arbitrio, ſacro Ordini debebantur, & Decima illius Decimæ Summo Pontifici.

*De Annatis.*

XCVIII. Qnnd Annatarum originem ſpectat, ſunt qui eam referunt ad Joannem Papam XXII. qui in extravagante ſua Conſtitutione xi. *De Præbendis*, inter communes, reſervavit Sedi Apoſtolicæ fructus, & proventus primi anni Beneficiorum vacantium inferiorum Epiſcopatibus, & Abbatiis: *Præſertim cum Archiepiſcopales, & Epiſcopales Eccleſiæ, ac Regulares Abbatiæ ab hujuſmodi ſolutione fructuum, ut dicunt, in dictis Litteris eximantur*. Ob hanc autem exceptionem, quia ſuam reſervationem ad triennium memoratus Pontifex Joannes XXII. reſtrinxit, docent alii huic Pontifici Annatarum originem non poſſe adſcribi, ſed earum auctorem eſſe Bonifacium IX. qui annn MCCCXCIII. durante Schiſmate, ingraveſcentibus rei pecuniariæ difficultatibns, ob continuos armorum fragores, ſanxit, *ut redigendorum ex omnibus Sacerdotiis, quæ a Sede Apoſtolica conferrentur, vectigalium, quæ primo labente anno obvenirent, dimidia pars in Fiſcum Pontificium inferretur*. Atque hæc refert Odoricus Raynaldus ad annum MCCCLXXXII. Num. v. qui & ad annum MCCCXCIX. Num. xii. etiam refert verba Thodorici Niemi, qui Lib. II. *De Schiſmate*, Cap. vii. teſtatur, Boniſacium ipſum IX. Annatas Beneficiorum inſtituiſſe, ideſt primos fructus unius anni omnium Eccleſiarum Cathedralium, & Abbatiarum vacantium Apoſtolicæ Cameræ ſuæ reſervaſſe, ita ut quicumque in Archiepiſcopum, vel Epiſcnpum, aut Abbatem promoveri vellet, ante omnia cogeretur ſolvere primos fructus Eccleſiæ, vel Monaſterii, cui præfici peteret. Id ipſum de eodem Pontifice ſcribit Platina in ejus Vita, qui tamen addit, quod Annata ab ipſo impoſita tantum conficeret dimidiam partem proventuum primi anni: *Annatarum uſum Beneficiis Eccleſiaſticis primus impoſuit hac conditione, ut qui Beneficium conſequeretur, dimidium annui proventus Fiſco Apoſtolico perſolveret*.

XCIX. Quicquid ſit de primo Auctore, ac primigenia Annatarum origine, certum illud eſt, formam, quæ hodie in ſolutione, & exactione Annatarum tenetur, primum fuiſſe inductam a Bonifacio IX. ut notat Fagnanus in Cap. *Præterea, Ne Prælati vices &c.* ſic inquiens: *Antea enim per Pontifices exigebantur, mediantibus eorum Commiſſariis, fructus integri unius anni per triennium, tertia pars quolibet anno, reliquis duabus tertiis partibus proviſo relictis. Sed Boniſacius, ut conſuleret ipſis proviſis, & obviam iret extorſionibus, quæ per Commiſſarios committebantur, reduxit Annatæ ſolutionem ad medietatem valoris annui fructus, cum onere tamen ut proviſus anticipate de propriis pecuniis in relaxatione ſuarumm litterarum eam ſolveret. Et propterea in ipſa relaxatione ſupplicationis fiebat obligatio in Camera de illam ſolvendo, & ſic litteræ in totum expediebantur, mediante quietantia Theſaurarii*. Porro formam exigendi, & ſolvendi Annatas per Boniſacium IX. ut creditur, primum inductam, ut nempe certa pecuniæ ſumma a Prælatis ſit ſolvenda, aut de ea ſolvenda ſufficiens cautio præſtetur, priuſquam Litteræ Proviſionis relaxentur, in Curia Romana uſitatam fuiſſe tempore Concilii Conſtantienſis, conſtat ex Reſponſione Nationis Gallicanæ contra Cardinales appellantes a deliberatione trium Nationum facta in ipſo Conſtantienſi Concilio circa uſum Annatarum. Ex hac enim Reſponſione intelligitur, temporibus hujus Concilii conſentaneo ad ipſam formam exigendi Annatas per laudatum Boniſacium IX. Pontificem jam primum inductam, Litteras Proviſionis non fuiſſe expeditas, & relaxatas, niſi prius per Proviſos facta promiſſione, ac præſtita *omnimoda ſecuritate, & cautione* de ſolvenda Camerariis Sedis Apoſtolicæ ſumma taxata, ſive deſcripta in Libris Cameræ Apoſtolicæ intra deſignatos terminos, prout hæc omnia latius ibidem deſcribuntur.

C. Plura de Annatis qunad praxim docet inter alios doctiſſimus Canonnm interpres Proſper Fagnanus in citato Capite, *Præterea, Ne Prælati vices ſuas &c.* ubi inter alia monet, Annatæ nomen, eſſe nomen generis, quod in varias ſpecies dividitur; aitqne, Annatas ſic nuncupari, quod nmnes debentur ex frnctibus primi anni Beneficiorum vacantium. Prima autem ſpecies eſt Annata proprie dicta, & hoc modo aſſumit nomen propriæ ſpeciei, ſicque ſumta, ut laudatus Actor ſubjicit, *ſolvitur pro omnibus Beneficiis inferioribus præter Epiſcopatus, & Abbatias Conſiſtoriales, & eſt dimidia pars veri valoris annui fructuum Beneficii vacantis, & hæc integre Summo Pontifici relinquitur*. Altera ſpecies eſt *commune ſervitium*, quæ eſt certa quantitas pro quolibet Epiſcopatu, vel Abbatia Conſiſtoriali ſecundum antiquam taxam ſolvenda: Dicitur autem *ſervitium*, quia juxta vulgare Italicum idioma, quælibet datio nuncupatur *ſervitium*, ſive debita ſit, ſive non, inquit Fagnanus. Dicitur vero *commune*, quia ejus dimidium tribnitur Papæ, reliquum Sacro Collegio Cardinalium inter ipſos Cardinales præſentes dividendum. Tertia ſpecies Annatæ, ut idem Auctor tradit, *ſunt minuta ſervitia, quæ ſunt quinque portiunculæ, quæ ſecundum proportionem taxæ fructuum Epiſcopatus, vel Abbatiæ, inter certos Papæ Miniſtros, & Officiales dividuntur*. Quarta demum ſpecies Annatæ vocatur *Quindennium, quæ a prædictis differt nomine tantum, & accidentali temporis præfinitione, quia de quindecim in quindecim annos juxta Conſtitutionem Pauli II. abolitis aliis ſolutionum Annatarum terminis uſque ad ſua tempora obſervatis pro Beneficiis perpetuo unitis, ſolvitur*

*ab*

*ab illis, in quorum favorem talia Beneficia ſunt unita, ut in Extravagante*. Decet Romanum.

CI. Jam non deſunt, qui perperam contendunt, has Annatas inſtitutas fuiſſe tanquam acceptorum Beneficiorum pretium, ut maligni quidam objiciunt; cum alias complures ſaniores, doctioreſque Scriptores doceant, fuiſſe inſtitutas veluti Penſionem in ſuſtentationem Pontificis, & Cardinalium, aliorumque Miniſtrorum pro univerſalis Eccleſiæ utilitate laborantium; eaque conſideratione omnes Nationes id oneris ſubiiſſe exceptis Anglis, qui Annatas pro ſolis Epiſcopatibus conceſſere. Legendus inter alios Scriptores præſtantiſſimus æque ac ſolertiſſimus Antiquitatis Eccleſiaſticæ indagator Ludovicus Thomaſſinus Parte III. *Diſciplinæ*, Lib. II. Capite LVIII. ubi egregie pro more differit de Annatis, earumque origine, & progreſſione uſque ad Concilium Conſtantienſe, pluribus probans, demonſtranſque, puras & alieniſſimas fuiſſe Annatas ab omni labe, ac ſuſpicione Simoniæ. Legendum etiam, quod idem Auctor de eiſdem ſcribit Capite LIX. ubi non modo varias Romanorum Pontificum Conſtitutiones circa Annatas recenſet, ſed etiam varias obſervationes doctiſſimi Canonici Juris Conſulti Fagnani in eaſdem. Pro iis jam propria Commentaria ediderunt Antonius Galleſius, & Ferdinandus Cordubenſis, qui etiam quæcumque contra Annatas opponi ſolita egregie diluunt, explicantque. Porro negari illud nequit, quin flagrante Schiſmate Avenionenſi, cœperit Bonifacius IX. Annatas exigere ab Epiſcopis, & Abbatibus, quos ipſe nominabat, ut notat laudatus Thomaſſinus citato Capite LVIII. Num. VI. De his Annatis, & aliis quampluribus tunc uſu receptis exigendarum pecuniarum modis acerrime Theodorus Niemus in ſuo Tractatu, *De Schiſmate*, invehitur, multa tamen excuſans privata rapacitate Aulicorum, & avariſſima cupiditate matris, ac fratrum ipſius Bonifacii Papæ IX. qui, eo inſcio, multa ejuſmodi perpetrabant. Teſte Pagio in Vita ejuſdem Bonifacii Num. XLII. in fine, *Annatæ principio modicæ, & tenues fuere, ſed tempore, ac ſordibus quorundam Pontificum ſic crevere, ut nonnullis intolerabiles viſæ ſint, juſtæ nihilominus, ſi in pios uſus, quod a bonis Pontificibus ſemper factitatum eſt, utiliter impendantur, atque religioſe*.

CII. Hactenus de Annatis. Quod Græcos attinet, poſt pacta ab eorum Oratoribus anno MCDXXXIV. in hac Synodo Baſileenſi tractata, cum Eugenius Pontifex ad ipſorum Græcorum unionem cum Latina Eccleſia accelerandam Chriſtophorum Garotonum Secretarium ſuum Conſtantinopolim miſiſſet, iſque contra pacta Baſileæ conventa in antiquo propoſito celebrandæ in ea Urbe Synodi, cui Sedis Apoſtolicæ Legatus intereſſet, reperiſſet obfirmatos, Synodus de ea re certior facta, ac de ipſorum Græcorum reductione ſolicita novos Nuncios Conſtantinopolim miſit Joannem de Raguſio Ordinis Prædicatorum alumnum, Henricum Menger Canonicum Conſtantienſem, & Simonem Freiron Canonicum Aurelianenſem, qui Græcis perſuaderent pacta Baſileenſia adimplere, his præcipue rationibus, quod perfecta unio, ipſis etiam Græcis fatentibus, fieri non poſſet abſque Concilio Œcumenico ex utraque Eccleſia Occidentali, atque Orientali. Addidere & alia Nuncii Baſileenſes, quibus ab Imperatore Græcorum, & Patriarcha Conſtantinopolitano auditis, concluſum eſt, Synodum fieri in Occidente, ad quam iidem, Imperator, & Patriarcha cum aliis Prælatis, & Proceribus, Populorumque electis accedere deberent; ita tamen, ut ad vitandas itinerum, aliarumque rerum incommoditates, ac præcipue Patriarchæ ſenis, & infirmi, necnon ipſius Pontificis Romani, qui neceſſario adeſſe deberet, eligeretur una ex Civitatibus maritimis Italiæ; ex qua item poſſet facilius ſuccurri emergentibus neceſſitatibus Civitatis Conſtantinopolitanæ. Remiſſus eſt ad hæc Baſileenſi Synodo denuncianda prædictus Henricus Menger unus ex Nunciis die XXVI. Novembris, duobus aliis interim Conſtantinopoli remanentibus ad providendum expenſis itineris Græcorum juxta pacta Baſileæ inita, quæ confirmata ſunt. Atque hæc conſtant ex Seſſione XXIV. & ex Actis ſuper his ſcriptis, & confectis, quæ habentur apud Labbeum Tomo XVII. Conciliorum Venetæ editionis.

SESSIO XXII.

CIII. Seſſione vigeſimaſecunda celebrata die XV. Octobris anni MCDXXXV. Libellus Auguſtini de Roma Nazareni Archiepiſcopi ex Ordine FF. Eremitarum S. Auguſtini aſſumti, *De Chriſto, & Eccleſia*, inſcriptus, a Synodo damnatus eſt, *tanquam non ſanam, & erroneam in Fide doctrinam continens*; & maxime ob horrendam hanc Propoſitionem: *Chriſtus quotidie peccat, & ex quo fuit Chriſtus, quotidie peccavit*; quamvis id non ad Chriſti perſonam, ſed ad ejus Membra, quæ cum Chriſto Capite unum eſſe Chriſtum aſſerebat, referret. Per hanc porro Cenſuram & damnationem ſe in nullo derogare velle dictis, aut ſcriptis Sanctorum Doctorum de hujuſmodi argumentis loquentium Synodus declaravit; quinimo ea ſe recipere & amplecti *juxta eorum veram intelligentiam per eos, aut alios Catholicos Doctores in Theologica Schola communiter expoſitam, & declaratam*. Parcitum eſt Auctori, quod omnia ſcripta ſua Eccleſiæ decernenti ſubmiſiſſet. Hujus elucubrationes recenſentur a Trithemio, & a Bellarmino in Libris, *De Scriptoribus Eccleſiaſticis*, ſeu, *De Viris illuſtribus*, quæ etiam cuſæ extant, nonnullæque inter Libros prohibitos relatæ, donec corrigantur. Pamphilus in Chronico Ordinis Eremitarum tradit, eum ex Priore Generali factum primo Epiſcopum Nazianzenum, ſed legendum, Nazarenum, deinde Ceſenenſem, & anno MCDXLIII. ex hac Vita deceſſiſſe multis illuſtribus, & glorioſis ſuæ ſanctitatis indiciis.

SESSIO XXIII.

CIV. Seſſione vigeſimatertia die XXV. Martii anni MCDXXXVI. Synodus Conſtitutiones Conciliorum Generalium, & Summorum Pontificum de modo & forma electionis Romani Pontificis, & Conclavis innovavit, præſertim vero Conſtitutionem a Gregorio Papa X. in Concilio Lugdunenſi II. Canone II. quem ſupra ſuo loco explicuimus, promulgatam, quæ ſucceſſu temporum, uti ibidem dictum eſt, mitigata, & ab Hadriano V. & Joanne XXI. ſuſpenſa, & abrogata fuerat, ſed poſtea a Cæleſtino V. renovata fuit, & a Bonifacio VIII. Cæleſtini V. Succeſſore confirmata. Hæ autem ſunt Sanctiones de Romani Pontificis electione in hac Seſſione XXIII. Baſilienſis Concilii factæ, nimirum, ut decima poſt obitum Papæ die, Conclave cum Spiritus Sancti in-

invocatione Cardinales ingrediantur, duoſque dumtaxat famulos, quos Conclaviſtas vocant, ſecum aſſumentes: Cæremoniarum cauſa Clerici duo, quorum unus ſit Notarius, accedant, reliquis vero a Camerario excluſis: cibaria ſingulis diebus perquirantur, nullæque Epiſtolæ admittantur: Cardinales digniorem ſe electurum jurent, nullusque ante ſex completa ſcrutinia fiat acceſſus.

CV. Rurſus in eadem hac Seſſione mandat Synodus, ut electus Papa teneatur conſentire, formamque conſenſus, & juramenti ab electo præſtandi præſcripſit, qua ſe Fidem Catholicam, & Decreta Conciliorum Univerſalium, ac hujus etiam Baſileenſis ſe omnino ſervaturum; & pro tuitione Fidei, extirpatione hæreſum & errorum, reformatione morum, ac pace Populi Chriſtiani laboraturum, profiteri deberet: item promotorum celebrationem Conciliorum Generalium, & confirmationem electionum juxta Decreta hujus Baſileenſis Concilii; edixitque, ut anniverſario electionis, aut coronationis ejus die intra Miſſarum ſolemnia, a primo Cardinalium ibidem præſentium hæc Profeſſio ipſi in memoriam revocaretur, ac legeretur, addita ſalutari adhortatione, cujus hæc ſunt verba: *Memineris quid Beatus Petrus, aliique ſibi ſuccedentes Pontifices fecerunt, qui nihil aliud cogitabant, niſi honorem Dei, propagationem Fidei, publicam Eccleſiæ bonum, ſalutemque, & utilitatem Filiorum ſuorum: & tandem imitantes Magiſtrum, & Dominum animas ſuas pro ſibi commendatis ovibus exponere non dubitarunt. Noli tibi, aut tuis theſaurizare in Terris, ubi tinea, & ærugo demolitur, ubi fures, & latrones effodiunt, ſed theſauriza tibi in Cælis. Non ſis acceptor perſonarum, nec ſanguinis, aut Patriæ, aut Nationis. Omnes filii Dei ſunt, & tuæ curæ, ac cuſtodiæ pariter commiſſi. Dicas exemplo Chriſti:* Qui fecerit voluntatem Patris mei, qui eſt in Cælis, ille meus Frater, mater, & ſoror eſt. *In diſtribuendis Dignitatibus, & Beneficiis, non carnem, non munera, non quid aliud temporale, ſed ſolum Deum, & virtutes, atque hominum merita tibi proponas. In corrigendis exceſſibus Eccleſiaſticam exerce diſciplinam, memor quam gratiam Phinees, quamve pœnam Heli, alter injurias Dei ulciſcendo, alter diſſimulando meruerunt. Pauperes, ac miſerabiles perſonas defende, juva, & ſuſtenta, ad omnes autem paternam habe charitatem.* Præclariſſima profecto oratio hæc eſt, quam tamen Romanis Pontificibus inculcare non eſt opus, cum, ut ſapientiſſime in hanc Seſſionem obſervat Natalis Alexander, vita ſua, actis, atque regimine exprimant, quicquid in ea continetur. Quod quidem noſtro hoc tempore cum omnium Gentium Chriſtianarum admiratione, & Eccleſiæ Univerſalis ædificatione & utilitate egregie præſtat Sanctiſſimus Dominus noſter BENEDICTUS XIV. Pontifex Maximus.

CVI. Enarratis Decretis addit & alia Synodus de modo, quo ſe gerere Pontifex debet, tam in negotiis publicis ad optimum Univerſalis Eccleſiæ regimen ſpectantibus, quam in Curiæ Romanæ, ac Domus Pontificiæ reformatione, Romanæ Urbis, ac Patrimonii Eccleſiaſtici adminiſtratione. Item ne conſanguineum, vel affinem uſque ad tertium gradum incluſive, Ducem, Marchionem, Comitem, Feudatarium, Vicarium, Gubernatorem alicujus Provinciæ, Civitatis, Oppidi, Caſtri, aut loci Romanæ Eccleſiæ conſtituat. Juxta Nicolai IV. Conſtitutionem ſtatuit, ut ad S. R. E. Cardinales, omnium fructuum, redituum, proventuum medietas pertineret, graviaque omnia negotia de conſilio Cardinalium tractarentur. Numerus Cardinalium ad viginti quatuor redactus, qui de omnibus Chriſtiani Orbis Nationibus aſſumerentur, eſſentque ſcientia, moribus, ac rerum experientia excellentes, in Theologia, vel Jure Doctores, aut licentiati, paucis admodum filiis, fratribus, aut nepotibus Regum, vel magnorum Principum exceptis, in quibus cum integritate morum competens litteratura ſufficeret. In Sacrum Collegium, Summi Pontificis, aut alicujus Cardinalis viventis nepotes non cooptarentur. Ut eorum electio per auricularia vota dumtaxat non fieret, ſed illi ſolum aſſumi poſſent, in quos facto vero Scrutinio, ac publicato, majorem partem Cardinalium collegialiter conſenſiſſe conſtitiſſet. Aliæ præterea de jurejurando ab iis præſtando, cura Titulorum, ſolicitudine Eccleſiarum, morum integritate, modeſtia, & frugalitate in familia, menſa, ſupellectili, Sanctiones additæ. Ipſis partium ſtudia vetita; *& ne ſint Principatuum, aut Communitatum, ſeu aliorum contra quemquam, eam pretio, vel ſine, partiales Protectores, aut Defenſores, ſed exuti omnem paſſionem, in ſedandis concordia, vel juſtitia litibus Papæ aſſiſtant.* In favorem Græcorum ſtatutum itidem fuit, ut prædicto numero viginti quatuor, ad quos Cardinalium numerus redactus fuerat, duo alii e Græcis, in quibus vitæ ſanctitas, vel eximiæ virtutes refulgerent, cum ſcilicet Romanæ Eccleſiæ uniti eſſent, inſignes aliqui Viri adjici poſſent.

CVII. Quod denique multiplices Eccleſiarum, & Beneficiorum hactenus factæ per Summos Pontifices Reſervationes, non parum Eccleſiis onerosæ extitiſſent, ipſas omnes tam generales, quam ſpeciales, ſive particulares, de quibuſcumque Eccleſiis, & Beneficiis, quibus tam per electionem, quam per collationem, aut per aliam diſpoſitionem provideri ſolitum erat, ſive per extravagantes Conſtitutiones, *Ad regimen*, & *Execrabilis*, ſive per Regulas Cancellariæ, aut alias Apoſtolicas Conſtitutiones introductas, in eadem ipſa Seſſione XXIII. Baſilienſis Synodus abolet; *ſtatuens, ut de cetero nequaquam fiant, Reſervationibus in corpore Juris expreſſe clauſis, & his, quas in Terris Romanæ Eccleſiæ, ratione directi, ſeu utilis dominii, mediate, vel immediate ſubjectis contigerit, dumtaxat exceptis.* Atque hæc ſunt Decreta in citata Seſſione XXIII. habita, ut dictum eſt XXV. Martii anni MCCCCXXXVI. promulgata.

*De numero Cardinalium.*

CVIII. Porro ut de Cardinalium numero tum juxta veterum, tum juxta recentiorem diſciplinam dicam, prænotandum eſt, quod Scriptores docent, ac primo quidem, Cardinales nempe Eccleſiæ Romanæ, ſicut & aliarum Eccleſiarum, dictos fuiſſe Presbyteros, & Diaconos, qui Eccleſiis, & Titulis Presbyterorum, aut Diaconorum erant intitulati, ſeu incardinati, tamquam fixi, & proprii Miniſtri. II. dictas eſſe Diaconias Domos illas, ſeu loca, in quibus per Diaconos Regionarios, pauperes, viduæ, pupilli, ſenes cujuſque Regionis alebantur; habebantque

que hæc loca, quæ quaſi publicæ Domus hoſpitales erant, Oratoria, ſeu Sacella adjuncta. Qui igitur hiſce locis tanquam proprius Diaconus ad miniſtrandum memoratis perſonis, & loca illa regenda præficiebatur, Diaconus Cardinalis appellabatur; erantque hujuſmodi Diaconiæ, ſive Domus hoſpitales in ſingulis Urbis Regionibus, atque ideo Diaconi illi dicti ſunt Regionarii. III. uſu harum hoſpitalium Domorum paulatim exoleſcente, ipſiſque Ædibus dirutis, Diaconiæ nomen ſolis Sacellis illis, atque Oratoriis adhæſiſſe, a quibus tandem Diaconi Cardinales Urbis Romæ dicti fuere. IV. diſtributas fuiſſe has Diaconias per quatuordecim Regiones Urbis; atque hinc primitus Diaconus eiſdem præfectos dictos fuiſſe Cardinales primæ, ſecundæ &c. Regionis, a Regione ſcilicet, in qua Titulus ſitus erat; ſucceſſu vero temporis antiquata hac appellatione, ad exemplum Cardinalium Presbyterorum, cœpiſſe dici Diaconum Cardinalem hujus, vel illius Diaconiæ, verbi gratia, S. Theodori, S. Adriani, aliorumque Titulorum Diaconiæ. V. his quatuordecim Diaconiis, ſive Titulis Cardinalium Diaconorum adjunctos vel jampridem fuiſſe quatuor alios Diaconos Cardinales, quorum munus tantum erat, Lateranenſi Baſilicæ, vel Pontifici Romano ibidem celebranti miniſtrare, qui & Altaris Lateranenſis Miniſtri appellati ſunt, ſicque numerus XVIII. Cardinalium Diaconorum expletus eſt. Docet hæc Panvinius, & ex eo Vaneſpen Parte I. *Juris Eccleſiaſtici*, Tit. XXII. Cap. I. ubi etiam ejuſdem Panvinii locum recenſet, qui ait, Leonem X. Papam fuiſſe primum, qui XVIII. Titulis Diaconorum Cardinalium novum addidit S. Onuphrii in Vaticano, quem Joanni Cardinali Lotharingo a ſe creato tradidit.

CIX. Cardinalium Presbyterorum Titulos viginti octo, qui jam longe ante annum Chriſti milleſimum extiterunt, enumerat idem Panvinius, monetque, eorum aliquos fuiſſe quidem circa S. Gregorii Papæ I. tempora mutatos, ſed ita tamen, ut numerus ipſe viginti octo Presbyterorum Cardinalium integer permanſerit, uti habetur ex Pandulpho Piſano in Vita Gregorii II. Papæ, uſque ad Honorii Papæ II. tempora, annumque Chriſti MCXXV. quo id obſervari deſitum eſt, ut latius exponit Panvinius. Porro Cardinales Presbyteri dicti ſunt, qui Parochialibus Eccleſiis præpoſiti erant, ut Sacramenta fidelibus miniſtrarent, aliaque Divina peragerent. Horum eximia ſemper fuit dignitas, ut qui Summo Romano Pontifici Sacra facienti, & in Stationibus, ac Proceſſionibus adeſſent, eique aſſiſterent, & miniſtrarent, quos ideo *Presbyteros ſui cardinis* vocabant, ut Leo Papa IV. in Romana Synodo anni DCCCLIII. & Joannes VIII. Papa in Epiſtola LXXXIII. & LXXXIX. in ſuis vero Parochiis Cardinales Presbyteros Romanos id munii obiiſſe, quod ceterarum Eccleſiarum Parochialium Presbyteri, ſatis nos docet ejuſdem Joannis Papæ VIII. Conſtitutio, quæ eſt de Jure Cardinalium, edita a Cardinale Baronio ad annum Chriſti DCCCLXXXII. Num. VIII. Sed & de hac re videri inter alios poteſt pius atque eruditus Scriptor Joannes Marangonus noſtri Oratorii S. Hieronymi Charitatis Presbyter in ſuo celebri Opere, in duos Tomos diviſo, quod inſcriptum eſt, *Theſaurus Parochorum*.

CX. Quoad Cardinales Epiſcopos, quum antiquitus Epiſcopus Cardinalis alius non eſſet, niſi proprius, & intitulatus Eccleſiæ cujuſque Epiſcopus; jam nullus in Urbe Roma præter Epiſcopum Romanum, ſeu Summum Pontificem dici potuit Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus Cardinalis; unde & multis ſeculis ignoti fuere alii Epiſcopi Cardinales Eccleſiæ Romanæ; atque admodum veriſimile eſt, ait Vaneſpen, nonniſi circa Seculum XI. & XII. contigiſſe, quod laudatus Panvinius narrat, nempe quod *Eccleſiæ Lateranenſi, quæ eſt ſpecialis Sedes Romani Pontificis, propter ſuam, & Epiſcopi Romani excellentiam, ſeptem Epiſcopi ex circumvicinis Civitatibus aſſignati ſint, qui ſuis ſtatis, ſolemnibuſque diebus ſinguli coram Romano Pontifice in eadem Baſilica celebrarent Divina Myſteria, vel Pontifici celebranti aſſiſtentes eſſent, atque ob eam cauſam poſtea Epiſcopi & Cardinales, ideſt, principales, quod huic Eccleſiæ, & Romani Pontificis miniſterio adſcripti eſſent, appellari cœperunt*. Sunt & alii Auctores, qui originem Cardinalium Epiſcoporum Romanæ Eccleſiæ conſignant memorato Seculo XI. & XII. ſed puto antiquiorem eſſe eam originem; prima ſiquidem Cardinalium Epiſcoporum Romanæ Eccleſiæ mentio occurrit Seculo IX. ſub Stephano Papa IV. qui, ut in ejuſdem Vita tradit Anaſtaſius, juſſit ſeptem ipſos Epiſcopos Cardinales Hebdomadarios unaquaque Dominica die ſigillatim Miſſarum Solemnia Romæ ad Altare S. Petri celebrare: *Hic ſtatuit, ut in omni Dominica die a ſeptem Epiſcopis Cardinalibus Hebdomadariis, qui in Eccleſia Salvatoris obſervant, Miſſarum Solemnia ſuper Altare Beati Petri celebrarentur*.

CXI. Plura ſcitu digna in hac re videri poſſunt in Notis ad ipſum Anaſtaſium, a Viris Clariſſimis Reipublicæ Litterariæ notiſſimis, ob egregia eorum Opera, Franciſco Blanchinio Romanæ Aulæ Præſule, & ejus nepote ex fratre, Joſepho Presbytero editis. Ut autem, quod noſtræ eſt rei hic explicemus, quod nempe ad antiquum, recentioremque numerum Cardinalium ſpectat, ſi memorati ſeptem Cardinales Epiſcopi jungantur cum viginti octo Cardinalibus Presbyteris, & XVIII. Diaconis, jam conficiunt LIII. Cardinales; qui tamen numerus circa Honorii II. Papæ tempora, ideſt circa initium Seculi XII. minui cœpit, & ad incertum numerum ita ſenſim delabi, atque ad eam paucitatem redigi, uti teſte Panvinio quando creatus fuit Pontifex Maximus Nicolaus III. anno MCCLXXII. non eſſent, niſi ſeptem Cardinales viventes, videlicet, tres Presbyteri, & quatuor Diaconi; ſive ad ſummum octo, qui remanſerant poſt Joannis Papæ XXI. obitum; ut refert Pagius in Vita Nicolai III. Num. I. Crevit deinde numerus Cardinalium, ſed ea tamen moderatione, ut cum Galliæ Rex anno MCCCXXXI. Joanni XXII. Papæ duos præſentaſſet Gallos, quos vehementiſſime cuperet Cardinalatu donari, unus dumtaxat a Pontifice fuerit admiſſus, propterea quod eum Cardinales eſſent non plures, quam viginti, ex iis ſeptendecim eſſent Galli: *Quod jam XX. Cardinales, de quibus XVIJ. de Regno Franciæ originem traxiſſe noſcuntur, exiſtant in Collegio memorato*; uti legere eſt apud Raynaldum. Poſt mortem Clementis VI. anno MCCCLII. ſtatuerunt quidem unanimi conſenſu Cardinales, ne numero poſt hac eſſe poſſent pluſquam viginti; nihilominus anno MCCCLXXVIII. cum Urbanus VI.

Romæ in Pontificiam Sedem invectus eſt, in Sacro Collegio Cardinales erant viginti tres.

CXII. Ultra omnem modum excrevit deinde hic numerus occaſione luctuoſi Schiſmatis, cui, uti paſſim Scriptores docent, nimia Urbani VI. auſteritas adverſus Cardinales occaſionem dedit. Ergo Urbanus ipſe a ſuis ſe proditum Cardinalibus dolens, qui ad Clementem VII. ejus æmulum defecerunt, uno die XXIX. Cardinales creavit, ut docet Pagius in Vita Urbani Papæ VI. Numero XXV. Theodoricus Niemus Lib. I. *De Schiſmate*, Cap. XII. qui præſens aderat, viginti ſex tantum enumerat creatos, illudque advertit, non alio conſilio Pontificem una creatione tot effudiſſe, quam quod plures ſuſpicaretur tantum tunc oneris detracturos: *Simul & ſemel vigintiſex Cardinales una die creavit, exiſtimans forte, quod de tanto numero eorum aliqui hujuſmodi Cardinalatus faſtigium utique acceptarent; prout nec ipſum feſellit opinio, factum fuit*. Addit poſtea, quoſdam fuiſſe Romanos, alios ex diverſis Nationibus; ſed Auctor ſecundæ Vitæ Gregorii XI. cui omnes fere conſentiunt, aſſerit, Urbanum creaſſe Cardinales numero XXIX. ex quo Baluzius exiſtimat, eos, qui ponunt tantum XXVI. Cardinales haud dubie prætermittere illos, qui hunc honoris gradum accipere tunc noluerunt.

CXIII. Tunc ergo in incredibilem, & immenſam quandam multitudinem numerus Cardinalium excrevit, occaſione Schiſmatis; cum unuſquiſque trium Pontificum ſuo vallaretur ſacro Collegio. Tres ergo, ut erant quandoque Pontifices, ita & tria Cardinalium Collegia, ut ſcite obſervat Thomaſſinus Parte I. *Diſciplinæ*, Lib. II. Cap. CXIV. Num. XIII. ubi etiam refert teſtimonium Joannis Juvenalis Urſinii Archiepiſcopi Remenſis, qui in Hiſtoria Caroli VI. Gallorum Regis ait, anno Chriſti MCCCLXXXI. *cum Clemente VII.* ſcilicet Urbani VI. æmulo, *Avenione fuiſſe Cardinales triginta ſex*. Aucto itaque occaſione diuturni Schiſmatis in immenſum numero Cardinalium, factum eſt, ut ne Cardinales ipſi graves Eccleſiæ eſſent, nec ſuperflua numeroſitate vileſcerent, ad XXIV. a Concilio Conſtantienſi Seſſione XL. ac deinde a præſenti Baſileenſi Concilio ad XXVI. uti ſupra notatum fuit, comprehenſis ſcilicet duobus Græcis, redacti ſint.

CXIV. Teſte Raynaldo ad annum MCDXXXI. cum Eugenius IV. Summum Pontificatum conſequutus eſſet, juramento confirmavit quoſdam articulos, quibus ſe jam cum aliis Cardinalibus adſtrinxerat. In his autem articulis ille ante alios memorandus erat, Cardinales a ſe creatum iri ullos, niſi ſervatis Regulis Concilii Conſtantienſis, & cum conſenſu Cardinalium. Concilium vero hoc Baſileenſe anno MCDXXXVIII. præſenti hac Seſſione XXIII. ut eſſent re, quod nomine ſunt Cardinales, cardines nempe, & fulcimenta Eccleſiæ, *qui ſicut nomine, ita re ipſa cardines ſint, ſuper quos oſtia univerſalis verſentur, & ſuſtentarentur Eccleſiæ*, edixit, ut ex omnibus Chriſtiani Nominis Regnis, quantum fieri poſſet, eligerentur; ne eorum numerus ſupra viginti quatuor, Eccleſiæ nempe Latinæ, unquam excreſceret; ne ejuſdem Nationis eſſe ad ſummum poſſet niſi tertia pars, nec ejuſdem Diœceſis, niſi unus; non magis dignitate, quam pietate, & eruditionis ſacræ copia eminerent; triginta ſaltem eſſent annorum; tertia ſaltem eorum, vel quarta pars Graduatorum eſſet; eſſent aliqui, at pauci ſtirpis Regiæ, Principumque; ea dignitate arcerentur nepotes Pontificis, vel Cardinalis cujuſcumque, dum ſuperſtes ipſe eſſet; nominaret eos Papa, non votis Cardinalium, ſeorſim taciteque ſcrutatis, ſed ſuffragiis ſcriptis majoris eorum numeri; denique, ut illud animo altiſſime infixum haberent, Cardinales hac ſe Purpura ad Martyrium pro Eccleſia Chriſti ſubeundum animari: *Cum recipient ſuæ Dignitatis Inſignia, quorum ſignificatio eſt, ut pro bono univerſalis Eccleſiæ ſanguinem proprium, ſi opus ſit, non vereantur effundere*. Eadem pene verba erant Decreti Concilii Conſtantienſis.

CXV. Mortuo Eugenio IV. in eo Conclavi in quo electus eſt anno MCDXLVII. Nicolaus V. ejus Succeſſor, duodeviginti tantum numerati ſunt Cardinales. In Conclavi quo electus eſt anno MCDLV. Calliſtus III. qui Nicolao ſucceſſit, quindecim tantum recenſentur. Teſte Raynaldo, anno MCDLVIII. ante creationem Pii Papæ II. Cardinales in plures quoque jurati ſunt articulos, inter quos radiat ille de non creandis Cardinalibus, niſi accommodate ad Statutum Concilii Conſtantienſis. Idemque ipſum peractum eſt anno MCDLXIV. poſt obitum Pii II. ante electionem Pauli II. ut idem Raynaldus teſtatur. In Conclavi autem, quo creatus eſt Pius ipſe II. Cardinales XVIII. in eo vero, quo Pontificatum adeptus eſt memoratus Paulus II. Papa, XIX. Cardinales fuerunt. Poſt Pauli obitum, in Conclavi in quo creatus fuit Sixtus IV. anno MCDLXXI. numerati ſunt Cardinales duodeviginti; atque is Pontifex, ſi Panvinio credimus, primus fuit, qui, *nulla habita ratione Decreti Concilii Baſileenſis, Cardinalium numerum maxime ampliavit, cujus exemplum optime ſequutus eſt Alexander Papa VI.* Tum vero mox ſubjicit: *Nullus tamen horum Pontificum antiquum* LIII. *numerum exceſſit, ut eſſent videlicet plures. quam* LIII. *quum nec eum numerum attigerint*. Quicquid ſit, illud conſtat, Cardinales vigintiquinque Conclavi, quo Innocentius VIII. anno Domini MCDLXXXIV. & vigintiquatuor illi, quo Leo Papa X. anno MDXIII. electus fuit, interfuiſſe.

CXVI. Itaque extra Schiſmatis tempora hactenus non multum deviatum erat a Decretis Conſtantienſium, & Baſileenſium Patrum; nec enim magno eſſe poterant numero Cardinales, qui his Conclavibus aderant; ægre quippe ferebant animo Cardinales dignitatem ſuam numero vileſcere. Aliunde autem Pontifices vix, ac nec vix poterant obniti Principibus, qui cognatos, & chariores Miniſtros ea dignitate ornatos percuperent, uti obſervat Thomaſſinus citato Capite CXIV. Num. XIII. ubi Pii II. Papæ verba in eam rem citat, qui in Commentariis ſuis Lib. II. ita inquit: *Pontifex non poſſe Regum, ac Principum tranſalpinorum preces ſe effugere ajebat; nec ſui honoris eſſe, Nationes externas præterire.* Verba ultima illud plane videntur innuere, id machinatos fuiſſe Italos, ut ea Cardinalatus dignitas ſuæ tantum gentis hominibus vendicaretur; at Pontificem, qui nullius intra gentis anguſtias charitatem, & familiam contrudi, ac coarctari ſuam pateretur, & ſe Patrem omnium ubique Fidelium profiteretur, omnibus Chriſtiani Nominis Regnis ſatisfacere, & gratificari ſtuduiſſe. Concilii Conſtantienſis, & hujus Baſileenſis con-

conſilium in coarctando Cardinalium numero, eo videtur collimaſſe, ut impenſis parceretur, & ne tot Cardinalium ſuſtentatione gravaretur Chriſtianus Orbis. Mira erat tunc jam non auri tantum argentique, ante effoſſos, advectoſque nobis Indiæ utriuſque theſauros, ſed & rerum, mercium, & omnis generis rerum penuria. Addi & his poſſunt, quæ refert Raynaldus ad annum MCCXCII. Num. V. ex quibus patet paucitatis ſuæ curioſiſſimos ſemper, amantiſſimoſque fuiſſe Cardinales, & magnopere reformidaſſe, ne multitudini quantum accederet, tantum & pretio decederet, & dignitati.

CXVII. Obſervat & hæc doctiſſimus Thomaſſinus, ſed audiamus hic iterum celebrem Panvinium, docentem, omnium Pontificum primum, fuiſſe Leonem X. *qui antiqui Statuti ratione non habita, in magna illa* XXXI. *Cardinalium creatione, veterem, & antiquum, atque a nullo unquam Romanorum Pontificum exceſſum numerum longe ſuperarit. Nam ſub Leone X. plus minus* LXV. *Cardinales ſimul viventes fuerunt, quod nunquam alias contigerat poſt fundatam Romanam Eccleſiam. Ejus exemplum ſequuti ſunt Paulus III. & qui nunc vivit Paulus IV. prior enim ad* LXIII. *numerum Cardinales auxit, ſequens ad* LXX. *quem quoque numerum nunquam fuiſſe ſatis conſtat*. Hæc Panvinius, ex cujus teſtimonio addiſcimus, Leoni Papæ X. imputandam eſſe illius Cardinalium numeri retro arctioris amplificationem. Eo plane ille adactus eſt nefaria, & deteſtabili conjuratione, cujus princeps, & auctor erat unus e Sacro Collegio, in ipſum inita anno MDXVII. Exinde reliquorum fidem ſuſpectam habens Leo, ut notat Spondanus, una electione triginta & unum novos Cardinales creavit. Ceterum tametſi Bulla Compacti, ut vocant, quæ inter Paulum IV. & Cardinales anno MDLV. diſceptata, & concinnata fuit, numerum Cardinalium ad quadraginta revocarit, itaut non ante ulli crearentur novi, quam ceteris decedentibus ad eum numerum ventum eſſet, conſtat nihilominus ex recitato Panvinii teſtimonio, ipſum Paulum IV. Cardinalium numerum ad LXX. auxiſſe.

CXVIII. Hunc numerum tanquam reſpondentem ſeptuaginta Viris, quos de ſenioribus in ſuum adjutorium ex mandato Domini aſſumſit Moyſes, & ſeptuaginta Diſcipulis, quos binos ante faciem ſuam miſit Chriſtus, uti legitur in Evangelio Lucæ, Capite X. retinendum decrevit Sixtus Papa V. in ſua Conſtitutione, quæ incipit, *Poſtquam verus ille*, edita anno MDLXXXVI. decernens, *ut in poſterum connumeratis omnibus cujuſcumque Ordinis Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconis Cardinalibus, qui nunc ſunt, quique in futurum creabuntur, cuncti ſimul numerum ſeptuaginta nullo unquam tempore excedant, ac talis numerus quovis pretextu, occaſione, vel cauſa etiam urgentiſſima minime augeatur*. Declarat tum etiam, electionem, ac nominationem alicujus ultra dictum numerum, nullam eſſe, irritam, ac inanem. Atque hic eſt modernus Cardinalium numerus, quorum Tituli, & a quibus Pontificibus novi erecti fuerint, laudatus Panvinius recenſet, qui & illud monet, hodie dumtaxat eſſe ſex Epiſcopos Cardinales, eo quod Eccleſia Epiſcopalis SS. Ruffinæ & Secundæ alias Sylvæ Candidæ a Calliſto II. Papa unita fuerit Epiſcopatui Portuenſi,

CXIX. Jam non eſt, quod quis de Cardinalium numero ad LXX. amplificato queri nunc poſſit. Nimius forſan haud videbitur, ſiquis, ut citato loco obſervat Thomaſſinus, ſerio perpendat, hunc eſſe Principem Clerum, hos Diaconos, hos Presbyteros primariæ Chriſtiani Orbis Eccleſiæ, & verticis Chriſtianarum omnium ubique gentium: multas eſſe Eccleſias Cathedrales, ubi major eo ſit numerus Canonicorum: ſi vero perluſtrentur animo tot & tanta negotia, tot lites, tot cauſæ toto ex Orbe Romam relatæ, & Romæ in Cardinalium Congregationibus pertractandæ, nemini jure nimium videri poſſe eum numerum: non ea jam penuria laborare Orbem, ut iis expenſis gravari poſſit: Beneficiorum ideo reſervationes, quibus olim fatigabantur Eccleſiæ, deſiiſſe: nonnullos ali Epiſcopatibus, quibus præficiuntur: adeſſe alios, quibus vel mediocres reditus, & ad ejus ampliſſimæ Dignitatis decorem ſuſtinendum ſatis ſunt: quoſdam præterea, qui a Principibus ſuis, a quibus nominati ad Cardinalatum fuerunt, reditibus aucti ſunt: experientia denique jam adprobatum eſſe, amplificato numero nihil imminutum eſſe de pretio, & amplitudine ſummæ Cardinalitiæ Dignitatis.

## S E S S I O XXIV.

CXX. Seſſione vigeſimaquarta celebrata die XXIV. Maji ejuſdem anni MCCXXXVI. pacta conventa cum Græcorum Imperatore, & Patriarcha Conſtantinopolitano de Synodo Œcumenica in Occidente, & in uno ex locis maritimis in Italia celebrando, deque ſumtibus, & triremibus Græcis ſuppeditandis, uti jam notatum ſuperius fuit, a Synodo confirmata ſunt. Cumque per auream Bullam Imperator Græcorum, & per plumbeam Conſtantinopolitanus Patriarcha ſe ad aliquem locum acceſſuros promiſiſſent, publicatus eſt ab eadem Synodo ſalvus-conductus pro iiſdem, aliiſque Græcis Principibus, Præſulibus, & Perſonis ad numerum DCC. ad Generale Concilium acceſſuris. Indulgentias Plenarias remiſſionis omnium peccatorum ſemel in vita, & ſemel in mortis articulo, quales Eccleſia concedere conſuevit euntibus Romam tempore Jubilæi, aut Crucesignatis ad recuperationem Terræ Sanctæ proficiſcentibus, primum omnium Conciliorum Baſilienſe hoc Concilium conceſſit, & quidem in omnium utriuſque ſexus favorem, qui ad ſanctum opus unionis Græcorum cum Eccleſia Latina tantum contribuerent, quantum quiſque hebdomadis unius decurſu pro ſua familiæque ſuæ refectione expenderet: aliis etiam pietatis operibus ad iſtarum Indulgentiarum conſequutionem impoſitis; uti videre eſt in Bulla Indulgentiarum remiſſionis omnium peccatorum in favorem ſubſidii pro reductione Græcorum procurandi, quæ extat apud Labbeum Tomo XVII. Conciliorum editionis Venetæ. Porro huic Indulgentiarum conceſſioni fruſtra interceſſiſſe Legatos Apoſtolicos, teſtis eſt Auguſtinus Patricius in ſuis ejuſdem hujus Concilii Actis, Cap. LIII.

CXXI. Certior de his factus Eugenius, Cardinales S. Crucis, & S. Petri ad Vincula miſit ad Synodum, ut nempe ea minime ferenda eſſe demonſtrarent, quæ Synodus ipſa de Electionibus, Confirmationibus, Annatis, & Indulgentiis ſtatuiſſet. Decrevit tum etiam Pontifex ad Reges & Principes Internuncios, ut temere geſta a Baſileenſibus Patribus in omnium gentium oculis conſtituerent. Extat ſatis prolixa de his tra-

tractatio in Actis Navarricis, & in Appendice Concilii Baſileenſis editionis Binianæ Tomo IV. Pag. 116. & ſeqq. in eaque ſere omnia continentur, quæ in Concilio Baſileenſi ex quo inchoatum eſt, uſque ad annum MCCXXXVI. attentata ſunt contra ipſum Eugenium Papam, & contra Decreta Sanctorum Patrum, & laudabiles conſuetudines aliorum Conciliorum. Docent etiam Acta Patriciana, obtuliſſe prædictos Cardinales Patribus ipſis Baſileenſibus, ſi convenire cum Eugenio vellent de loco Concilii, daturum ipſum pro conductu Græcorum ſexaginta aureorum millia, quantam ſummam Indulgentiæ ab iis promulgatæ nunquam conficerent. Porro quod ipſas Indulgentias ſpectat, inter alios Auctores Gallos Andreas Duvallius Doctor & Profeſſor Sorbonicus in Præfatione Libri, *De auctoritate Papæ & Concilii*, Synodum Baſileenſem merito criminatur, quod jus, & auctoritatem Plenarias Indulgentias concedendi ſibi tribuerit. Perperam autem in Duvallium ob eam propoſitionem invehitur Natalis Alexander, ubi enarrat Seſſionem XXIV. Concilii Baſileenſis; tum quia ex communi Theologorum ſententia ſolius eſt Romani Pontificis Maximi Indulgentias Plenarias largiri; tum etiam quia, dato quod Œcumenica Synodus ea poteſtate polleat, Baſileenſis certe utpote Synodus ſchiſmatica, ſeditioſa, & nullius prorſus auctoritatis, uti ſuperius graviſſimorum Auctorum teſtimoniis oſtenſum fuit, ea poteſtate haud dubie carebat.

S E S S I O XXV.

CXXII. Seſſione vigeſimaquinta celebrata Nonis Maji anni MCCXXXVII. orto, ut tradunt Acta Patriciana, inter Patres diſſidio de loco futuri Concilii pro Græcorum unione procuranda, duo contraria edita ſunt Decreta, unum a Sedis Apoſtolicæ Legatis Concilii Præſidibus, & pleriſque Præſulibus illis adhærentibus, quo Florentia, & Utinum nominata ſunt, loca Græcis, & Romano Pontifici commoda ſecundum pacta cum Græcis ipſis conventa; alterum a reliqua Synodi parte, Duce Ludovico Cardinali Arelatenſi, numero quidem majore, ſed ex ſecundi Ordinis Sacerdotibus ſere conflata, quo ſtatutum fuit, futurum Œcumenicum Concilium Baſileæ, Avenione, aut in Sabaudia celebratum iri; omnibuſque, atque ſingulis perſonis Eccleſiaſticis, *etiamſi Cardinalatus, aut Pontificali dignitate præfulgerent*, Decima omnium, & ſingulorum ſuorum Eccleſiaſticorum Beneficiorum fructuum, & proventuum ſolvenda impoſita eſt, demandata etiam provincia quatuor Epiſcopis ducendi Græcos ipſos ad locum Concilii Œcumenici. Civitatis præterea Avenionenſis, quæ ſummam ſeptuaginta millium florenorum auri de Camera pro Græcorum commeatu mutuo dederat, indemnitati altero Decreto conſultum eſt, ipſæque pecuniæ ex Indulgentiis, ac Decimis collectæ, vel colligendæ uſque ad integram ſummæ ſolutionem obligatæ ſunt. Cum vero pars major non ſineret, ut ſigillo Concilii Decretum partis adverſæ obſignaretur, Præſides novo edito Decreto edixerunt, ut ſigillum Synodi Cardinalis S. Petri ad Vincula, Archiepiſcopo Panormitano, & Epiſcopo Burgenſi crederetur, quorum opera Litteræ illorum ſunt munitæ.

CXXIII. Electionem Florentiæ & Utini pro Œcumenici Concilii celebratione approbavit quidem Eugenius, quod aliorum locorum nominatio Græcis eſſet ingrata, & contra pacta cum illis conventa facta eſſet, ut ipſi graviter conquerebantur, nec vellent eo convenire, ubi Pontifex præſens eſſe non poſſet, ſine cujus præſentia nihil firmi de unione unquam tranſigi poſſe præſentiebant. Decretum electionis Florentiæ pro futuri celebratione Concilii a Sedis Apoſtolicæ Legatis, & ſaniore parte Synodi Baſileenſis, editum eſt inter Acta Florentinæ Synodi Collectionis Horatii Juſtiniani, una cum Eugenii IV. Diplomate illud confirmante. Sane confirmato ab Eugenio Decreto de celebranda Florentiæ, vel Utini Synodo, miſſi ſunt Nuncii Dinienſis, atque Portugalenſis Epiſcopi, qui una cum Chriſtophoro Epiſcopo Coronenſi Conſtantinopolim appulerunt die v. Septembris, & Imperatori, ac Patriarchæ perſuaſerunt in Italiam navigare; advenerunt que inſuper eodem Pontificis nomine cum aliis triremibus Marcus Archiepiſcopus Tarantaſienſis, ac Nicolaus de Cuza Præpoſitus Monaſterii Wotabergenſis. Dum autem Græci ad navigationem ſe præpararent, appulerunt pariter Conſtantinopolim triremes Avenionenſes, præfectis Vilenſi, & Lauſanenſi Epiſcopis, qui poſtularunt, ut Græci Baſileam, vel in Sabaudiam, aut Avenionem ſe conferrent; quorum adventus eo viſus eſt Græcis ineptior, quo aperte per Legatos Baſileæ proteſtati fuerant, ſe Avenionem nullo modo venturos: attamen Imperator, & Patriarcha pluribus Avenionenſes ipſos hortati ſunt, ut depoſitis diſſidiis, ſimul Venetias petere vellent, ubi de loco Concilii commodius diſceptaretur. At illi indignati, ut narrat Patricius, minarum pleni, ſolutis anchoris, Peram petierunt, & poſt xv. dies, quarto Nonas Novembris in Patriam reverſi ſunt. Græci vero cum novem triremibus iter ingreſſi Venetias appulerunt die VIII. Februarii anni MCDXXXVIII. Reipublicæ Duce, Venetorumque Civibus in navi, quam Bucentaurum nominant, obviam euntibus.

S E S S I O XXVI.

CXXIV. Seſſione vigeſimaſexta habita pridie Kalendas Auguſti anni MCDXXXVII. Eugenius multorum criminum immerito accuſatus, in jus vocatus eſt ad diem ſexageſimum. Diem ſe ipſi Pontifici Synodus dicere ait, *poteſtate, quam ſuper cunctos Fideles cujuſcunque auctoritatis, etiamſi Papalis exiſtant, a Chriſto accepit, juxta declarationem in Concilio Conſtantienſi habitam, & in hoc dudum renovatam*. Hoc Decretum editum eſt intercedente, & *proteſtante Juliano Cardinali S. Sabinæ Concilii Præſide, & conquerente, quod ſuper defenſione Pontificis non audiretur, quem & Cardinalis S. Petri ad Vincula, & plerique optimi Patres ſequebantur, quibus etiam dilatio ad tertiam diem denegata eſt; & præter ordinem eodem die generalis Congregatio, & publica Seſſio eſt habita*. Ita refert Auguſtinus Patricius in ſuis Baſileenſis hujus Concilii Actis, Cap. LVII. Cum itaque Apoſtolicæ Sedis Legati validiſſimis rationibus demonſtrarent, prædictum Decretum editum contra Eugenium Papam, bono publico, paci Eccleſiæ, ſacriſque Canonibus ita adverſari, ut ipſi abhorrerent illic adeſſe, non modo auditi non ſunt; ſed etiam cum inſtanter orarent, ut a re tam monſtruoſa deſiſterent, plurimaque mala, & ſcandala inde futura memorarent, tantis ac juſtis eorum poſtulationibus furor ille Synodi adeo non ceſ-

Digitized by Google

ceſſit, ut vel ad tertiam diem denegaret delationem, & præter ordinem eadem ipſa die, ultima ſcilicet menſis Julii, generalem Congregationem, & publicam Seſſionem repente, ac præcipitanter adverſus Pontificem celebrarit.

S E S S I O XXVII.

CXXV. Seſſione vigeſimaſeptima celebrata die xxvi. Septembris prædicti anni MCDXXXVII. Baſileenſes Patres nullam declararunt promotionem Joannis Vitellii, ſeu Vitelleſchi ad Cardinalatum, utpote contra Decreta Baſileenſis hujus Concilii ab Eugenio perperam factam, die ſcilicet IX. Auguſti ejuſdem anni MCDXXXVII. Odoricus Raynaldus ad ipſum annum, Numero XVII. ſcribit Joannem hunc Cardinalem creatum III. Nonas Decembris; ſed deceptus profecto eſt, ut ſcite notat Pagius in Vita Eugenii IV. Papæ, Num. CIX. ubi hanc Seſſionem XXVII. citat, habitam die XXVI. Septembris anni MCDXXXVII. in qua ſupponitur, prædictum Joannem aſſumtum fuiſſe in Cardinalem: *Adverſus autem præmiſſarum Decretorum mentem, & tenorem, nuper, non ſine gravi dolore comperimus, Venerabilem Joannem Patriarcham Alexandrinum in Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem, licet de facto, & nulliter, per Dominum Eugenium Papam fuiſſe aſſumtum, cum nec Summus Pontifex abſens a loco hujus Sacri Concilii ipſum in Cardinalem creare debuerat &c.* Ita Concilii Acta in hac Seſſione apud Labbeum. Declaraverunt præterea in ipſa eadem Seſſione XXVII. Patres Baſileenſes, omnes Litteras continentes nominationem quorumcunque locorum pro celebratione Concilii Generalis præter loca Baſileæ, Avenionis, & Sabaudiæ fuiſſe falſo bullataa, nec ejuſmodi Litteris fidem ullam eſſe adhibendam, etiamſi Papali auctoritate ipſæ eſſent tranſumtæ. Sub pœna denique excommunicationis, & privationis cujuſcunque dignitatis decreverunt, Civitatem Avenionenſem, & Comitatum Venaiſinum non poſſe quocumque prætextu alienari, quia ſcilicet rumores jam increbuerant, Eugenium illam ad ſumtus Græcis ſuppeditandos vendere decreviſſe.

S E S S I O XXVIII.

CXXVI. Seſſione vigeſima octava die prima Octobris celebrata, elapſo ſexaginta dierum intervallo (quod Baſileenſes Patres Eugenio Papæ in Seſſione XXVI. die XXXI. Julii habita, condixerant) præſidente Georgio Epiſcopo Viſenſi, adſtantibus aliis Prælatis, & pluribus Eccleſiaſticis Divini & humani Juris Magiſtris, Promotores Concilii ipſum contumaciæ accuſarunt, ipſumque Synodus contumacem declaravit, & ad ulteriora contra illum proceſſum iri, edito hoc Decreto: *Hæc Sancta Synodus Baſileenſis ad hujuſmodi actum legitime congregata, audita petitione Promotorum, & Procuratoris Fiſcalis, & ex eorum relatione, & productione inſtrumentorum, viſa ejuſdem D. Eugenii PP. contumacia in parendo Citatoria ejuſdem Sacri Concilii, recepta etiam ſuper hoc ad majorem cautelam per Deputatos ejuſdem Synodi informatione tam de prædictis, quam de notitia ejuſdem Citatarii in Romana Curia, decernit dictum Dominum Eugenium legitime citatum, ſufficienterque expectatum, fuiſſe, & eſſe contumacem, & ejus abſentia non obſtante, contra eundem Dominum Eugenium Papam ad ulteriora fore procedendum, prout Sacro Concilio videbitur &c.* Regis Hiſpaniæ Legati, ut narrant Acta Patriciana, & ex iis Auctorea paſſim, qui de Baſileenſi Concilio tractarunt, recitato Decreto audito, receſſere, eique ſe Regis ſui, Prælatorum, ac Principum ſuæ Nationis nomine, minime conſentire conteſtati ſunt. Obſtupuit pariter Sigiſmundus Romanorum Imperator, præcipiteſque animoa ab Apoſtolica Sede rebellantium vehementer exhorruit, & Petrum Auguſtenſem Epiſcopum ad Baſileenſe Concilium deſtinavit, ut nempe Patres Baſileenſes ab hujuſmodi novitatibus, & ſcandalis abſtinerent. Teſte Patricio, Rex quoque Anglorum Henricus VI. acerbiſſimis Litteris Patres ipſos Baſileenſes increpavit, quod auderent Romanum Pontificem judicare, aſſerens, Antichriſti tempora eos introducere, pariterque exhortans, ut ab hujuſmodi proceſſibus ceſſarent.

CXXVII. Hæc dum Baſileæ agerentur, quinimo eodem ipſo die primo menſis Octobris anni MCDXXXVII. quo hæc Seſſio XXVIII. habita eſt, Eugenius Papa IV. ad propulſanda pericula Eccleſiæ, & imminentia Baſileenſium ſcandala, de conſilio, & aſſenſu octo Cardinalium, qui ſecum erant, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Abbatum, ceterorumque Prælatorum, in Curia Romana exiſtentium, translationem Concilii hujus Baſileenſis Ferrariam decrevit Litteris, quæ incipiunt, *Doctoris Gentium*, datis *Bononiæ anno Incarnationis Dominicæ MCDXXXVII. Kal. Octobris*; non vero decimoquarto Kal. Octobris, ut vult Spondanus ad prædictum annum, Numero VII. Legitur enim *Kal. Octobris* in Actis Florentiæ Synodi Collectionis Horatii Juſtiniani. Elegit porro Eugenius pro celebratione Concilii Ferrariam, locum Græcis gratum, in Decreto conventionis comprehenſum, & ceteris omnibus commodum ad quem Baſilienſem Synodum tranſlatam eſſe declaravit pro omnibus cauſis, pro quibus fuerat Baſileæ congregata. Cauſam tamen Bohemorum quoad articulum Euchariſticæ Communionis ſub utraque ſpecie in Civitate Baſileenſi infra triginta dies continuari poſſe permiſit, uti inter alios notat Pagius in Vita Eugenii Papæ IV. Num. CXII. ubi etiam refert, decretum etiam ab ipſo Eugenio fuiſſe, eam translationem Baſileenſis Concilii Ferrariam, vel ante Græcorum adventum vim habituram, niſi Patres Baſileenſes in obſtinato ſuo propoſito adverſus ipſum Eugenium perſeverarent.

S E S S I O XXIX.

CXXVIII. Seſſione vigeſimanona celebrata die XII. Octobris ejuſdem anni MCDXXXVII. Eugenii Litteras, quibus Concilium Baſileenſe diſſolvit, & Ferrariam transferri juſſit, Baſileenſes Patres irritas pronuntiarunt, ipſique Eugenio præceperunt, ut illas revocaret, alioquin in pœnas latas Decreto hujus Synodi, quod incipit, *Quoniam frequens*, in Seſſione XI. promulgato incurſurum; & juxta illius tenorem, niſi infra quatuor menſes reſipuerit, ipſo facto a Pontificatus adminiſtratione ſuſpenſum iri; & Synodum ſubinde ad ulteriorem ſententiam proceſſuram. Prohibuerunt præterea, ne quis ratione, & occaſione diſſolutionis, & translationis ab Eugenio factæ, a Synodo Baſileenſi recedere, aut Ferrariam ire, vel mittere auderet, ſub pœnis excommunicationis, & privationis omnium Beneficiorum, Dignitatum, & Officiorum, & incapacitatis perpetuæ ad ea obtinenda: Collegiis vero, Capitulis, & Academiis ſub pœna

In-

Interdicti. Rurſus Pontifici vetuerunt, ne deinceps contra Concilium, Conciliareſve quidquam attentaret; impetrationeſque, ſive collationes Beneficiorum a Conciliaribus poſſeſſorum, in Curia Romana per Pontificem, aut alias per viam privationis factas in irritum miſerunt. Latis denique Cenſuris in eos, qui mandatis Pontificiis hac in re parerent, ſtatus ſui ſecuritati proſpexere.

CXXIX. Poſt hæc ad Litteras quaſdam Apologeticas Eugenii contra Synodi Monitorium emiſſas, quibus crimen Schiſmatis Baſileenſibus Patribus impingebat, ab eiſdem edita eſt prolixiſſima Reſponſio, ſive Epiſtola Synodalis, quæ incipit, *Eccleſiam ſuam*, data XIV. Kalendas Novembris, ejuſdem anni MCCCCXXXVII. legiturque apud Labbeum Tomo XVII. una cum aliis Baſileenſis hujus Concilii Actis. Tunc porro Chriſtianus Orbis in varias obedientias ſciſſus eſt, teſte Patricio, Cap. LXIV. ubi ita de eo inter Eugenium, & Baſileenſes Patres diſſidio ſcribit: *Alter alterum accuſat, reprehendit, damnat: hic excommunicat, illi abſolvunt: illi decernunt, iſte abrogat: illi Baſileam, iſti Ferrariam Prælatos advocat. Quiſque per ſe agit & curat, ut ulterius geſta injuſta, ſua ſancta videantur.* Inter alios Principes Alphonſus Rex Aragonum Eugenio propter Regnum Neapolitanum infenſus, Baſileenſia Decreta laudavit, probavitque. Amedeus autem Sabaudiæ Dux operas ſuas ad Eugenium Baſilienſibus Patribus conciliandum, miſſa ad ipſum Legatione, interpoſuit. Quod vero Sigiſmundum Imperatorem ſpectat, obiit hic Zonoymæ in Moravia anno MCCCCXXXVII. non quidem die VIII. Decembris, ut ſcribunt Spondanus ad ipſum annum, Num. X. & Natalis Alexander in Hiſtoriam Eccleſiaſticam Seculi XV. & XVI. Capite X. Articulo I. Num. III. ſed ſub finem Decembris, ut tradunt Æneas Sylvius in Hiſtoria Bohemica, Cap. LIII. Cochlæus Lib. VIII. & alii. Ejus virtutes in unum colligens Bonfinus Lib. III. Rerum Hungaricarum, atque oratorie amplificans, egregie deſcripſit, necnon corporis habitum, quem talem fuiſſe concludit, ut nihil amplius ei ad decorem Auguſtæ Majeſtatis adjicere natura potuiſſet. Alias laudes crebris adulteriis obſcuravit Sigiſmundus, qui etiam Imperatricem conjugem in eodem flagitio aliquando deprehendit. Sed adulter ignovit adulteræ, quod crimen poſtea pœnitentis delevit, uti Scriptores teſtantur.

S E S S I O XXX.

CXXX. Seſſione trigeſima habita die XXIII. Decembris, quæ eſt ultima anni MCCCCXXXVII. actum eſt modo Euchariſticæ Communionis, declaravitque Synodus, *Fideles laicos, ſive Clericos communicantes, & non conficientes, non adſtringi præcepto Domini ad ſuſcipiendam ſub utraque ſpecie, panis ſcilicet, & vini, Sacrum Euchariſtiæ Sacramentum*, ſed vero Eccleſiæ eſſe, quæ regitur ſpiritu veritatis, decernere, quomodo ipſis miniſtretur, prout expedire viderit pro ipſius reverentia Sacramenti, & Fidelium ſalute: *Sive autem ſub una ſpecie, ſive ſub duplici quis communicet, ſecundum ordinationem, ſeu obſervantiam Eccleſiæ, proficere digne communicantibus ad ſalutem; nec ullatenus ambigendum eſſe, quod non ſub ſpecie panis Caro tantum, nec ſub ſpecie vini Sanguis tantum, ſed ſub qualibet ſpecie eſt integre totus Chriſtus, Laudabilem quoque conſuetudinem communicandi laicum populum ſub una ſpecie, ab Eccleſia, & Sanctis Patribus rationabiliter introductam, & hactenus diutiſſime obſervatam, & a Doctoribus Divinæ Legis, Sacrarum Scripturarum, atque Canonum multam peritiam habentibus jam a longævo tempore commendatam, pro Lege habendam eſſe, nec ulicui licitum eſſe eam reprobare, aut ſine auctoritate Eccleſiæ ipſam immutare.* Hoc Decretum ad Seſſionem XXV. refert Patricius, & communi conſenſu conditum aſſerit. Ceterum de geſtis ab hac Synodo Baſileenſi in Cauſa Bohemorum, ac de compactatis, ideſt, inſtrumentis Pragenſibus, plura videri apud Natalem Alexandrum poſſunt in Hiſtoriam Eccleſiaſticam Seculi XV. & XVI. Cap. II. Articulo I. §. IV. præ cæteris autem apud eruditum Cochlæum in ſua Huſſitarum Hiſtoria.

S E S S I O XXXI.

CXXXI. Seſſione trigeſimaprima celebrata die XXIV. Januarii anni MCCCCXXXVIII. triplex Decretum conditum eſt. Primum de Cauſis, quo Concilium ſtatuit, ut *partibus ultra quatuor dietas a Romana Curia diſtantibus, omnes quæcunque Cauſæ, exceptis majoribus in Jure expreſſe enumeratis, & electionum Eccleſiarum Cathedralium, & Monaſteriorum, quas immediata ſubjectio ad Sedem Apoſtolicam devolvit, apud illos Judices in partibus, qui de Jure, aut conſuetudine præſcripta, vel privilegio cognitionem habent, terminentur, & finiantur.* Alterum Decretum frivolas, & deluſorias appellationes prohibet; ante diffinitivam ſententiam ad quemcunque etiam ad Romanum Pontificem appellari vetat; cauſaſque quaſcumque per appellationem ad Romanam curiam devolutas, Baſileæ, non in Curia Eugenii, aut Ferrariæ judicari jubet. Tertium Decretum Collationes Beneficiorum ſpectat; Gratiaſque, Expectativas, & Reſervationes Beneficiorum jam factas, aut faciendas a Romano Pontifice, vel Sedis Apoſtolicæ Legatis penitus abolet, ac reſcindit; ſervata nihilominus Romano Pontifici Beneficii unius ex decem, vel duorum ex quinquaginta collatione, & Jure præventionis illæſo. Viris Litteratis, & Graduatis Beneficia certo ordine conferri jubet ab Ordinariis, in iiſque Theologum inſtitui, qui bis, aut ſemel quavis hebdomada Lectionem habeat, quique in favorem Studii diſtributiones percipiat, etiam cum abſuerit a Divinis; innovatque Conſtitutionem in Concilio Œcumenico Lateranenſi IV. Canone XXX. editam, & relatam in Cap. *Grave nimis*, XXIX. *De Prebendis, & Dignitatibus*, ut nimirum juxta iſtius Conſtitutionis tenorem corrigantur, & debite puniantur, qui Decreta de ea re Concilii Baſileenſis non obſervaverint.

CXXXII. Rurſus in eadem Seſſione XXXI. Decretum editum eſt, quod incipit, *Omnis Eccleſia*, quoque Eugenius Papa IV. ſuſpenditur ab omni Pontificatus adminiſtratione tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus ob attentatam, ut ajunt, Baſileenſis Concilii diſſolutionem, & translationem contra ejuſdem Concilii Decreta, & contumaciam; & hanc adminiſtrationem ad ſe devolutam Concilium declarat, ſeque in hac cauſa ulterius proceſſurum. Diſceſſit interim Baſilea Julianus Cardinalis Apoſtolicæ Sedis Legatus, & prædicti Concilii Baſileenſis Præſes, adhæſitque deinceps Eugenio adverſus Concilium.

Digitized by Google

lium. Ab eodem deinde in Hungariam adverſus Turcas miſſus, Hungarorum animos extulit, & arma ſumere perſuaſit, at vero tandem dum fugeret amiſſo prælio, cum jam hoſtes evaſiſſet, Hungarorum manus evadere non potuit, a latrunculis enim quibuſdam notus, arbitrantibus pecuniam apud eum eſſe, dejectus equo necatus fuit, & quidem anno MCDXLIV. uti rem fuſe narrant Spondanus, Raynaldus, & alii. Porro Baſilea recedente Juliano Baſileenſes Patres Ludovicum Cardinalem Arelatenſem, qui unus ex Cardinalibus in Synodo ſupererat, Synodi Præſidem in Juliani locum cum plena poteſtate crearunt.

SESSIO XXXII.

CXXXIII. Seſſione trigeſima ſecunda habita die XXIV. Martii dicti anni MCDXXXVIII. Ferrarienſem Synodum damnarunt Patres Baſileenſes, omniaque ab ipſa, & ab Eugenio Papa IV. ei præſidente contra Baſileenſem Synodum decreta, ac geſta, decernenda, vel gerenda reſciderunt, atque irrita declararunt. Pœnas & Cenſuras promulgarunt adverſus illos, qui ad Concilium Ferrarienſe accederent, necnon contra omnes Eugenio ab adminiſtratione Papali ſuſpenſo, & Concilio ipſi Ferrarienſi adhærentes, quos ad judicium vocant intra triginta dies reſponſuros. Declarant deinde moleſtantes vexanteſque quodammodo Baſileenſe Concilium, pœnas & Cenſuras incurriſſe in prima Seſſione contentas. Præmiſerant porro jam & illud Patres Baſileenſes, per Eugenium impeditum fuiſſe, quo minus ipſi in tempore Conſtantinopolim petere potuerint, ejuſque opera Græcos ſeductos, ad locum Concilii nominatum non veniſſe, ut eos ſcilicet ad locum ſibi placitum traheret. Atque harum omnium factionum præcipui Auctores erant Ludovicus Alemannus, ſeu Alemandus Cardinalis Archiepiſcopus Arelatenſis conſtitutus poſt Juliani Cardinalis diſceſſum, ut ſuperius notatum fuit, Baſileenſis Concilii Præſes, & alius Ludovicus Protonotarius Romanus Alphonſi Aragoniæ Regis Orator, vir prodigioſæ memoriæ, & ſumma Juris peritia conſpicuus, quem anno ætatis trigeſimo peſtilentia vitam finiiſſe nullo tantæ doctrinæ relicto hærede, teſtatur Æneas Sylvius Lib. I. De geſtis Concilii Baſileenſis.

SESSIO XXXIII.

CXXXIV. Seſſione trigeſimatertia, quæ habita fuit die XVI. Maji anni MCDXXXIX. tres Propoſitiones a Patribus firmatæ ſunt, quæ etiam *Veritatis Fidei Catholicæ* perperam appellantur, depromtæ, ut ajunt, a Conciliorum Conſtantienſis, & Baſileenſis Decretis. Prima eſt: *Veritas de poteſtate Concilii Generalis, Univerſalem Eccleſiam repræſentantis, ſupra Papam, & quemlibet alterum, declarata per Conſtantienſe, & Baſileenſe Generalia Concilia, eſt veritas Fidei Catholicæ*. Altera Propoſitio hæc eſt: *Veritas hæc, quod Papa Concilium Generale, univerſalem Eccleſiam repræſentans, actu legitime congregatum, ſine ejus conſenſu nullatenus poteſt diſſolvere, aut ad aliud tempus prorogare, aut de loco ad locum transferre, eſt veritas Fidei Catholicæ*. Propoſitio tertia concepta eſt his verbis: *Veritatibus duabus prædictis pertinaciter repugnans eſt cenſendus hæreticus*. Huic Seſſioni Aragonenſium Prælatorum nemo interſuit, nullus omnino ex tota Hiſpania, ex Italia ſoli Epiſcopus Groſſetanus, & Abbas de Dona. Ex aliis Nationibus Prælati ſolum viginti. Secundi vero Ordinis Sacerdotes, & Doctores magno quidem numero interfuerunt. Ut autem paucitatem Prælatorum Cardinalis Arelatenſis aliqua arte ſuppleret, plurimas Sanctorum Reliquias tota Urbe Baſileenſi perquiri juſſit, ut per Sacerdotum manus in Seſſione portatæ abſentium Epiſcoporum locum tenerent.

CXXXV. Porro tradit & illud Patricius in Actis hujus Concilii, quod dum Conventus in Cauſa Eugenii IV. Papæ ageretur, veriti Patres Baſileenſes, ne criminationes Eugenio objectæ ſatis viderentur ad exauthorandum illum Pontificatu, Concluſiones octo per Theologos, qui aderant, excuſſerunt, quibus contendebant, Eugenium hæreticum, & in hæreſim relapſum eſſe, quas etiam *Veritatis Fidei Catholicæ* appellabant; videlicet. I. Poteſtatem Generalis Concilii ſupra Romanum Pontificem. II. Pontifici non licere diſſolvere Generale Concilium præter ejus conſenſum. III. has veritates, qui negaret pertinaciter, hæreticum eſſe cenſendum. IV. diſſolutionem Concilii per Eugenium primo factam eſſe contra primas veritates. V. Eugenium monitum a Concilio errores ſuos primæ diſſolutionis revocaſſe. VI. ſecundam diſſolutionem ab eo factam, ſi contra ſe, ſuoſque procederetur, manifeſtum eſſe errorem Fidei. VII. eandem ſecundam diſſolutionem probare eum eſſe relapſum. VIII. tandem, iteratam diſſolutionem, ejuſque pertinaciam, poſt accuſatam ipſius contumaciam, & erectionem alterius Concilii, Ferrarienſis ſcilicet, durante adhuc Concilio Baſileenſi, contra primas veritates eſſe. Atque has Concluſiones multis argumentis munitas miſerunt Patres Baſileenſes per Legatos ſuos Moguntiam, ut præter memoratum Patricium teſtatur etiam Æneas Sylvius Lib. I. *De geſtis Concilii Baſileenſis*, & ex his Spondanus, Raynaldus, aliique complures, inter quos videri poteſt Natalis Alexander in Hiſtoriam Eccleſiaſticam Seculi XV. & XVI. Diſſertatione VIII. Articulo V. Numero V. & Pagius in Vita Eugenii IV. Papæ.

SESSIO XXXIV.

CXXXVI. Seſſione trigeſima quarta celebrata die XXV. Junii, ejuſdem anni MCDXXXIX. lata eſt in Eugenium depoſitionis ſententia, tanquam notorium, & manifeſtum contumacem: Mandatis Eccleſiæ univerſalis inobedientem, violatorem Canonum Synodalium, pacis & unitatis Eccleſiæ perturbatorem notorium, ſimoniacum, perjurum, incorrigibilem, ſchiſmaticum, a Fide devium, hæreticum, dilapidatorem Jurium, & bonorum Eccleſiæ; inutilem, ac damnoſum. A Pontificatu depoſitum Eugenium declarat, inhibetque eidem Synodus, ne deinceps talem ſe gerat. Chriſtianos omnes ab ejus fidelitate, & obedientia abſolvit; cunctiſque ſub pœnis hæreſeos, & omnium Beneficiorum, Dignitatumque privatione obedientiam veterem interdicit. Sane cum in Eugenium eam ſententiam Synodus tulit, ſeptem dumtaxat Epiſcopi intererant, teſte Patricio, qui Capite CIV. rem ita narrat: *Creſcente in dies diſſenſione, cum Apoſtolicæ Sedis dignitatem omnino proſternere conarentur, optimus quiſque diſceſſit, itaut cum Judicium contra Eugenium intentarent, vix viginti aut triginta ad ſummum Infulati adeſſent; & in ejus depoſitione ſeptem tantum Epiſcopi interfuerunt. Admittebantur ſiquidem ad Definitiones & ſancienda Decreta non modo Epiſcopi, & Abbates, ſed Theologiæ,*

*Juris utriuſque, & aliarum doctrinarum Profeſſores, quos Graduatos appellant; tum Eccleſiarum Canonici, & Parochialium Rectores, jurati tamen omnes, ita ut non minoris eſſet auctoritatis, quam Epiſcopi ſuffragium; eum numero, non dignitate expenderentur ſententiæ contra aliorum Conciliorum conſuetudinem, in quibus, ut ajunt, ſoli Epiſcopi, & Abbates vocem deliberativam habebant, alii vero conſultivam tantum.* Ita Patricius, & alii Scriptores.

CXXXVII. Octo, vel novem tantum Epiſcopos Eugenii IV. depoſitioni interfuiſſe ac ſubſcripſiſſe refert Cardinalis Turrecremata, quos etiam nominatim recenſet in Reſponſione ad Baſileenſes, quam ms. extare in Bibliotheca S. Victoris Pariſienſis aſſerit Spondanus, cauſas etiam referens, cur Eugenio eſſent infenſi. Hæc autem ejus verba: *Cardinalis Arelatenſis antiquus Eugenii Summi Pontificis inimicus, quia ab eo non valuerat impetrare, ut avunculo ſuo ſuccederet in Officio Cameræ Apoſtolicæ: Patriarcha quondam Aquileenſis Papæ capitalis inimicus propter Patriarchatum occupatum a Venetis: Ludovicus de Palude Epiſcopus quondam Veneienſis, furioſus adverſarius Papæ, quia in Eccleſia Maſſilienſi non habuerat contra juſtitiam deſiderata ſuffragia: Gratianopolitanus Sabaudienſis, Arelatenſis Conſanguineus: Baſileenſis homo ſine litteris, timore, ut credebatur, ductus: duo Religioſi a ſui Ordinis obedientia apoſtatæ, ſine Eccleſiis Cathedralibus Epiſcopi nominati: Raymundus Tholoni ſine Mitra, qui dicebat Epiſcopum ſe Tricaricenſem, Papæ jam dudum infenſus, quod ab ipſo ob ſua demerita privatus fuiſſet Officio Auditoris Curiæ Avenionenſis.* Tum vero ſubdit: *Ecce merita, ecce numerum eorum, qui furore percuſſi nomen Eccleſiæ univerſalis ſibi uſurpantes, auctores fuerunt Decretationis erroneæ. Cæteri namque omnes Epiſcopi, inter quos Cardinalis Tarraconenſis, & Regum, ac Principum Oratores, ſacrilegæ eorum Seſſioni conti adicentes non interfuerunt.* Idipſum Oratoribus Baſileenſibus exprobravit jam olim Nicolaus de Cuſa in Conventu Moguntino, cui etiam concinit S. Antoninus, qui Parte III. Chronicorum, Titulo XXII. Capite x. §. IV. teſtatur, fuiſſe inter ipſos Baſileenſes, *aliquos privatos Epiſcopatu, & dignitatibus ſuis ab Eugenio propter ſcelera ſua.*

CXXXVIII. Fatetur quidem Natalis Alexander, ſtudio partium, & ex præjudicatis affectibus multa tunc temporis ultrocitroque in Cauſa Eugenii Papæ dicta, & ſcripta fuiſſe; ſed deceptum tamen fuiſſe putat Cardinalem Turrecremata, *eum Ludovicum Cardinalem Arelatenſem, Virum ſanctiſſimum, cujus ſanctimonia certiſſimis poſt obitum miraculis comprobata eſt, & qui a Clemente VII. Pontifice Maximo in Beatorum numerum eſt relatus, inimicitias capitales in Eugenium foviſſe, ac exercuiſſe ſcripſit, ac ex odio & vindicta, ejus depoſitionem attentaſſe.* Addit que mox etiam, *veriora forte non eſſe, quæ de aliis jactata ſunt Patribus.* Sed hæ leves ſunt conjecturæ memorati Scriptoris, potior enim adhibenda eſt fides Cardinali Turrecrematæ, aliiſque Auctoribus contemporaneis Viris doctiſſimis ac probatæ ſinceritatis, quam nupero Scriptori Natali Alexandro, cui etiam inter alios adverſatur Pagius, qui in Vita Eugenii IV. Papæ, Num. CIXVII. hæc habet de ipſo Ludovico Cardinali Arelatenſi: *Eminebat in audacia inter Baſileenſes Ludovicus Archiepiſcopus Arelatenſis Tituli S. Ciciliæ Presbyter Cardinalis, præcipuus auctor ſchiſmatis, qui contemſerat omnia Pontificia Decreta, quem propterea Eugenius Cardinalatus honore, & quibuſvis aliis dignitatibus privatum eſſe declaravit. Extat ſententia depoſitionis apud Raynaldum ad annum MCDXL. Num. III. data Florentiæ anno Incarnationis Dominicæ MCDXL. V. Kalendas Junii, Pontificatus anno X. Hinc Eccleſiæ Arelatenſis adminiſtratio Rogerio Præpoſito Aquenſi demandata eſt.* Ita Pagius, qui etiam loco citato ait, pari pœna affectos eſſe Joannem Cenomanenſem, & Ludovicum Viſenſem Epiſcopos, qui plura adverſus Pontificiam Eugenii dignitatem moliti erant.

CXXXIX. Quicquid ſit, paucitas Epiſcoporum, qui ſententiam depoſitionis in Eugenium tulere, effecit, ut a majori Eccleſiæ parte irrita & iniqua cenſeretur, tum præſertim, quod vel ad ſimplicis Epiſcopi exauthorationem duodecim ejuſdem Ordinis Judices ex Canonum præſcripto exigantur. Porro Eugenius poſtquam Propoſitiones ſub titulo Veritatum Fidei Catholicæ a Synodo Baſileenſi declaratas, Florentiæ ubi Œcumenicum celebrabat Concilium, de quo agemus nos ſuo loco inferius, in publica Seſſione damnavit Litteris ſuis, quæ incipiunt, *Moyſes Vir Dei*, Baſileenſes adhibitis doctioribus Viris, Apologiam contra ejus, ut appellabant, *Invectivam*, compoſuerunt, qua Propoſitiones illas propugnabant, & merito exauctoratum Eugenium aſſerebant. Publicata eſt ipſa Apologia, quæ incipit, *B. Hieronymus*, Nonis Octobris anni Domini MCDXXXIX. legiturque in Actis hujus Baſileenſis Concilii apud Labbeum. Relata autem ad Synodum Apologia, cum a multis peteretur, ut Decretum illud Eugenii velut hæreticum damnaretur, Joannes Segobius, Vir acer, & doctus multis argumentis affirmabat, eam eſſe magni diſcriminis, ſi ſcriptura illa hæretica cenſeretur. Refert hanc alloquutionem Patricius in Actis ſuis additque rem in aliud tempus fuiſſe delatam, quamvis Cardinali Arelatenſi aliter videretur. Æneas Sylvius, qui Concilio Baſileeſi interfuit, refert, quod depoſito Eugenio ipſa die XXV. Junii, diſceptatum eſt inter Patres, an expediret illico novum creare Pontificem, & quamvis ob graſſantem Baſileæ peſtem, multi accelerandam electionem exiſtimarent, viciſſe tamen eorum ſententiam, qui duobus menſibus juxta Decretum Seſſionis VII. expectadum eſſe cenſebant.

SESSIO XXXV.

CXL. Seſſione trigeſima quinta habita ſexto Idus Julii prædicti anni MCDXXXIX. actum eſt de ſtabilitate Concilii, decretumque, ut non niſi potiſſimorum Patrum votis conſentientibus Concilium diſſolvi poſſet, & poſt ſexageſimum depoſitionis Eugenii diem ad novi Pontificis electionem procedi deberet. Interim miſſi ſunt Nuncii ad Principes ad promulgandam Eugenii exauctorationem; quibus Albertus Romanorum Rex aures dedit, qui tamen, ut ſcite obſervant Scriptores, facili imperio ſeditioſorum Baſileenſium Conventiculum ſolvere potuiſſet. Tantum abeſt, ut Carolus VII. Francorum Rex Albertum ſit imitatus, quin potius aeriter conqueſtus eſt, Baſileenſes Patres non modo ſuis precibus non annuiſſe, & exhortationibus, *ut in Judicio contra Eugenium ſuperſederetur, ſed & graviora contra eum egiſſe. Quod non ſolum ſibi, ſed & mul-*

Digitized by Google

*multis aliis Principibus magnæ eſſet admirationi , eum pacem Eccleſiæ , quam Principes tantopere quærerent , Patres reſpuere viderentur . Obſecrabat igitur ſummis precibus , ne ulterius procederetur .* Atque hæc ſunt quæ inter alios refert in Actis ſuis laudatus toties Auguſtinus Patricius .

CXLI. Deſcribit poſt hæc Æneas Sylvius Lib.I. *De geſtis Concilii Baſileenſis* , depopulationem Civitatis Baſileenſis , per ſæviſſimam peſtem ibidem graſſantem , *quæ cadente ſine numero plebe , auſa eſt etiam aggredi Patres Conciliares* . Inter eos fuere Ludovicus Protonotarius Romanus Alphonſi Aragoniæ Regis Orator , de quo ſupra non nihil diximus , qui tametſi non approbaret Baſileenſium tyrannicam factionem , auctoritatem tamen ejus Conciliabuli adverſus Pontificem ſcriptis propugnarat ; is igitur inopina morte extinctus conceptas ex Schiſmate ſpes amiſit . De Ludovici etiam , qui Aquileenſis Patriarchatus titulos gerebat , infelici exitu, ita memoratus Æneas Sylvius ſcribit : *Nec quem optaverat electionis Papæ* , ſeu potius Antipapæ , *potuit cernere ; in ea tamen partem conſolationis recepit , quoniam prius depoſitum Gabrielem* , nimirum Eugenium Papam , qui eo nomine ante Pontificatum appellabatur , *vidit , quam moreretur , lætuſque , ut ante prædixit , tale nuntium in Orbem portavit alium* . Et infra : *Fuitque ejus obitus omnibus Patribus amariſſimus , jamque duas Concilii columnas proſtratas eſſe dicebant , Protonotarium , & Patriarcham , quoniam jure alter , ſcilicet commenticio , facta alter veritatem Synodi defendiſſent* . Subdit ibidem laudatus Scriptor , magnas apud Cardinalem Arelatenſem habitas eſſe preces , ut vicinum aliquod in rus ſecederet ad luem vitandam ; haud tamen illum preces ullas , neque etiam domeſticorum funera flectere potuiſſe , volentem potius cum vitæ periculo ſalvare Concilium , quod ſciebat ſe recedente facile ſolutum iri, quam cum periculo Concilii ſuam vitam ſalvare .

## S E S S I O XXXVI.

*De Conceptione Deiparæ Virginis , & ejus Feſto.*

CXLII. Dictum jam a nobis fuit Num.LXXX. quod antequam celebraretur Seſſio vigeſima prima hujus Concilii Patres in ſua Generali Congregatione habita decimo Kalendas Junii anni MCDXXXV. Ludovico Cardinali Arelatenſi injunxere , ut diligenter procuraret , per omnes Bibliothecas , ac ſingula Archiva Univerſitatum, Eccleſiarum , Monaſteriorum , Regumque , ac Principum perquiri quoſcumque Libros , Scripta , Acta , Deliberationes , Deciſiones , Concluſiones publicas , vel privatas quaslibet in generalibus ſtudiis , & alibi ad materiam de Conceptione Beatæ Virginis Mariæ Deiparæ quomodolibet ſpectantia , eaque extrahi , atque ad Baſileenſem hanc Synodum deferri , ut iis ſcilicet adjuta poſſet tandem hanc Quæſtionem decidere, ac definire . Id vero Ludovicum ipſum Cardinalem diligenter præſtitiſſe , ex Decreto de ea re edito poſt quadriennium in præſenti hac Seſſione XXXVI. intelligitur : *Hactenus difficilis Quæſtio* , ajunt Patres Baſileenſes , *in diverſis partibus , & coram hac Sancta Synodo ſuper Conceptione ipſius Glorioſæ Virginis Mariæ Matris Dei , & exordia Sanctificationis ejus facta eſt , quibuſdam dicentibus , ipſam Virginem , & ejus Animam per aliquod tempus , aut inſtans temporis ſubjacuiſſe actualiter originali culpæ , aliis autem e converſo dicentibus , a principio creationis ſuæ Deum ipſam diligendo, gratiam eidem contuliſſe, per quam a macula originali eam Beatiſſimam Perſonam liberans , & præſervans , ſublimioris ſanctificationis genere redemit , cum fundaret eam Altiſſimus ipſe , & ipſam fabricaret Filius Dei Patris , ut eſſet Mater ejus in Terris .*

CXLIII. Seſſione itaque trigeſima ſexta celebrata die XVII. menſis Septembris ejuſdem anni MCDXXXIX. *doctrinam illam differentem , Glorioſam Virginem Dei Genitricem Mariam præveniente , & operante Divini Luminis Gratia ſingulari , numquam actualiter ſubjacuiſſe originali peccato , ſed immunem ſemper fuiſſe ab omni originali , & actuali culpa, Sanctamque , & Immaculatam , tanquam piam , & conſonam cultui Eccleſiaſtico, Fidei Catholicæ , rectæ rationi , & Sacræ Scripturæ , ab omnibus Catholicis approbandam fore , tenendam , & amplectendam* , Synodus diffinivit , & declaravit , *nullique de cetero licitum eſſe in contrarium prædicare , ſeu docere* . Tum renovans *inſtitutionem de celebranda Sancta ejus Conceptione , quæ tam per Romanam , quam per alias Eccleſias ſexto Idus Decembris antiqua & laudabili conſuetudine celebratur* , ſtatuit, & ordinat, *eandem celebritatem præfata die in omnibus Eccleſiis , Monaſteriis , & Conventibus Chriſtianæ Religionis, ſub Nomine Conceptionis, feſtivis laudibus colendam eſſe , cunctiſque Fidelibus vere pœnitentibus , & confeſſis ea die Miſſarum Solemniis, centum, primis autem, vel ſecundis Veſperis , totidem , ſermoni vero Verbi divini de ea Feſtivitate interreſſentibus , centum quinquaginta dies , conceſſione perpetuis temporibus duratura de injunctis ſibi pœnitentiis hæc Sancta Synodus elargitur .*

CXLIV. Hactenus Baſileenſis Concilii Decretum pro Immaculata Deiparæ Virginis Conceptione , cujus pia opinio eo Decreto in Dogma Fidei non evaſit , ut ſcite inter alios obſervat Natalis Alexander in Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſeculi XV. & XVI. Diſſertatione VIII. ubi Seſſionem hanc XXXVI. Concilii Baſileenſis enarrat . Primo ſiquidem Sixtus IV. anno MCDLXXXIII. edita Conſtitutione , quæ incipit , *Grave nimis* , poſtquam anathema ſtatim incurrendum indixit cuicumque *præſumenti affirmare , eos , qui crederent , aut tenerent , Dei Genitricem ab originali peccati macula , in ſua Conceptione præſervatam fuiſſe , propterea alicujus hæreſis labe pollutos fore , vel peccatum incurrere mortale* ; deinde *ſimili pœnæ ac cenſuræ ſubjicit eos, qui auſi fuerint aſſerere, contrariam opinionem tenentes , videlicet Glorioſam Virginem Mariam cum originali peccato fuiſſe conceptam , hæreſis crimen , vel peccatum incurrere mortale , cum nondum ſit a Romana Eccleſia, & Apoſtolica Sede deciſum* . Idem plane docet Concilium Tridentinum Seſſione V. ubi Conſtitutionem Sixti IV. confirmat , ſic inquiens : *Declarat tamen hæc ipſa Sancta Synodus , non eſſe ſuæ intentionis comprehendere in hoc Decreto , ubi de peccato originali agitur , Beatam , & Immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem , ſed obſervandas eſſe Conſtitutiones felicis recordationis Sixti Papæ Quarti ſub pœnis in eis Conſtitutionibus contentis , quas innovat* . Præeunte potiſſimum S. Pio V. & Cardinali Pallavicino in Hiſtoria Concilii Tridentini noſcitur plane , quod & Saniores Theologi obſervant , ne tunc quidem definitum aliquid fuiſſe de celebri iſta Quæſtione,

ne, ſed eam in eo ſtatu relictam fuiſſe, in quo fuerat ſub Sixto IV. Pontifice.

CXLV. Edidit poſtea nempe anno MDLXX. laudatus Pontifex S. Pius V. ſuam Conſtitutionem, quæ incipit, *Super ſpeculam*, qua diverſorum Ordinum Regulares, & Clericos ſeculares perſtringit, *qui cum de Glorioſæ Virginis Mariæ Conceptione ſermo inciderit, tam pertinaciter pro alterutra parte contendunt, ac ſi de illis Dogmatibus eſſet, quæ corde credere ad juſtitiam, & ore confiteri ad ſalutem, neceſſarium eſt. Quibus illud Prophetæ convenire videtur:* Dicunt, ait Dominus, cum ego non ſim loquutus; *cum Sancta Romana Eccleſia omnium Eccleſiarum Magiſtra, & doctrix diſciplinæ de ea hucuſque non definierit: nemo abſque temeritate præjudicare, vel alterius partis ſententiam damnare poteſt.* Quocirca Tridentinæ Synodi ea de re Decretum confirmans mox idem Pontifex *liberam cuique facultatem* relinquit *opinandi hujus controverſiæ quamlibet partem, prout vel magis pium, vel magis probabile eſſe judicaverit*; ac Sixti IV. Conſtitutionem ab eadem Synódo Tridentina innovatam approbat, & confirmat. Ceterum, *quandiu per Apoſtolicam Sedem altera pars definita non fuerit, oppoſitaque ſententia condemnata*, permittit *Viris doctis in publicis Academiæ diſputationibus, ſive Generalium, aut Provincialium Capitulorum, vel ubi alias interſunt qui rem capere poſſunt, nec ſcandali ulla ſubeſt occaſio, de illa Quæſtione diſſerere, & argumentis utramlibet partem vel aſſerere, vel impugnare, dum tamen neutra velut erronea prædicetur.*

CXLVI. Ut cohiberet quidem contentiones & ſcandala in populo, quæ hujus Quæſtionis occaſione quotidie oriebantur, edidit Pius V. ſuam Conſtitutionem, qua Sixti IV. & Tridentini Concilii Decretis inhærens, expreſſe edicit, quod *Sancta Romana omnium Eccleſiarum Magiſtra, & doctrix diſciplinæ de ea hucuſque non definierit.* Similiter Paulus Papa V. cum rixæ & ſcandala in dies graviora ob eandem ipſam Quæſtionem ferverent, Conſtitutione ſua, quæ incipit, *Regis pacifici*, edita anno MDCXVII. tenorem Conſtitutionum Sixti IV. & S. Pii V. referens, atque confirmans, præcepit omnibus, & ſingulis cujuſvis Ordinis, & Inſtituti Regularibus, & aliis quibuſcumque tam Eccleſiaſticis, quam ſecularibus Perſonis cujuſvis conditionis, ſtatus, gradus, Ordinis, aut Dignitatis tam Eccleſiaſticæ, quam ſecularis, ut impoſterum, *donec articulus hujuſmodi a Sede Apoſtolica fuerit definitus*, vel per Sanctitatem ſuam, & Apoſtolicam Sedem fuerit aliter ordinatum, non audeant in publicis Concionibus, Lectionibus, Concluſionibus, & aliis quibuſcumque Actibus publicis aſſerere, *quod eadem Beatiſſima Virgo fuerit concepta cum peccato originali*. Per hujuſmodi tamen Proviſionem Sanctitatem ſuam non intendere, declarat, *reprobare alteram opinionem, nec ei ullum prorſus præjudicium inferre*; & ſub iiſdem Cenſuris, & pœnis mandat, ut negativam opinionem, videlicet, *quod non fuerit concepta cum peccato originali*, in publicis Actibus aſſerentes *aliam* opinionem non *impugnent, aut de ea aliquo modo agant, ſeu tractent.*

CXLVII. Eadem plane, quæ laudati hucuſque Pontifices, docuit & ſtatuit Gregorius XV. ubi anno MDCXXII. Decretum edidit, quo, perſpectis ſcandalis, jurgiis, & diſſenſionibus, quæ manabant ex unicuique relicta libera facultate tenendi atque etiam aſſerendi utramque partem, *propterea volens hujuſmodi ſcandalis ex debito ſui muneris providere, decrevit, ac præcepit omnibus & ſingulis .... ut in poſterum, donec Articulus hujuſmodi a ſancta Sede Apoſtolica fuerit deciſus, vel per Sanctitatem ſuam, & Sedem Apoſtolicam fuerit aliter ordinatum, non audeant in publicis Concionibus, Lectionibus, Concluſionibus, & aliis quibuſcumque Actibus publicis aſſerere, quod eadem Beatiſſima Virgo fuerit concepta cum peccato originali. Contrafacientes autem eadem Sanctitas ſua voluit, & declaravit, ſubjacere debere, & ſubjecit cenſuris, & pœnis contentis in ſupra dictis Conſtitutionibus ſuorum Prædeceſſorum, & ſua, ipſo facto incurrendis. Per hujuſmodi tamen Proviſionem Sanctitas ſua non intendit reprobare alteram opinionem, nec ei ullum prorſus præjudicium inferre, eam relinquens in eiſdem ſtatu, & terminis, in quibus de præſenti reperitur.* Tum denique ſubjicit: *Ulterius ſub eiſdem Cenſuris, & pœnis mandans, quod negantium opinionem, videlicet, quod non fuerit concepta cum originali peccato, in prædictis publicis actibus aſſerentes aliam opinionem, non impugnent, nec de ea aliquo modo agant.*

CXLVIII. Alexander tandem VII. qui præ ceteris piæ opinioni de Immaculata Conceptione Deiparæ Virginis ſavit, Conſtitutione ſua edita die VIII. Decembris anni MDCLXI. qua Eccleſiam Romanam piæ ipſi opinioni, & cultui ſecundum illam ipſi Deiparæ exhibito declarat, Conciliique Tridentini, Sixti IV. & aliorum Pontificum Decreta innovat, ampliatque, ita demum ſubjicit: *Vetamus autem Sixti IV. Conſtitutionibus inhærentes, quempiam aſſerere, quod propter hoc contrariam opinionem tenentes, videlicet, Glorioſam Virginem Mariam cum originali peccato fuiſſe conceptam, hæreſis crimen, aut mortale peccatum incurrant, cum a Romana Eccleſia, & ab Apoſtolica Sede nondum fuerit hoc deciſum, prout Nos nunc minime decidere volumus, aut intendimus. Quin potius contrariam illam opinionem hæreſis, aut peccati mortalis, aut impietatis damnare audentes, præter pœnas, quibus eos ſubjecit Sixtus IV. aliique Prædeceſſores noſtri Romani Pontifices, gravioribus aliis pœnis ſubjicimus, quas in contrafacientes huic noſtræ Conſtitutioni ſuperius inflriximus.* Atque hæc ſunt, quæ provide, atque ſapientiſſime de ea Quæſtione Romani Pontifices ſtatuerunt, proteſtantes ſemper, Quæſtionem ipſam nondum ab Apoſtolica Sede fuiſſe deciſam, ut ex eorum deſcriptis hactenus Conſtitutionibus liquet.

CXLIX. At vero non deſunt qui præter limites a Romanis Pontificibus præſcriptos immunitatem Deiparæ ab originali culpa tueri volentes, audacter ac temere ajunt, fuiſſe jam illam non modo a Conciliis, ſed ab ipſo Romano Summo Pontifice deciſam. Ut omittam adulterinas Granatenſes Laminas jam tandem merito ab Apoſtolica Sede damnatas, quæ Apoſtolorum Concilium exhibebant, in quo definita fuit Immunitas Deiparæ ab originali peccato, Siculus Scriptor Burgius Societatis Jeſu Theologus doctus ceteroqui ac pius, qui ſub nomine Candidi Parthenotimi, Theologicam edidit anno MDCCXXIX. Diſſertationem, cui Titulus, *Votum pro tuenda Immaculata Deiparæ Conceptione ab oppugnationibus Lamindi Pritanii vindicatum*, aperte ait

pag. 47.

pag. 47. conſenſiſſe inter alins piæ de ipſa immunitate Beatiſſimæ Virginis ab originali culpa ſententiæ *Patres Concilii Baſileenſis, qui rem hanc juſſa Eugenii IV. vocarunt ad trutinam, & hoc tulere Decretum: Doctrinam de Immaculata Conceptione tanquam piam, & conſonam cultui Eccleſiaſtico, Fidei Catholicæ, ac rectæ rationi, & ſacræ Scripturæ, ab omnibus Catholicis, approbandam fore tenendam, & amplectendam.* Addit tum mox, quod *quamquam hæc non habenda ſit tanquam Fidei definitio, quippe Baſileenſe Concilium evaſit in acephalum, & ſchiſmaticum, nihilominus illorum Patrum auctoritati, quoad punctum præſens nedum defert Natalis ab Alexandro plus ceteris, verum etiam deferunt plerique Theologorum, & Concilium Avenionenſe anno MCDLVII.* Ita ille.

CL. Puto equidem Partheuotimum, ſeu Burgium nec Acta Seſſionis hujus XXXVI. Concilii Baſileenſis, nec Natalis Alexandri verba in eum locum legiſſe. Sane, ut ſcitiſſime Autonius Lampridius, ſive præſtantiſſimus Ludovicus Antonius Muratorius in Libro, *De Superſtitione vitanda*, Cap. X. obſervat, quo tempore Baſileenſe Concilium Decretum illud confecit, hoc eſt XV. Kalendas Octobris anni MCDXXXIX. ad paucoa contra Eugenium Papam contumaces redactum fuerat, & non modo nullam ipſi Papæ obedientiam præſtabat, ſed eundem exanthorare, hæreticum declarare, ſumma non niſi impudentia, atque execranda impietate auſum jam fuerat. Eugenius vero tunc Generale Concilium, Baſileenſi irritato, Florentiæ agebat, uti perſpicue docent Acta utriuſque Concilii. Ceterum ſi piæ de Immaculata Conceptione Deiparæ ſententiæ *conſenſere Patres Concilii Baſileenſis, qui rem hanc juſſa Eugenii IV. vocarunt ad trutinam*, cur non ejuſdem Eugenii juſſu Florentini Patres idem præſtiterunt? Cur non ſolus Eugenius ob ſingularem prærogativam Romani Pontificii, & plenitudinis poteſtatis qua pollent Apoſtolorum Principis Succeſſores, Chriſtique Vicarii, ſine Concilio eam Quæſtionem decidit, tum potiſſimum, quod pia ipſa ſententia, ut plerique Scriptores volunt, & Divinarum Scripturarum auctoritati, & Patrum traditioni, & Conciliorum Decretis, quin & veterum complurium Romanorum Pontificum Maximorum Oraculis nitatur?

CLI. Tantum autem abeſt, ut Natalis Alexander hac in re Baſileenſium Patrum auctoritati deferat, ut tametſi pluribus argumentis Œcumenicam Concilii Baſileenſis auctoritatem propugnare conetur, diſſerte tamen ſcribat, ab ipſis Patribus minime definitam Quæſtionem, ſed tantummodo *tanquam piam* ab iis pronuntiatam fuiſſe: & commemoratis in hanc rem Summorum Pontificum Decretis, non aliam ait eſſe ſacræ facultatis Pariſienſis ſententiam, quam quæ Concilii Tridentini, & Romanæ Eccleſiæ; neque ab ea haberi uti Fidei Dogma Conceptionem Immaculatam Deiparæ. Hæc ejus verba in Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſeculi XV. & XVI. Diſſertatione VIII, Articulo V. Num. XI. *Non vero Synodus ipſa Baſileenſis doctrinam de Immaculata Conceptione Deiparæ Virginis ab omnibus Catholica Fide tenendam, & credendam diffinivit, ſed approbandam, tenendam, amplectendam duntaxat tanquam piam,* & conſonam cultui Eccleſiaſtico, Fidei Catholicæ, rectæ rationi, & Sacræ Scripturæ. *Nec alia ſacræ Facultatis Pariſienſis ſententia eſt, quam quæ Sacræ Synodi Tridentinæ, & Summorum Pontificum ea de re Decreta, & Conſtitutiones reveretur, ac ſuſcipit: Quamvis fervente contentione, cujus occaſio fuit Maldonatus Societatis Jeſu Theologus, edita legatur a Senioribus Doctoribus nonnullis declaratio, qua ſe credere, & profiteri aſſerebant,* Catholica Fide tenendum, Beatam Virginem non fuiſſe conceptam in peccato originali; idque & Conſtitutionem Synodi Baſileenſis, & formulam Sacramenti, quod exigitur a Facultate, declarare: *At reclamarunt alii, quibus favit, latit etiam in Declarationis hujus Promotores Cenſuris, Pariſienſis Epiſcopus Petrus Gondius.* Tum vero addit: *Denique Decretum iſtud tanquam totius Ordinis Theologici non agnoſcit Sacra Facultas, quæ etſi doctrinam de Immaculata Deiparæ Virginis Conceptione iiſdem verbis profiteatur, ſuoſque jurare merito jubeat, quibus illam Concilium Baſileenſe declaravit; ſæpe tamen in Baccalaureorum ſuorum Theſibus hanc Propoſitionem approbat:* Non eſt Dogma Fidei, Beatam Virginem fuiſſe abſque peccato originali conceptam.

CLII. Porro tenendum eſt, quod ea in re Summi complures Pontifices, ac Tridentini Patres ſtatuere, piam nempe, ac laudabilem, & ab Apoſtolica Sede ſummopere commendatam eorum opinionem, quæ favet immunitati Virginis a labe originalis peccati vel in primo inſtanti ſuæ Conceptionis. Ad hanc ſententiam amplectendam animandi ſunt quidem Fideles, non autem ad ejus ritus novitatem, emittendi ſcilicet votum profundendi etiam vitam, ac ſanguinem, ubi ſe ſe daret occaſio, pro ea tuenda ſententia, quæ immunitatem ab originali culpa SS. Deiparæ tribuit, multoque minus pro alia quorundam recentiorum defendenda opinione, quæ ipſam Deiparam a debito peccati originalis excludit. Docte ac religioſe profecto hanc materiam tractavit Italiæ noſtræ, imo & totius Litterariæ, & Catholicæ Reipublicæ præſtantiſſimus decus atque ornamentum, Ludovicus Antonius Muratorius ſub nomine Antonii Lampridii in eo Tractatu, quem inſcripſit, *De ſuperſtitione vitanda*; & in Epiſtolis, quas ſub nomine Ferdinandi Valdeſii ſcripſit, in quibus tametſi profiteatur & ipſe piam de Immaculata Deiparæ Conceptione ſententiam, pluribus improbat ſanguinarium illud fieri ſolitum votum, atque a variis Scriptoribus Siculis propugnatum.

CLIII. Sed omiſſa hac Quæſtione, quod celebritatem Conceptionis Deiparæ ſpectat, ſunt qui eam ad ſeculum Chriſti VII. referunt, quia ſcilicet S. Hildephonſus Toletanus Epiſcopus, qui obiit anno DCLXXI. uti in ejus Vita apud Surium, & apud Bollandianos die XXIII. Januarii legitur, *Feſtum Conceptionis S. Mariæ, quo ſcilicet ipſa concepta eſt, celebrari conſtituit, & ejus Conſtitutione ſolemniter colitur vj. Idus Decembris*, At vero Cardinalis Baronius, & alii non pauci Auctores ſunt ejus opinionis, ſub fine ſeculi XI. Conceptionis Deiparæ Feſtum celebrari cœpiſſe, occaſione Divinæ revelationis Helchino Ramoſienſis Monaſterii Abbati in mari periclitanti factæ, uti rem narrat ms. Breviarium Eccleſiæ Turonenſis apud eruditiſſimum Edmundum Martene in Libro, *De antiqua Eccleſiæ diſciplina in Divinis Officiis celebrandis*, Cap. XXX. S. Bernardi ætate coli cœpiſſe ipſum Feſtum apud Gallos in Eccleſia Lugdunenſi, conſtat ex ejuſdem Ber-

Digitized by Google

Bernardi Epiſtola CLXXIV. ad Canonicos Lugdunenſes ſubindignantis , *quod obtentu cujuſdam ſupernæ revelationis novam inducerent celebritatem , quam Ritus Eccleſiæ neſcit , non probat ratio , non commendat antiqua traditio .* Additque mox : *Numquid Patribus doctiores , aut devotiores ſumus ? Pericloſe præſumimus quicquid ipſorum in talibus prudentia præterivit . Nec vero id tale eſt , quod niſi prætereundum fuerit , Patrum quiverit omnino diligentiam præteriſſe . At valde honoranda eſt , inquis , Mater Domini . Bene admones , ſed honor Reginæ judicium diligit . Virgo Regia falſo non eget honore , veris cumulata honorum titulis , infulis dignitatum . Honora ſane integritatem carnis , Vitæ ſanctitatem . Mirare fecunditatem in Virgine , Prolem Divinam &c.*

CLIV. Prolixa eſt hæc Epiſtola , quam genuinum eſſe fœtum S. Bernardi , ſaniores , ac doctiores Scriptores ingenue fatentur . Reprehendit autem quammaxime in eo Bernardus Canonicus ipſos Lugdunenſes , quod , inconſulta Sede Apoſtolica , celebritatem Conceptionis Deiparæ celebrare auſi eſſent : *Conſulenda* , inquit , *erat prius Apoſtolicæ Sedis auctoritas , & non ita præcipitanter , atque inconſulte paucorum ſequenda ſimplicitas imperitorum . Et ante quidem apud aliquos errorem compereram ; ſed diſſimulabam parcens devotioni , quæ de ſimplici corde , & amore Virginis veniebat . Verum apud ſapientes , & in famoſa nobilique Eccleſia , & cujus ſpecialiter filius ſum , ſuperſtitione deprebenſa , neſcio , an ſine gravi offenſa etiam omnium diſſimulare potuerim .* Concludit demum , & hiſce aureis verbis finem Epiſtolæ ſuæ imponit : *Quæ autem dixi , abſque præjudicio ſane dicta ſint ſanius ſapientis . Romanæ præſertim Eccleſiæ auctoritati atque examini totum hoc , ſicut & cetera , quæ hujuſmodi ſint , univerſa , reſervo : ipſius , ſi quid aliter ſapio , paratus judicio emendare .* Atque hanc auream Bernardi ſententiam ego ſequutus , totum quod hactenus ſcripſi , ſcribamque inpoſterum , irrefragabili Apoſtolicæ Romanæ Sedis Judicio libenter ſubjectum volo .

CLV. Omnium poſtrema Conceptionis Deiparæ Feſtum recepiſſe videtur Eccleſia Romana , quæ tempore S. Thomæ Aquinatis , qui obiit anno MCCLXXIV. illud recolere nondum cœperat . Sic enim ille Parte III. Quæſtione XXVII. Articulo II. ſcribit : *Licet Eccleſia Romana Conceptionem B. Virginis non celebret , tolerat tamen conſuetudinem aliquarum Eccleſiarum illud Feſtum celebrantium* , Idem docet S. Bonaventura ex Ordine Minorum S. R. E. Cardinalis , qui eodem anno vita ceſſit Lib. III. Diſtinctione III. Parte I. Quæſtione I. ubi expreſſe ait , coli ab Eccleſia unam Filii Dei Conceptionem : agere quidem nonnullos Mariæ quoque Conceptionem , ſe tamen neque id probare , neque carpere , quum Majores noſtri clariore lumine perfuſi , & B. Virginis cultu inſigniores , alia ejuſdem Solemnia celebrarent , ne verbo quidem de Conceptione facto : adduci quidem viſa , & oſtenta pro ea indicenda , ſed quum rata minime forent , quamquam Religionem minime laceſſebant , ſatius eſſe , eam neque adprobare , neque damnare : *Nullius Conceptionem celebrat Eccleſia , niſi ſolius Filii Dei Annunciatione B. Mariæ Virginis . Sunt tamen aliqui , qui ex ſpeciali devotione celebrant Conceptionem B. Virginis , quos nec omnino laudare , nec ſimpliciter audeo reprebendere . Non omnino adprobare audeo , pro eo quod Sancti Patres , qui alias Solemnitates Virginis , Spiritu Sancto docente , ſtatuerunt , qui etiam magni amatores , & veneratores B. Virginis fuerunt , Solemnitatem Virginis ſolemnizare non docuerunt &c. Non enim omnino audeo reprebendere , quia , ut quidam dicunt , hæc Solemnitas celebrari cœpit Divina revelatione &c. Sed quia hoc authenticum non eſt , non compellimur credere ; quia etiam contra Fidem rectam non eſt , non compellimur negare .*

CLVI. Multa hic docet S. Bonaventura maximis laudibus ob eximiam ejus animi moderationem extollendus . I. ſuo ævo nullius Conceptionem celebraſſe Eccleſiam , *niſi ſolius Filii Dei Annunciatione B. Mariæ Virginis* . II. aliquos tunc temporis *ex ſpeciali devotione celebraſſe Conceptionem B. Virginis* . III. non audere ipſum *omnino laudare , aut ſimpliciter reprebendere* eam ſpecialem aliquorum devotionem . IV. Sanctos Patres , *qui etiam magni amatores , & veneratores B. Virginis fuerunt* , alias ſolemnitates Virginis , *Spiritu Sancto docente* , ſtatuiſſe , ſolemnitatem autem Conceptionis non docuiſſe . V. eam celebritatem a quadam revelatione ſuam primo ducere originem . VI. hujuſmodi revelationem non eſſe authenticam , ideoque neminem compelli , eam credere , vel negare . VII. demum , ſe de ea re mentem ſuam minime aperire , ſicut neque Eccleſiæ complures , neque Romana ceterarum omnium princeps aperuerat . Quamobrem eos ferre non poſſum , qui ad ipſam Conceptionis Deiparæ celebritatem comprobandam Sancti Bonaventuræ teſtimonio utuntur , cum & is S. Doctor eodem de ea re modo loquatur , quo ceteri ejus ævi Theologi , quo nempe nondum Romana ipſa Eccleſia aliquid viſa eſt ſtatuiſſe ; atque hinc eſt , quod & eandem ſententiam acriter ſuſtinuit , qui poſt S. Bonaventuram claruit , obiitque circa medium Seculum XIV. Alvarus Pelagius Hiſpanus ex eodem Minorum Ordine Epiſcopus Silvenſis , Theologus , & Canoniſta inſignis , Lib. II. *De Planctu Eccleſiæ* , Cap. III. ubi etiam ait , cœpiſſe primum celebrari Feſtum Deiparæ Sanctificationis non autem Conceptionis .

CLVII. Ceterum quamvis S. Bernardus , Sanctus Thomas , S. Bonaventura , aliique complures Theologi , qui vel longe poſt ipſos claruerunt , veterum Patrum ſequuti veſtigia non admodum hanc Conceptionis Deiparæ celebritatem , quæ in aliquibus Eccleſiis peragebatur , omnino probaverint ; Concilium nihilominus Baſileenſe in hac Seſſione XXXVI. in omnibus Eccleſiis , Monaſteriis , & Conventibus Chriſtianæ Religionis eandem Feſtivitatem feſtivis laudibus coli præcepit , conceditque Indulgentias illam devote celebrantibus . Poſt Baſileenſis Concilii Decretum , acceſſit auctoritas Romanæ Eccleſiæ in ea celebritate peragenda , Legibus a Sixto IV. Pontifice latis , atque ab ejus Succeſſoribus , qui multa privilegia eidem contulerunt , præſertim vero Alexander Papa VII. & Clemens XI. qui etiam diem Conceptionis Deiparæ , qui occurrit die VIII. Decembris , Feſtum eſſe juſſit , edita de ea re Conſtitutione anno MDCCVIII. Noviſſimo Regnans Pontifex Maximus BENEDICTUS XIV. voluit , ut in eo Feſto fieret Capella Papalis , in qua etiam dici ſolet Miſſa de eadem celebritate , li-

licet in Dominicam Adventus incidat. Atque hæc ſunt, quæ de origine, ac progreſſu, & incremento celebritatis Conceptionis Deiparæ operæ pretium duxi hoc loco adnotare, occaſione arrepta ex recitato ſuperius Baſileenſis Concilii Decreto. Sed nec omittendum, quod obſervat Thomaſſinus, Libro II. *De dierum Feſtorum celebratione*, Cap. v. Num. XIII. indictum nempe eſſe Feſtum hunc diem ſine ullo veterum Patrum contemtu, quandoquidem plures pariter ab illis inſtituti ſunt citra Patrum antiquiorum injuriam; id quod Auctor præſtantiſſimus variis ſolidis argumentis demonſtrat.

LVIII. Auctor eſt Gerſon, cujus ſententiam amplexi ſunt Theologi non pauci, præſertim Caſuiſtæ, poſſe recentes Eccleſiæ Doctores veteribus ſapientia antecellere, contenditque, Deum recentes Eccleſiæ Doctores illuſtrando, nonnulla eus docere, quæ olim tenebris offuſa latebant; allatiſque exemplia concludit, non mirum videri, ſi quædam ab antiquis prætermiſſa Juniores tradiderunt, ut Deiparæ ſine labe Conceptionem: *Spiritus Sanctus*, inquit, *interdum revelat Eccleſiæ, vel Doctoribus poſterioribus aliquas virtutes, ex expoſitione ſanctæ Scripturæ, quas non revelavit eorum Prædeceſſoribus. Ideo Moyſes ſcivit pluſquam Abraham; Prophetæ, quam Moyſes; Apoſtoli quam Prophetæ; & Doctores addiderunt multas veritates ultra Apoſtolos.* Ita ille; ſed notat mox laudatus Thomaſſinus, Gerſonis verba magnis eſſe obſtructa difficultatibus: *Ecquiſnam*, inquit, *facile crediderit, Moſem Abrahamo ſcientia præcelluiſſe, Moſi Prophetas? Sed Eccleſiæ Patres Apoſtolis præſtaſſe, longe difficilius eſt creditu. Non ea fuit Patrum mens, qui nihil in ſeipſis ſolidum, nihil ſcitu dignum eſſe arbitrati ſunt, præter id, quod ab Apoſtolorum Scriptis, vel Traditionibus mutuo accepiſſent.* Scitiſſime ſubdit, illud ſatius eſſe exiſtimare, potuiſſe Patres tradere Eccleſiæ nonnulla, quæ Apoſtoli ſilentio præterierunt, quæ tamen illis accepta retulere; quemadmodum Servator ait, fore ut Apoſtoli prodigia ſuis majora patrarent, viribus tamen quas ſuis ipſe Diſcipulis conferret.

CLIX. His & alia addit doctus æque ac pius memoratus Auctor citato loco, Num. XVI. & ſequenti. Tenendum plane eſt illud, quod nos docet Romana Eccleſia, celebritaſque Conceptionis Deiparæ colenda modo, quem ipſa a Spiritu Sancto edocta præſcribit. Ceterum contemnendi Auctores, qui plus ſapere, quam oportet, volunt, qui impoſturas venditant, qui ut certitudinem ejus Myſterii obtruderent, ex Apocryphis, incertiſque Scriptoribus aſſerere auſi ſunt, Beatam Virginem prodiiſſe in lucem ſine virili ſemine conceptam. Merito autem ab Innocentio Papa XI. damnatus eſt error cujuſdam Neapolitani Auctoris, qui aſſerere non dubitavit, Annam integra virginitate Mariam peperiſſe; quia ſcilicet quidam jam olim nugati fuerunt, ex ſolo oſculo ipſam conceptam fuiſſe. Hinc recte Robertus de Licio Epiſcopus Aquinas Sermone IV. *De laudibus Sanctorum*, in quandam Imaginem invehitur, in qua Anna & Joachim ſub aurea porta ſe mutuo oſculantibus, ſubſcripta erant hæc verba: *Taliter concepta eſt Beata Virgo.* Videntur hujus erroris occaſionem ſumſiſſe ex apocrypho Libro, qui inſcribitur, *Protoevangelium S. Jacobi*, in quo ſic habet impreſſum in Germania exemplar: *Et ſtabat Anna in porta, viditque Joachim venientem cum gregibus ſuis, & accurrens, appenſa eſt a collo ejus dicens:* Nunc cognoſco, quod Dominus Deus benedixit mihi vehementer, quia quæ eram ſterilis, in utero habeo.

CLX. Porro tametſi Beata Virgo in ſua Conceptione præſervata ſit ex ſpeciali Gratia Dei a culpa labis originalis, certum tamen eſt, conceptam ipſam fuiſſe modo prorſus naturali ſicut ceteri Mortales, uti inter alios affirmat Sanctus Epiphanius Hæreſi LXXIX. quæ eſt Collyridianorum, ubi etiam ait, quod *quamvis ex Mariæ Hiſtoria, ac Traditione illud habeatur, Joachimo ejus Patri divinitus hoc in deſerto nunciatum fuiſſe:* Uxor tua concepit; *non ita tamen accipiendum eſt, quaſi hoc citra nuptialem conſociationem, & virilem ſtatum acciderit.* Similia narrat ex Hiſtoria quadam incerti Auctoris S. Gregorius Nyſſenus Oratione in diem Natalem Chriſti; ſed intelligenda & hæc ſunt, non quod ſine conjugio factum ſit illud, neque ſine viri ſemine; ſed futurum Angelus miſſus prævaticinatus eſt, ut nequa hæſitatio fieret propter id quod jam ex Deo ordinatum eſt, & a Deo promiſſum. Sed his omiſſis, ſolide, copioſe, ac pie differit de hoc Feſto, ſicut & de aliis Sanctiſſimus Dominus Noſter BENEDICTUS XIV. Pontifex Maximus in celebri ſuo Tractato, *De Feſtis*, in eoque plura inveniet lector, & quanta ſit Regnantis Pontificis pietas, & eruditio, ſemper tamen cum inſigni prudentia conjuncta.

CLXI. Unum eſt, quod hoc loco adnotandum cenſeo, laudandam ſcilicet Fidelium pietatem, & cultum erga Deiparam ſine labe conceptam, juxta piam ſententiam, quæ jam ubique locorum invaluit, eidem quammaxime faventibus Romanis Pontificibus Maximis, uti jam notatum fuit; ſed forte minime laudandus eſt mos ille non ita pridem introductus, emittendi votum ſpargendi ſanguinem, ubi ſe ſe daret occaſio, pro tuenda etiam illa aliquorum recentiſſimorum Auctorum ſententia, quæ dicit, Deiparam Virginem in ſua Conceptione non modo a labe originalis culpæ fuiſſe immunem, verum etiam a debito ejuſdem peccati originalis exemtam fuiſſe; multoque minus ille mos alius quorundam ſacrorum hominum, qui chartulas ſpargunt, in quibus deſcripta iſta ſunt verba: *In Conceptione tua Virgo, immaculata fuiſti*, ut ab ægris deglutiantur. Vetitum id enim eſt in Neapolitana Diœceſana Synodo, quam anno Chriſti MDCCXXVI. in Neapolitana Metropolitana Eccleſia celebravit Franciſcus S. R. E. Cardinalis Pignatellus Sacri Collegii Decanus, Archiepiſcopus Neapolitanus. Sic enim Parte I. Capite IV. quod eſt inſcriptum, *De blaſphemiis, ſuperſtitionibus, & magicis artibus*, Num. XIII. inquit: *Caveant etiam omnes, ne ſub quocumque prætextu chartulas, aut hoſtias verbis ſacris, & devotis inſcriptas deglutiendas laborantibus quovis morbo ſive corporali, ſive ſpirituali tradant, aut ſuadeant. Sunt enim paſſim hæ actiones ſuperſtitioſæ, cum nulla naturali virtute ad effectus, ad quos dantur, referri poſſint.* Idipſum jam ante vetuerat Jacobus S. R. E. Cardinalis Cantelmus Archiepiſcopus & ipſe Neapolitanus in ſua Provinciali Synodo Neapolitana anni MDCXCIX. Cap. IV. Num. VI. *Qui ſigna*, inquit, *aut verba etiam ſacra ad medendi uſum adhibue-*

bue-

*buerint, & omnis univerſim remedii fiduciam collocantes in rebus naturali ſanandi virtute deſtitutis, ſuperſtitioſi ſunt, & propterea denunciandi*. Simile Decretum legere eſt in ejuſdem Archipiſcopi Diœceſana Synodo anni MDCXCIV. Cap. IV. Num. XI. Verum ea eſt quorundam ſacrorum bominnm licentia, ut chartulas ipſas tum Neapoli, tum alibi ſpargere non vereantur contra ſanctiſſima, ac repetita tot Synodorum Decreta, & quod horrendum eſt dictu, animalibus quoque ratione carentibus, quæ morbo laborant, deglutiendas tradunt, non ſine animi ſenſu vel ipſorum piorum Chriſtifidelium, qui piam ſententiam de Immaculata Deiparæ Conceptione tuentur. Atque hanc piam ſententiam me tenere profiteor; abuſum damno, & ſuperſtitionem.

SESSIO XXXVII.

CLXII. Seſſione vigeſima ſeptima habita die XX. Octobris prædicti anni MCDXXXIX. ſtatuit primo Synodus, quo *libere, ſincere, & pure*, electioni futuri Pontificis per Concilium celebrandæ intendi poſſet, proteſtationes omnes, quæ ſinceritati electionis, ſive generali obedientiæ Summis Pontificibus debitæ quodammodo obviare poſſent, conventiones, pactiones, promiſſiones, obligationes, juramenta per quemvis hominem facta cujuſcumque ordinis, ſtatus, aut dignitatis, nulla eſſe, atque irrita. Deinde, ne Sede vacante aliter, quam per Concilium Pontiſex eligeretur; quodque ante ſexageſimum diem vacantis Sedis ad electionem procedi deberet. Item, quod omnes Electores futuri Pontificis Euchariſtiam ſumerent, & ante ingreſſum Conclavis juramentum juxta Decretum Seſſionis XXIII. emitterent. Ut electus præſentata ei electione intra diem in præſentia Notarii, & decem teſtium acceptare teneretur; ſin minus electio irrita eſſet, aliuſque eligeretur eiſdem modis, ac formis. Ut in loco Concilii coronaretur, & conſecraretur electus, & ſe Catholicum ſemper fore, Concilia Generalia obſervaturum, ac ſpeciatim pro viribus laboraturum pro exequutione Decretorum Conſtantienſis, & Baſileenſis, Conciliumque hoc Baſileenſe inchoatum continuaturum promitteret.

CLXIII. Statuit præterea in ipſa Seſſione Synodus, ne bona electi, & eligentium rapiantur, ac ne tempore electionis fiat audientia. Tum vero tandem decrevit, quod una cum Ludovico Cardinali Arelatenſi, & aliis Cardinalibus, ſi qui ante conſummatam electionem advenirent, & electioni intereſſe vellent, alii triginta duo tam de Prælatis, quam de cæteris Eccleſiaſticis Viris aſſumerentur, qui pro hac vice Romanum Pontificem eligerent, itaut ille ab univerſali Eccleſia Summus Pontifex haberetur, quem duæ partes ſuffragantium eligerent, quæ in Decreto in hac Seſſione edito latius continentur, ubi etiam nomina illorum XXXII. Virorum, qui ad eligendum deſignati fuerunt, leguntur. Quoad nomina autem aliorum, qui in aliis officiis neceſſariis pro Conclavi deputati fuere, legi & ea poſſunt in Actis hujus Concilii apud Labbeum.

SESSIO XXXVIII.

CLXIV. Seſſione trigeſima octava celebrata die XXX. Octobris, tria Decreta condita, & promulgata ſunt. Primum damnationis Libelli, ſeu Decreti Eugenii, quod incipit, *Moyſes Vir Dei*, promulgatum Florentiæ die IV. Septembris hujus anni MCDXXXIX. Ejus doctrinam, ut hæreticam evitari juſſit Synodus, ac omnibus ſub graviſſimis Cenſuris, & pœnis mandavit, ne quis *illi Libello*, ut ajebant, ullo modo pareret. Alterum de electionibus, quo nempe ſtatutum fuit, Collegia Eccleſiarum, ſeu Monaſteriorum, cum de electione Prælatorum ſuorum eſt agendum, non obligari ad vocandum abſentes Coelectores, ſi *ultra duas diætas* abſentes fuerint, niſi aliud alibi peculiari ſtatuto, & conſuetudine receptum fuerit, propter diſpendia, & quamplurima diſcrimina, quæ *eiſdem Eccleſiis, & Monaſteriis hactenus ſæpe numero evenerunt, & continuo in poſterum* evenire poſſent, juxta formam Decreti, *De electoribus Paſtorum Eccleſiæ*, dudum in Synodo editi. Tertium Decretum ſpectat Confirmationem Nominatorum ad eligendum Papam, & Deputatorum in Conclavi, de quibus ſuperius dictum eſt in fine Seſſionis XXXVII.

CLXV. Eadem die trigeſima Octobris intraverunt omnes Electores una cum Ludovico Cardinali Arelatenſi in Conclave paratum in medio Civitatis, in iis ſcilicet Baſileæ Ædibus, in quibus deputatio pro communibus haberi conſueverat. Ergo ubi Cardinalis Arelatenſis pluribus Collegas ſuos hortatus eſt, ut in Pontificem eligerent Virum genere, & divitiis potentem, qui neceſſitati Eccleſiæ providere poſſet, more ſolito ſcrutinium factum eſt; conſcribebantur enim nomina eligentium, Electorumque. Convenere per ſex dies ad ineunda ſuffragia, cumque in unum duæ partes non conveniſſent, ſeptima tandem die, quæ concurrebat cum die quinta Novembris, facto quinto ſcrutinio, compertum eſt, Amedeum Sabaudiæ Ducem viginti ſex ſuffragiis electum fuiſſe in Papam, ut refert Æneas Sylvius in fine ſui Operis, *De Geſtis Concilii Baſileenſis*; non vero viginti duobus, ut ſcribit in ſuis Actis Auguſtinus Patricius; rejectis ut nullius momenti nonnullorum objectionibus, quæ ejus Electionem diſſuadere videbantur, quod nempe Amedeus ipſe adhuc Laicus eſſet, quod conjugatus fuiſſet, quod liberos haberet, & demum quod Doctor non eſſet.

SESSIO XXXIX.

CLXVI. Seſſione trigeſima nona habita die XVII. Novembris, ſolemni ritu memorati Amedei in ſeceſſu Ripallenſi vitam religioſiſſimam agentis electio in Summum Pontificem a Cardinale Arelatenſi, & triginta duobus Deputatis facta, promulgata eſt. Deinde vero die tertia Decembris prædicti anni MCDXXXIX. vigintiquinque delecti ſunt, quorum princeps erat idem Cardinalis Arelatenſis, ut Patriciana Acta referunt, qui cum Nunciis Civitatis Baſileenſis, & Nobilibus compluribus Amedeum petierunt in Ripallia, ubi in nemore Monaſterium conſtruxerat, ibique una cum aliis decem Nobilibus Viris Habitum Eremiticum geſtabat, vocabaturque Decanus Militum S. Mauritii. Fuit hic Amedeus Primus Sabaudiæ Dux, qui anno MCDXXXIV. commiſſa ſtatuum ſuorum adminiſtratione duobus quos habebat filiis Ludovico, & Phillippo, una cum aliis Proceribus grandævis cælibibuſque, ſenex ipſe, cælebſque penula talari e panno rudiori cinericii coloris, pallioque humeros tegente, cingulo lato, & baculo retorto, toto denique Habitu Eremitico, promiſſaque barba, & capillis intonſis, & impexis, in prædictum Ripalliæ locum ad ripam Lemani lacus e regione Lauſannæ, prope Tononii Oppidum, vinetis, pratis,

tis, & aquis ameniſſimum, ubi Eccleſiam, ac Monaſterium, ſibique, & ſodalibus magnificas manſiones, & amplum vivarium continendis innocuis feris conſtruxerat, die ſeptima Novembris prædicti anni MCDXXXIV. ſeceſſit: id tantum nobilitatis ſignum retinens, quod tam ſe, quam Sodales Crucem auream in pectore geſtare voluit, erecto inde novo Militari Ordine S. Mauritii Martyris Sabaudiæ Patroni, qui non procul ab eo loco cum Legione Thebæa pro Chriſti Nomine Martyrium pertulit; cujus Ordinis originem, qui antiquiorem referunt, errare eos certum eſt, inquit Spondanus ad ipſum annum MCDXXXIV. Numero XIV. ſicuti & qui Amedeum Monaſticam vitam coluiſſe ſcripſere, cum ſecularem cum Habitu Eremitico retinuerit. Hunc porro Mauricianorum Equitum Ordinem conſtituit ſub certis Regulis, quas deſcripſit una cum iſta Ordinis inſtitutione Auctor Amedei Pacifici, ſeu Auctor Commentarii pro excuſatione Pontificatus Felicis Sabaudi conſcripti.

CLXVII. Cauſati ſunt quidem eam Amedei vitæ mutationem quidam malevoli, ajentes, vitam illam fuiſſe ipſum eo tempore amplexum, tum ſpe Summi Pontificatus, quem ei obventurum fatidici quidam prædixerant, tum ut liberius deliciis, ac voluptatibus indulgeret, exquiſitam, & opiparam vitam ſeorſum agendo, unde & dictum Francorum ortum volunt, *facere Ripaliam*, hoc eſt, indulgere ventri, ac lautitiæ. Sed ea omnia refellit laudatus Auctor Amedei Pacifici, aliique Auctores paſſim, qui ejus etiam ſanctitatem, & miraculis claram ſummis laudibus extollunt. Sed de hac re plura inferius. Porro deputatis a Baſileenſi Synodo variis ad Amedeum Legatis, ut eidem ſuam ipſius electionem notam facerent, ejuſque conſenſum expoſcerent juxta formam in Decreto Seſſionis XXXVII. ſtatutam; acquievit ille, metuens, ut dicebat, ne ſic ad univerſalis Eccleſiæ, & Reipublicæ Chriſtianæ miniſterium, neceſſitate cogente, vocatus, reluctando, divinam in ſe indignationem provocaret. Itaque per Cardinalem Arelatenſem, quo vocari vellet nomine, prout moris eſt, interrogatus, Felicis V. nomen duxit ſibi eligendum; chlamideque, & caputio, quibus tunc utebatur, depoſitis, Profeſſionem juxta formam prædictæ Seſſionis XXXVII. emiſit, propriaque manu ſubſcripſit. Qua peracta ornamentis Papalibus indutus ad Eccleſiam Monaſterii S. Mauritii in memorata ſolitudine conſtitutam ab ipſis Deputatis Baſileenſibus, qui ad eum profecti erant, comitatus proceſſit.

S E S S I O XL.

CLXVIII. Seſſione quadrageſima, quæ habita fuit Baſileæ die XXVI. Februarii anno Chriſti MCDXL. ejuſdem Amedei Felicis V. nuncupati conſenſus publicatus eſt una cum Fidei Profeſſione ab ipſo edita, juſſumque Chriſtifidelibus univerſis, ut ipſi obedientiam præſtarent, annullatis iis omnibus, quæ Eugenius Papa IV. contra dixiſſet, vel edidiſſet. At vero Eugenius, ut Patriciana Acta referunt, in Concilio Œcumenico, quod tunc temporis Florentiæ celebrabat, de quo nos infra poſt hoc Baſileenſe Concilium dicemus, Seſſione XXVIII. habita die XXIII. Martii, Judiciali ordine per debita intervalla prius ſervata, Amedeum Antipapam, ut hæreticum, & ſchiſmaticum declaravit; Electoreſque, fautores, ac ſequentes ſuos omnes monuit, niſi infra quadraginta dies reſipiſcerent, & ad gratiam Apoſtolicæ Sedis, rebellione dimiſſa, ſupplices confugerent, incurſuros pœnas contra hæreticos, ſchiſmaticos, ac reos in crimine læſæ Majeſtatis a Jure promulgatas, & abſque alio Judicio, elapſo termino, mox in pœnas omnes incidiſſe. Pollicetur tamen ſupplicibus intra tempus ſtatutum veniam, & gratiam ſe daturum, ut tradit S. Antoninus, qui tunc Florentiæ erat, ejus poſtea Archiepiſcopus: *Servata omnia Judicia*, inquit, *ne videretur Eugenius livore vindictæ, non zelo juſtitiæ procedere*. Teſtis eſt ejus ſententiæ in laudato Florentino Concilio a ſe latæ idemmet Eugenius in Litteris pridie Nonas Julii, ſeu die ſexta Julii ejuſdem anni MCDXL. Florentiæ datis, quibus Jacobo Epiſcopo S. Andreæ præcepit, ut eam ſententiam promulgaret, atque ab aliis promulgandam curaret. Extat & apud Raynaldum ad annum ipſum MCDXL. Numero III. Depoſitionis ſententia, data Florentiæ V. *Kal. Junii*, ejuſdem anni, quam Eugenius in ipſum Ludovicum Cardinalem Arelatenſem præcipuum ſchiſmatis Auctorem vibravit, quaque ipſum Cardinalatus honore, & quibuſvis aliis dignitatibus privatum eſſe declaravit, demandata Arelatenſis Eccleſiæ adminiſtratione Rogerio Præpoſito Aquenſi.

S E S S I O XLI.

CLXIX. Seſſione quadrageſimaprima Baſileæ habita die XXIII. Julii, ſententiam depoſitionis ab Eugenio contra Amedeum, ſeu Felicem V. & ejus obedientiam latam, veluti ſcandaloſam, injurioſam ſchiſmaticam, & a Fide deviam Synodus damnavit; præcepitque univerſis Chriſtifidelibus cujuſcumque ſtatus, ordinis, vel dignitatis fuerint, ſub omnibus cenſuris, ac pœnis, ne prædictam ſententiam, quam *Scripturam & Libellum Gabrielis*, nempe Eugenii, qui eo nomine ante Pontificatum dicebatur, vocat, acceptent, aut defendant, nec quovis pacto, aut illius prætextu, Dignitates, Beneficia, Perſonas, res, & bona Felicis V. Electorum occupare, vel impetrare, aut quidpiam in eorum præjudicium facere præſumant. Damnavit autem Eugenii libellum, ſeu ſententiam Synodus, quia nimirum, ut ait, *illorum ſcripta recipi non debent, quorum damnantur Auctores*. Poſtridie vero, die nempe vigeſimaquarta menſis Julii magna Procerum, & Populorum frequentia Felicem V. publice coronavit inſigni pompa, quam Æneas Sylvius, qui aderat, egregie deſcribit Lib. VII. & quoniam Cardinales numero paucos habebat, nec tantæ celebritati poterant ſufficere, tradit Patricius, adſcitos tunc fuiſſe octo Epiſcopos, qui Cardinalium munera implerent.

S E S S I O XLII.

CLXX. Seſſione quadrageſima ſecunda celebrata die IV. Auguſti Baſileenſis Synodus, quæ uti ſuperius narratum fuit, Annatas in Eugenio IV. damnaverat, in ſubventionem ſui novi Pontificis Felicis V. uſque ad quinquennium, quintum denarium, & deinde ad aliud quinquennium ex tunc proxime ſubſequuturum decimi denarii veri valoris annui ſecundum communem æſtimationem quorumcumque fructuum, & proventuum omnium, & ſingulorum Beneficiorum cum cura, & ſine cura Sæcularium, & Regularium, Collectoribus ipſius Felicis V. realiter, & cum effectu quolibet anno perſolvendum ſtatuit, ſub pœna Suſpenſionis, & Interdicti, non obſtanti-

bus privilegiis, & Conſtitutionibus quibuſcumque; eiſdem Collectoribus mandans, ne quidquam ultra ſtatutas quintas, vel decimas exigant, vel pro ſuo labore petant. In gratiam nihilominus Germanicæ Nationis, eidem indulſit, ut Beneficia, quorum proventus quinque marcas argenti annuatim neceſſariis oneribus deductis non excederent a prædicta lege exciperentur

SESSIO XLIII.

*De Viſitatione Deiparæ Virginis.*

CLXXI. Seſſione quadrageſima tertia, quæ celebrata eſt, die 1 Julii anni MCDXLI. ſtatuit Synodus ad honorem Virginis Dei Genitricis, *ut quolibet anno, ſexto Nonas Julii Feſtum Viſitationis Glorioſæ Virginis celebretur*. Tum vero, ut eo libentius ipſam Deiparam Chriſtifideles in divinis honorent officiis, quo magis ſpiritualibus fuerint excitati muneribus, ipſa eadem Synodus *omnibus Chriſtifidelibus, qui Matutinis, Proceſſioni, Sermoni, Miſſarum Solemniis, vel primis, aut ſecundis Veſperis hujus Glorioſæ Virginis Feſtivitati interfuerint, pro unoquoque Officiorum prædictorum centum dies de injunctis pœnitentiis miſericorditer elargitur*. Teſte Gobelino, Urbanus Papa VI. anno MCCCLXXXIX. ut ad eum annum tradit Raynaldus, ſexto Idus Aprilis, conſtituit, ut Feſtum Viſitationis Beatiſſimæ Virginis, quando ſcilicet viſitavit S. Eliſabetham matrem S. Joannis Baptiſtæ, ad exaltationem Fidei Catholicæ in perpetuum celebraretur in Eccleſia annis ſingulis, ſexto Nonas Julii, *ut Beata Virgo ſuis precibus Eccleſiæ unionem reformare, & reformatam conſervare dignaretur*; inquit Gobelinus in Coſmodromo, ætate VI. Capite XXXLI. Licet autem Urbanus VI. hoc Feſtum inſtituerit, ſuperveniente tamen ejus morte, ejuſmodi inſtitutionem probavit, vulgavitque illius Succeſſor Boniſacius IX. ut Deus per interceſſionem Deiparæ Virginis opem ferret Eccleſiæ laboranti, ac diſcerptæ luctuoſo Romanorum, & Avenionenſium Pontificum Schiſmate.

CLXXII. Ergo Bonifacius IX. anno primo ſui Pontificatus, Chriſti vero MCCCLXXXIX. Litteras Apoſtolicas de ea celebritate Romæ edidit quinto Idus Novembris, Urbanique VI. ſanctioni auctoritatem adjecit, prædictiſque Litteris, quas legere eſt apud Raynaldum, & in Romano Bullario, inter alia ait, Urbanum *ſexto Idus Aprilis, Pontificatus ſui anno undecimo*, ſtatuiſſe, ut Feſtum ipſum Viſitationis ſexto Nonas Julii ſub Duplici Officio ſolemniter celebraretur. Ait deinde, Urbanum in optatis habuiſſe, ut indiceretur jejunium pervigilii, quemadmodum in Nativitate, & Aſſumtione uſuvenit, & octo diebus celebraretur Feſti Viſitationis ſolemnitas, additis etiam Indulgentiis pro illis, qui Officiis ſacris ejuſdem celebritatis intereſſent. Sane Urbani & Bonifacii votis ſtatim paruerunt omnes Eccleſiæ, quæ illorum parti ſavebant; quæ vero Clementi VII. aliiſque Pontificibus Avenione reſidentibus, Feſtum ipſum poſt hujus Concilii Baſileenſis Decretum ſuſcepere. Quo autem ordine ad hujuſmodi inſtitutionem Baſileenſe ipſum Concilium proceſſerit, narrant Acta Patriciana, nimirum cum per longum tempus de illa diſceptatum fuiſſet, eo quod declaratio a Bonifacio IX. facta tempore Schiſmatis non fuiſſet ſuſcepta a ſectatoribus alterius obedientiæ; tandem de iſtitutione hujus Feſti Decretum condidit; ſed cum videretur pleriſque, promulgandum illud eſſe *Felicis nomine, Sacro approbante Concilio*, quod obſervatum dicerent in antiquis Conciliis, vel ſaltem addendum, *Papa Felice præſidente*; aliis vero Decretum ſub neutra formula promulgandum, annuente Felice, utraque dimiſſa eſt, & Decretum publicatum nomine Synodi. Baſileenſis itaque Synodus celebritatem ipſam in univerſam Eccleſiam invexit, nulla tamen ejus pervigilii, vel octo dierum mentione facta.

CLXXIII. Agit inter alios & de eo Feſto eruditiſſimus Edmundus Martene in Tractatu, *De antiqua Eccleſiæ diſciplina &c.* Verum, ut notat Pagius in Vita Urbani VI. Num. LXVI. diligentiam illius fugit, Gobelinum Perſonam, cujus ſupra meminimus, Officium de Feſto Viſitationis compoſuiſſe, quod Joannes XXIII. confirmavit; id enim expreſſe aſſerit ipſemet Gobelinus in Coſmodromo, ætate VI. Cap. XC. his verbis: *Ipſe*, nempe Joannes XXIII. *confirmavit, ſeu confirmari mandavit Hiſtoriam, ſeu Cantum, quam, vel quem ego anno præcedente*, idest, anno MCDIX. *de Feſto Viſitationis Beatæ Mariæ Virginis feceram; qui Cantus incipit*: Tecum principium. *Hoc fecit poſt coronationem ſuam infra ſex ſeptimanas, me in præſentia ejus conſiſtente*. Sed illud Officium, ſeu Cantus ſine dubio periit. Porro juxta Romani Breviarii Rubricas dicitur hodie hoc Officium ſicut in Officio parvo Beatæ Mariæ exceptis Antiphonis ad Veſperas, ac Laudes, ad *Magnificat*, & ad *Benedictus*, quæ ſunt propriæ, ſicut & Lectiones trium Nocturnorum, uti videre eſt in ipſo Breviario die 11. Julii.

CLXXIV. Porro quod dies 11. Julii præſtituta ſit celebritati Viſitationis Deiparæ, ratio eſſe poteſt, quia tunc, vel paulo ante Viſitatio finem habuit, & B. Virgo in domum ſuam rediit. Manſiſſe Mariam cum Eliſabetha, quam viſitavit, tribus menſibus, conſtat ex Evangelio S. Lucæ, Cap. 1. An manſerit uſque ad ortum S. Joannis, dubium eſt inter Scriptores. Licet autem Patres nihil de ea re dixerint, ſunt qui probabiliter aſſerunt, manſiſſe, nituntur que Venerabilis Bedæ teſtimonio, qui in memoratum Caput 1. Lucæ ita ſcribit: *Tandiu manſit Maria, donec Eliſabeth partus tempore completo Præcurſoris Domini ſui, propter quam maxime venerat, nativitatem videret*. Plura de hoc Feſto, ac de aliis multis, quæ per annum occurrunt, enarrat, docetque Sanctiſſimus Dominus noſter BENEDICTUS XIV. in ſuo Tractatu, *De Feſtis*, in quo nihil eſt, quod non redoleat eximiam pietatem, atque omnigenam eruditionem veteris, ac novæ Eccleſiæ diſciplinæ.

SESSIO XLIV. ET XLV.

CLXXV. Seſſione quadrageſima quarta, die IX. Auguſti habita anni MCDXLI. de Conciliorum tuitione deliberatum eſt, Sanctinque edita de reſtitutione in integrum eorum omnium, qui occaſione Concilii ſpoliati ſuis Beneficiis ſuiſſent, pulſis invaſoribus, & detentoribus auxilio brachii ſecularis. Seſſione tandem quadrageſima quinta & ultima, celebrata die XVI. Menſis Maji anni MCDXLIII. non vero anni præteriti, ut in Actis Concilii Baſileenſis apud Labbeum, & in Notis Binii legitur, ex Decretis Conciliorum Conſtantienſis, atque Baſileenſis ſtatutum eſt, ut proximum Generale Concilium infra triennium Lugduni, quam Civitatem Felix nominaverat, celebraretur; atque ideo omnibus Cardinalibus, Patriarchis, Prælatis mandatum fuit,

ut

ut ſtatuto tempore ad eum locum ſe conferrent; Felici tamen data facultate, ut ſtatutum terminum abbreviare poſſet. Declaratum præterea & illud eſt, haud diſſolutum cenſeri debere Concilium Baſileenſe, ſed potius illud continuandum, præſertim ſi Civitas Baſileenſis ſecuritatem hactenus Concilio conceſſam ſervaverit illæſam. Si quod tamen impedimentum intercederet, pro continuatione Concilii, declaratum fuit, ut in Civitate Lauſanenſi ejuſdem Provinciæ Biſuntinæ Concilium haberetur. Atque hic finis Concilio ipſi Baſileenſi, quamvis aliquæ poſtea Seſſiones ad pacem componendam Lauſanæ habitæ ſint, ſubſtiteritque Concilium uſque ad annum MCDXLVIII. quo anno, prævia obſidione Urbis, diſſolutum & diſſipatum fuiſſe, atque ex glorioſo principio humilem finem conſequutum fuiſſe, notavit jam inter alios in ſuo Citizenſi Chronico Paulus Langius.

CLXXVI. Porro in Seſſionibus Lauſanæ habitis nihil aliud memorabile actum invenitur, quam quod interceſſione Friderici Imperatoris, Felix ipſe V. antipapa ad pacem Eccleſiæ conciliandam ſuo ſe lubens pſeudopontificatu abdicavit anno MCDXLIX. Publicas ceſſionis tabulas exhibet Raynaldus ad eundem annum. Statuta Abdicatione, Patres Baſileenſes Lauſanam tranſlati, Synagogam cum honore ſepelire quærentes, Decreto facto VII. Kalendas Maji, quod recitat Wandeburchius, & Auctor Amedei Pacifici, atque ex his Spondanus ad prædictum annum MCDXLIX. auctoritatem ei impertire, conditioneſque apponere voluerunt; eas ſcilicet, quæ prius cum ipſo Felice conſtabilitæ fuerant. Cum videlicet pro ſacroſancta Lauſanenſi Synodo in Spiritu Sancto legitime congregata, ut fert Titulus, ſe gerentes, ac Felicem pridem, ut loquuntur, Papam Quintum, magnis, meritiſque laudibus extollentes, quod, cum olim ad Eccleſiæ perſecutione vexatæ ſubſidium evocatus, profuſa liberalitate, ſumma induſtria, exacta diligentia opitulatus ei eſſet, tanquam tranquillam populo Chriſtiano per ſuæ humilitatis excelſum medium concordiam reddidiſſet pariter, & pacem, eumdem propterea zelatorem Concodiæ, Paciſque Auctorem nominandum cenſentes, promeritiſque honoribus perſonam ejus proſequi cupientes: Sabinenſem Epiſcopum S. R. E. Cardinalem, Sedis Apoſtolicæ in Terris, & juriſdictionibus Ducis Sabaudiæ, aliiſque circumvicinis eodem Decreto deſignatis, Legatum, Vicariumque perpetuum declararunt; eidemque in ſancta Dei Eccleſia primum poſt Romanum Pontificem locum pro tempore conſtituerunt; ita ut ipſi ad ſuam præſentiam accedenti Pontifex aſſurgere teneretur, oris dumtaxat oſculo exhibendo: indulgentes præterea, ut Habitum, & Inſignia Papalia, demtis delatione Corporis Chriſti, Annulo Piſcatoris, Cruce in pedibus, ac Umbraculo, deferre poſſet, atque Inſignibus, & poteſtate Legati uti, quoties, extra terminos ſuæ Legationis egrederetur: denique, ut in Curia Romana, vel Generali Concilio perſonaliter comparere minime teneretur. Ita illi, quæ quanquam ab invitis extorta, ipſi nihilominus decreviſſe videri voluere: eademque poſtea Nicolaus V. qui Eugenio IV. defuncto mortuo anno MCDXLVII. in Pontificatu ſucceſſerat, Conſtitutionibus ſuis confirmavit.

CLXXVII. Ubi hæc Concordia audita eſt, inquit Platina in Vita Nicolai V. adeo lætatus eſt non modo Clerus omnis, verum etiam Populus Romanus, ut in ſequenti nocte ejus diei cum facculis per Urbem in equis incederent clamantes, *Vivat Nicolaus*. Pontifex autem ne ingratus erga Deum tanti beneficii videretur, ſupplicationes admodum celebres cum Populo, & Clero in Vaticano habuit. Idem fecere & reliqui Italiæ Populi tam pernicioſa ſciſſione liberatam Eccleſiam Dei cernentes. Denique decantatus tunc fuit ubique Verſiculus ille, quem multi referunt:

*Fulſit lux Mundo, ceſſit Felix Nicolao.*

Ceterum quod Conſtitutiones ſpectat Nicolai Papæ V. favore Felicis qui pſeudopontificatu ceſſerat, tres hæ planæ ſunt. Conſtitutione I. data Kalendis Julii anno MCDXLIX. promotiones omnes, electiones, confirmationes, proviſiones quarumcumque Eccleſiarum, ac Beneficiorum: conſecrationes, abſolutiones, diſpenſationes bonorum, jurium, ac ſubventionum Sedis Apoſtolicæ adminiſtrationes, & cetera tam juſtitiam, quam gratiam ſpectantia, ſeu in Foro contentioſo, ſeu in Foro conſcientiæ, in perſonis, & locis, quæ tempore conceſſionis obediebant Felici, aut congregatis Baſileæ, & Lauſanæ; nec non omnia & ſingula per Ordinarios in eiſdem locis eorum auctoritate facta, pro bono Pacis, & Unionis Eccleſiæ, de Apoſtolicæ Poteſtatis plenitudine approbavit, & confirmavit. Hec Conſtitutio Nicolai Papæ V. edita eſt poſt Seſſionem XLV. Concilii hujus Baſileenſis apud Labbeum Tomo XVII. editionis Venetæ.

CLXXIX. Altera Conſtitutione omnes perſonas cujuſcumque dignitatis, ordinis, & conditionis, quæ ratione adhæſionis Felici, & Concilio, Beneficiis, aut juriſdictionibus ab Eugenio IV. privatæ fuerant, in integrum reſtituit. Tertia denique quæcumque fuiſſent contra eoſdem Felicem, & Baſileæ, aut Lauſanæ congregatos, vel eis adhærentes, odioſe dicta, vel ſcripta, nulla & irrita declaravit, perindeque haberi, ac ſi nullatenus emanaſſent; eaque omnia ex Eugenii IV. Papæ Regeſtis, & aliis quibuſcumque locis expungi juſſit. Speciatim vero aliquos ex Cardinalibus (ut notant Spondanus, & Raynaldus, ac alii) ab eodem Felice Pſeudopapa creatis, una cum ipſo, & Ludovico Alamanno Arelatenſi dicto, de quo ſupra facta eſt mentio, quem ab Eugenio depoſitum reſtituit, in numerum ceterorum aſſumſit: videlicet Joannem Arſium Archiepiſcopum Tarantaſienſem, Ludovicum de Werambone Epiſcopum Maurianenſem, & Guillelmum Hugonis de Stagno Archidiaconum Metenſem, omnes Gallos: ceteri ab eodem creati, aut jam mortui erant, aut dignitatem abdicarunt. Inter quos Joannes Segobienſis Hiſpanus, Vir, ut Æneas Sylvius in Hiſtoria Europæ, Cap. XLIII. ait, moribus, & doctrina illuſtris, Cardinalatus dimiſſo titulo, Cæſarienſi Eccleſiæ præfectus, in altiſſimis reconditus montibus, parvo Monaſterio contentus vixit.

CLXXX. Plura de his rebus videri poſſunt apud Æneam Sylvium Piccolomineum, qui fuit poſtea Pius II. Papa, Lib. VII. Commentariorum, ubi inter alia de Felice V. hæc habet: *Cum manſiſſet per æſtatem, & quæ ſequuta eſt hiemem Baſileæ, nec Pontificatum ejus Chriſtiani Reges amplecterentur, ſequenti tandem vere in Sabaudiam rediit, & paulo poſt Concilium ex Baſilea ad ſe vocavit, cum Patres Edicto Imperatoris* (fuit



Digitized by Google

hic Fridericus III.) *illinc dejicerentur. Poſtremo cum jam ſe omnibus contemtui eſſe cerneret, nec ſpes ulla eſſet obedientiæ nanciſcendæ, mortuo jam pridem Eugenio, ac Nicolao Quinto ſuffecto, interventu Caroli Francorum*, nempe VII. *pacem Eccleſiæ dare decrevit*. Additque mox: *Renuntiavit Apoſtolatui, & Nicolao reconciliatus, quem verum eſſe Pontificem profeſſus eſt, Cardinalatum ab eo accepit, & Legationem quoad viveret, Cardinalis Sabinenſis appellatus, atque ita demum moriens apud Ripaliam ſepultus eſt. Felix & ſapiens habitus, niſi Pontificatum affectaſſe in ſenio fama fuiſſet*. Id plane de eodem Felice affirmat Raynaldus ubi ita ſcribit: *Defendit aliquandiu Amedeus Pontificiam cauſam in Baſileenſi Concilio, at ubi antipapatus ſpe titillari ſe ſivit, præcipuus ſeditioſorum concitator, & ſignifer Schiſmatis evaſit*. Laudat nihilominus antipapam iſtum Natalis Alexander in Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſeculi XV. & XVI. Diſſertatione VIII. Articulo VII. in fine, ubi etiam Raynaldum ſugillat, quod *Sacram Synodum Baſileenſem paſſim inſectatur Tomo xvij. Annalium Eccleſiaſticorum, quam Schiſmaticam, Conciliabulum Conventiculum, quod Evangelicam doctrinam depravabat, & Eccleſiaſticam Monarchiam a Domino conſtitutam evertebat, & Baſileenſes Patres Viros nequiſſimos appellare non veretur*.

CLXXXI. Quicquid ſit, docent plerique Auctores non modo recentiores Itali, ſed & antiquiores etiam ultramontani, ac præſertim Galli, uti alias notatum fuit, Concilium Baſileenſe, nec Œcumenicum, nec legitimum eſſe reputandum; quia ſcilicet neque Eugenius, neque ejus Legati Concilio ipſi adhæſerunt. Docet enim S. Thomas, eſtque hæc omnium Theologorum veterumque Scriptorum ſententia, quod ubi indubius Papa in Sancti Petri Cathedra ſedeat, definit Concilium eſſe Œcumenicum, ſi illi ſaltem per ſuos Legatos conſenſum non præbeat: *Sancti Patres in Conciliis congregati nihil ſtatuere poſſunt, niſi auctoritate Romani Pontificis interveniente; atque ut habet Gloſſa, Diſtinctione xvij. Cap.* Generalia Concilia, *Univerſale eſt, quod a Papa, vel ejus Legato cum omnibus Epiſcopis ſtatuitur*. Verba ſunt S. Thomæ in Opuſculo contra impugnantes Religionem, Capite IV. Sed, ut alia omittam, qui fieri poteſt, ut legitimum dici queat Baſileenſe hoc Concilium, in quo libera non fuerunt ſuffragia, ſed omnia ex quorundam furore ac rabie in Apoſtolicam Sedem peracta ſunt? Ita autem potiſſimum in ſtabiliendis Decretis contra Papæ auctoritatem, in Concilio Baſileenſi factum eſſe, teſtatur Cardinalis Turrecremata in Summa, *De Eccleſia*, Lib. II. Cap. C. ubi refert a furore hoſtium Sedis Apoſtolicæ dimanaſſe Decreta contra auctoritatem Romani Pontificis ſupra Concilia: *Nullus ſanæ mentis Vir, qui novit, cum quanta gravitate & modeſtia Fidei cauſæ tractandæ ſint, judicabit, eſſe Univerſalis Eccleſiæ conſenſu concluſa, & a Spiritu Sancto dictata, in quibus hujuſmodi factiones, & practicæ intervenerunt*. Aſſerit præterea iſte Auctor doctus æque ac Religioſus, omnique exceptione major, Decreta Papæ auctoritati adverſantia publicata fuiſſe in hoc Concilio *ad furorem quorundam hoſtium Apoſtolicæ Sedis cum multitudine populi parvi pretii, & nullius auctoritatis*.

CLXXXII. Celebre eſt & in hanc rem Æneæ Silvii, qui poſtea fuit Pius II. Pontifex Maximus, teſtimonium, qui in Oratione habita anno MCDLII. adverſus Auſtrales, quamque vulgavit præclariſſimus Ludovicus Antonius Muratorius de re Litteraria, & Chriſtiana, ac Catholica Eccleſia optime meritus Tomo II. Anecdotorum, refert, in hac Synodo Baſileenſi quædam Decreta ipſis coquis, & ſtabulariis perſtrepentibus facta fuiſſe: *Inter Epiſcopos*, ait, *cæteroſque Patres conſcriptos vidimus in Baſilea coquos, & ſtabularios Orbis negotia judicantes*. Quamobrem merito ſubdit: *Quis horum dicta, vel facta judicaverit Legis habere vigorem?* Idem Æneas poſtea Pius II. in Bulla Retractationis ingenue aſſeruit, Cardinales, qui Baſileam venerant, ob privatas inimicitias bono & ſancto Viro Eugenio IV. Pontifici notam inurere voluiſſe; ac multos doctiſſimos Viros, unaque ſanctitate præſtantes dixiſſe, ſcire ſe, Baſileenſes Spiritum Sanctum non habere. Qua ratione ii inimici eſſent Eugenii, refert laudatus Turrecremata apud Natalem Alexandrum in Hiſtoriam Eccleſiaſticam Seculi XV. & XVI. Diſſertatione VIII. Articulo IV. Numero VII. gratiſque is aſſerit, Turrecrematam deceptum fuiſſe, cum & de ipſis ſimultatibus, inimicitiiſque, ac odio contra Eugenium, idem memoratus Pontifex Pius II. qui in minoribus conſtitutus Baſileæ aderat, teſtetur.

CLXXXIII. Quamquam vero Pius ipſe in minoribus conſtitutus Baſileenſi Concilio adhæſerit, factus tamen Pontifex Maximus peculiari edita Conſtitutione antiquam ſuam retractavit ſententiam, & Baſileenſibus Decretis derogavit. Non me latet, Natalem Alexandrum ſequutum Maimburgum audacter aſſerere, humani aliquid paſſum fuiſſe Pium II. cum eam edidit Conſtitutionem, illudque addit Alexander in Hiſtoriam Eccleſiaſticam Seculi XV. & XVI. Diſſertatione VIII. Articulo IV. Pium ipſum veritatem de ſuprema Conciliorum auctoritate, quam in minoribus egregie defenderat, ad Pontificatum evectum ejuraſſe *abſque examine*. At vero, quam falſo prædicti Auctores ſenſerint, Pium mutaſſe ſententiam, cum conditionem mutavit, quia ſcilicet tunc e re ſua eſſe judicavit Romani Pontificis auctoritates extollere; ſatis profecto conſtat ex oratione, quam ante Pontificatum habuit adverſus Auſtrales, & quidem anno MCDLII. electus enim Pontifex fuit MCDLVIII. quamque publici Juris fecit præſtantiſſimum Italiæ, ac totius Litterariæ Reipublicæ Decus Ludovicus Antonius Muratorius Tomo II. Anecdotorum. Ex ea quippe Oratione ſatis dignoſcitur, jam ab eo tempore retractaſſe ſententiam, qua Baſileæ Papam Concilio ſubdiderat, potioremque Romani Pontificis auctoritatem agnoviſſe. Objicientibus igitur Auſtralibus a Judicio Romani Pontificis ad Generale Concilium appellaſſe, poſtquam reſpondit Æneas Sylvius, ab inferiore ad ſuperius tantum Tribunal fas eſſe appellationem interponere, ita ſubdit: *In caſu autem noſtro ab eo Judice appellatum eſt, qui nullum habet in Terris Superiorem. Nulla eſt igitur appellatio*.

CLXXXIV. Rurſus reponentibus Auſtralibus ipſis, Generale Concilium Papa eſſe dignius, & ſuperius, quod ita ſcilicet Generales Synodi Conſtantienſis, & Baſileenſis definierint, mox idem Æneas Sylvius hunc in modum reſpondit: *Nolumus hoc diſputationis ingredi pelagus, neque hos gryphos aggredi. Anceps quæſtio, & in utram-*

*utramque partem a prudentibus Viris arbitratum eſt. Utcumque ſit, conſtat, uno ſolum caſu certum, & indubitatum Pontificem ſubeſſe Concilio. Nam ſiquis in Apoſtolatu ſedens, in hæreſim labitur, mox Papatu excidit, minorque redditur quolibet Chriſtiano. Nec jam Papa dicendus eſt, ſi ſchiſmaticus eſt, aut eodem morbo laborat, aut in Papatu eſt dubius. Certus autem, aut indubitatus Pontifex, ut Conſtantienſe Decretum innuit, numquam deferri Concilio poteſt, niſi univerſalem Eccleſiam ſcandalizaverit.* Quanti deinde facienda eſſent exempla, quibus ea ætate a Papa ad Concilium fuerat provocatum, ita idem Scriptur ingenue ſignificavit: *Nec moveri debemus, quia diebus noſtris etiam in minoribus cauſis, & ad Conſtantienſe, & ad Baſileenſe Concilium vidimus appellari. Nam quæ fiunt extra ordinem, intempeſtive, temere, tumultuarie, neque Jus pariunt, neque vim conſuetudinis afferunt.* Ita Æneas Sylvius jam ab anno MCDLII. Papam Concilio ſuperiorem agnoverat, ab eoque anno jam poſſe negavit appellationem interponi a ſententia Papæ ad Concilium; interpoſitas vero appellationes temerarias, tumultuarias, ac intempeſtivas aſſeruit; atque in uno dumtaxat caſu Papam Concilio ſubeſſe affirmavit, ſi nempe hæreſis macula inquinaretur, quia ſtatim Papa eſſe ceſſaret. Non ergo tunc Pius, tunc ſuam mutavit ſententiam, quando ad Petri Cathedram evectus, dignitatis ſuæ poteſtatem extollendam eſſe, uti perperam Adverſarii opinantur, judicavit; nec ſua Conſtitutione *abſque examine* factus Pontifex ſententiam, quam Baſileæ propugnaverat, retractavit; cum vel ex dictis hactenus conſtet, non modo de ea retractanda ſententia jam antea cogitaſſe, ſed vere eam ante Pontificatum ſententiam retractaſſe.

CLXXXV. Porro factus Pontifex, & quidem anno MCDLVIII. XIV. Kalendas Septembris, retractationem enrum edidit, quæ pro Concilio Baſileenſi contra Eugeninm IV. Pontificem ſcripſerat, dum adhuc eſſet in minoribus, extantque ejus Litteræ in Bullario Romano, & apud Odoricum Raynaldum, Ludovicum Bail, & alios. Inter alia autem ita ſcribit: *Pudet erroris, pœnitet male feciſſe, & male dictorum ſcriptorumque vehementer pœnitet: plus ſcripto, quam facto nocuimus. Sed quid agamus? Scriptum & ſemel emiſſum volat irrevocabile verbum. Non ſunt in poteſtate noſtra ſcripta, quæ multas inciderunt in manus, & vulgo leguntur. Utinam latuiſſent, quæ ſunt edita. Nam ſi futuro in ſeculo manſerint, & aut in malignas mentes inciderint, aut incautas, fortaſſe ſcandalum parient. Qui hæc ſcripſit, inquient, in B. tandem Petri Cathedra ſedit, & Chriſti Salvatoris Vicariatum geſſit: ita ſcripſit Æneas, qui poſtea Summum Pontificatum adeptus, Pius II. appellatus eſt, nec invenitur mutaſſe propoſitum. Qui eum elegerunt, & in Summo Apoſtolatus vertice collocarunt, ab iis ſcripta ejus approbata videntur. Verendum eſt, ne talia noſtris aliquando Succeſſoribus objiciantur, & quæ fuerunt Æneæ, dicantur Pii, atque ab ea Sede auctoritatem vendicent, adverſus quam ignoranter latraverunt. Cogimur igitur dilecti Filii B. Auguſtinum imitari, qui cum aliqua in ſuis voluminibus erronea inſeruiſſet, retractationes edidit. Humilis, & probatiſſimi Vir ingenii, qui ſuas ineptias verecunde confiteri, & corrigere, quam impudenter defendere maluit. Idem & nos faciemus, confitebimur ingenue ignorantias noſtras, ne per ea, quæ ſcripſimus juvenes, error irrepat, qui poſſit in futurum Apoſtolicam Sanctam Sedem oppugnare; nam ſi quem decuit unquam Romani primique Throni eminentiam, & gloriam defendere, ac extollere, nos illi ſumus, quos ſine ullis meritis pius, & miſericors Deus ſola diſpenſatione ſua ad B. Petri Solium, & dilectiſſimi Filii ſui Domini noſtri Jeſu Chriſti Vicariatum evocavit. Quibus ex rebus dilectiones veſtras hortamur, & in Domino commonemus, ne prioribus illis ſcriptis inhæreatis, aut fidem ullam præſtetis, quæ ſupremam Apoſtolicæ Sedis auctoritatem quovis pacto elidunt, aut aliquid adſtruunt, quod ſacroſancta Romana non amplectitur Eccleſia.*

CLXXXVI. Pergit in ea Retractatione Pius Pontifex, cauſamque allegat, cur aliquando, cum nempe in minoribus eſſet, Baſileenſi Synodo adhæſerit, eamque totis viribus propugnaverit, ſic inquiens *Adverſus Concilii auctoritatem mutare aliquid, crimen hæreſis fuit. Una omnium vox, Concilium Eugenio præferebat. De Sedis Apoſtolicæ præcellentia, aut ſilentium, aut contemtus. Concilium cuncta ſonabant. Didicimus ergo quæ audivimus, & poſt aliquot annos exiſtimantes, nos aliquid eſſe, diximus, ut eſt apud Satyricum.*

Semper ego auditor tãtum? numquamne reponã?

*Puduit ſemper diſcipulum agere, ſubtraximus ferulæ manum, cœpimus loqui, & Magiſtri perſonam induimus. Scripſimus Epiſtolas, & Opuſcula: hoc omnibus paſſim datur: docti, & indocti ſcribunt, & quæ ſcripſit ipſe, nemo contemnit, niſi editionis fervorem tempus extinxerit: Nobis placebant ſcripta noſtra more Poetarum, qui Poemata ſua tanquam filios amant. Nec Baſileæ quemquam inveniebamus, qui ea damnaret. Probant enim ſimilia ſimiles, applaudebamus nobis ipſis, & in editionibus noſtris gloriabamur; & quamquam poſtea Eugenius Concilium in Italiam tranſtulerit, & cum Græcis Ferrariæ, ac demum Florentiæ convenerit: quamquam Julianus S. Angeli, & Joannes S. Petri Cardinales, quibus plurimum credebamus, ad Eugenium defeciſſent: quamquam pauciſſimi in fide Baſileenſi remanſiſſent; noluimus tamen credere, exiſtimantes, cunctos, qui abibant, metu recedere, ne bona temporalia perderent; & cum nihil haberemus, quod nobis auferri poſſet, perſeverandum putavimus, ne partem, quæ verior Nobis apparebat, relinquentes, detrimentum animæ faceremus. Manſimus igitur Baſileæ, quoad Eugenio, ut credidimus, juſto judicio depoſito, Amadeus Sabaudienſis ſuffectus eſt, & Felix Quintus appellatus, quem Nos non ut Idolum, quod erat, ſed tanquam verum Chriſti Vicarium venerati ſumus, nihil ad hæc ſiniſtri putantes interceſſiſſe.*

CLXXXVII. Hæc & plura alia Æneas Sylvius, retractans cum eſſet ſenex, & Pontifex Maximus, quæ junior ſcripſerat de Concilio Baſileenſi, quod licet initio quidem legitimum eſſet, non tamen in progreſſu, cum nempe illud Eugenius revocavit, & Ferrariam primum, ac deinde Florentiam tranſtulit, ut dicemus in Hiſtoria ſequenti, quæ eſt de Concilio Florentino, Œcumenico XVI. ac præſertim cum ipſa Baſileenſis Synodus Eugenium IV. legitimum Romanum Pontificem Maximum deponere auſa eſt;

tunc

tunc enim non ſolum fuit acephala, ſed etiam pene ad nihilum redacta, pluribus illam Epiſcopis in diem deſerentibus, ut Eugenium ſequerentur; quamobrem Æneas Sylvius jam longe ante Pontificatum in Epiſtola ſua x. ad Lupum de Portugal Legis Doctorem in hunc modum conquerebatur: *Mira rerum mutatio, qui ante favebant Concilio, jam impugnant, qui impugnabant, modo favent: luſus jam Eccleſia eſt, qualem de pila fieri videmus, dum huc atque illuc impellitur, luſorum ictibus percuſſa; pluribus, inquam, quotidie Ferrariam confluentibus: Presbyteri plures, quam Epiſcopi cum voce deciſivo in eo admiſſi ſunt, cum Concilia ſint Epiſcoporum juxta Decretum Concilii Chalcedonenſis:* Mitte foras ſuperfluos, Concilium Epiſcoporum eſt.

CLXXXVIII. Sed & idem Æneas ſuppreſſit jam duos Libros, quos de rebus ejuſdem Concilii ſcripſerat bona mente, longe alienus poſtea factus Pontifex a congratulationibus adulatoriis, quibus Univerſitatis Colonienſis Theologos proſequebatur in Dialogis ſuis de geſtis Concilii hujus Baſileenſis, ubi ita habet: *Allatus namque ad Nos eſt Tractatulus quidam veſter, quo imperitiam, vel verius dicam, temeritatem illorum arguitis, qui & ſubjectum Generali Concilio Romanum Pontificem, & Supremi Judicii Tribunal in Eccleſia eſſe diffitentur, quos ſic vincibus rationibus, & Scripturarum veritate premitis, & retunditis, ut nec tanquam lubrici angues ſe evolvere, nec in aliquo cavillori, aut ſibilare queant.* Hæc porro annotare libuit ex Scriptore Gallo Ludovico Bail Sacræ Theologiæ Doctore, & Protopœnitentiario Pariſienſi, qui hæc ipſa annotavit in Concilium Baſilienſe, enarrans Bullam Pii II. *in exemplum eorum, qui ſalivam, quam imbiberunt maleſanarum opinionum ſpuere nunquam volunt; qui utinam non eſſent in tanto numero, ut hæc ſcribere neceſſarium non eſſet.* Ita laudatus Bail.

CLXXXIX. Præclariſſimo huic Theologo adjungimus alium Scriptorem Gallum, & quidem celebrem Henricum Spondanum, qui ad annum MCDXLIII. de Baſileenſi Concilio ita ſcribit; *Hicque modum terminumque ponimus Concilio Baſileenſi cum ejus Actis, tam editis, quam ineditis, quæ viderimus. Quamvis enim adhuc tam ibidem Baſileæ, quam Lauſannæ utcumque ſubſtiterit uſque ad annum MCDXLVIII. parum tamen eſt, quod ab illo poſt præſentem annum geſtum reperitur apud Auctores: quom magis dixeris laceræ navis errationem, quam rectam velificationem, quouſque demum aura divina aſpirante, delata eſt ad tranquillum & tutum portum Sedis Apoſtolicæ.* Tum etiam mox ſubdit: *In quo quidem ſi excipias pauca quædam de Beneficiis, & de rebus cum Bohemis geſtis, reliqua omnia Acta illius talia ſunt, ut Lectori longe plus tædii, quam fructus afferant; & Eccleſiæ Dei plus abſque ullo dubio nocuerint, quam in aliquo profuerint; cum & illo etiam, quæ cum Bohemis compactata ſunt, ut illi vocabant, abierint in irritum; non permittente Divino Numine, ut qui ab Eccleſiæ ſuæ Capite diſciſſi eſſent, unionem cum aliis ſtabilire poſſent.* Atque hæc eſt omnium fere inſignium Theologorum, & Canoniſtarum veterum, ac recentiorum ſententia, exceptis aliquibus modernis, qui alicui addicti opinioni, cui patrocinata eſt, auctoritatemque ſuam præbuit Synodus Baſileenſis, eandem legitimam, & infallibilem prædicant. His omiſſis, unum ſupereſt, ut hoc loco deſcribamus ritus in Conſtantienſi, & Baſileenſi Conciliis ſervatos, quos recenſet in ſuo Cæremoniali Lib. I. Sectione XIV. Cap. V. Auguſtinus Patricius Epiſcopus Pientinus, qui ſub variis Romanis Pontificibus Maximis fuit Apoſtolicarum Cæremoniarum Magiſter, ac Pii II. Papæ familiaris, qui teſte Spondano ad annum MCDXXXIX. Librum de geſtis Concilii Baſileenſis ſcripſit, fuitque pars magna illius Concilii. Sic autem laudatus Patricius citato loco inquit.

CLXXXX. Primum omnes ad Concilium venientes ſive ſuo, ſive alieno nomine percurſores prærordinati, deſcribebantur: tum Patres omnes per quatuor Nationes dividebant, Italicam, Germanicam, Gallicanam, & Hiſpanienſem. In Conſtantienſi tamen Synodo, quia Hiſpani cum ſuo Benedicto XIII. diu in contumacia perſiſtentes, non affuerunt niſi in fine, Anglicana quartum locum obtinuit, quæ Baſileæ cum Gallicana eſt connumerata. Ex Nationibus pari ex unaquaque numero quatuor conventus creabant, quos Sacras Deputationes vocabant, locis, vocabulis, & poteſtate diſcretas; nam in prima de Fide Catholica, ſecunda de pace populi Chriſtiani, tertia de reformatione Eccleſiæ, & in poſtrema de aliis emergentibus negotiis agitabatur. Erant cuique conventui ſeparata tribunalia, & loca, in quibus convenirent proprii Magiſtratus. Præſidens, qui concionem advocaret, negotia proponeret, & ſecundum majoris partis ſententias concluderet. Promotor, qui tanquam Curator publicus ingereret negotia, inſtaretque, ut abſolverentur. Scriba, qui Geſta, Decretaque publicis documentis adnotaret. Nuncius deinde, ſive apparitor, qui Patres convocaret, citaret, Edicta proponeret, & ſimilia. Conveniebant hæc Collegia ter in hebdomada eiſdem horis in propriis Prætoriis, ubi re Divina perfecta rebus gerendis operam dabant. E quatuor deinde Sacris Deputationibus duodecim Virorum Collegium eligebatur, terni ex unoquoque conventu, & Natione, Viri doctrina, & experientia clari; ad hos negotia omnia primum deferebantur, qui rebus mature digeſtis, vel ea reſpuebant, vel, ſi admittenda videbantur, ad Collegium, cui competerent, remittebant; eratque his poteſtas, cum aliquid grave inſtaret, convocare quatuor conventus etiam extra ordinem. Ceterum, quæ a duodecim Virorum Collegio ad quempiam ex quatuor conventibus remittebantur, proponebantur per Præſidentem illius conventus, neque licebat illa die de propoſitis decernere, niſi res manifeſte celeritatem neceſſariam exigeret: quod major deinde pars ſtatuiſſet, ad alios tres conventus deferebat, eorum opinio cum rationibus, & argumentationibus utriuſque partis: quod per tres conventus approbatum erat, ad Præſidentem Concilii publicis documentis deferebatur, qui ſtatuto die in generali Congregatione de ea re referebatur neque licebat, Præſidentem de aliqua re agere cum Patribus in generali conventu, niſi prius de ea re deliberatum, ſive, ut ajebant, concluſum per quatuor, aut ſaltem per tres Deputationes. Demum ubi quippiam a Patribus approbatum erat in generali Congregatione, quæ octavo quoque die frequentabatur, in formam Decreti redactum in publica Seſſione ritu ſolemni ſtatuebatur.

HI-

# HISTORIA
## CONCILII FLORENTINI OECUMENICI XVI.

I. QUum Baſileenſis Concilii Patres Eugenium IV. Papam impeterent, nullumque non moverent lapidem, ut Græcos Baſileam, vel Avenionem allicerent ad ineundum de utriſque Eccleſiæ Latinæ, & Græcæ unione Tractatum, Eugenius ipſe ad propulſanda pericula Eccleſiæ, & Baſileenſium imminentia ſcandala, ſuum omne ſtudium, ac operam impendit, ut Græcis, Latiniſque Præſulibus in unam, Præſide Romano Pontifice Maximo, coeuntibus Synodum, Baſileenſe Conciliabulum diſſolveretur. Miſſis de ca re Conſtantinopolim Legatis, de ſumtibus Imperatori Græcorum Joanni Palæologo, ac Joſepho Patriarchæ Conſtantinopolino, aliiſque Eccleſiæ Græcæ Præſulibus, & nobilibus Viris in acceſſu redituque ſuppeditandis pactum eſt. Litteræ deinde liberi commeatus, ſeu ſalvi-conductus datæ ſunt ipſis ab Eugenio Papa, miſſæque Triremes, quæ Græcos Venetias adveherent. Concilium denique Baſileenſe ab eodem Pontifice Ferrariam translatum eſt Conſtitutione, quæ incipit, *Doctoris Gentium, data Bononiæ anno Incarnationis Dominicæ MCDXXXVII. Kalendis Octobris*, uti habetur in Actis Florentinæ Synodi Collectionis Horatii Juſtiniani. Kalendis ergo ipſis Octobris, qua die Seſſio XXVIII. Baſileæ habita fuerat, Eugenius de conſilio, & aſſenſu octo Cardinalium, qui ſecum erant, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Abbatum, ceterorumque Prælatorum in Curia exiſtentium, translationem Concilii Baſileenſis Ferrariam decrevit, locum Græcis gratum, in Decreto conventionis comprehenſum, ut jam diximus in Hiſtoria Baſileenſis Concilii, & ceteris omnibus commodum, ad quem Baſileenſe Concilium translatum declaravit, pro omnibus cauſis, pro quibus Baſileæ congregatum jam fuerat.

II. Cum vero Joannes Palæologus Græcorum Imperator, ac Joſephus Patriarcha Conſtantinopolitanus, cæterorumque Patriarcharum Vicarii, & Græci Præſules, ac Proceres Venetias appuliſſent ad diem VIII. Februarii anni MCDXXXVIII. ac Ferrariam acceſſiſſent, Eugenius alio Diplomate dato die IX. Aprilis, ejuſdem anni, quod incipit, *Magnæ profecto*, Œcumenicam Synodum Ferrariæ habendam decrevit. Interim vero ante Synodi ingreſſum orta lite inter Eugenii Papæ Legatos, & Epiſcopos Græcos de oſculatione pedum Pontificis, & urgentibus illis hoc obſequium omnino Papæ eſſe exhibendum, ita Joſephus Græcorum Patriarcha reſpondit: *Dicite, unde Papa hoc ſibi arroget? Quæ antiquorum Patrum Synodus, quis Canon hunc morem ei indulſit? Monſtrate mihi, ubi reperitur iſta conceſſio? In quo Codice ſcripta permanet, memorate? Et ſi ſe ſucceſſorem Divi Petri Papa venditet, quid ni & nos a reliquis Apoſtolis aſcendiſſe aſſeveremus? Num reliqui Apoſtoli ad Sancti Petri pedes oſculandos in genua procubuerunt? Quis hoc unquam audivit?* Legatis ad vetuſtam multorum ſeculorum, quibus & Epiſcopi, & cum Regibus Imperatores officium iſtud non recuſarunt, conſuetudinem provocantibus ſic denuo ille repoſuit: *Novitia eſt conſuetudo, qua me imbui, nunquam patiar. Quod ſi cupiat Papa, ut ſicut Fratres fraterno amore in mutuos ruamus amplexus, quemadmodum apud nos ab æterno invaluit conſuetudo, libentiſſime ad eum accedam; ſin ultra, quid poſtulare perſeveret; oro, me excuſatum habeat, revertar unde veni.* Etiam Antonius Heracleenſis & Doſitheus Metropolita Monembaſienſis pedem oſculari, imo & genua coram Eugenio flectere conſtanter recuſarunt; graviterque indignati ſunt duobus Bis-Conſulibus, quod illud obſequium Pontifici exhibuiſſent.

III. His ad Eugenium relatis, perſtitit hic in ſua ſententia, ut nempe ejus pedes Græci Epiſcopi oſcularentur. Verum propoſiti ſui tenax Græcorum Patriarcha Joſephus, ita iterum Legatos Pontificis ſuo, atque ſuorum Præſulum, & Procerum nomine alloquutus eſt: *Niſi Papa remiſerit mihi, meiſque Archiepiſcopis, & Crucigeris Proceribus hanc uſitatam exoſculandi conſuetudinem, immotam mihi hærebit, nunquam ex hac ſcapha in Terram deſcendere. Percipio enim hæc omnia a nobis adverſo Numine tentari, & Græcos ad Synodum in Latiale ſolum, dogmatumque eventilationem irato Deo coiiſſe, qui ideo hoc ſufflamen nobis injecit, ne in infinitam invidentiam, & contemtum rota noſtra procurreret. Actutum igitur volo me ad reditum accingere, dum adhuc in ipſo portu, ac prima arena conſiſto, priuſquam dedecore graviori, aut majoribus malis obruar.* Quibus permotus Eugenius omnem Patriarchæ addixit honorem, permittens, *ut quo velit modo ad ipſum accedat*. Rogavit tamen in clauſo Palatio coram ſolis id fieri Cardinalibus, ne ob tanta Papalis honoris ſpontanee admiſſa detrimenta Latinus Orbis offenderetur. Atque hinc factum eſt, quod in Prooemialibus Florentinæ Synodi Actis ſcribit quidam Græcus Metropolita: *In Palatium Papæ adſcendimus, & Patriarcha quidem ſtantis Papæ genam oſculatus eſt; nos autem ſedentis dexteram, & genam cum Officialibus: reliqui vero aut dexteram tantum deoſculati ſunt, aut profunda veneratione dumtaxat contenti fuerunt.* Quæ omnia in hujus Florentinæ Synodi Hiſtoria latius narrat Sylveſter Sguropolus, Lib. IV. Cap. XVIII. & ſequentibus.

IV. Græci igitur Papalis pedis oſculum, uti ſcitiſſime notat doctiſſimus Lupus in Canonem IX. Dictatus S. Gregorii VII. Tomo V. Operum editionis Venetæ, nequaquam damnarunt, ſed dumtaxat ab Epiſcopis, Metropolitis præſertim, & ipſo maxime Patriarcha noluerunt impendi; ut liquet ex Actis ejuſdem Synodi, ubi hæc habentur: *Ut cognovit Pontifex, Græcorum Imperatorem portæ eſſe vicinum, ſurgens deambulabat;*

Digitized by Google

*bat ; quo factum eſt, ut Imperator ſtantem illum reperiret. Volentem ergo genuflectere non permiſit Papa, ſed ſinu ſuo illum excepit ; cumque porrexiſſet manum, quam deoſculatus eſt Imperator, adſidere illum ſibi ad ſiniſtram voluit, Cardinales vero ad pedes eorum, ſalutationem in Chriſto peregerunt*. Græcorum Epiſcopi cunctos Epiſcopos dixerunt Fratres, & Apoſtolici Collegii ſucceſſores, ideoque tantam humilitatem alteri ab altero non deberi ; deoſculationem autem ipſam eſſe novitiæ adulationis abuſum. Sed hanc Græcorum aſſertionem egregie refellit Lupus, ubi citato loco plura ejus deoſculationis exempla recenſens, evidentiſſime oſtendit, ipſam Græcorum tergiverſationem omni caruiſſe fundamento. Quicquid ſit, eſſe iſtud obſequium Romano Pontifici debitum, omnis jampridem Eccleſia profitetur, variaque ejus diſciplinæ exempla occurrunt paſſim in Romanorum Pontificum Vitis, & apud alios Scriptores.

V. Interim quoque donec Synodus ritu ſolemni inchoaretur, celebris quæſtio de igne Purtorio, & de Sanctorum Beatitudine Græcos inter & Latinos agitata eſt ; habitaque multiplici collatione apparuit, haud magnam eſſe Nationis utriuſque circa ea dogmata diſſenſionem. Græci Purgatorii pœnas, & preces ad Animarum hujuſmodi pœnis addictarum liberationem, aut levamen utiles admittebant; at pœnas illas ignis cruciatu non definiebant, ſicut Latini. Animas levibus peccatis obnoxias, & quibus pœnarum aliquid luendum ſupereſt, in locum abire tenebroſum, in locum mœroris, in quo ad tempus in mœrore, pœniſque verſentur, divino lumine privatæ, Græci jam fatebantur: purgari vero, hoc eſt, a loco illo obſcuro, & afflictione liberari, & abſolvi precibus, & Sacrificiis Sacerdotum, ac eleemoſynis ; non autem igne. Animas porro Sanctorum jam quidem frui Beatitudine, ſed imperfecta, cum vero corporibus in Reſurrectione conjungentur, tum perfectam fore fruitionem, juxta Apoſtolum dicentem in Epiſtola ad Hebræos, Capite XI. Verſu XXXIX. *Et hi omnes teſtimonio Fidei probati, non acceperunt repromiſſionem*. Erant nihilominus inter Græcos, qui ſentirent, Sanctorum Animas interim in loco verſari ſeparato, ibique lætari, mente volventes cogitationem de perfecta, quæ ipſos manet, laureola, abſolutaque Beatitudine, & adeptione Regni Dei. Latini vero ignem Purgatorium multis Sanctorum Patrum teſtimoniis, & exemplis probarunt, necnon ex verbis Apoſtoli in Epiſtola I. ad Corinthios, Cap. III. *Hic autem ſalvabitur quaſi per ignem*. Poſt frequentes demum de Beatitudine Sanctorum Collationes declaratum fuit, *Sanctos conſequutos, & non conſequutos eſſe Beatitudinem. Animas quidem ut animas ad perfectam perveniſſe Beatitudinem: in Reſurrectione tamen perfectiorem eſſe conſequuturas cum propriis corporibus*.

S E S S I O I.

VI. Solemnes deinceps habitæ ſunt Seſſiones, ſexdecim quidem Ferrariæ, novem Florentiæ, quo translata Synodus eſt, cum peſtilentia Ferrariæ graſſaretur, itaut vigintiquinque Seſſionibus ad exitum perductum ſit celeberrimæ unionis Græcæ Eccleſiæ cum Latina negotium. Ergo juxta Eugenii IV. Papæ Decretum cœpit Œcumenica Synodus anno MCDXXXVIII. Ferrariæ haberi, dieque VIII. menſis Octobris, uti rem narrat Scriptor Græcus apud Labbeum Tomo XVIII. Venetæ editionis, coacti ſunt Patres non in Epiſcopalem Eccleſiam, ubi Synodus Œcumenica fuit indicta, ſed in Palatium Papæ, in Templum ſcilicet Palatii, quod ipſe valetudine impediretur : laborabat enim podagra, nec poterat Seſſiones in Epiſcopio celebrare. Cum tamen Templum illud ſatis eſſet amplum, apparatumque ad conventus ibi perpetuo faciendos ; non ſunt tamen in eo facti, ut dictum eſt, ſed in Templo Palatii, poſito eo ſedium ordine, & aquilonari latere aſſignato Latinis, quemadmodum fuerat jam conſtitutum. Præſidente igitur, Sedeque Imperatoris Alemanorum poſita, quod ipſe non adeſſet, vacua, ſedere Cardinales infra ad Occidentem, poſt eos Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Hegumeni pro ſuo quiſque ſtatu. Supra Papam Altare verſus ſedebant, non in ſedibus, aut ſcabellis, ſed in plano Notarii, & Primicerii, & quidam in Dignitatibus conſtituti. Ante vero Papam ad pedes ejus, & pro Sede Imperatoris ſederunt Equites, Marchiones, Comites, & Duces, Communiumque Oratores, tum Ariſtocraticorum, cum Democraticorum.

VII. Quod Græcos ſpectat, Auſtrale latus Ipſi habuere. E regione Papæ ſedebat Imperator Græcorum, Patriarcha vero inferior Papa quatuor fere palmis : ceterum ejus ſedes tametſi non eſſet æque edita, ac Pontificia, purpura tamen erat & ipſa ornata cum ſcabello purpureo ſimilis omnino Pontificiæ Sedi. Sederunt deinde Vicarii Patriarcharum ſuis in Sedibus, poſt eos Metropolitæ ſervato inter ſe ordine ; inde Hegumeni ; & in alio ſcamno e regione Patriarchæ Cruceſignati, & cum iis Viri quidam primarii. Supra Imperatorem ad Sacrarium ſedit in ſcabello Domnus Demetrius Frater Imperatoris ; deinde Optimates non in ſcabellis, ſed in plano, cum quibus erant Oratores Principum Orientalium. Porro in medio Templo Altare verſus ſederunt ex Latinis, qui diſputaturi erant numero ſex ſpectantes ad Occidentem. Ex parte vero Occidentali ſederunt de Græcis alii ſex ſpectantes ad Orientem, atque ad diſputantes. Super Altare autem propoſitus erat Sancti Evangelii Liber apertus medius inter Capitum thecas Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & cereis utrinque tribus appoſitis. Cum omnes tandem ſediſſent, ac præſertim diſputaturi Græci ac Latini, Beſſario Nicæn concionem habuit, qua Synodum laudibus ornavit, & ejus Præſides, quantum opus fuit, honoribus emulavit. Atque hæc ſunt, quæ de Seſſione I. Patrum, qui Ferrariam convenerunt, narrant Acta a Scriptore Græco exarata apud laudatum Labbeum citato Tomo XVIII. Conciliorum Venetæ editionis.

S E S S I O II.

VIII. Seſſione ſecunda Beſſarionem imitatus Andreas Rhodi Archipræſul cum Pontificis, Imperatoris, Patriarchæ, ac Synodi laudes eleganti oratione celebraſſet, in ſequentibus Seſſionibus diſputationes habitæ ſunt Græcos inter & Latinos, de quinque capitibus inter utramque Eccleſiam controverſis, nimirum de Proceſſione Spiritus Sancti a Patre & Filio ; de additione particulæ, *Filioque*, ad Symbolum ; de panis azymi, vel fermentati uſu pro materia Sacrificii; de Purgatorio, & de Primatu Romani Pontificis. Eccleſiæ Græcæ nomine diſputarunt Marcus Epheſius Metropolita, Iſidorus Ruſſiæ, Beſſario Ni-

Niceæ, Archiepiſcopi; Xanthopolus Sideropbas Magnus vaſorum Cuſtos, Balſamon Bibliothecarius, & Georgius Gemiſtus. Ex parte vero Latinorum, ut Acta Scriptoris Græci referunt apud Labbeum, Diſputatores fuere Nicolaus Albergatus Tituli Sanctæ Crucis, & Julianus Cæſarinus Tituli S. Sabinæ, Presbyteri Cardinales, Andreas Rhodius, ſeu Coloſſenſis Archiepiſcopus, Joannes Epiſcopus Forolivienſis, & duo Sacerdotes Monachi Theologiæ Magiſtri. Atque hos quidem Diſputatores Latinos recenſet Scriptor Græcus, cum tamen Andreas de Sancta Cruce Patricius Romanus, & Apoſtolici Conſiſtorii Advocatus, quique Concilio Florentino interſuit, in ſuis Diſputationibus unicum ponat Cardinalem, nempe Julianum, ac ceteros Latinos diſertius exprimat, prædictos ſcilicet, Rhodium, & Forolivienſem, Joannem de Monte Nigro Ordinis Prædicatorum, Petrum Perquerii Ordinis Minorum, & Joannem de Sancto Thoma Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Auguſtini.

IX. Hinc oritur non parva difficultas, quam attigit Spondanus ad annum MCDXXXVIII. Numero XXIX. quamque inſolutam reliquit. Etenim ſi æqua fides adhibenda eſt ambobus Actorum Concilii hujus Scriptoribus, ſequitur, ſeptem Diſputatores recenſendos eſſe ex parte Latinorum; quippe cum Scriptor Græcus, ut paulo ſuperius dictum eſt, in numero Diſputantium recenſeat Nicolaum Albergatum, & ſilentio prætereat Petrum Perquerii; Andreas vero de Sancta Cruce in eodem numero recenſet Petrum Perquerii, & nihil dicit de Nicolao Albergato. Natalis Alexander in Hiſtoriam Eccleſiaſticam Seculi XV. & XVI. Diſſertatione X. Articulo II. Num. II. amborum Scriptorum ſequutus hiſtoriam, hac difficultate preſſus ſeptem Diſputatores ex Latinorum parte recenſuit, nempe Cardinalem Albergatum, Petrum Perquerii, & alios quinque ſuperius nominatos, licet non ignoraret Vir haud dubie doctus, & in re hiſtorica ſumme verſatus ſex tantum hinc inde fuiſſe electos. Sed difficultatem hanc diluit Pagius in Vita Eugenii IV. Papæ, Num. CXXX. ubi ait, errorem eſſe in Scriptore Græco, qui in numero Diſputantium recenſet Cardinalem Albergatum, quem expungendum ex eo probat, quia ſcilicet, dum Ferrariæ eligebantur hinc inde Diſputatores, Nicolaus ipſe Nurimbergæ Legatum Eugenii agebat una cum Joanne Archiepiſcopo Tarentino, Joanne Turrecremata Ordinis Prædicatorum, & Nicolao de Cuſa, in Conventu, qui tunc ibi habebatur, ut inter alia de ea, quæ inter Eugenium Papam, & Baſileenſes vigebat diſcordia agerent.

X. Porro, uti idem Pagius notat, in alterum errorem lapſus eſt Scriptor Græcus, & poſt eum memoratus Natalis Alexander, ubi Epiſcopum Forolivienſem non Ludovicum, ſed Joannem nominant, non advertentes, Joannem de quo loquuntur, jam translatum fuiſſe a Forolivienſi Epiſcopatu ad Anconitanum die VI. Martii anni MCDXXXVII. & conſequenter ante celebrationem primæ Seſſionis Concilii; & Ludovicum ſimiliter de Epiſcopatu Sanguinenſi ad Forolivienſem die XIV. Junii ejuſdem anni. Atque hæc eſt cauſa erroris, quam refert Horatius Juſtinianus in Notis ad ſecundam Collationem Actorum in Generali Concilio Florentino. Quicquid ſit, omnibus conſedentibus, placuit Synodo Dialectico more fieri congreſſum, ut ſermonis prolixitas vitaretur. Surgens autem Beſſarion Nicenus, accepta facultate dicendi ab Imperatore, & Patriarcha, ut ait Scriptor Græcus citato loco apud Labbeum, apud quem extat ejus Oratio Græce & Latine exarata, invocavit Sanctiſſimam Trinitatem ad unionem, & conſummationem tanti operis, Eugeniumque Papam, uti dictum eſt, Imperatorem, Patriarcham, univerſamque Synodum laudibus ornavit de zelo omnium ad pacem Eccleſiæ conficiendam. Atque hæc ſpectant Seſſionem primam. In ſecunda autem Seſſione, quæ habita fuit die Sabbati ejuſdem menſis Octobris, nihil aliud actum eſt, quam quod, uti etiam ſuperius notatum fuit, Andreas Rhodius ex parte Latinorum imitatus plane Beſſarionem eleganti & ipſe Oratione, quæ & apud eundem Labbeum legitur, & apud alios Scriptores, Synodum encomiis celebravit.

SESSIO III. IV. ET V.

XI. Seſſio tertia die Martis XIV. Octobris celebrata eſt, in eaque de Romanæ Eccleſiæ charitate erga Græcos Andreas ipſe Rhodius præclare diſſeruit. Seſſio IV. aliæque ſequentes uſque ad duodecimam eodem menſe Octobris, & per totum menſem Novembris habitæ ſunt. Synodorum Generalium Definitiones lectæ ſunt Seſſione V. ut ex his fontibus argumenta ducerentur. Lectum eſt tunc primo Nicenum Symbolum, deinde Concilii Epheſini Decretum, alteram Fidem componi, aut proferri vetans Epiſcopis, & Clericis ſub pœna depoſitionis, Laicis vero ſub anathematis pœna. Tertio Definitio Synodi Chalcedonenſis. Quarto acclamatio Joannis Patriarchæ Conſtantinopolitani ex Actis V. Synodi Collatione ſexta. Quinto Symbolum Conſtantinopolitanum. Sexto Decretum Synodi Chalcedonenſis geminum Synodi Epheſinæ. Septimo fragmentum Epiſtolæ ad Eutychium Patriarcham Conſtantinopolitanum. Octavo Definitio Sextæ Synodi. Nono fragmenta Epiſtolarum Agathonis Papæ ad Imperatores. Decimo Septimæ Synodi Œcumenicæ Definitio. Ex quibus omnibus colligebat Marcus Epheſius præcipuus ex parte Græcorum Diſputator, eam additionem *Filioque* ad ipſum Fidei Symbolum fieri non potuiſſe, cauſamque Schiſmatis inter Græcos & Latinos fuiſſe.

SESSIO VI. ET VII.

XII. Seſſione ſexta, & ſeptima Andreas Rhodius Archipræſul ex parte Latinorum Diſputator fuſe docteque oſtendit, acceſſionem illus vocis *Filioque* ad Symbolum, jam non proprie eſſe additionem ad Symbolum ipſum, ſed tantum expoſitionem, & declarationem eorum verborum *Qui ex Patre procedit*, & conſequenter additionem quidem vetitam eſſe, non vero explicationem, & declarationem Fidei. S. Cyrillum in Epiſtola ad Joannem Antiochenum, quam allegabat Epheſius, immutationem ſolum, vel mutilationem Symboli Niceni prohibere, & ad ſenſum Epheſini Concilii intelligendum eſſe, ne altera Fides edatur. Porro Symbolum noſtrum, *& ſi voce aliqua variat, non tamen continere ſenſum diverſum, aut Fidem alienam, aut alienam intelligentiam*. Non ſpectare ergo ad nos Decretum illud prohibens. Alia tum addidit Rhodius in Concilii Chalcedonenſis Decretum; ſed obſervavit præterea Julianus S. R. E. Cardinalis, quod Rhodius prætermiſerat, Synodum nempe Chalcedonenſem dicere, *Nihil addentes, aut detrahentes, ſed declarantes, Spiritum Sanctum eſſe*

*Dominum &c.* Ex quo liquet, explanando, additionem non fieri, quod prohibet Lex. Hanc autem quæſtionem ita ſolvere S. Thomam Lib. IV. contra Gentes, Cap. XXIII.

XIII. Plura jam & in eandem ſententiam dicta ſunt Seſſione ſeptima, oſtenditque idem Rhodius Archipræſul, Romanam Eccleſiam ad exponendum Symbolum adjectione vocis *Filioque*, adductam fuiſſe *ex dictis Sanctorum Patrum, & maxime urgente neceſſitate*. Plura Sanctorum Patrum teſtimonia protulit, *Spiritum Sanctum etiam ex Filio procedere* aſſerentium. Ex Latinis laudavit S. Auguſtinum, quem *ſancta Quinta Synodus recepit*, qui & *Præſtantiſſimus* appellatur, Ambroſium quoque, Gregorium Magnum, & Hilarium. Ex Græcis vero SS. Athanaſium in Epiſtola ad Serapionem, Baſilium in Canonicis Epiſtolis, Chryſoſtomum in Homilia XXXVIII. in Joannem, Epiphanium in Anchorato, Cyrillum Alexandrinum contra Theodoretum, Maximum, & Anaſtaſium Sinaitam in Sermone, *De rectis Dogmatibus*. Oſtendit præterea, Romanam Eccleſiam ad explicationem hujuſmodi neceſſitate adductam fuiſſe, cum magnum videret imminere periculum, jamque Symbolum cum ea particula *Filioque*, in Hiſpaniis, & Galliis caneretur. Tunc temporis Græcos cum Romana Eccleſia conjunctos fuiſſe, nec ab ea propter additionem illam ſeceſſiſſe. Photium Romanæ Eccleſiæ hoſtem infeſiſſimum, qui in Nicolaum I. & Hadrianum II. acriter invectus eſt, nunquam illos accuſaſſe ob additamentum Symbolo factum, non eam itaque fuiſſe cauſam Schiſmatis.

XIV. Rurſus addidit Rhodius, *Sedem Sancti Petri ſolam eſſe, in qua poteſtas ſit explicandi Fidem: propter quod nunquam portæ inferi, hoc eſt, hæreſes prævaluere adverſus eam; imo ne attigerunt quidem*. Id deinde confirmavit Julianus Cardinalis ex Epiſtola Agathonis Papæ lecta in Synodo, in qua inter alia ita ſcribit: *Si ſilentio texero veritatem, quam erogare nummulariis juſſus ſum per illa verba*: Paſce oves meas, & Tu aliquando converſus confirma Fratres tuos. *Quandoquidem nobis incumbit neceſſitas docendi Chriſtianos, quæ pertinent ad veritatem*: Paulo ante: *Tota Chriſtianorum Eccleſia Catholica, & omnes univerſales Synodi fideliter amplectentes ejus doctrinam, & omnes Sancti Doctores, & Eccleſiæ luminaria in omnibus ejus doctrinam ſequuti ſunt &c.* Ex his autem colligit, *quoties de Fide aliqua oritur dubitatio, Romanum Pontificem debere, ac teneri illam declarare; atque illo docente, omnes Synodos, & Eccleſiam univerſam debere hujuſmodi veritatem ſequi*. Quæ hic ſtrictim, late habentur apud Labbeum citato Tomo XVIII. Seſſione VI. & VII.

SESSIO VIII. ET IX.

XV. Seſſionibus octava, & nona Beſſarion Nicenus refellere aggraſſus eſt, quæ a Cardinale Juliano, & Andrea Rhodio de additione facta Symbolo dicta erant. Nec intactum reliquit, quod de Romanæ Eccleſiæ poteſtate reſpectu additionis faciendæ Symbolo aſſeruerant: *De poteſtate autem*, inquit, *Occidentalis Eccleſiæ multa dicenda ſuppeterent, niſi aliud nobis eſſet propoſitum. Et ſcimus quidem, quæ ſint jura, & prærogativæ Romanæ Eccleſiæ, nihilominus ſcimus etiam prærogativæ ejus quot terminos habeant. Noſſe tamen volumus Reverentiam veſtram, u nobis facultatem hanc negari univerſali Eccleſiæ, & Synodo, vel etiam Œcumenicæ. Quoniam igitur quantacumque facultate polleat Romana Eccleſia, minus tamen Synodo Œcumenica & univerſali Eccleſia; ſi nos id univerſali negamus Eccleſiæ, multa magis negabimus Romanæ. Negamus autem non ipſi a nobis, ſed arbitramur hoc Patrum Decretis negatum.* Tum ad caput controverſiæ regreſſus, Patrum Decreta, quibus additio ad Symbolum prohibetur, univerſim intelligenda eſſe, vel de additione vocum, & ſyllabarum, aſſeruit. Unde hac quæſtione pulſavit Latinos: *Quærimus ergo ex vobis, Statuta hæc, & Interdicta ſpectant ad Fidem, an ad aliud quodpiam extraneum?* Hæc cum Beſſarion dixiſſet, Latini Diſputatores una cum Cardinalibus, & aliis quibuſdam ad Pontificem acceſſere, habitoque conſilio, *cum opus eſſet ad ea, quæ Nicenus propoſuerat, appoſite reſpondere, illi quidem nihil reſponderunt. Vix tandem vero Præſul Coloſſenſis ſermocinari aggreſſus nullum interrogationi congruum dedit reſponſum*. Verba ſunt Scriptoris Græci, qui hunc in modum ſcribit. Conſtat autem ex aliis Scriptoribus, qui Acta hujus Concilii exararunt, abunde, ac docte reſpondiſſe Latinos argumentis Græcorum.

SESSIO X.

XVI. Seſſione decima Ludovicus Forolivienſis Epiſcopus de eodem argumento diſſeruit, probans, eam particulam *Filioque*, non eſſe additamentum factum extrinſecus, ut Beſſarion dixerat, contineri quippe virtute in confeſſione Proceſſionis Spiritus Sancti a Patre, ſicut Novum Teſtamentum in Veteri continetur; cujus expoſitio propterea non dicitur, nec cenſetur additio. Triplicem ſubinde additionem ex S. Bonaventura diſtinguit; unam, cum id, quod adjicitur, contrarium eſt: alteram, cum diverſum eſt: tertiam, cum appoſitum conſonat. Prima eſt additio erroris, & hæreticorum, ut ſiquis diceret Patrem genitum, Filium ingenitum, Spiritum Sanctum a nullo procedentem. Secunda eſt additio temerariorum, nam temeritatis, & procacitatis eſt, in Fidei, & Sacræ Scripturæ veritatibus diverſum quid proloqui. Tertia additio eſt pia, & catholica; ſpectat enim ad doctrinam Fidei, cum explicet, quod implicitum eſt, ut ſi dicam in Divinis Patrem omnipotentem æternum; Filium conſubſtantialem, coæternum; Spiritum Sanctum procedentem, ſpiratum. Additiones duæ priores, quibus contrarium quid additur, vel diverſum, prohibentur comminatione pœnæ graviſſimæ Apocalypſis Capite ultimo: *Siquis appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in Libro iſto.* At vero tertia, qua id quod additur, conveniens, & congruens eſt, non prohibetur in Scripturis, imo laudatur, & promiſſum eſt ei præmium a Salvatore Lucæ Cap. X. *Et quodcumque ſupererogaveris, ego cum rediero, reddam tibi*. Porro in additione particulæ *Filioque*, neque contrarium, neque diverſum quid adjectum eſt, ſed Fidei, confeſſioni, & Symbolo Patrum congruum, & conveniens. Non eſt itaque additio prohibita, ſed explicatio permiſſa.

SESSIO XI. ET XII.

XVII. Seſſionibus undecima, & duodecima idem argumentum de additione vocis *Filioque* facta Symbolo, a Juliano Cardinale retractatum eſt, Marco Epheſio contra diſputante; pluribuſque egregie ac ſolide conatus eſt Julianus Decretum Epheſini Concilii alterius Fidei conſcriptio-

nem

nem vetans, quod Græci Latinis tantopere objiciebant, explicare; illud potiſſimum probans, non eſſe arguendum, vel increpandum, *qui addit, vel explicat, dum veritati, Fideique Catholicæ conſona proferat*. Re prolixe diſputata, in ipſa demum Seſſione duodecima idem Julianus inſtitit, ut quæſtione omiſſa, utrum nempe liceat quidquam Symbolo addere, accederetur ad Diſputationem de Spiritus Sancti Proceſſione, ea enim controverſia compoſita, facile fore, ut de poteſtate addendi Symbolo convenirent.

S E S S I O XIII.

XVIII. Seſſione decimatertia, quæ habita eſt die XXVII. Novembris prædicti anni Chriſti MCCXXXVIII. admiſſi in Synodum ſunt Oratores Ducis Burgundiæ, videlicet juxta Acta Græca Epiſcopi quatuor, unus Archidiaconus, duo nobiles Equites, & alii Monachi, ac Laici, qui Eugenium Papam ſalutarunt, deoſculantes ejus dexteram, & genam, præſente tum Imperatore Græcorum, tum omnibus Orientalis, & Occidentalis Eccleſiæ Patribus, præter Joſephum Patriarcham Conſtantinopolitanum, qui ob ægritudinem in lecto detinebatur. Inſalutato Imperatore, Litteras ad Synodum reddiderunt; verum Imperator rem indigne admodum tulit, & declaravit, quod niſi iterum Synodus conveniret, & Oratores Ducis debitum illi honorem deferrent, non amplius Synodo huic ipſe intereſſet, nec Synodus fieret.

S E S S I O XIV.

XIX. Seſſione decimaquarta poſt octo dies celebrata, compoſitum fuit negotium de exhibenda reverentia Græcorum Imperatori, cumque jam omnes conveniſſent die quarta Decembris, venerunt Oratores Ducis, qui licet eam Imperatori reverentiam, non, uti par erat, præſtitiſſent, tulit id tamen ſorti animo Imperator, juſſitque, Diſputantes ſermonem aggredi. Surgens itaque Marcus Epheſius conqueſtus eſt de nimia dicendi Latinorum facundia, atque ideo reſponſiones reddendas nuda propemodum affirmatione, vel negatione petiit. Julianus autem Cardinalis cœpit uni verbo mille opponere, & ſermonem de dicendi ubertate, & brevitate amplectenda adeo prolixum habuit, ut totum Seſſionis tempus conſumſerit, inquit Scriptor Actorum Græcus, licet in Collatione XII. Andreæ de Sancta Cruce reſponſiones memorati Cardinalis Juliani apte, & ad rem datæ ſint. Quiſnam autem fuerit iſte Scriptor Græcus Actorum Concilii Ferrarienſis, ſeu Florentini, Græce & Latine editorum, hactenus latere Eruditos, docet Pagius in Vita Eugenii Papæ IV. Num. CXXXIV. ubi etiam opinionem, ſeu conjecturas de ipſo Auctore hujus Concilii Actorum a variis Scriptoribus traditas abunde ſolideque reſellit.

S E S S I O XV.

XX. Seſſione decimaquinta habita die VIII. Decembris ejuſdem anni MCCXXXVIII. hortante Imperatore Græcorum Marcum Epheſium, ut loqueretur, aſſeruit, non eſſe licitum Symbolo vel vocem, vel ſyllabam addere. Sed non tacuit tunc Julianus Cardinalis, afferenſque in medium Epiſtolas, quas ſcripſit S. Athanaſius ad Marcum Romanum Pontificem S. Silveſtri ſucceſſorem, & ad Liberium ſucceſſorem Julii, ac ſimiliter Liberii Reſponſum S. Athanaſio datum, *Quod nulli liceat aliam Fidem proferre, quam quæ fuerat in Concilio illo*, Niceno ſcilicet, prolata, demonſtravit, neceſſe eſſe intelligere per *aliam Fidem, contrariam Fidem*. Verum cum deficeret tempus, Synodus dimiſſa eſt. Cœperunt tunc quidem Græci tædio affici, & de reditu in Patriam cogitare. Sed rogatus a Latinis Palæologus Imperator, eos in ſtudio procurandæ utriuſque Eccleſiæ Unionis confirmavit. Porro cum Marcus Epheſius vocem illam *Filioque* reponi ſeorſim in Definitione peteret, non vero in Symbolo, contendentibus Latinis, nec in Symbolo, nec alibi eam vocem reponendam, ſi comperta fuiſſet blaſphema; ſi vero pia, atque Catholica, ubique recipiendam, & maxime in Symbolo Fidei neceſſariam: Latinis adhærens Imperator, poſtulavit unde ordienda eſſet Diſputatio, num Spiritus Sanctus procederet ex Patre, & ex Filio. Annuere Græci, hoc publice quidem non examinandum eſſe, ſed privatim per aliquos ad ſermones nimios evitandos; & decretum fuit, quod eligerentur duodecim ex Latinis, totidemque ex Græcis ad diſquirendum, utrum Spiritus Sanctus procederet ex Patre, & ex Filio.

XXI. Inter hæc cogitabat Eugenius Pontifex de transferenda Florentiam Synodo ob graſſantem Ferrariæ peſtilentiam; ab Autumno etenim ad hanc uſque diem peſte, & improviſa morte vexabantur Ferrarienſes. Recuſabant profecto Græci eam Synodi translationem, ſed Imperatoris auctoritate ſedati, tranſacta ea lege res eſt, ut I. nempe Pontifex in menſes octo ſubſidia Conſtantinopolim mitteret. II. ut commeatus Græcis ſuppeditaturus eſſet. III. ut Florentiam, & non alio pergerent. IV. ut Synodus quatuor omnino menſium ſpatio terminaretur, & tum denique ipſis recedendi poteſtas foret. Conſtant hæc ex Synodi Actis, fuſiuſque narrantur a Spondano, Raynaldo, aliiſque Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scriptoribus ad annum MCDXXXVIII. & ab iis, qui de Florentina Œcumenica Synodo ſcripſere.

S E S S I O XVI.

XXII. Seſſione itaque decimaſexta, quæ ultima fuit Ferrariæ habita die X. Januarii anno Domini MCCXXXIX. Decretum de Synodi translatione publicatum eſt, Latine quidem ab Antonio Epiſcopo Portugalenſi, & Græce a Mitylinenſi his verbis: *Eugenius &c. ex hac & nonnullis aliis cauſis, conſentientibus cariſſimo Filio noſtro Joanne Palæologo Romanorum Imperatore, & Venerabili Fratre noſtro Joſepho Patriarcha Conſtantinopolitano, Sacro approbante Concilio, ipſam Œcumenicam, ſeu Univerſalem Synodum ab hac Civitate Ferrarienſi ad Civitatem Florentinam omnibus manifeſte liberam, ſecuram, pacificam, & quietam, aeriſque ſalubritate lætantem, & ad quam inter Tyrrhenum, Hadriaticamque mare optime ſitam, ab Orientalibus, & Occidentalibus commode accedi poteſt, harum ſerie, in Nomine Sanctæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus Sancti ex nunc transferimus, & tranſlatum eſſe decernimus cum his plenis ſecuritatibus, & ſalvis conductis, quos initio hujus Sacri Concilii præbuimus &c. Datum Ferrariæ in Seſſione publica in Eccleſia Majori ſolemniter celebrata anno Incarnationis Dominicæ* MCCXXXVIII. qui nobis eſt MCCXXXIX. ut adnotavit Pagius, IV. *Idus Januarii, Pontificatus noſtri anno* VIII. Porro die XI. ejuſdem menſis Januarii dati ſunt ab Eugenio Papa Græcis ſumtus, ut Florentiam pergerent, Conſtantinopolim vero miſſa ſunt undeviginti aureorum millia ad Urbem illam ad-

verſus Turcas munieudam, Narrant Auctores, pro hiſce expenſis accepiſſe Eugenium a Florentinis quadraginta nummorum aureorum millia, Mitra ſua in piguus oblata, aliaque quadraginta millia pollicitos eſſe Florentinos Eugenio donare, ſi ad ſuam ipſorum Civitatem Generalem hanc Synodum transferret.

XXIII. Trauslata Synodo ab Urbe Ferrariæ Florentiam juxta Decretum in præcedenti Seſſione XVI. promulgatum pluribus tradit Græcus Actorum hujus Concilii Scriptor, magna pompa Eugenium Papam iter paraſſe, ac peregiſſe verſus prædictam Florentiæ Urbem. Sequutus eſt inter alios Scriptorem Græcum Andreas Victorellus in Notis ad Ciaconium in Vita Eugenii IV. ubi ita ejuſdem Eugenii ab Urbe Ferrariæ ad Urbem Florentiæ profectionem deſcribit: *Die Januarii* XVI. *Pontifex e Palatio exivit pompa non vulgari: duodecim equi albi phaleris, operimentiſque nobilibus inſignes parati erant: unus arculam ſacroſancta munera continentem deferebat: alteri Eugenius Mitra, & pretioſo Pluviali ornatus inſedit: Viri ad* L. *pedeſtres cereis facibus Divinam Eucbariſtiam venerabantur: ipſe etiam Pontifex multis cereis comitatus erat: Marchio Urbis Dominus Pontificii equi frenum manu tenens, ejuſque filius pedibus incedebat, donec Eugenius Ferraria egrederetur: Cardinales, & Epiſcopi hinc inde equeſtres ſequebantur: exercitus etiam præcantium & ſequentium.* Verum S. Antoninus Parte III. Tit. XXII. Cap. XI. loquens de eo Eugenii itinere, refert tentatas fuiſſe illi ab hoſtibus inſidias, ut eum caperent, eiſque detectis, declinaſſe Eugenium a via recta, & altera inſueta aſſumta periculum evaſiſſe. A quibuſnam hoſtibus ſtructæ fuerint Pontifici inſidiæ, S. Antoninus non dicit; ſed exiſtimat tamen Spondnus, earum inſidiarum auctorem fuiſſe vel Philippum Ducem Mediolanenſem, vel Alphonſum Aragoniæ Regem, quos Eugenius adverſarios patiebatur. Quicquid ſit, paulo ab Eugenii adventu, Imperator Græcorum Palæologus, & Joſephus Patriarcha Conſtantinopolitanus cum Doctoribus ſuis, ac Proceribus diverſis diebus menſis Februarii memorati anni MCDXXXIX. Florentiam pervenerunt, cum magna ſolemnitate in eam Urbem ingreſſi, honorificeque in diverſis manſionibus collocati fuere.

XXIV. Florentiæ habita eſt Synodus in Cœnobio S. Mariæ Novellæ Fratrum Ordinis Prædicatorum, de quo Ferdinandus Ughellus in ſua Italia Sacra, ubi agit de Archiepiſcopis Florentinis in Joanne Veliternenſi hæc habet: *Hoc eodem anno MCCXXI. vj. Idus Novembris præſente Raynaldo Epiſcopo Cardinali Oſtienſi Apoſtolicæ Sedis in Hetruria Legato, Fratribus Ordinis Prædicatorum Joannes Eccleſiam S. Mariæ Novellæ dono dedit, Canonicis Cathedralis, totoque Cleri Capitulo aſſenſum præbente, quam pro toto Fratrum Collegio, Divoque Dominico recepit Ubaldinus Prior. Sederant ii primum non longe ab Urbe in Ripolana planitie apud Oratorium a Deus dedit Florentino Cive extructum, ubi cum ad menſes paucos manſiſſent, intra Urbem ab Epiſcopo, Civibuſque evocati apud Eccleſiam S. Pancratii Martyris, mox ad S. Pauli Ædem, inde ad S. Mariæ Novellæ migrarunt; ubi ampliſſimum Cœnobium, Templumque venuſtiſſimum cœptum eſt ædificari a. B. Joanne Salernitano Sancti Dominici Diſcipulo, qui cum duodecim Fratribus primus in hanc Urbem eum appuliſſet, Ordinem Sanctum ſummopere illuſtravit, ibidem MCCXXV. ad cœlum emigravit, jacetque ſumma religione in eadem Eccleſia, cujus iſta ſubſcriptio in marmoreo ſepulcro ſpectatur.* Affert mox Ughellus eam inſcriptionem, ſubditque, de hoc Cœnobio S. Mariæ Novellæ, tanquam ex equo Trojano illuſtres Viros in omni genere prodiiſſe.

## SESSIO XVII.

XXV. Seſſione itaque decima ſeptima, quæ prima fuit Florentiæ celebrata die XXVI. Februarii prædicti anni MCDXXXIX. poſt diuturnum inter Imperatorem & Julianum Cardinalem colloquium conventum eſt, ut Græci de modo ineundæ concordiæ inter ſe conferrent, eumque proxima Seſſione in medium afferrent, ſed eo ab ipſis minime invento, conſilium de vitandis publicis Seſſionibus, & de privata Diſputatione poſtulanda inierunt, ſeptemviris ad eam pro ſua parte delectis, videlicet trium Patriarcharum abſentium Vicariis, Antonio Heraclenſi, & Gregorio Protoſyncello Alexandrini, Iſidoro Rutheno, & Marco Epheſio Antiocheni, Joſichæo Monembaſienſi Hieroſolymitani, Beſſarione Niceno, & Dorotheo Mitylenenſi, cum facultate differendi, & transigendi cum totidem Latinis Theologis de Quæſtionibus propoſitis. Cum hæc nuntiata fuiſſent Eugenio, viſum eſt illi, non expedire anguſtam hanc petere viam, ſed ſatius fore, rem publice agi, ſicuti hactenus Ferrariæ factum fuerat: *Quoniam*, ajebat, *diſputare vultis, nec ullum a vobis medium reperitur, ut promiſeratis; deligite perſonas, quod & nos faciemus: abeat vero dies Sabbati, & Feria ſecunda Generalis habeatur diſputatio, uti noſtra ſententia examinetur.* Itaque indicta eſt Seſſio XVIII. ad diem Lunæ ſecundam menſis Martii.

## SESSIO XVIII. XIX. XX. XXI. XXII. ET XXIII.

### *De Proceſſione Spiritus Sancti.*

XXVI. Cum ergo publica de Quæſtionibus controverſis Diſputatio laudato Eugenio Papæ magis placuiſſet, de Proceſſione Spiritus Sancti a Patre & Filio inter præſtantiſſimum Theologum Dominicanæ Familiæ Alumnum, ac Provincialem inclytæ Provinciæ Lombardiæ, quæ celeberrimis ſemper ejuſdem Ordinis Prædicatorum Theologis, Scriptoribuſque abundavit, & Marcum Epheſium Seſſionibus XVIII. XIX. XX. XXI. XXII. & XXIII. erudite acerrimeque de ipſa Spiritus Sancti a Patre & a Filio Proceſſione diſputatum eſt; ac primo quidem de ſignificatione vocis, *Proceſſio*. Quibus vero ex fontibus ducenda ſint in hac materia, & in omnibus Quæſtionibus Theologicis argumenta, & quæ eſſe debeat Diſputationis ratio, laudatus Theologus Dominicanus in primis expoſuit, ſic inquiens: *Videtur illud inter nos conſtare debere, Sacræ Scripturæ Teſtimonia, Sanctorumque Patrum, quos ſecundo loco Eccleſia recipit, ſententias in his Diſputationibus afferendas, habenda eſſe veluti quoſdam terminos noſtræ Diſputationis, quos traſgredi non liceat, aut Argumentanti, aut Reſpondenti. Hoc enim a Sanctis docemur Patribus, præſertim vero ab Agathone Papa*, in Epiſtola ſcilicet, quam ad Conſtantinum cognomento Pogonatum Imperatorem, & ad Sextam Synodum ſcripſit, in qua de ſuis Legatis hæc habet: *Quibus & Teſtimonia aliquorum Sanctorum Patrum, quos hæc Apoſtolica Sancta Eccleſia ſuſcipit, cum eorum Libris tradidimus, ut facultatem ſuggerendi a Sereniſſimis*

Digitized by Google

*ſimit Imperatoribus conſequanti, ea bis dumtaxat ſatisfacere ſtudeant*. Idem colligit ex Synodi Chalcedonenſis alloquutione ad Marcianum Imperatorem, ubi ſermo fit de celebri S. Leonis Magni Papæ Epiſtola ad Flavianum.

XXVII. His præmiſſis, probavit mox Joannes de Monte Nigro, Spiritum Sanctum etiam ex Filio procedere, allatis Sanctorum Baſilii & Epiphanii Teſtimoniis, illius quidem ex Libro I. contra Eunomium, hujus vero ex Anchorato, ac præterea S. Athanaſii Oratione IV. contra Arianos. Diligenter jam expenſa fuere hæc Patrum loca ab eodem Joanne Theologo, & mſſ. Codices excuſſi, unus præſertim ſuorum pluſquam ſexcentorum optimæ notæ in membranis eleganter deſcriptus ante Schiſma, quem Nicolaus de Cuſa Conſtantinopoli attulerat. Ex quo Marci Epheſii confutata calumnia eſt ajentis, Baſilium a Latinis additione hujus loci interpolatum fuiſſe ſicuti & ipſum Symbolum, in quo legebatur, *Spiritum Sanctum procedere a Patre & Filio*. Porro non ſilendum quod S. Antoninus refert citato Titulo II. Cap. XI. qui præſens his Seſſionibus fuit, & quod tacet memoratus toties Scriptor Græcus Actorum hujus Concilii: *Inductæ ſunt*, ait S. Antoninus, *auctoritates multorum Doctorum, & præſertim Baſilii, qui in Libro ad Eunomium*, de Spiritu Sancto, *expreſſe aſſerit, Spiritum Sanctum procedere non ſolum a Patre, ſed a Filio; & cum Reſponſalis*, nempe Marcus Epheſius, *jam non haberet, quid diceret, ſubterfugium quæſivit, negans, hoc Baſilium in eo Libro ſcripſiſſe, ſed mendoſe interpretatum, cum in Codicibus ſuis Græce ſcriptis ſecum delatis hoc minime reperiretur. Adducti ſunt plures Codices Baſilii ad Eunomium Græce exarati, quorum aliqui erant apud Græcos, alii penes Latinos noſtros Græci ſermonis peritos; & cum in noſtris, & aliquibus Græcorum de Conſtantinopoli adductis liquide haberetur, Spiritum Sanctum ex Patre & Filio procedere, deprehenſa eſt malitia Græcorum, quod ſcilicet corruperant Scripta Baſilii, Filium ſubtrahendo in ipſa Proceſſione, & cum Imperator Græcorum diceret, in partibus ſuis plurimos haberi tales Libros Baſilii Græce ſic continentes, & illis paucis tunc in medium adductis non ſtandum, reſpondit Dominus Cardinalis*, nempe Julianus ei Diſputationi præpoſitus: *Domine Imperator, cum decreveritis ad certamen venire, oportuit Magnificentiam veſtram arma veſtra vobiſcum adducere, non in certamine ipſa expectare*. Addit mox idem S. Antoninus: *Sicque Græci confutati fuere, & devicti. Huic Diſputationi præſens fui*.

XXVIII. Tum idem Joannes de Monte Nigro Scholaſticis ratiociniis ex Sacra Scriptura, & Sanctorum dictis, quæ, ut ipſe inquit, *principiorum obtinent locum*, depromtis Epheſium Græcum mirum in modum conſtrinxit; exponenſque demum, quomodo Pater & Filius unum ſint Spiritus Sancti Principium, Græcis abunde ſatisfecit: *Nos*, ait, *qui ſequimur Apoſtolicam Sedem, unam nominavimus cauſam Filii, ac Spiritus, Patrem. Nam ab initio Prædicationis Apoſtolorum, Fides noſtra fulget Sole ſplendidius, ſermo enim Domini ad Principem Apoſtolorum Petrum*, Portæ inferi non prævalebunt adverſus eam, *non præteriit, nec præteribit. Namque unicum fulcimentum, ac fundamentum omnibus Chriſtianorum Eccleſiis eſt Romana Eccleſia, quippe quæ germanam habet pietatem, clauditque, & obſtruit omne hæreticam os loquens in excelſo iniquitatem. Idcirco non credit duo principia, vel duas cauſas, ſed unum principium, & unam cauſam. Eos vero, qui aſſerunt duo principia, vel duas cauſas, anathematizamus*. Atque hæc cuidam S. Maximi Epiſtolæ prorſus conſona Græci invenerunt, uti inter alios qui de Actis Synodi hujus ſcripſere notat Natalis Alexander in Hiſtoriam Eccleſiaſticam Seculi XV. & XVI. Diſſertatione X. Articulo II. Num. VIII. in fine.

## SESSIO XXIV. ET XXV.

*Sequitur eadem tractatio de Proceſſione Spiritus Sancti.*

XXIX. Seſſionibus vigeſimaquarta, & vigeſimaquinta, habitis diebus XXI. & XXIV. menſis Martii prædicti anni MCDXXXIX. abſentibus Marco Epheſio, & Antonio Heracleenſi (præceperat enim illis Imperator Græcus cui Unio cordi erat, ejuſque viam invenire volebat, ne convenirent, quod nimis contentioſe rem agerent) laudatus toties Joannes de Monte Nigro Prædicatorum Ordinis, imo & Eccleſiæ eximium decus, Sanctorum Patrum teſtimonia Proceſſionem Spiritus Sancti ex Filio probantia exponere perrexit, ſcilicet Leonis Magni, Gregorii itidem Magni, Ambroſii, Hieronymi, Auguſtini, aliorumque Occidentalium; tum vero ex Orientalibus, Baſilii, Epiphanii, Cyrilli Alexandrini, atque aliorum loca expreſſa, & convincentia rurſus inculcavit; collatiſque utriuſque partis Libris, ac habitis pluribus privatis colloquiis, tam Græcorum inter ſe, quam Latinorum cum ipſis Græcis, & factis inſuper inter Eugenium Papam, & Palæologum interloquutionibus, pacis, atque unionis conciliandæ ſpes affulſit, eam ſuadentibus Beſſarione Niceno, & Iſidoro Rutheno, Archipræſulibus. Diſputationibus finem imponere Græcis viſum eſt, noſtrorum Theologorum argumentis, & triumphante jam per illos veritate victis. Tum Niceno, & Rutheno, aliiſque a Græcorum Synodo a ſe miſſis Eugenius ita loquutus eſt: *Quatuor ſunt, quæ vobis proponuntur. Primo, ſi ſatisfactum vobis eſt per clariſſimam, & evidentem demonſtrationem, qua demonſtravimus ex Scripturis, Spiritum Sanctum procedere ex Patre & Filio, bene: ſin minus, dicite, de quo ambigatis, & qua ex parte illud non recipitis, ut remedium adhibeamus, & evidenter, perſpicaeque probemus, Proceſſionem hanc vere etiam eſſe ex Filio. Secundum, ſi habeatis ex Sacris Scripturis auctoritates contrarium aſſerentes eis, quæ dicuntur a Nobis, ut eas proferatis. Tertium, ſi habeatis valida Scripturæ loca, quibus probetur, melius eſſe, magiſque pium, quod vos tenetis, quam noſtrum Dogma. Quartum, ſi hoc non vultis, conveniamus ſimul, fiatque Synodus, conficiat Sacrum Sacerdos, jusjurandum demus Latini pariter & Græci: proferatur libere veritas per juramentum, & quod pluribus videbitur, hoc amplectamur & nos & vos: jusjurandum enim apud Chriſtianos non fallitur*.

XXX. Narrant hæc Acta Florentini Concilii apud laudatum Labbeum, ex quibus etiam habemus, quod audita Alloquutione Eugenii, Græci ſtupefacti dixerunt: *Quid reſpondeamus ad hæc non habemus. Nam quod ad primum attinet, non deſunt Sancti, qui Spiritum Sanctum etiam ex Filio procedere aſſerant: quam dubitationem afferre non poſſumus? Quod ad ſecundum: Et quinam*

*nam Sancti ſunt, qui Sanctis hoc aſſerentibus adverſentur? Nos dicere non poſſumus, Sanctos inter ſe contraria ſentire. Quod ad tertium: Quomodo probare poterimus, Dogma noſtrum eſſe melius, & magis pium, quam Dogma Latinorum? Nam & noſtrum pium eſt, utpote a Patribus traditum; ſed non minus pium eſt & illorum Dogma, cum illud etiam, qui aſſerunt, ſint Sancti Patres. Quod ad quartum: Ut juremus in pretioſum Corpus, & Sanguinem Chriſti: & quæ alia Synodus hoc fecit, ut idem & nos faciamus? Neque ad hoc eſt ulla reſponſio.* Id tamen reſponſi ad Summum Pontificem perferri juſſit Imperator: quatuor nempe propoſita capita ad unum ſpectare, nimirum ad Diſputationem. Res enim, de qua dubitatur, judicio indiget, & probationes ad judicium pertinent; ſed & jusjurandum dicitur, quod per illud vera judicantur: Græcos autem nequaquam velle judicare, & judicari, ſed contentionibus, diſputationibus, probationibus, teſtimoniis, juramentis, ex quibus nullus fructus ſperandus eſſet, ſepoſitis, alium Unionis modum tentare, aut in Patriam reverti.

XXXI. Poſt hæc, ut ex Actis Seſſionis xxv. quæ apud Labbeum, & alios Conciliorum Collectores extant, notat inter alios Natalis Alexander in Diſſertatione x. ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam Seculi xv. & xvi. Articulo iii. ſeorſim congregata Orientalium Synodo, Beſſarion Nicenus Orationem Dogmaticam habuit de Unione in decem capita diſtinctam, eruditione, & eloquentia ſplendidam, qua multis de neceſſaria Sanctorum Patrum conſenſione, & concordia in Dogmatibus Fidei, de locorum in ſpeciem pugnantium conciliatione, & obſcuriorum per clariora explicatione præclare dictis; eorumdem Patrum, cum Græcorum, tum Latinorum teſtimoniis approbat, Spiritum Sanctum etiam ex Filio procedere. Notata autem digna eſt hæc Beſſarionis ſententia: *Videmus Univerſalia cuncta Concilia, Patreſque in eis congregatos, de Dogmatibus propoſitis, non humanæ ſapientiæ perſuaſionibus, non artificio verborum, non rationibus naturalibus, non denique ſyllogiſmis uſos fuiſſe, ſed auctoritate dumtaxat; nudaque ipſa verba ſuperiorum Doctorum, qui eos tempore prævenerunt, tanquam rectam regulam, gloriam veritatis ſequutos fuiſſe; & per ea quaſcumque de Fide quæſtiones terminaſſe, Sanctorum Patrum veſtigia ſequendo. Quare neſcio quid de noſtra Fide ſapere liceret, ſiquis concedat poſſe hoc inconveniens Patribus imputari. Si enim Fidei noſtræ Principes non eadem omnes, ſed alii quidem invicem, alii ſibi ipſis contradicant, Fides autem noſtra in illorum rationibus fundetur: inanis eſt ergo prædicatio noſtra, inanis eſt Fides noſtra. At magna ſtultitia eſt, cogitare etiam talia de illis Spiritu plenis hominibus.* Cum Beſſarion his finem perorandi feciſſet, Gregorius Scholarius tres Orationes pro Unione deliberativas Græcorum Synodo obtulit, quæ & una cum aliis ad calcem Actorum hujus Florentini Generalis Concilii editæ ſunt apud memoratum Labbeum.

XXXII. Græcorum plurimis ad Unionem propenſis, uti ex hujus Concilii Actis narrant Raynaldus, Spondanus, Natalis Alexander, Pagius, aliique complures, Imperatorem inter & Summum Pontificem convenit, ut Decemviri ex utraque parte eligerentur, qui de modo Unionis ſimul deliberarent. Latini duos ex omnibus Ordinibus elegere, ſcilicet ex Cardinalibus, Metropolitis, Abbatibus, Theologis, & Presbyteris. A Græcis decem Metropolitæ deputati ſunt ad nutum Imperatoris. In primis Congregationibus de Proceſſione Spiritus Sancti a Filio actum eſt. Latini mox declarationem in ſcriptis Deputatis Græcorum tradiderunt, qua *Spiritum Sanctum procedere ex Patre & Filio, ut ab unico Principio* aſſerebant, & anathema dicebant aſſerentibus duo Principia, vel duas cauſas. Declaratione ſimili Græci reſponderunt, qua fatebantur quidem, *Fontem, ac radicem Filii & Spiritus eſſe Patrem: Floreſque, ac divina germina Patris eſſe Filium, ac Spiritum, juxta S. Cyrillum, & primam Synodum, & Baſilium Magnum: Filium emittere, & ex ſe ſcaturientem effundere Spiritum; atque a Filio emitti, profluere, & effundi Spiritum Sanctum.* Hæc vero Græcorum declaratio Latinis haud ſatis explicata viſa eſt, quod hæc verba, *ſcaturire, profluere, emitti, effundi*, ambigua ſint, & ad temporalem Spiritus Sancti effuſionem referri poſſint.

XXXIII. Habitis deinde pluribus congreſſibus, & colloquutionibus, cum nec inter ſe Græci, nec cum Latinis in omnibus convenirent, Georgius Scholarius Vir ſapientiſſimus, & Senator ampliſſimus, & ob egregia merita Patriarchicis Infulis poſtmodum ornatus Imperatorem adiens, poſtquam in frequenti Græcorum Præſulum conventu de auctoritate, & infallibilitate Conciliorum, ac nominatim Œcumenici hujus Florentini Concilii diſſeruit, maximum ad Unionis concluſionem pondus adjecit, ubi juxta Sanctorum Patrum Occidentalium, & Orientalium conſenſum ſe credere profeſſus eſt, *Spiritum Sanctum ex Patre & Filio*, ſeu, quod idem eſt, *ex Patre per Filium procedere; & Patrem ac Filium eſſe unum Principium Spiritus Sancti: anathemati ſubjiciens eos, qui duo ponant principia, vel qui perſonalem Patris & Filii diſtinctionem illibatam non ſervant.* Cum Scholarius diſceſſiſſet, lectis rurſus in Græcorum Synodo Patrum Orientalium teſtimoniis, rogatæ ſunt ſingulorum ſententiæ. Joſephus Patriarcha Conſtantinopolitanus, qui adhuc morbo detinebatur, & in cujus Domum Græci omnes una cum Palæologo Imperatore convenerant, primus omnium loquutus, *Spiritum Sanctum procedere ex Patre per Filium æternaliter, & ſubſtantialiter tanquam ab uno Principio, & cauſa*, profeſſus eſt; ſeque *Sanctos Occidentales ſuſcipere aſſerentes, Spiritum Sanctum eſſe ex Patre & Filio*; dummodo id Orientalis Eccleſiæ Symbolo nec adjiceretur; nec ejuſdem Eccleſiæ Ritus convellerentur, ſed illis ſalvis Unio fieret. Acta hæc ſunt die xxx. Maji prædicti anni MCDXXXIX.

XXXIV. Secundum hæc, ſuam & Imperator ſententiam protulit hunc in modum: *Ego præſentem hanc Sanctam & Generalem Synodum nulla ex parte inferiorem exiſtimo omnibus antehac celebratis. Nam etſi illæ Patrum numero, qui convenerunt, huic ſuperiores fuerint, necnon virtute multum antecelluerint, Cyrillo, ac Gregorio Theologo illuſtres redditæ, aliæque aliis Doctoribus, nihilo tamen ſecius, & hanc Sanctam eſſe arbitror, & venerandam; neque minori hanc quam illas obſervantia proſequor.* Tum vero paulo poſt: *Quoniam igitur ſequi debeo ſententiam Synodi, majoriſque ejus partis, necnon defendere, quod fuerit ſancitum a pluribus juxta*

*mo-*

*morem in antiquis Conciliis ſervatum, pronuncio, me hujus ſacræ Synodi, pluriumque ejus Patrum conſtantiſſime ſequi ſententiam, velleque eam modis omnibus defendere in perpetuum, tum ob prædictas cauſas, tum quia cenſeo, ſanctam Eccleſiam in ſacris Dogmatibus nullo modo poſſe errare, communi, ac Synodica conſideratione utentem. Unus quippe, aut duo, vel tres, aut plures ex hominibus nunc exiſtentibus, privatam adhibentes conſiderationem, fieri poteſt, ut errent; ut univerſam Dei Eccleſiam, de qua Dominus dixit ad Petrum;* Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam, *communiter errare, omnino eſt impoſſibile; alioquin & ſermo Salvatoris evanuit, & Fides noſtra debili fundamento eſt nixa.* Concludit autem ſic: *Sed quoniam utrumque abſurdum eſt, iccirco & Eccleſiam Dei neceſſe eſt nullo poſſe capi errore, & nos eam, ejuſque ſententiam omnino ſequi, & me ante omnes, & tenere, ac defendere ipſam, hoc poſito, ut neque ſacro noſtro Symbolo quicquam addere Latini nos cogant, neque ex Ritibus noſtræ Eccleſiæ aliquid immutetur.*

XXXV. In eandem ivere ſententiam Ruthenus, Nicenus, Mitylenenſis, Rhodius, aliique Græci Præſules. Porro poſt recitatam Imperatoris ſententiam Iſidorus Ruthenus Antiocheni Patriarchæ locum tenens, dicta Patrum Occidentalium ſuſcipienda dixit, profeſſuſque eſt, *Spiritum Sanctum habere eſſe ex Filio, & Patrem, & Filium unum eſſe Principium Spiritus Sancti.* Beſſarion quoque Nicenus idem ſentiens, Concionem habuit, evidenterque probavit, Chriſtiano homini eſſe impoſſibile ſalutem conſequi, niſi confiteatur, *Spiritum Sanctum eſſe ex Patre & Filio* Verum Marcus Epheſius, Antonius Heracleenſis, Dofitheus Monembaſienſis, & Sophronius Anchialenſis reluctati ſunt ſententiæ hujus Unionis jam conſtitutæ; dicebantque, ſe nullo modo adduci poſſe, ut credant, *Filium eſſe cauſam Spiritus Sancti, neque Spiritum Sanctum procedere ex Patre & Filio tanquam ab uno Principio.* Ceterum in ſententiam Imperatoris, uno refragante Marco Epheſio, iviſſe varios Præſules, Gregorium Magnum Protoſyncellum locum tenentem Patriarchæ Alexandrini, & ex Hegumenis Pachomium Hieromonachum, poſteaque etiam acceſſiſſe Cyzicenum, Trapezuntinum, Heracleenſem, atque Monembaſienſem, qui prius maxime repugnaverant, in memoratis Florentini hujus Concilii Actis laudatus toties, ut alios omittam, Scriptor Græcus aſſerit.

XXXVI. His itaque geſtis die tertis Junii, feria quarta convenerunt Græci cum Imperatore in Patriarchæ Joſephi ægrotantis domum, & coacta totius Orientalis Eccleſiæ Synodo, ſic loquutus eſt Imperator: *Ego ex anteactis conventibus omnium veſtrum deprehendi ſententiam, quando & noſtram protuli poſt ſacrum Patriarcham: Jamque video, a pluribus, & potioribus haberi Latinos pro inculpatis, & ab omnibus pariter ſumi præpoſitionem,* Per, *loco,* Ex, *Quoniam ergo plures convenitis, & omnes dicta Sanctorum Occidentalium ſuſcipitis aſſerentium,* Spiritum Sanctum etiam ex Filio procedere, *major etiam pars ſcripſit undius tertius, & ſententiam ſuam dedit; dico, rogandos eſſe & alios, & plurium ſententiam prævalere.* Rogatis ſingulorum ſententiis, cuncti, uno excepto Marco Epheſio, uti dictum eſt, conſenſere, Spiritum Sanctum, procedere ex Patre & Filio, ut ab uno Principio, & una ſubſtantia, atque procedere per Filium ut connaturalem, & conſubſtantialem: procedere ex Patre & ex Filio, ut per unicam ſpirationem & productionem. Scripta tum demum fuere tria exemplaria, quorum unum ad Papam miſerunt, alterum Imperator accepit, tertium Patriarcha.

*De variis controverſiis Latinas inter & Græcos agitatis.*

XXXVII. Unione facta quoad præcipuum Dogma, quod erat illud de Proceſſione Spiritus Sancti a Patre & a Filio, terminandæ erant Quæſtiones illæ, de Purgatorio igne, de Principatu Romanæ Eccleſiæ, de Fermentato & Azymo, & de Divino Sacrificio Miſſæ. Sed die IX. Junii memorati anni MCDXXXIX. poſt ſolis Occaſum Joſephus Patriarcha Conſtantinopolitanus a vita migravit, qui tamen ante obitum cum a cœna in ſuam ædiculam ſeceſſiſſet, propria manu Fidei profeſſionem hunc in modum ſcripſit: *Joſeph miſeratione divina Archiepiſcopus Conſtantinopolis novæ Romæ, & Œcumenicus Patriarcha. Quoniam ad finem vitæ meæ perveni ſoluturus jam commune debitum, Dei gratia ſcribo, & ſubſcribo ſententiam meam aperte univerſitati meorum filiorum. Omnia igitur, quæ ſentit, & quæ dogmatizat Catholica & Apoſtolica Eccleſia Domini noſtri Jeſu Chriſti ſenioris Romæ, ipſe quoque ſentio, & iis me acquieſcentem do, & dico. Profiteor quoque Beatiſſimum Patrem Patrum, & Maximum Pontificem, & Vicarium Domini noſtri Jeſu Chriſti antiquæ Romæ Papam ad certam omnium Fidem, nec non Purgatorium animarum. In horum quippe fidem ſubſcriptum eſt die menſis Junii nono, milleſimo quadringenteſimo trigeſimo nono, Indictione* II. Ritu Græco cum ampla funeris pompa ſepultus eſt in Templo S. Mariæ Novellæ Ordinis Fratrum Prædicatorum. Ceterum in recitata Fidei profeſſione, ut recte notant Spondanus ad annum MCDXXXIX. Num. X. Pagius in Vita Eugenii IV. Num. CXLIV. non ex arrogantia, ſed ex ſimplici conſuetudine titulum illum *Œcumenici* inanem, a ſuis Prædeceſſoribus perperam uſurpatum, adjeciſſe videtur Joſephus, quem prudenter toleravit Eugenius, ne Græci inde offenſionis publicæ occaſionem ſibi dari putarent. Porro ejus funeri tunc Cardinales omnes interfuiſſe tradit Spondanus ad memoratum annum Chriſti MCDXXXIX. Num. X. Cui Maffeum Vegium hujus temporis Poetam Laudenſem non ignobilem, Epitaphium verſibus imparibus edidiſſe, docet in ſua Europa Æneas Sylvius, Cap. LIV. quod tamen non extat in Vegii Operibus, in quibus deſunt Epigrammata, quæ Trithemius inter ejus Opera recenſet. Diligentior Andreas de Cruce qui aderat, hoc refert Joſephi tumulo inſcriptum Epitaphium.

*Eccleſiæ Antiſtes fueram, qui magnus Eoæ*
*Hic jaceo magnus religione Joſeph.*
*Hoc unum optaram, miro inflammatus amore,*
*Unus & Europæ cultus & una fides.*
*Italiam petii, fœdus percuſſimus unum.*
*Junctaque Romanæ eſt me duce Graja fides.*
*Nec mora, decubui, nunc me Florentia ſervat,*
*Qua nunc Concilium floruit Urbe ſacrum.*
*Felix qui tanto donarer munere vivens.*
*Qui mererer voti compos & ipſe mei.*

XXXVIII. Quod alias quæſtiones ſpectat ante obitum quidem Patriarchæ propoſitas, ſed non-

nondum agitatas, vocavit poſtridie Eugenius Ruthenum, Nicenum, Trapezuntinum, & Mitylenenſem Archipræſules, quibus poſtquam is ſuum ob Patriarchæ obitum mœrorem ſignificavit, maxime ob ſanctum Unionis opus, in quod ille bene eſſet affectus, ita de aliis Quæſtionibus, quæ agitandæ relinquebantur, dixit: *Nos Dei beneficio ſumus conjuncti, & convenimus in præcipuo Dogmate, de quo ambigebatur. Age nunc de Purgatorio quoque igne, & Principatu Primæ Sedis, & de fermentato, & azymo, deque Divino Sacrificio dubitationem agitemus, ut uſquequaque vitium omne tollatur. Deinde Unio confeſtim fiet.* De materia Sacrificii primum actum eſt, convenitque panem triticum, ſive azymum, ſive fermentatum, legitimam eſſe Sacrificii, & Sacramenti Euchariſtiæ materiam. Porro varias de materia Euchariſtiæ Quæſtiones egregie exponit, reſolvitque eruditiſſimus Jueninus in ſuo Commentario Hiſtorico & Dogmatico, *De Sacramentis*, Diſſertatione IV. Quæſtione II. Cap. I. Articulo IV. ubi per varios Paragraphos diſcutit, I. An Chriſtus panem azymum pridie mortis conſecraverit? II. An tam in azymo, quam in fermentato Conſecratio valeat? III. Utrum cuique pro libito panem azymum, aut fermentatum conſecrare liceat? IV. An Occidentales Eccleſiæ quovis ſeculo pane azymo uſæ fuerint? V. An omnes Orientales Eccleſiæ fermentatum ſemper adhibuerint, & nunc etiam adhibeant?

*De Purgatorii igne.*

XXXIX. Purgatorii Quæſtionem quod attinet, fidem ſuam expreſſerunt Græci his verbis: *Sanctorum animas perfectam in cælis adeptas eſſe coronam, quatenus animæ ſunt; Peccatorum animas perfecte luere pœnas; medias autem eſſe in loco tormentorum credimus; ſed ſive ignis ſit, ſive caligo, ac turbo, ſive quid aliud, non contendimus.* Controverſia ea erat de Purgatorio inter Latinos, & Græcos, quod Latini profitebantur ipſam purgationem fieri per ignem, quem vocant purgatorium, prolatis ad hoc Apoſtoli verbis, qui in Epiſtola I. ad Corinthios Cap. III. inquit: *Uniuſcujuſque opus quale ſit, ignis probabit.* Et infra: *Ipſe autem ſalvabitur ſic tamen quaſi per ignem.* Græci vero verba Apoſtoli ex Chryſoſtomi interpretatione aliorſum trahentes, Purgatorium, non ignem, ſed obſcurum quendam locum, ac laborum plenum eſſe cenſebant, tametſi ſub finem Synodi, Quæſtione renovata, de ea re contendere noluerint, ut patet ex loco paulo ſuperius recitato, ubi de Purgatorio ita loquuntur: *Sed ſive ignis ſit, ſive caligo, ac turbo, ſive quid aliud, non contendimus.* Unde in ipſa hujus Synodi concluſione tantum dicitur, eorum, qui in caritate Dei ante condignam ſatiſfactionem deceſſerint, animas pœnas Purgatorii poſt mortem purgari.

XL. Quamvis autem neque in hoc Florentino, neque deinde in Tridentino Conciliis, in quibus de Purgatorio actum eſt, quicquam de ejus igne definitum fuerit, conſtans tamen fuit, & ea eſt, ut inter alios ſcite obſervat doctiſſimus Eſtius in Libri IV. Sententiarum Diſtinctione XXI. §. V. Latinorum ſententia, purgatorium ignem eſſe, licet ibi ſit & obſcuritas, & turbo, ſeu inquietudo quædam. Inde enim eſt, quod Fidelibus defunctis in Canone Miſſæ precatur non modo *locum refrigerii* contra ardorem ignis, verum etiam *lucis*, & *pacis* contra obſcuritatem & turbinem. Id quod etiam habetur in Oratione Miſſæ, quæ ſolet dici in Anniverſario Defunctorum. Precatur enim in ea Oratione Eccleſia, ut Deus det defunctorum animabus *refrigerii ſedem, quietis beatitudinem, & luminis claritatem.* Porro præter recitatum Apoſtoli locum in Epiſtola I. ad Corinthios Cap. III. cujus maxime probabilem interpretationem eſſe de purgatione animarum poſt mortem, Theologi paſſim oſtendunt, etiam ea, quæ habentur in ejuſdem Apoſtoli Epiſtola ad Hebræos Cap. X. hanc Latinorum ſententiam non parum confirmant. Ibi enim nominatur *terribilis quædam expectatio judicii, & ignis æmulatio, qui conſumturus eſt adverſarios.* (Sic quippe habet Græca verſio ejus loci) ideſt, tormentum ſimile, ac ſimiliter excrucians cum igne infernali. Unde mox ſubjungitur: *Horrendum eſt incidere in manus Dei viventis.*

XLI. Et ſane notandum, quod etiam paſſim Theologi docent, licet nempe vocabulum ignis in Sacris Litteris ſæpe generaliter gravem afflictionem ſignificet, ut in Pſalmo LXV. *Tranſivimus per ignem, & aquam*, attamen ad tropum non eſſe abſque neceſſitate recurrendum. Quare ſicut ex eo, quod eſt Matthæi Cap. XXIV. *Ite in ignem æternum*, & aliis locis ſimilibus, Eccleſia ſentit, in Inferno verum, & corporeum eſſe ignem, licet de natura, & conditione ejus non perinde conſtet: ita ex eo, quod Apoſtolus ignem vocat id, quo purgantur defunctorum animæ, recte colligunt Patres, longo agmine a laudato Eſtio allati citato loco, §. I. in Purgatorio verum eſſe ignem; atque hanc Patrum ſententiam agnoſcere licet in omnibus eorum locis, in quibus ea Apoſtoli verba in Epiſtola I. ad Corinthios, Capite III. ad animarum Purgatorium ignem referunt. Sic & alibi loquitur Auguſtinus, præſertim vero in Pſalmum XXXVII. apud quem etiam de gravitate ejus pœnæ hæc extat ſententia: *Dicitur*, Ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem. *Et quia dicitur*, ſalvus erit, *contemnitur ille ignis. Ita plane quamvis ſalvi per ignem, gravior tamen erit ille ignis, quam quicquid poteſt homo pati in hac vita &c.* Ex profeſſo plane agit de eo igne S. Gregorius Libro IV. *Dialogorum*, Cap. XXXIX. Et ut alia ejuſdem S. Patris loca omittam, ſcribit in Pſalmum III. Pœnitentialem, Purgatorii illum tranſitorium ignem omni tribulatione præſenti eſſe intolerabiliorem. Ob has autem, & hujuſmodi Patrum ſententias Theologorum omnium Princeps S. Thomas, atque Eccleſiæ Doctor ſentit, minimam Purgatorii pœnam graviorem eſſe maxima pœna hujus ſeculi.

XLII. De Primatu Papæ ut nunc agamus, ita plane dixerunt Græci: *Ut quæcumque habebat ab initio, & ante Schiſma Privilegia, rurſus hæc ipſa habeat*; non ita tamen, ut appellationes ad eum fierent ab aliis Sedibus Patriarchalibus, aut facultas ei eſſet celebrandi Synodos Œcumenicas abſque Imperatore, & Patriarchis, quorum Privilegia in omnibus ſalva eſſe petebant. Poſtulantibus ſubinde Græcis, ut Latinorum Præſulum, vel Theologorum aliquis de azymo, & de Primatu Romani Pontificis coram tota Synodo diſſereret, Eccleſiæque Romanæ ſententiam breviter exponeret, ſelecti ſunt, ac deputati a Summo Pontifice duo inclyti Ordinis Prædicatorum alumni, ac Viri eximia doctrina inſignes, Joannes de Monte Nigro Provincialis

Lom-

Lombardiæ, & Joannes de Turrecremata, qui fuit poſtea S. R. E. Cardinalis; & ille quidem de Romani Pontificis Primatu, hic vero de materia & forma Conſecrationis luculenter diſſeruit, extantque utriuſque Orationes in Actis Florentini hujus Concilii a Viro clariſſimo Horatio Juſtiniano conſcriptia.

*De verbis quibus Euchariſtia conficitur.*

XLIII. His diſcuſſis, agitata eſt Quæſtio de verbis, quibus Euchariſtia conſecratur, quæſitumque eſt a Latinis, quomodo Græci, prolatis Chriſti verbis, *Accipite, & comedite, Hoc eſt enim Corpus meum, quod pro vobis frangitur in remiſſionem peccatorum*; & illis: *Bibite ex hoc omnes, Hic eſt enim Sanguis meus novi & æterni Teſtamenti, myſterium Fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*; & ſacris donis per hæc verba ſanctificatis, hanc poſtea Orationem addunt: *Et fac panem quidem hunc pretioſum Corpus Chriſti tui: quod autem in Calice iſto eſt, pretioſum Sanguinem Chriſti tui, Sancto tuo Spiritu tranſmutans.* Fateri ſe reſponderunt Græci, per ea prima verba tranſubſtantiari ſacrum panem, & fieri Corpus Chriſti; ſed poſtea quemadmodum & Latini dicunt: *Jube hæc perferri per manus Sancti Angeli tui in ſublime Altare tuum*; ita & ipſos quoque orare dicentes, *ut Spiritus Sanctus deſcendat ſuper nos, & efficiat in nobis panem hunc pretioſum Corpus Chriſti tui; & quod in Calice iſto eſt, pretioſum Sanguinem Chriſti tui; tranſmutetque ipſa Spiritu Sancto ſuo, ut fiant communicantibus in purgationem animæ, in remiſſionem peccatorum, & non fiant in judicium, aut condemnationem noſtram.*

XLIV. Ergo in Euchariſtia, vel ipſis fatentibus Græcis in hoc Florentino Concilio, panis ſolum iis verbis, *Hoc eſt enim Corpus meum*; & vinum illis dumtaxat, *Hic eſt enim Calix Sanguinis mei &c.* conſecratur. Ajunt quippe, per ea verba, quæ ſubſequuntur, *Et fac panem quidem hunc pretioſum Corpus Chriſti tui &c.* nequaquam petere Sacerdotem, ut panis Corpus Domini fiat abſolute, ſeu, ut in ipſum tranſubſtantietur, ſed tantum, ut reſpective fiat, Fidelibus nempe, qui adſunt Sacrificio, quique ſunt myſticum Chriſti Corpus; ſeu, quod idem eſt, expoſcere Sacerdotem, ut panis per Evangelica verba jam conſecratus, fideli Populo proſit, tum ad remiſſionem peccatorum, tum ad juſtitiæ augmentum. Atque hæc ſunt, quæ in Actis Seſſionis ultimæ Concilii hujus Florentini Œcumenici reſponderunt Græci. Dici etiam poteſt, quod eam in rem tradit Beſſarion Nicenus, qui fuit poſtea S. R. E. Cardinalis, in Tractatu, quem de Sacramento Euchariſtiæ conſcripſit; ait namque, per eam ſubſequentem Orationem, *Et fac panem quidem hunc &c.* non peti, ut tranſubſtantiatio fiat, ſed ut oſtendatur Fidelibus, tres Perſonas Sanctiſſimæ Trinitatis ad eam concurrere. Unde cum jam Filii Perſona orationibus, quæ verba Evangelica præcedunt in Liturgiis expreſſe invocata fuerit, decuit ad Fidelium inſtructionem, ut Patris, & Spiritus Sancti actio in tranſubſtantiationem explicite deſignaretur.

XLV. Docet præterea Petrus Arcudius Auctor Græcus, ac Theologus præſtantiſſimus, Sacerdotem ea, de qua agitur, ſubſequenti oratione deprecari ſtabilitatem, & confirmationem rei, quæ jam peracta ſupponitur; non quidem quod timeat, ne Chriſtus ex ſpeciebus jam conſecratis ſe ſe ſubtrahat, ſed ut ipſe Presbyter probet tum ſuum, tum Populi amorem, & affectum in corporalem Chriſti præſentiam. Plerumque enim, qui rem aliquam deperdunt, eam ab eo, ex cujus liberalitate poſſidetur, perinde poſtulant, ac ſi nondum ea fruerentur. Ejus rei exemplum videre eſt I. in Propheta Regio, qui ubi ſe exauditum Pſalmo IV. conteſtatus eſt, dicens: *Cum invocarem, exaudivit me Deus juſtitiæ meæ*; mox tamen ſic ita precatur, ac ſi illius votis nondum Deus annuerit: *Miſerere mei, & exaudi orationem meam.* Alterum exemplum notat laudatus Arcudius ex Cap. V. Evangelii S. Marci, ubi Chriſtus eam mulierem, quæ ſacræ fimbriæ contactu, a profluvio ſanguinis liberata jam fuerat, alloquutus eſt hunc in modum: *Eſto ſana a plaga tua.*

XLVI. Iia quæ hucuſque relatæ ſunt explicationibus multum profecto lucis afferunt ipſæ pervetuſtæ Græcæ Sanctorum Patrum atque Antiſtitum, Baſilii, & Chryſoſtomi Liturgiæ, ex quibus conſtat, quod antequam verba Evangelica Conſecrationis proferantur a Sacerdotibus, ac proinde antequam fundatur hæc Oratio, *Et fac panem &c.* jam ſæpius poſtulata fuit donorum tranſubſtantiatio; & tamen nemo, vel Græcus dixerit, jam tunc Conſecrationem peragi: *Reſpice* (inquit Sacerdos in Baſilii Liturgia poſt munerum oblationem, & longe antequam Evangelica verba proferantur) *ſuper nos Deus, & ſuper noſtram latriam, & acceptam eam habeas, quemadmodum accepta habuiſti munera Abel, immolationes Abraham, Moyſi, & Aaron Sacerdotium: Quemadmodum cepiſti a Sanctis Apoſtolis tuis veram hanc latriam, ita a nobis peccatoribus, manibuſque noſtris accipe hæc munera bonitate tua Domine.* Iis verbis Sacerdos apud Baſilium rogat quidem, ut Chriſti Corpus in ſuis manibus conſecretur, ſicut conſecratum fuit in manibus Apoſtolorum; ac proinde ea Oratio idem eſt, quoad ſenſum cum hac alia, quæ poſt Evangelica verba funditur, & in qua recentiores Græci, quos Latini merito impugnant, Euchariſtiæ formam poſitam eſſe contendunt: *Te poſtulamus, Sancte Sanctorum, venire Spiritum Sanctum tuum ſuper nos, & ſuper propoſita munera iſta, & oſtendere panem quidem iſtum honorificum Corpus Domini &c.*

XLVII. Præterea, ut alias veteres Orientalis Eccleſiæ Liturgias omittam, quas legere eſt apud doctiſſimos Scriptores Jacobum Goar, & Euſebium Renaudotium, in Liturgia S. Joannis Chryſoſtomi poſt donorum in Sancto Altari depoſitionem iſthæc Oratio legitur: *Fac nos dignos offerre tibi dona, & Sacrificium ſpirituale pro noſtris peccatis, atque ignorantiis populi, & præſta, ut inveniamus gratiam in conſpectu tuo, & fiat acceptabile Sacrificium noſtrum, & inhabitet ſpiritus gratiæ tuæ bonus ſuper nos, & ſuper hæc appoſita Sacramenta, & ſuper omnem populum.* Petit ergo Sacerdos donorum Conſecrationem antequam dicat Orationem, de qua eſt quæſtio; nihil enim aliud ſibi volunt hæc verba: *Inhabitet ſpiritus bonus ſuper hæc appoſita Sacramenta.* Nemo tamen dixerit, per ea verba Conſecrationem peragi; ideoque nec per Orationem poſteriorem, uti inter alios ſcite docet Jueninus in celebri Opere, *De Sacramentis*, Diſſertatione IV. Quæſtione III. Cap. I. Articulo II.

in ſua ad argumenta Græcorum Reſponſione, poſtquam ſcilicet probavit auctoritate Patrum, ac Romanorum Pontificum, præſertim vero Eugenii Papæ IV. in Decreto pro Armenorum Inſtructione, in Euchariſtia panem ſolum iis verbis, *Hoc eſt Corpus meum*; & vinum illis, *Hic eſt Calix Sanguinis mei &c.* conſecrari. Porro Eugenii IV. Papæ verba in eo Decreto, ubi de Euchariſtia loquitur, hæc ſunt: *Forma hujus Sacramenti ſunt verba Salvatoris, quibus hoc Sacramentum conficitur; Sacerdos enim in Perſona Chriſti loquens, hoc conficit Sacramentum; nam ipſorum verborum virtute ſubſtantia panis in Corpus Chriſti, & ſubſtantia vini in Sanguinem convertuntur.*

XLVIII. Teſte nihilominus eruditiſſimo Jacobo Goar alumno Ordinis Prædicatorum, qui Græcorum Rituale Notis egregiis illuſtravit, ac præſertim, quæ ibidem extat S. Joannis Chryſoſtomi Miſſam, verba illa, quibus Sacerdotes Græci in ſeipſos, & in dona Spiritum Sanctum advocant; tum alia, quibus cor mundum ſibi concedi precantur; atque etiam benedictiones pani, & vino ſeparatim, ac deinde utrique conjunctim impartitæ, non parum quidem obſcura ſunt; itaut petra ſcandali fuerint, & in errorem non paucos induxerint, unde & negotium faceſſunt. Sacerdos ſiquidem ſupplex invocat, atque exorat Deum Patrem, ut mittat Spiritum Sanctum ſuper ſeipſum, & ſuper oblata dona, atque faciat panem Corpus Chriſti, & quod exiſtit in Calice, Sanguinem ejus, eaque plane tranſmutet. His iccirco prave intellectis, uti laudatus Goar obſervat, Cabaſylas, Symeon Theſſalonicenſis, Marcus Eugenicus, Gabriel Philadelphienſis, & alii quidam ſeducti, ſimpliciores etiam alios in errorem induxerunt, ſuadentes, non verbis Domini, ſed his precibus Conſecrationem abſolvi; aut certe, ſiquid operari incipiant Chriſti verba, precibus virtutem compleri.

XLIX. At vero ab ea opinione longe ſunt Sancti Catholicæ Eccleſiæ Patres, quos recenſet memoratus Jueninus loco citato, & quamvis non diſſimulandum ſit, Græcos pleroſque, vel dubie, & minus clare de hac re ſcripſiſſe, & ſcriptis ſuis, male affectis mentibus errandi cauſam præbuiſſe, de quibus Arcudius Lib. III. Capite XXXI. brevem quidem, ſed aptam, atque prudentem tulit ſententiam, dicens, *obſcuriores nimirum a clarioribus exponendos, & paucos cum pluribus conſociandos, vel majorum, & doctiorum, & longe plurium auctoritatem ſequendam*; ipſi iidem Græci, qui Concilio huic Florentino interfuerunt, verbis Chriſti Domini, uti jam ſupra notatum fuit, vim omnem hujus Sacramenti, Sacrificiique perficiendi, Catholica Confeſſione conceſſerunt. Ceterum quamvis ea reſponſio, quam ex ipſa Confeſſione Græcorum ſupra attulimus, fidem, & de verbis Conſecrationis, Græcorum plurimorum ſententiam aperiat, cum tamen omnem non omnino tollat dubitandi occaſionem, cur nempe ad Chriſti verba, Sancti antiquarum Orientalium Liturgiarum Auctores, Jacobus, Marcus, Baſilius, & Chryſoſtomus, Orationem Spiritus Sancti adventum ad Corpus Chriſti efficiendum exoptantem addiderint, præter allatas Beſſarionis, atque Arcudii explicationes, lubet hoc loco aliam non minus doctam expoſitionem referre, quam in laudatis ſuis ad S. Joannis Chryſoſtomi Miſſam doctiſſimus Jacobus Goar novum aliorum labori lucis ſplendorem adjungens concinnavit.

L. Ergo, ut is Auctor obſervat, poſt prolata Chriſti verba, quibus panem, & vinum, in Corpus, & Sanguinem ipſius convertuntur, Eccleſiam velut pro eo conſecrando, & ſub ſpeciebus Euchariſticis ſubſtituendo, Spiritus Sancti virtutem ſuis precibus advocare, docuerunt Patres Liturgiarum Auctores. Primo, quia licet certo certius teneat Eccleſia, ſolis Chriſti verbis hoc Myſterium poſſe confici; horret tamen animus, mens titubat, affectus refugit, ſine precibus, aut Hoſtiam conſecrare, aut hoc irreligioſo more conſecratam recipere; ideoque ad id, quod ſibi magis expedit, & initiando Myſterio congruit, ad laudes Dei, verbi Dei præconium, preceſque maxime pro ipſa Conſecratione obtinenda fundendas reccurrit. Licuit enim ſemper, imo & Deus ipſe gaudet, nos promiſſa ſua, quibus tamen eum non ſtare, eſt impoſſibile, precibus noſtris ſollicitare, & ut adimpleantur, Orationibus urgere. Spontanea quippe eſt, & libera æque ac donum, doni promiſſio, & ut ſpontanea doni pretio comparatur. Ut itaque doni a Deo promiſſi, nulla vi impedienda, nullaque arte defectura, precum multarum inſtantia, præveniri poteſt collatio: quis enim neget, poſt pollicitum Abrahæ filium, pro ejus exortu nullas preces ipſum fudiſſe? aut poſt promiſſum a Chriſto Spiritus Sancti certiſſime in Apoſtolos illapſuri donum, illud fervidis, quod & aſſerit Scriptura, orationibus non expetiiſſe? aut quis non videat, Eccleſiam Latinam pro Conſecratione indubie Chriſti verbis adimplenda, orare? ita & doni jam obtenti, ſupraque vires, & merita collati poſſeſſio votis omnibus expeti poteſt, & poſtulari, non eo quidem fine, ut de novo comparetur, ſed ut pacifice teneatur, & voluptas ex ejus fruitione orta creſcat, foveatur, confirmeturque.

LI. Illud vero hic maxime præſtandum occurrebat; ubi cum ante Conſecrationem, nulla, quæ eam peteret, facta fuiſſet Oratio; ipſa vero eadem Conſecratio cum vires & merita Sacerdotis excedat, ſecum ſaltem ut comitem illam debet deducere: verbis tamen, quibus perficitur Conſecratio (alibi mentem, animumque Sacerdotibus applicantibus) cum adjungi nequiverit; nil mirum, ſi ſpatio aliquo dato, e latente mentis, & cordis ſinu educatur, & Deo offeratur, comparata non tempori, quo profertur ore, ſed potius præterito Conſecrationis momento, quo fieri debuerat. Sic quippe cum Deum panis & vini creaturas *producentem* celebrare teneretur Eccleſia; cum ipſum Sacramentali tranſmutatione dona illa *vivificantem* laudare, & ob noſtrum profectum actu conſecrata *benedicentem* extollere deberet: aliis, quibus occupabatur, cum hoc ſe debito exſolvere molitur, quaſi pro eodem temporis inſtanti conferendo beneficio, omnipotentiam, liberalitatem, benignitatemque Dei, vocibus bis commendat, & prædicat: *Hæc omnia Domine ſemper bona creas, ſanctificas, vivificas, & præſtas nobis*; cum tamen longe ante *creata*, per ejus verbum *ſanctificata*, & in vitam, & ſanctitatem populi deſtinata, cæleſtique *benedictione* cumulata, venturæ felicitatis promiſſum per ſui ſuſceptionem, jam jam ſint præſtitura.

LII. Secundo, cum ad Conſecrationem abſol-

Digitized by Google

ſolvendam duo concurrant principia effectiva, Chriſtus, & homo; convenit, utrumque in tam ſublimi, tam difficili, tam mirando opere edendo, non tam virtutem ſuam exercere, conjungere actionem, ſed & agendi rationem ſtatus ſui conditioni congruentem prodere & manifeſtare: Chriſtus autem ut Deus omnipotens, imperio, vel ſaltem verbo, opus illud producendum aggreditur; homo velut ejus miniſter, & ad agendum concurrens, licet ab eo dependeat, virtutemque omnem ab eo, ſeu ſubjectum inſtrumentum mutuetur; in ejus Perſona loquitur, verba ejus uſurpat, præcipuam ejus poteſtatem, & velut auctoritatem arrogat; quidni tandem ſui ſtatus memor, ſuæ debilitatis conſcius, & infirmitatis reus, quod non niſi precibus quantum in ſe eſt, poſſet obtinere, precibus quoque expoſcat, & quod jam effectum vires ſuas ſuperare agnoſcit, velut efficiendum deſideriis, votis, obſecrationibus comparare moliatur?

LIII. Tertio, licet Chriſto ut præcipuæ & a nullo pendenti cauſæ Sacramentorum quidem producendorum virtus conceditur, ſolet tamen Eccleſia Græca ſimiles ubique partes in agendo Sancto Spiritui tribuere. Hinc uti in Euchologio, ſeu Rituali Græcorum videre eſt, in Baptiſmo exorat, ut aqua virtute, operatione, & adventu Spiritus Sancti ſanctificetur: in Confirmatione, vel Extrema Unctione, ut par beneficium ſacrum Chriſma, vel Oleum infirmorum accipiat, preces, eaſque ferventes emittit: commemorat in Pœnitentia Spiritus Sancti donum ad ſolvenda delicta: gratiam quoque ejuſdem in Ordinatione prædicat; cum jam itaque Chriſti virtutem verbis ejus manifeſtam, & illius opus agnitum ſupponat, effectum pariter Spiritus Sancti expoſtulat, ut opus modo noſtri concipiendi ab eo dependens, ab eo quoque procedere agnoſcatur. Nam & in Ordine licet Pontifex Græcus manuum impoſitione velut materia, verbis ſacris gratiam Spiritus Sancti commemorantibus, velut forma, Sacramentum perfectum eſſe commonſtraverit, ad preces nihilominus, quibus Spiritum Sanctum advocat, fundendas convertitur, ut a ſe latenter opus præſtitum, manifeſte ſuis partibus abſolutum eſſe appareat: *Oremus*, inquit, *ut ſuper eum adveniat Spiritus Sanctus*; cujus tamen gratia eum ad aliquem Eccleſiæ gradum jam promotum eſſe declaraverat, & proprio oris præconio Ordinem jam adeptum fuiſſe prædicaverat.

LIV. Quarto, inſtantaneam licet fateamur elementorum converſionem, & uno momento completam, verbis integre prolatis, Chriſti ſub ſpeciebus Euchariſticis adventum, habet tamen momentanea illa mutatio prævias, & ſubſequentes diſpoſitiones, quaſdam plurimo præcedente, atque etiam ſuccedente tempore, multa & copioſa precum ſerie adjungendas; quas quidem non non inefficaces, quia potius in hoc myſteriorum opere plurimam virtutem exerere, & effectum non contemnendum præter Evangelica, ideſt, Conſecrationis verba producere aſſerit S. Baſilius in Libro, *De Spiritu Sancto*, Cap. XXVII. *Invocationis verba in productione, ſive renunciatione panis Euchariſtici, & poculi benedictionis quis Sanctorum ſcripto nobis reliquit? Non enim his contenti ſumus, quorum Apoſtolus, aut Evangelium mentionem fecit, ſed & ante, & poſt, dicimus alia, velati magnum robur, & pondus ad Myſterium habentia, quæ ex doctrina ſcripto non prodita nos accepimus.*

LV. Subdit mox Eruditus Goar, habere phyſicam illam, & inſtanti complendam mutationem morales alias, quæ antecedant, & ſubſequantur mutationes ſucceſſu temporis, & Sacerdotis Orationibus perficiendas: *An non moralis eſt*, inquit, *& humano ſaltem judicio mutatio, Hoſtiæ a profano in ſacrum uſum deputatio, illius facta Deo donatio, tot ritibus, & præviis initiationibus comparata ab illa ſanctificatio? An non moralis eſt pariter perfectio, manifeſtus, vel occultus per gratiam hominibus conferendum, Sancti Spiritus in ſacra dona deſcenſus, donorum cæleſtium ſuccedens comitatus, recentius adveniens benedictionum omnium effluxus, copia, inundatio? An non hoc eſt, Spiritum Sanctum in Sacerdotem, & in ſacra dona mitti, dona ipſa conſecrari, Spiritu Sancto immutari, & ſi velis, Chriſtum ipſum in Sacramento confici, ſi de novo dona illa Spiritu Sancto inumbrante adventitiam, & ampliorem ſanctimoniam adipiſcantur, qua Chriſti, ut ita dicam, undi, & in Sacramento latentis ornatus omnis majeſtatiſque præſentia manifeſta fiat, & agnoſcatur?* Addit & his alia doctiſſimus Auctor, & concludit, hujuſmodi mutatione morali Corpus Chriſti in Sacramento jam præſens immutari, & quaſi jam conſecratum proclamari; nam & verba quæ priorem, & phyſicam mutationem edoceant, in ſententia Græca ſatis aperta ſunt & nota; uti conſtat ex variis correctiſſimiſque Euchologiis, in quibus in Oratione, quæ ſubſequitur, aperta fit mentio Conſecrationis jam peractæ. Sic enim legitur: *Fac panem quidem iſtum, pretioſum Corpus Chriſti tui; & quod eſt in Calice pretioſum Sanguinem Chriſti tui (tranſmutaſti enim ea Spiritu tuo Sancto) eſſe ſuſcipientibus ad animæ ſobrietatem.* Atque, ut alios omittam Auctores cum veteres, tum recentiores de ea Quæſtione agentes, legendi Beſſarion Nicenus S. R. E. Cardinalis, in Libro, *De Sacramento Euchariſtiæ, & de verbis, quibus conficitur*; præ ceteris autem eruditiſſimus Joſephus Auguſtinus Orſi Ordinis Prædicatorum, ac ſacræ Congregationis Indicis a Secretis in Opuſculo, quod inſcriptum eſt, *De Liturgica invocatione Spiritus Sancti.*

*De Tranſubſtantiatione.*

LVI. Omitti hoc loco nullatenus debet illa Græcorum Confeſſio de verbis Conſecrationis, & Tranſubſtantiatione a Beſſarione expoſita in hoc Florentino Concilio, cujus autographum quod in Theſauro Sereniſſimi Magni Hetruriæ Ducis aſſervari cum authenticis litteris unionis Latinos inter atque Græcos factæ in hoc Concilio, ait Clariſſimus Joannes Mabillonius Tomo I. Muſei Italici, Parte II. ubi hæc recenſentur prædictæ Græcorum Confeſſionis verba: *Die Dominica quinta Julii MCCCCXXXIX. in generali Congregatione, præſidente in eadem Sanctiſſimo Domino noſtro Domino Eugenio divina providentia Papa Quarto, præſentibus Reverendiſſimis, Reverendiſque Patribus, & Dominis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Doctoribus, & Magiſtris, tam Latinis, quam Græcis, Reverendus Pater Dominus Archiepiſcopus Nicenus ſuo ac aliorum Patrum Eccleſiam Orientalem repræſentantium nomine, publice, alta, & intelligibili voce expoſuit in hæc verba, vel eis in*



Digitized by Google

*effectu ſimilia*. Beatiſſime Pater, voſque Reverendiſſimi Patres & Domini hic præſentes: Quoniam in præcedentibus Congregationibus noſtris inter alias differentias noſtras ortum eſt dubium de Conſecratione Sacratiſſimi Sacramenti Euchariſtiæ, & aliqui ſuſpicati ſunt, nos, & Eccleſiam noſtram non credere illud pretioſiſſimum Sacramentum per verba Salvatoris Domini noſtri Jeſu Chriſti confici, propter hanc cauſam aſſumus coram veſtra Beatitudine, omnibuſque aliis hic adſtantibus, qui pro parte Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſunt, ad certificandam veſtram Beatitudinem & alios Patres, & Dominos hic præſentes de hac dubitatione, & dicimus breviter: Nos uſos fuiſſe Scripturis, & ſententiis Sanctorum Patrum, & rationibus, ſpretis humanis inventis; qua quidem de re, Pater Beatiſſime, cum in omnibus aliis auctoritatibus Patrum Sanctorum uſi ſumus, etiam his in præſenti dubitatione utimur. Et quoniam ab omnibus Sanctis Doctoribus Eccleſiæ, præſertim ab illo Beatiſſimo Joanne Chryſoſtomo, qui nobis notiſſimus eſt, audimus verba Dominica eſſe illa, quæ mutant, & tranſubſtantiant panem & vinum in Corpus verum Chriſti & Sanguinem; & quod illa verba Divini Salvatoris omnem virtutem tranſubſtantiationis habent; nos ipſum Sanctiſſimum Doctorem, & illius ſententiam ſequimur de neceſſitate. De hac Quæſtione breviter diximus, & ſufficienter, & veſtram Beatitudinem de noſtra intentione certam reddimus.

LVII. Hactenus Græcorum confeſſio, quæ, uti obſervat laudatus Mabillonius, duas habet partes, nempe conſecrationem verbis Chriſti Domini confici, non precibus illis, quæ poſt verba ſacra fiunt a Græcis; atque his verbis panem & vinum in Chriſti Corpus & Sanguinem mutari & tranſubſtantiari. Et ſi vero de priori aſſertione aliqua fuit concertatio inter Beſſarionem Nicenum Epiſcopum ſuperioris formulæ præconem, interque Marcum Epheſinum; nulla tamen prorſus inter eos de poſteriori diſputatio agitata eſt. Id patet ex Oratione Beſſarionis tum Cardinalis de Euchariſtia, qua in Oratione eandem doctrinam, quæ in ſuperiori confeſſione propoſita eſt, egregie tuetur adverſus contra ſentientes, & inprimis contra Marcum Epheſinum, cujus objecta ex dictis Nicolai Cabaſilæ deſumta refellit. Ex quibus manifeſte intelligitur, in illa controverſia nequaquam litem fuiſſe de tranſubſtantiatione, quam uterque pro indubitata Græcorum doctrina habebat, ſed de verbis, quibus Conſecratio perficitur. Præmiſſa vero Græcorum confeſſio per Beſſarionem in frequenti Concilio propoſita, eo majoris eſt momenti, quod is illam comprobantibus aliis Græcis, uno forſan excepto Marco Epheſino, qui ejus perpetuus adverſarius extitit, in frequenti Concilio expoſuit, cum nondum eſſet Cardinalis. Hujus porro confeſſionis mentio fit in ipſis Concilii Actis apud Labbeum Cap. IX. paulo ante mortem Joſephi Patriarchæ Conſtantinopolitani, de qua ſupra dictum fuit: ubi utrumque, nimirum & verba Conſecrationis, & tranſubſtantiationis diſertis verbis adſtruitur. Deinde poſt ejus mortem illud ipſum denuo repetitur. Ceterum quod attinet ad Patres Græcos, maxime Chryſoſtomum, quorum ſententiam ſequi ſe in prædicta formula Græci per Beſſarionem confitentur, eorum teſtimonia refert idem Beſſarion in prælaudata Oratione, *De Euchariſtia*. Chryſoſtomi loca citantur ex Homilia LXXXII. ſuper Matthæum, ex Homilia XXVII. ſuper Epiſtolam I. ad Corinthios, atque ex Homilia, *De proditione traditoris &c.*

LVIII. Operæ ſane pretium duxi prædictam Græcorum confeſſionem in Florentino Concilio editam recenſere hoc loco, quod, ut idem Mabillonius notat, non levis eſt momenti ad perſuadendam Græcorum de Euchariſtia Fidem, de qua tot ac tantæ controverſiæ a Calviniſtis excitatæ ſunt, qui perperam conati ſunt vel ex male intellectis Græcorum Patrum atque Scriptorum teſtimoniis Corporalem Chriſti præſentiam ab Euchariſtia tollere, tranſubſtantiationemque pernegare. Sed hanc Calviniſtarum perfidiam egregie confutarunt non modo Latini Theologi paſſim, ſed & ipſi Græci, aliique Orientales etiam ſchiſmatici. Certe ut alia omittam Eccleſiæ ſecula, quibus demonſtrari perſpicue poſſet Orientalis Eccleſiæ cum Occidentali circa Corporalem Chriſti præſentiam in Euchariſtia, & tranſubſtantiationem conſenſus: unanimis Græcos inter & Latinos conſenſus pro ſeculo XIV. circa ipſum Dogma conſenſus evidentiſſime hiſce momentis oſtenditur. I. Commixti variis in Regionibus Græci cum Latinis nullam unquam intentarunt eis litem, quod tranſubſtantiationem profiterentur. II. Qui ex ſchiſmate ad unitatem Catholicam redibant, jubebantur ſubſcribere formulæ, cui Græci in Concilio Lugdunenſi ſubſcripſerant; id enim Urbanus Papa V. expreſſe ſua Conſtitutione edixit anno MCCCLXX. edita. III. Cabaſilas Latinis, contra quos varios Tractatus ſcripſit, infenſiſſimus, Liturgiæ expoſitionem edidit, in qua multis in locis tranſubſtantiationem clariſſime exprimit. Capite XXIV. eos arguens, qui coram donis, antequam conſecrata ſint, procumbunt, hoc utitur argumento: *Hoc* (de ordinario Sacrificio loquitur) *in ipſo ingreſſu non ſacrificata habet dona, & nondum perfecta. Illud autem* (nempe Sacrificium Præſanctificatorum) *perfecta, & ſanctificata*. Rurſus Capite XXVII. quod inſcriptum eſt, *De ſanctificatione donorum, & quæ eum præcedit gratiarum actione*, ita ad noſtram rem inquit: *Hæc cum oravit, & dixit, univerſum Sacrificium peractum & perfectum eſt, & dona ſunt ſanctificata, & Hoſtia integra, & perfecta effecta eſt, & magna Hoſtia & Victima, quæ pro mundo mactata eſt, ſupra ſacram Menſam ſita cernitur: panis enim non amplius figura Dominici Corporis, neque donum ferens imaginem veri doni, neque ferens aliquam deſcriptionem ipſius Servatoris paſſionum tanquam in tabula, ſed ipſum verum donum, ipſum Sanctiſſimum Corpus Domini .... quod interfectum, quod colaphis appetitum, ſputa paſſum eſt, & fel guſtavit: ſimiliter & vinum, ipſe Sanguis, qui exiliit occiſo Corpore.*

LIX. Quod Græci idipſum ſeculo Chriſti XV. de Euchariſtia, ac tranſubſtantiatione ſenſerint, quod Latini, oſtendi & iis argumentis poteſt, quæ inter alios Theologos docet Juenius, *De Sacramentis, Diſſertatione* IV. Quæſtione IV. Cap. I. Articulo V. §. II. in fine. I. Joannes Palæologus Græcorum Imperator una cum Orientalibus Epiſcopis Florentiæ per biennium commorati ſunt, adfueruntque Florentino huic Concilio, quod Præſide Eugenio Papa IV. celebratum eſt. Perſpectam igitur habuerunt Latinorum de tranſubſtantiatione Fidem; nec Latinos quo-

que

que latere potuit quid de ea ipſimet Græci ſentirent: at nec Græci, nec Latini Græcis eo de articulo quidquam moleſtiæ crearunt. II. Orientales ſæpius inter Miſſarum ſolemnia procubuerunt coram Euchariſtia, quam Latini conſecraſſent, *Adoraveruntque Miſſam Romanæ Eccleſiæ more*, inquit Andreas a Sancta Cruce in ſua Concilii Relatione, *Pontifice celebrante*. III. Eo in Concilio conſentientibus omnibus, Græcos inter & Latinos Unio ſancita eſt, definitumque fuit *in azymo, ſive fermentato pane triticeo, Corpus Chriſti veraciter confici*. IV. Marcus Epheſiorum Epiſcopus, ubi Florentia redit in Patriam, debacchatus eſt in Sanctam Synodum datis epiſtolis *ad omnes ubique terrarum degentes Chriſtianos*; at licet Concilii plures Articulos ſcriptis exagitaverit, iſtum tamen de Corporali nimirum præſentia Chriſti in Euchariſtia intactum omnino reliquit, illum tamen, utpote præcipuum, nequaquam prætermiſſurus, ſi erroneum credidiſſet.

LX. Teſte Nairono in Evoplia Fidei Catholicæ Romanæ, Parte II. Pag. 160. & ſeqq. omnes Orientales tranſubſtantiationis Myſterium in Euchariſtia unico profitentur ore, citatque inter alios Dionyſium Archiepiſcopum Amedenſem, cujus Liturgia extat inter alias Syrorum Patrum, qui omnes uſque ad ſextum, & ſeptimum viguere ſecula. Hic enim Dionyſius in Commentario in Miſſam Cap. XII. verba Conſecrationis notis illuſtrans, poſtquam aſſeruit, in Sacramento Euchariſtiæ eſſe ipſummet Corpus, quod Chriſtus ex Virgine aſſumſerat, ita immediate ſubdit: *Sed forſan quis interrogat, quo modo hoc fieri poſſit, cui reſpondemus, hoc fieri poſſe: illa enim dextera, quæ ab initio accepit pulverem ex terra, & commutavit eam, fecitque corpus Adæ, illa eadem commutavit hunc panem, illumque effecit Corpus Chriſti, & commutavit hoc vinum, illudque effecit Sanguinem, qui eſt ex Virgine; ſic etiam hodie intelligitur de pane, & vino, quod Sacerdos offert; & facit panem & vinum quæ ponuntur, Corpus, & Sanguinem Verbi Dei*. Luculentius, ac ſane mirabilius Joannes Maro Cap. XXXI. Commentarii in Liturgiam S. Jacobi Apoſtoli, ſic inquiens: *Sed ſcimus, eſſe Corpus, & Sanguinem Dei Domini noſtri Jeſu Chriſti, vere, & non figurate; nam ſicut Chriſtus videbatur homo, & eſt Deus, ſic etiam & illa, etiamſi videantur panis & vinum, ſunt vere & realiter Corpus & Sanguis Salvatoris noſtri, ſub ſpeciebus panis, & vini*. Ubi ergo ſunt apud Orientales Syros, alioſque Eccleſiæ Orientalis impanationes, ubi figuræ, ubi metaphoræ, uti Novatores Lutherani, Calviniſtæ, aliique ejuſdem furfuris aſſerere conantur, & errores ſuos auctoritate Orientalis Eccleſiæ communire? Porro ut multa paucis dicam, Nationes omnes Orientales, quinimo Neſtoriani ipſi, Jacobitæ, Cophti, ac Maronitæ nec leviter quidem de Euchariſtiæ Sacramento dubitant, uti videre eſt apud eruditum Arnoldum in Tractatu (1) Gallice ſcripto, cujus Titulus Latinitate donatus eſt, *Perpetuitas Fidei Eccleſiæ Catholicæ circa Euchariſtiam*.

*Variæ aliæ controverſiæ expoſitæ.*

LXI. Explicata hac quæſtione, devenio nunc ad alia hujus Florentini Concilii Acta, ex quibus habemus, quod cum deinde Græci Pontificem Maximum adiiſſent, ille chartam complicatam præ manibus tenens, dixit: *Nos Deo juvante conſentimus de omnibus, & una ſumus conſpiratione uniti; reſtat adhuc modica dubitatio; atque antea diximus, eam vobis ſcriptam damus. Accipite igitur hanc, atque ubi convenerimus, fiat unio*. Lecta ſchedula eſt, poſtulantibus Græcis, continebatque quatuor Capitula. Primum de privilegiis Romani Summi Pontificis, quod nempe ei licuerit ſuo jure, quippe ut Summo Pontifici, *adjicere, quod ſacro Symbolo addidit*. Alterum de Purgatorio, & Sanctorum Beatitudine, ac reproborum Inferno; quod nempe tres ſunt ordines defunctorum, unus Sanctorum, alter peccatorum, tertius mediorum Chriſtianorum, videlicet qui peccarunt, pœnitentiam egerunt, & Confeſſionem emiſerunt, nec opera ſatisfactionis peregerunt, pro quibus etiam orationes, & elemoſynæ offeruntur. Et primus quidem, nempe Sanctorum, Dei eſſentiam ſine ullo medio intueantur; qui pariter poſt ſuſceptum Baptiſma non ſunt in peccata lapſi, ſimiles eorum fiant. Qui vero peccaverunt, & pœnitentiam minime egerunt, pœnis æternis addicantur. Qui autem peccaverunt, & confeſſionem emiſerunt, poſitique ſunt in numero pœnitentium, in ignem abeant purgatorium, & purgati reponantur in eorum cœtu, qui ſine ullo medio, Dei eſſentiam contuentur. Tertium de uſu indifferenti azymi & fermentati in Sacrificio, dummodo ſint ex tritico. Quartum, ut de Divina eſſentia, & operatione in Synodo quæreretur.

LXII. His Capitulis ab Eugenio propoſitis, atque auditis a Græcis, ſecundum quidem, & tertium hi ultro admiſere; ſuſceperunt enim quod de igne purgatorio declaratum jam fuerat, quodque animæ videant eſſentiam Dei; itemque illud de azymo & fermentato receperunt indifferenter; verum nihil de quarto reſpondentes, dixerunt primum Capitulum eſſe iniquiſſimum; *Nullam nos*, inquiunt, *habemus facultatem ab Imperatore noſtro reſpondendi quidpiam, ſed privatim ut inimici reſpondemus .... Primum poſtulatum eſſe iniquiſſimum. Nam quomodo nobis affirmare liceat, facultatem eſſe Romanæ Eccleſiæ addendi, ſeu demendi abſque Fratribus ſuis Patriarchis? Quapropter etſi pium eſt, quod fuit additum; qui tamen hoc patrare auſus fuerit, citra cognitionem Synodicam, culpa neququam vacabit. Quod, ſi lubet, fatemini, vos inique feciſſe, atque inpoſterum hoc ipſum non patraturos, & ſic veniam impetrabitis*. Poſt aliquot dies Imperator Libros afferri juſſit, & Eccleſiarum Privilegia diſquirere Græci cœperunt; tandem habita conſultatione, *admiſerunt Privilegia Papæ, præterquam duo. Ne convocet Synodum Œcumenicam ſine Imperatore, & Patriarchis, ſi conveniunt; quod ſi advocentur, & non veniant, ne propterea impedimento ſint, quominus Synodus fiat. Alterum eſt, ut ſi quis putet, ſe ab aliquo Patriarcharum pati injuriam, & veniat qui interpoſuit appellationem, ne Patriarchæ ipſi ſe ſe ſiſtant judicandos; ſed Papa mittat in Provinciam quamque Inquiſitores, & ibi per eos præſentibus negotiis injuriam paſſi jus ſuum obtineant.*

LXIII. Ubi hæc relata fuere ad Summum Pontificem, uti ex Actis conſtat, reſpondit mox ipſe, *ſe velle omnia Eccleſiæ ſuæ Privilegia; velle ad ſe fieri appellationes: nec non paſcere, & regere univerſam Chriſti Eccleſiam, uti ovium Paſto-*

(1) Titulus Libri hic eſt: *La perpetuité de la Foy de l'Egliſe Catholique touchant l'Euchariſtie.*

*ſtorem*: *Auctoritatem præteren ſibi eſſe, & facultatem celebrandi Synodum Œcumenicam, cum opus fuerit, & omnes Patriarchas parere ejus voluntati*. Res eo proceſſit, ut Imperator his auditis deſperaverit de Unionis negotio, oec aliud tunc reſponderit, niſi: *Curate de noſtra hinc profectione, ſi vobis eſt in anima*. Deſperata pene Unione, Rutheous, Nicenus, atque Mytilenenſis, Archipræſules operam interpoſoere ſuam, ut Pontifex, atqoe Imperator de his rebus conſilia conſerrent. Quamobrem quatuor Viris ex utraque parte Diſputatione injuncta, atque agitata, profecti Græci in Domum Imperatoris pari coonſenſu hauc declarationem ſcripſerunt: *De Primatu Papæ fatemur, ipſum Summum Pontificem, & Procuratorem, locum gerentem, ac Vicarium Chriſti, Paſtorem, & Doctorem omniam Chriſtianorum, regentem, & gubernantem Dei Eccleſiam, ſalvis Privilegiis, & juribus Patriarcharum Orientis. Et Conſtantinopolitanum quidem ſecundum eſſe poſt Papam, deinde Alexandrinum, poſt hunc Antiochenum, poſtremo Hieroſolymitanum*. Atque hæc cum ſcripſiſſeut, nihil amplius ſcribere decreverunt: *Sed ſi hoc a Papa non reciperetur, nihil eſſe ultra faciendam.*

LXIV. Summo Pontifici probata eſt declaratio, Decretumque Unionis a ſelectis ex utraque parte Viris conſcriptum; quod cum Imperatori exhibitum eſſet, ſtatim ipſo in exordio nota illud confixit; non enim Imperatori placebat, quod Bulla Unionis per ea verba inciperet, *Eugenius Epiſcopus Servus Servarum Dei ad perpetuam rei memoriam*, ſed volebat, ut vel Pontificis nomen reticeretur, vel ſcriberetur quidem, ſed cum hoe addito: *Conſenſu Sereniſſimi Imperatoris, & Patriarchæ Conſtantinopolitani, ceterorumque Patriarcharum*. Diſplicuit etiam Imperatori, quod de Privilegiis Papæ in eodem Decreto ſcriptum ſuerat, quod haberet illa *juxta determinationem Sanctæ Scripturæ, & dicta Sanctarum*; aitque: *An ſiquis Sanctorum in Epiſtola honorat Papam, excipiet hac Privilegia?* Quamobrem ſignificavit Papæ, ut *aut hoc corrigeret, aut de reditu ejus cogitaret*. Hoc audiens *Papa turbatus eſt*, verumtamen Cardinalibus ad Imperatorem miſſis, primum hi quidem quod difficultatem ſaceſſebat, correxerunt, ſcripſeruntque: *Conſenſu Sereniſſimi Imperatoris, & Patriarcharum*. Alterum vero mutare oolebant diceotes: *Unde melius poſſumus habere Primatum, quam ex Scripturis Sanctarum?* At Imperator cum in ſua ſententia perſiſteret, ut nempe ea verba expungerentur, eorum loco his verbis additis: *Juxta tenorem Canonum*; Cardinales minime conſentieutes, re iofecta abierunt. Cum vero poſt biduum ad Imperatorem una cum Archiepiſcopis, aliiſque Viris doctis rediiſſent, Julianus Cardinalis Imperatori, Græciſque Præſulibus perſuadere conatus eſt, verba iſta, *juxta dicta Sanctorum*, Unionem morari non debere, cum ex dictis Sanctorum Symbolum quoque Fidei compoſitum ſit, & Liturgia, & Canones, & ſine dictis Sanctorum nihil ſit actum. Egreſſis vero Cardioalibus, Græci habita deliberatione ſcripſerunt: *Habenda eſſe a Papa ſua Privilegia juxta Canones, & dicta Sanctorum, Sacramque Scripturam, & Acta Synodarum*; hancque declarationem illis tradiderunt.

LXV. Poſtridie Cardinales ad Imperatorem reverſi, Decretum Unionis emendatum ipſi exhibuerunt, cui cum illud placuiſſet, ſex ex utraque parte ſelecti ſunt, ut Græce & Latine ſcriberetur in Diptychis, a parte quidem dextera Latine, ut Latini ſubſcriberent, & appenderent Bullam Papæ; ab altera vero parte, ut Græci ſubſcriberent, & apponerent auream Bullam Imperatoris. Facta eſt tandem faveote Deo optata diu utriuſque Eccleſiæ Latinæ & Græcæ Unio die Lunæ VI. Julii anni MCDXXXIX. & poſt Solemne Sacrum ab Eugenio Papa IV. in Eccleſia Sanctæ Mariæ Liberatæ, ad quam Græci & Latini convenerant, celebratum, poſt Litanias ibidem decantatas, in publica Seſſione lecta Definitio eſt, Latine quidem a Juliano Tituli S. Sabinæ Cardinale, Græce vero a Beſſarione Niceno Archipræſule, cui Pontifex, Cardinales, Imperator, & Eccleſiæ utriuſque Epiſcopi, & Abbates, uno excepto Marco Epheſio, ſubſcripſere.

## EUGENIUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

*Ad perpetuam rei memoriam*

*Conſentiente ad infraſcripta Cariſſimo in Chriſto Filio noſtro Joanne Palæologo Romanorum Imperatore Illuſtri, & loca tenentibus venerabilium Fratrum noſtrorum Patriarcharum, & cæteris Orientalem Eccleſiam repræſentantibus.*

LÆtentur Cæli, & exultet terra: ſublatus eſt enim de medio paries, qui Occidentalem, Orientalemque dividebat Eccleſiam, & pax, atque concordia rediit, illo angulari lapide Chriſto, qui fecit utraque unum, vinculo fortiſſimo charitatis & pacis utrumque jungente parietem, & perpetuæ unitatis fœdere copulante, ac continente. Poſtque longam mœroris nebulam, & diſſidii diuturni atram ingratamque caliginem, ſerenum omnibus Unionis optatæ jubar illuxit. Gaudeat & Mater Eccleſia, quæ filios ſuos hactenus invicem diſſidentes, jam videt in unitatem pacemque rediiſſe: & quæ antea in eorum ſeparatione amariſſime flebat, ex ipſorum modo mira concordia cum ineffabili gaudio omnipotenti Deo gratias referat. Cuncti gratulentur Fideles ubique per Orbem.

Et

Et qui Chriſtiano cenſentur nomine matri Catholicæ Eccleſiæ collætentur. Ecce enim Occidentales, Orientaleſque Patres poſt longiſſimum diſſenſionis, atque diſcordiæ tempus, ſe maris ac terræ periculis exponentes, omnibuſque ſuperatis laboribus, ad hoc ſacrum Oecumenicum Concilium deſiderio ſacratiſſimæ Unionis, & antiquæ charitatis reintegrandæ gratia læti, alacreſque convenerunt, & in intentione ſua nequaquam fruſtrati ſunt. Poſt longam enim laborioſamque indaginem, tandem Spiritus Sancti clementia ipſam optatiſſimam ſanctiſſimamque Unionem conſequuti ſunt. Quis igitur dignas omnipotentis Dei beneficiis gratias referre ſufficiat? Quis autem divinæ miſerationis divitias non obſtupeſcat? Cujus vel ferreum pectus tanta ſupernæ pietatis magnitudo non molliat? Sunt iſta prorſus divina opera, non humanæ fragilitatis inventa. Atque ideo eximia cum veneratione ſuſcipienda, & divinis laudibus proſequenda. Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio Chriſte fons miſericordiarum, qui tantum boni Sponſæ tuæ Catholicæ Eccleſiæ contuliſti, atque in generatione noſtra tuæ pietatis miracula demonſtraſti, ut enarrent omnes mirabilia tua. Magnum ſiquidem divinumque munus nobis Deus largitus eſt. Oculiſque videmus, quod ante nos multi, cum valde cupierint, aſpicere nequiverunt. Convenientes enim Latini & Græci in hac Sacroſancta Oecumenica Synodo, magno ſtudio invicem uſi ſunt, ut inter alia etiam articulus ille de Divina Spiritus Sancti Proceſſione ſumma cum diligentia, & aſſidua inquiſitione diſcuteretur. Prælati vero teſtimoniis ex Divinis Scripturis plurimiſque auctoritatibus Sactorum Doctorum Orientalium aliquibus quidem ex Patre & Filio, quibuſdam vero ex Patre per Filium procedere dicentibus, Spiritum, & ad eandem intelligentiam aſpicientibus omnibus ſub diverſis vocabulis, Græci quidem aſſeruerunt, quod id, quod dicunt, Spiritum Sanctum ex Patre procedere, non hac mente proferunt, ut excludant Filium; ſed quia eis videbatur, ut ajunt, Latinos aſſerere Spiritum ex Patre & Filio procedere tanquam ex duobus Principiis, & duabus Spirationibus, ideo abſtinuerunt a dicendo, quod Spiritus Sanctus ex Patre procedat & Filio. Latini vero affirmarunt, non ſe hac mente dicere, Spiritum Sanctum ex Patre Filioque procedere, ut excludant Patrem quin ſit fons ac Principium totius Deitatis, Filii ſcilicet, ac Spiritus Sancti, aut quod id quod Spiritus Sanctus procedit ex Filio, Filius a Patre non habeat; ſive quod duo ponant eſſe Principia, ſeu duas Spirationes: ſed unum tantum aſſerant eſſe Principium, unicamque Spirationem Spiritus Sancti, prout hactenus aſſeruerunt. Et cum ex his omnibus unus, & idem eliciatur veritatis ſenſus, tandem in infraſcriptam ſanctam & Deo amabilem eodem ſenſu eademque mente Unionem unanimiter concordarunt, & ſenſerunt. In nomine igitur Sanctæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, hoc ſacro univerſali approbante Florenrino Concilio diffinimus, ut hæc Fidei veritas ab omnibus Chriſtianis credatur, & ſuſcipiatur, ſicque omnes profiteantur, quod Spiritus Sanctus ex Patre & Filio æternaliter eſt, & eſſentiam ſuam, ſuumque eſſe ſubſiſtens habet ex Patre ſimul & Filio, & ex utroque æternaliter tanquam ab uno Principio & unica Spiratione procedit; declarantes quod id, quod Sancti Doctores, & Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum Sanctum, ad hanc intelligentiam tendit, ut per hoc ſignificetur Filium quoque eſſe ſecundum Græcos quidem cauſam, ſecundum Latinos vero Principium Subſiſtentiæ Spiritus Sancti, ſicut, & Patrem; & quoniam omnia, quæ Patris ſunt, Pater ipſe Unigenito Filio ſuo gignendo dedit præter eſſe Patrem, hoc ipſum quod Spiritus Sanctus procedit ex Filio, ipſe Filius a Patre æternaliter habet, a quo etiam æternaliter genitus eſt. Diffinimus inſuper, explicationem verborum illorum, *Filioque*, veritatis declarandæ gra-

tia,

tia, & imminente tunc neceſſitate, licite ac rationabiliter Symbolo fuiſſe appoſitam. Item, in azimo, ſive fermento pane triticeo, Corpus Chriſti veraciter confici; Sacerdoteſque in altero ipſum Domini Corpus conficere debere, unumquemque ſcilicet juxta ſuæ Eccleſiæ, ſive Occidentalis, ſive Orientalis conſuetudinem. Item, ſi vere pœnitentes in Dei charitate deceſſerint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commiſſis ſatisfecerint, & omiſſis, eorum animas pœnis purgatoriis poſt mortem purgari, & ut a pœnis hujuſmodi releventur, prodeſſe eis Fidelium vivorum ſuffragia, Miſſarum ſcilicet Sacrificia, Orationes, & Eleemoſynas, & alia pietatis officia, quæ a Fidelibus pro aliis Fidelibus fieri conſueverant, ſecundum Eccleſiæ inſtituta: Illorumque animas, qui poſt Baptiſma ſuſceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt; illas etiam, quæ poſt contractam peccati maculam, vel in ſuis corporibus, vel eiſdem exutæ corporibus, prout ſuperius dictum eſt, ſunt purgatæ, in Cælum mox recipi, & intueri clare ipſum Deum Trinum & Unum, ſicuti eſt, pro meritorum diverſitate, alium alio perfectius: Illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel ſolo originali decedunt, mox in infernum deſcendere, pœnis tamen diſparibus puniendas. Item diffinimus, Sanctam Apoſtolicam Sedem, & Romanum Pontificem in univerſum Orbem tenere Primatum, & ipſum Pontificem Romanum Succeſſorem eſſe beati Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſiæ Caput, & omnium Chriſtianorum Patrem ac Doctorem exiſtere; & ipſi in beato Petro paſcendi, regendi, ac gubernandi univerſalem Eccleſiam a Domino noſtro Jeſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe; quemadmodum etiam in geſtis Oecumenicorum Conciliorum, & in ſacris Canonibus continetur. Renovantes inſuper ordinem traditum in Canonibus ceterorum venerabilium Patriarcharum; ut Patriarcha Conſtantinopolitanus ſecundus ſit poſt ſanctiſſimum Romanum Pontificem, tertius vero Alexandrinus, quartus autem Antiochenus, & quintus Hieroſolymitanus; ſalvis videlicet privilegiis omnibus, & juribus eorum. Datum Florentiæ in Seſſione publica Synodali ſolemniter in Eccleſia majori celebrata, anno Incarnationis Dominicæ **MCDXXXIX.** pridie nonas Julii, Pontificatus noſtri anno nono.

## COMMENTARIUS.

LXVI. Lecta, & omnium ſubſcriptionibus munita Definitione, Latini, hæc quæſivere a Græcis. I. Cur in apparatu Miſſæ particulas diſponunt, & conjungunt Divino, ac Dominico pani. II. Cur inclinant capita, cum de minori Altari in majus nondum conſecrata deferuntur Sacra Munera? III. Quam ob cauſam infundunt in ſacrum Calicem ferventem aquam? IV. Cur dicunt quando nondum eſt Corpus Chriſti: *Unus autem militum lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit Sanguis, & Aqua?* V. Quare dicunt: *Et ecce ſtella venit, & ſtetit ſupra ubi erat puer?* VI. Quare Epiſcopi non inungunt ſacro Chriſmate, ſed Sacerdotes, cum hoc Pontificibus ſit datum? VII. Quare mortuos ante ſepulturam inungunt oleo? VIII. Cur Sacerdotes, & Epiſcopi Sacrum facturi, non prius Confeſſionem emittunt? IX. Quare non contenti ſunt Domini verbis, *Accipite, & comedite*; ſed poſtea inquiunt: *Et fac quidem panem hunc pretioſum Corpus Chriſti tui*; &, *Tranſmutans ea Spiritu Sancto tuo, Amen, Amen, Amen*. X. Quare conjugia dirimunt, dicente Domino: *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet?* XI. Cur Florentiæ Patriarcham eligere nollent, ſed abire vellent ſine Capite? Atque hæc ſunt, quæ a Latinis objecta ſunt Græcis, quæque Mitylenenſis Archipræſul, ut ajunt Acta, *Canonice omnia legitimeque diſſolvit, præterquam duo, de quibus Papa ſignificavit Imperatori, cur ſcilicet Matrimonia dirimantur, & Patriarcha non eligatur.* Porro quænam fuerint Mitylenenſes Metropolitæ Reſponſiones ad Latinorum objecta, ignoratur, non enim eas Acta referunt.

LXVII. Quicquid ſit de iis Reſponſionibus, poſt aliquot dierum intervallum Summus Pontifex Eugenius IV. Orientales omnes Præſules ad ſe vocavit, & cum nonnulli ex iis ad ipſum Pontificem profecti eſſent, ſic is illos eſt alloquutus: *Nos, Fratres, Dei beneficio ſumus F de conjuncti. Quoniam ergo arcanis Dei judiciis Ego ſum inter vos membra Caput, debeoque qualitercumque admonere, & conſiliis inſtruere ad ea, quæ videntur pietatem, & Eccleſiam noſtram conſtabilire: propono vobis aliqua, ut Fratribus, ut membris, ut Eccleſiarum Doctoribus. Et primo dico, omnes conqueri de ſeparatione Matrimoniorum; idque correctione indiget. Secundo, de Epheſio*, Marco ſcilicet cujus ſupra ſæpe facta eſt mentio; *nam neceſſe eſt, rationem reddat,*

*cur*

*cur ſe a Synodo noſtra ſejungat; neque enim eſt nobis omnibus ſapientior: quia ſcimus, ipſum in diſputationibus hæſiſſe, nec voluiſſe reſpondere ad ea, quæ Frater Joannes ab illo quærebat. Tertio, quoniam Sanctiſſimus Patriarcha Conſtantinopolitanus in æterna receptus eſt tabernacula, opus eſt Eccleſiæ Patriarcha, qui hic ſufficiatur, ubi adſum & ego: non ut corporeum quid lucrifaciam; argentum, & aurum non quæro, imo vero ſuppeditabo, & ſuffectum confirmabo, eumque, qui a me ordinatur, removebo, & Eccleſiæ illi auxilium præſtabo.* Reſponderunt Græcorum Deputati, æquiſſima eſſe, & ſapientiſſima, quæ proponebat Summus Pontifex, ſed ad hæc perſectam reſponſionem ſe dare non poſſe inconſulto Imperatore, ceteriſque Præſulibus. Privatis vero nominibus reſponderunt, non eſſe hæc præſentis temporis, eſto juſta, & neceſſaria eſſent: *Nam*, inquiunt, *Matrimonia dirimimus non ſine juſtis cauſis. Epheſius quoque dicet cauſam. Patriarcha hic non fiet. Moris enim noſtri eſt, eum Conſtantinopoli ab univerſa noſtra Provincia eligi, & in Majori noſtro Templo conſecrari; nec Imperator noſter aliud faciet, cui nota eſt Eccleſiæ noſtræ conſuetudo.* Ad hæc cum Græci utcumque reſpondiſſent, omniaque Imperatori ſuo renunciaſſent, nullum ille de his ulterius fieri verbum paſſus eſt. Hæc conſtant quidem ex hujus Florentini Concilii Actis; atque ita finem habuit totum negotium Unionis, quæ cum vix pene eſſet nata, deinde malis artibus, & impietate Marci Epheſii extincta penitus fuit; mortuo enim paulo poſt ſuum Conſtantinopolim reditum Palæologo Imperatore, Græci ad Schiſmatis vomitum redierunt, de quo videri poſſunt Henricus Spondanus, Odericus Raiualdus, Natalis Alexander, alliique multi eruditi Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scriptores.

*De adventu Armenorum, & eorum inſtitutione, ac Unione cum Eccleſia Romana in hac Synodo Florentina peracta.*

LXVIII. Alia celebris Unio, uti poſt alios Scriptores notat Pagius in Vita Eugenii Papæ IV. Num. CXLVIII. in eadem hac Florentina Synodo ſub prædicti anni MCCCCXXXIX. fine facta eſt, cui Jacobus a Primadiciis Ordinis Minorum laborioſam utilemque operam præſtitit, acceptis ab ipſo Eugenio IV. Papa anno MCDXXXVII. ſecretis mandatis, ut Armenos ad Eccleſiæ Romanæ unionem hortaretur, & ad Ferrarienſem Synodum, de qua ſupra actum eſt, perduceret. Quod quidem feliciter perſecit, ut conſtat ex mandato Oratorum Armeniæ ſcripto die XXV. Julii anno MCCCCXXXVIII. apud Horatium Juſtinianum Parte III. Concilii Florentini, in quo legitur, Conſtantinum Patriarcham Armenorum legaſſe quatuor Doctores Viros præſtantes, videlicet, *Sarchim, Marcham, & Thomam, ac Joachim Epiſcopum Paræ*, qui Decretis Synodi ſuo nomine obedirent. Cum iis Oratoribus aderat prædictus Jacobus a Primadiciis, qui Litteras, quas ſecum detulerat Pauli Imperialis pro Republica Genuenſi Conſulis, Regentis Civitatis Caffæ, & totius maris majoris Gazariæ Imperii, Eugenio Papæ exhibuit, in quibus præter alia Jacobum ipſum his verbis commendat: *Hos enim conducit*, ideſt Armenorum Legatos, *Vicarius Fr. Jacobus, qui ſicut bajur tanti luminis, & reductionis fuit principalis coadjutor, opportunum fuit, ut ſit & ipſe conductor. Nam corda ipſorum Armenorum ita in manibus habet, quod nuſquam abſque ipſo accedere poſſent. Hic enim Vir devotus explicabit cætera latius Sanctitati tuæ &c.* Videri integra hæc Epiſtola poteſt apud eruditiſſimum Labbeum Tomo XVIII. Conciliorum Venetæ editionis.

LXIX. Porro editum jam fuerat Unionis Decretum Græcæ Eccleſiæ cum Latina, omniumque Florentinæ Synodi Patrum cum Latinæ, tum Græcæ Eccleſiæ ſubſcriptionibus munitum, ac in Seſſione publica Synodali, uti ſuperius dictum jam fuit, die VI. Julii Latine primum, ac deinde Græce ſolemniter promulgatum, cum advenere Legati Patriarchæ Armenorum, quærentes & ipſi Unionem cum Eccleſia Romana, Fideique rectitudinem. Admiſſi Oratores, ac Pontificem venerati, Græcorum etiam Imperatorem ſalutarunt, conſiliumque ſuum eidem expoſuerunt, rogantes, ut ipſos auxilio, prudentiaque ſua juvaret. Reſpondit Imperator, *multum ſibi placere eorum ſtudium, & gratum fore, ſi acceſſerint ad Orthodoxam Fidem, & Catholicam Eccleſiam, & precari Deum pro dirigenda eorum Unione, quæ ſi fieret, ſe quoque promiſit ad negotium quodlibet, & quicquid illis opus fuerit, adjutorem.* Conſtant hæc ex Actis hujus Florentinæ Synodi a Scriptore Græco conſcriptis, qui etiam & illud adjungit, Græcos mox Florentia exeuntes Venetias petiiſſe, indeque in Orientem ad Domos ſuas reverſos fuiſſe: *Nos vero Florentia exeuntes, Venetias petivimus, & inde rurſus Domum rediimus.*

LXX. Itaque poſt Græcorum diſceſſum, ſæpe cum Armenorum Oratoribus de ſancta eorum Unione cum Romana Eccleſia contulit Eugenius, lectiſque in Concilio Litteris Patriarchæ Armenorum, ac laudati Pauli Imperialis, electi fuere a Pontifice, ac deputati Antonius Oſtienſis, Branda Portuenſis, & Nicolaus Albergàtus Bononienſis Epiſcopi, & Cardinales, aliique Viri docti, ac divini, & humani Juris peritiſſimi, qui omni cura, ſtudio, diligentia Unionis negotium cum ipſis Oratoribus pertractarent, ab eis accurate inquirentes de eorum Fide tam circa Divinæ Unitatem Eſſentiæ, & Divinarum Perſonarum Trinitatem, quam Domini noſtri Jeſu Chriſti Humanitatem, & ſeptem Eccleſiæ Sacramenta, aliaque ad Fidem Orthodoxam, & Ritus univerſalia Eccleſiæ pertinentia. Multis itaque adhibitis Diſputationibus, colloquutionibus, & tractatibus, expedire judicavit Eugenius, ut ipſe ait, ne ulla in futurum de Fidei veritate apud Armenos eſſet hæſitatio, atque idem per omnia ſaperent cum Sede Apoſtolica, Unioque ipſa ſtabilis, & perpetua perſeveraret, Orthodoxæ Fidei veritatem, quam ſuper præmiſſis Romana profitetur Eccleſia, compendio tradere. Ergo in publica Concilii Seſſione, quod adhuc Florentiæ durabat, licet Græci jam diſceſſiſſent, habita die XXII. Novembris anni MCDXXXIX. non vero die X. Decembris, ut ſcribit Rainaldus ad ipſum annum MCDXXXIX. Num. XIII. per Epiſcopum Paduanum in Eccleſia majori promulgatum eſt Decretum Eugenii pro Armenorum Inſtructione editum, quod incipit: *Exultate Deo &c. Datum Florentiæ in publica Seſſione Synodali anno Incarnationis Dominicæ MCDXXXIX. X. Kal. Decembris, Pontificatus anno IX.*

LXXI. Præcipua Capita hujus Decreti hæc ſunt. Primo, tradit Eugenius Armenis Symbolum

lum Concilii Conſtantinopolitani cum additione *Filioque* in Eccleſia decantandum. Secundo, Definitionem Concilii Chalcedonenſis de duabus Naturis in una Chriſti Perſona. Tertio, Definitionem Concilii VI. Generalis de duabus Voluntatibus, & totidem Chriſti operationibus. Quarto, ut ſuſciperent non ſolum tres Synodos Œcumenicas Nicenam, Conſtantinopolitanam, & Epheſinam primam, ſed & omnes alias univerſales auctoritate Romani Pontificis legitime celebratas. Quinto omnium ſeptem Sacramentorum veritatem, eorumque materias, ac formas. Sexto, Symbolum S. Athanaſii. Septimo, Decretum Unionis nuper cum Græcis conſummatæ. Octavo tandem dies certos aſſignavit celebrandorum Feſtorum, nempe Annunciationis Beatiſſimæ Virginis, Nativitatis B. Joannis Baptiſtæ, Nativitatis, & Circumciſionis Domini, ac Præſentationis ejuſdem in Templo, ſeu Purificationis B. Virginis; quia ſcilicet ipſas Feſtivitates Armeni aliis incertiſque diebus celebrabant. Quæ omnia Armenorum Oratores nomine ſuo, ac ſui Patriarchæ, & omnium Armenorum ſuſceperunt, necnon quicquid tenet & docet Sancta Sedes Apoſtolica, & Romana Eccleſia. Pro majori autem ſuæ mentis expreſſione ſummam ipſius Decreti Armeno idiomate ab ipſis conceptam, Latino ſermone publice ſcriptam, legi fecerunt per Baſilium Ordinis Minorum communem ipſorum & Latinorum Interpretem. Ceterum celebre eſt iſtud Decretum, lubetque hoc loco deſcribere, præſertim quod promulgatum fuerit in publica Concilii hujus Oecumenici Florentini Seſſione, & a Theologis ſæpe adlegetur.

# DECRETUM EUGENII PAPÆ IV.

## *Pro Armenorum Inſtructione, & Unione editum.*

EXultate Deo adjutori noſtro, jubilate Deo Jacob omnes qui ubique nomine cenſemini Chriſtiano. Ecce enim iterum recordatus Dominus miſericordiæ ſuæ, alium diſſidii lapidem nongentis, & amplius inveteratum annis, de Eccleſia ſua auferre dignatus eſt: & qui facit concordiam in ſublimibus, & per quem in terra pax eſt hominibus bonæ voluntatis, optatiſſimam Armenorum Vnionem ſua ineffabili miſeratione conceſſit benedictus Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra. Intuens namque piiſſimus Dominus Eccleſiam ſuam, modo ab his qui foris ſunt, modo ab his qui intra, non parvis agitari turbinibus, ut inter ipſas reſpirare anguſtias, & ad reſiſtendum fortior aſſurgere valeat, multis eam quotidie modis conſolari & roborare dignatur: nam & pridem magnam illam Græcorum Vnionem, multas longe lateque continentium Nationes & Linguas, hodie vero hanc ipſam Armenici populi, qui per Septentrionem, & Orientem in magna copia diffuſus eſt, in eodem Fidei & Charitatis vinculo cum Sede Apoſtolica ſtabilivit. Hæc profecto tam magna & mira ſunt divinæ pietatis beneficia, ut non ſolum pro utroque, ſed ne quidem pro altero ſatis dignas ſuæ Majeſtati referre gratias poſſit intellectus humanus. Quis non vehementer admiretur, uno eodemque tam brevi tempore, duo ſic præclara, & tot ſæculis deſiderata opera, in hoc ſacro Concilio fuiſſe tam feliciter conſummata? Vere a Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris. Quomodo enim hominum prudentia, vel induſtria, niſi gratia Dei, & cæpiſſet, & perfeciſſet, has tantas & tales res explere potuiſſet? Laudemus jugiter, & toto corde benedicamus Dominum, qui fecit mirabilia magna ſolus, ipſique pſallamus ſpiritu, pſallamus & mente, oreque, & opere, quantum ſinit humana fragilitas, pro tantiſque muneribus gratias agamus, orantes, & obſecrantes, ut quemadmodum ipſi Græci, atque Armeni unum cum Eccleſia Romana effecti ſunt, ita fiant & ceteræ Nationes, præſertim Chriſti charactere inſignitæ; & totus denique populus Chriſtianus, omnibus odiis belliſque extinctis, mutua invicem pace, & fraterna charitate quieſcat, & gaudeat. Ipſos autem Armenos magnis laudum præconiis dignos eſſe merito cenſemus. Ut primum enim a nobis ad Synodum acceriti ſunt, tanquam Eccleſiaſticæ avidi unitatis, ſpectabiles, devotos, & doctos Oratores ſuos cum ſufficienti mandato, de ſuſcipiendo videlicet quidquid Spiritus Sanctus hanc Sanctam Synodum illuſtraverit, ex remotiſſimis regionibus, per multos labores, mariſque

que pericula ad nos, & hoc Sacrum Concilium deſtinarunt. Nos vero totamente, ut noſtrum Paſtorale decebat officium, cupientes tam ſanctum perficere opus, ſæpe cum ipſis Oratoribus de hac ſancta Unione contulimus: & ne vel parva huic ſanctæ rei dilatio fieret, deputavimus de omni ſtatu hujus ſacri Concilii Viros, juris divini, & humani doctiſſimos; qui cum omni cura, ſtudioque, & diligentia, rem iſtam cum iſtis pertractarunt Oratoribus, ab eis accurate inquirentes eorum Fidem, tam circa Divinæ Vnitatem Eſſentiæ, & Divinarum Perſonarum Trinitatem, quam Domini noſtri Jeſu Chriſti Humanitatem, & ſeptem Eccleſiæ Sacramenta, & alia ad Fidem orthodoxam, & Ritus univerſalis Eccleſiæ pertinentia. Multis itaque adhibitis diſputationibus, collocutionibus, & tractatibus; poſtque non mediocrem teſtimoniorum inſpectionem, quæ ex ſanctis Eccleſiæ Patribus, & Doctoribus deducta ſunt, & earum, de quibus agebatur, rerum diſcuſſionem; tandem expedire judicavimus, ne ulla in futurum de Fidei veritate apud ipſos Armenos hæſitatio eſſe valeat, atque idem per omnia ſapiant cum Sede Apoſtolica, Vnioque ipſa ſtabilis & perpetua ſine ullo ſcrupulo perſeveret, ut ſub quodam brevi compendio orthodoxæ Fidei veritatem, qua ſuper præmiſſis Romana profitetur Eccleſia, per hoc Decretum, ſacro hoc approbante Florentino Concilio, ipſis Oratoribus ad hoc etiam conſentientibus traderemus.

Imprimis ergo damus eis ſanctum Symbolum a centum quinquaginta Epiſcopis in Oecumenico Conſtantinopolitano Concilio editum, cum illa additione, *Filioque*, ipſi Symbolo declarandæ veritatis gratia, & urgente neceſſitate, licite, & rationabiliter appoſita: cujus talis eſt tenor; *Credo in unum Deum, &c.* hoc autem ſanctum Symbolum, ſicut apud Latinos mos eſt, ita decernimus per omnes Armenorum Eccleſias intra Miſſarum Solemnia ſingulis ſaltem Dominicis diebus, & majoribus feſtivitatibus decantari, vel legi.

Secundo tradimus eis definitionem quarti univerſalis Concilii Chalcedonenſis, in quinto poſtea, & ſexto univerſalibus Conciliis renovatam de duabus Naturis in una Chriſti Perſona, cujus tenor talis eſt: Sufficeret quidem ſapiens hoc & ſalutare Divinæ Gratiæ Symbolum ad plenam cognitionem, ac confirmationem pietatis: de Patre enim & Filio & Spiritu Sancto perfectionem docet, & Domini Humanitatem fideliter accipientibus repræſentat. Sed quoniam hi qui conantur reprobare prædicationem veritatis, per proprias Hæreſes novas voces genuerunt; & hi quidem præſumentes corrumpere myſterium diſpenſationis Domini, quæ propter nos facta eſt; alii vero introducentes confuſionem permixtionemque, & ſtulte confingentes unam eſſe naturam carnis, & Deitatis, & portentoſe dicentes paſſibilem Unigeniti Divinam Naturam: ob hoc volens claudere illis omnem machinationem contra veritatem, præſens nunc ſancta, & magna, atque univerſalis Synodus prædicationem hanc docens ab initio immobilem, decrevit ante omnia, Fidem trecentorum decem & octo Sanctorum Patrum manere irrecuſabilem: & poſteriore tempore propter illos quidem, qui pugnant adverſus Spiritum Sanctum, corroborat doctrinam de ſubſtantia Spiritus traditam a Patribus centum quinquaginta apud Conſtantinopolim congregatis, quam illi omnibus notam fecerunt; non quaſi inferentes, quod aliquid minus eſſet in præcedentibus, ſed eorum intellectum de Spiritu Sancto Scripturarum teſtimoniis declarantes, adverſus eos, qui dominationem ejus reſpuere tentaverunt.

Propter illos autem, qui moliuntur corrumpere diſpenſationis myſterium, & impudenter delirant, dicentes, purum hominem eſſe illum, qui ex Sancta Maria Virgine natus eſt, ſuſcepit Epiſtolas Synodicas Beati Cyrilli quondam

præſulis Eccleſiæ Alexandrinæ ad Neſtorium, & ad Orientales congruas exiſtentes ad convincendas Neſtorii veſanias, & ad interpretationem eorum, qui ſalutaris Symboli mentem pio zelo noſſe deſiderant. Quibus etiam conſequentiſſime Epiſtolam coaptavit magnæ, & Senioris Urbis Romæ Præſulis, beatiſſimi, ac ſanctiſsimi Leonis Papæ, quæ ſcripta eſt ad ſanctæ memoriæ Archiepiſcopum Flavianum, ad perimendam Eutychis malam intelligentiam, utpote congruentem illius magni Petri confeſsioni, & exiſtentem nobis quamdam columnam communem adverſus prava dogmata, & ad confirmationem rectorum dogmatum. His namque, qui in duos Filios diſpenſationis divinæ myſterium diſcerpere nituntur, obſiſtit: & illos, qui paſsibilem Deitatem Unigeniti auſi ſunt dicere, a ſacro cœtu expellit: & his qui in duabus Naturis Chriſti temperamentum, aut confuſionem exquirunt, reſiſtit: & eos qui dicunt, ſervi formam, quam ex nobis aſſumpſit, cæleſtem eſſe, aut alterius alicujus ſubſtantiæ, ut dementes abigit: & qui duas quidem ante unitionem Naturas Domini fabulantur, unam vero poſt unitionem confingunt, anathematizat. Sequentes igitur Sanctos Patres, unum eumdemque confiteri Filium Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum conſonanter omnes docemus, eumdem perfectum in Deitate, eumdem perfectum in humanitate; Deum vere, & hominem vere; eumdem ex anima rationali, & corpore; conſubſtantialem Patri ſecundum Deitatem, & conſubſtantialem Matri ſecundum Humanitatem, per omnia nobis ſimilem abſque peccato: ante ſæcula quidem de Patre genitum ſecundum Deitatem; in noviſſimis autem diebus, eumdem propter nos, & propter ſalutem noſtram, ex Maria Virgine Dei Genitrice ſecundum humanitatem; unum eumdemque Chriſtum, verum Filium, Dominum, Vnignitum, in duabus Naturis inconfuſe, immutabiliter, indiviſe, inſeparabiliter agnoſcendum; nuſquam ſublata differentia naturarum propter unitionem, magiſque ſalva proprietate utriuſque naturæ, & in unam perſonam, atque ſubſiſtentiam concurrente; non in duas perſonas partitum, ſive diviſum, ſed unum, & eundem Filium, Deum verum, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ſicut ante Prophetæ de eo, & ipſe nos Jeſus Chriſtus erudivit, & Sanctorum Patrum nobis tradidit Symbolum.

Tertio diffinitionem de duabus Voluntatibus, duabuſque Chriſti operationibus in prædicto ſexto Concilio promulgatam, cujus tenor talis eſt: Sufficeret quidem, & reliqua, quæ in ipſa definitione Concilii Chalcedonenſis ſuperius enarrata, ſequuntur uſque ad finem; poſt quem ſequitur in hunc modum: & duas naturales voluntates in eo, & duas naturales operationes indiviſe, inconvertibiliter, inſeparabiliter, inconfuſe, ſecundum Sanctorum Patrum doctrinam adæque prædicamus, & duas naturales voluntates non contrarias, juxta quod impii aſſeruerunt Hæretici, ſed ſequentem humanam ejus volutatem, & non reſiſtentem, vel reluctantem, ſed potius & ſubjectam Divinæ ejus atque Omnipotenti voluntati. Oportebat enim carnis voluntatem moveri, ſubjici vero voluntati Divinæ, juxta ſapientiſſimum Athanaſium. Sicut enim caro Dei Verbi dicitur & eſt, ita & naturalis carnis ejus voluntas, propria Dei Verbi dicitur & eſt, ſicut ipſe ait: *Quia deſcendi de Cælo, non ut faciam voluntatem meam, ſed ejus, qui miſit me, Patris*; ſuam propriam dicens voluntatem, quæ erat carnis ejus: nam & caro propria ejus facta eſt. Quemadmodum enim ſanctiſſima, atque immaculata animata ejus caro deificata eſt, non eſt peremta, ſed in proprio ſuo, & ſtatu ratione permanſit; ita & humana ejus voluntas deificata eſt, non eſt peremta; ſalvata eſt autem magis, ſecundum Deiloquum Gregorium dicentem: nam velle illius, qui in Salvatore intelligitur, non eſt contrarium Deo; Deificatum eſt totum. Duas enim naturales operationes indiviſe, inconverti-

vertibiliter, inconfuſe, inſeparabiliter, in eodem Domino Jeſu Chriſto vero Deo noſtro glorificamus, hoc eſt, divinam operationem, & humanam operationem, ſecundum divinum prædicatorem Leonem apertiſſime aſſerentem: agit enim utraque forma cum alterius communione, quod proprium eſt, Verbo ſcilicet operante, quod Verbi eſt, & carne exequente, quod carnis. Nec enim in quoquam unam dabimus naturalem operationem Dei, & creaturæ: ut neque quod creatum eſt, in Divinam educamus eſſentiam; neque quod eximium eſt Divinæ Naturæ, ad competentem creaturis locum dejiciamus. Unius enim & ejuſdem tam miracula, quamque paſſiones cognoſcimus, ſecundum aliud, & aliud earum, ex quibus eſt naturarum, & in quibus habet eſſe, ſicut admirabilis inquit Cyrillus. Undique igitur inconfuſum, atque indiviſum conſervantes unum ſanctæ Trinitatis brevi voce cuncta proferimus: & poſt Incarnationem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum verum Deum eſſe credentes, aſſerimus duas ejus eſſe Naturas, in una ejus radiantes Subſiſtentia: in qua tam miracula, quamque paſſiones, per omnem ſui diſpenſativam converſationem, non per phantaſiam, ſed veraciter demonſtravit, ob naturalem differentiam in eadem una Subſiſtentia cognoſcendam; dum utraque natura cum alterius communione indiviſe, & inconfuſe propria vellet, atque operaretur: juxta quam rationem, & duas naturales voluntates, & operationes confitemur, ad ſalutem humanam convenienter in eo concurrentes.

Quarto quoniam hactenus ipſi Armeni præter has tres, Nicenam, Conſtantinopolitanam, & Epheſinam primam, Synodos nullas alias univerſales poſtea celebratas, nec ipſum beatiſſimum hujus Sanctæ Sedis Antiſtitem Leonem, cujus auctoritate ipſa Chalcedonenſis Synodus extitit congregata, ſuſceperunt, aſſerentes, eiſdem fuiſſe ſuggeſtum, tam Synodum ipſam Chalcedonenſem, quam memoratum Leonem, ſecundum damnatam Neſtorii Hæreſim definitionem feciſſe: inſtruximus eos, & declaravimus, hujuſmodi falſam fuiſſe ſuggeſtionem, ipſamque Synodum Chalcedonenſem, & beatiſſimum Leonem ſancte & recte veritatem de duabus in una Perſona Chriſti Naturis ſuperius deſcriptam definiſſe, contra impia Neſtorii, & Eutychis dogmata: injunximuſque, ut ipſum beatiſſimum Leonem, qui veræ Fidei columna fuit, & omni ſanctitate, & doctrina refertus, tanquam Sanctum, & in Catalogo Sanctorum merito deſcriptum, de cetero reputent, & venerentur: atque non ſolum dictas tres Synodos, ſed & omnes alias univerſales auctoritate Romani Pontificis legitime celebratas, ſicut & ceteri Fideles, reverenter ſuſcipiant.

Quinto Eccleſiaſticorum Sacramentorum veritatem pro ipſorum Armenorum tam præſentium, quam futurorum faciliori doctrina, ſub hac breviſſima redigimus formula. Novæ Legis ſeptem ſunt Sacramenta, videlicet Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, Extrema-Unctio, Ordo, & Matrimonium; quæ multum a Sacramentis differunt antiquæ Legis. Illa enim non cauſabant gratiam, ſed eam ſolum per Paſsionem Chriſti dandam eſſe figurabant: hæc vero noſtra, & continent gratiam, & ipſam digne ſuſcipientibus conferunt. Horum quinque prima ad ſpiritualem uniuſcujuſque hominis in ſeipſo perfectionem, duo ultima ad totius Eccleſiæ regimen, multiplicationemque ordinata ſunt. Per Baptiſmum enim ſpiritualiter renaſcimur; per Confirmationem augemur in Gratia, & roboramur in Fide: renati autem, & roborati, nutrimur divina Euchariſtiæ alimonia. Quod ſi per peccatum ægritudinem incurrimus animæ, per Pœnitentiam ſpiritualiter ſanamur; ſpiritualiter etiam & corporaliter, prout animæ expedit, per Extremam-Unctionem: per Ordinem vero Eccleſia gubernatur, & multiplicatur ſpiritualiter: per Matrimonium corporaliter augetur.

tur. Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & perſona Miniſtri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia; quorum ſi aliquod deſit, non perficitur Sacramentum. Inter hæc Sacramenta, tria ſunt, Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo, quæ Characterem, ideſt, ſpirituale quoddam ſignum a ceteris diſtinctivum, imprimunt in anima indelebile. Unde in eadem perſona non reiterantur. Reliqua vero quatuor Characterem non imprimunt, & reiterationem admittunt.

Primum omnium Sacramentorum locum tenet ſanctum Baptiſma, quod vitæ ſpiritualis janua eſt: per ipſum enim membra Chriſti, ac de Corpore efficimur Eccleſiæ. Et cum per primum hominem mors introierit in univerſos, niſi ex aqua, & ſpiritu renaſcimur, non poſſumus, ut inquit Veritas, in Regnum Cælorum introire. Materia hujus Sacramenti eſt aqua, vera, & naturalis: nec refert frigida ſit an calida. Forma autem eſt: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Non tamen negamus, quin & per illa verba, Baptizetur talis ſervus Chriſti in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, verum perficiatur Baptiſma: quoniam cum principalis cauſa, ex qua Baptiſmus virtutem habet, ſit Sancta Trinitas, inſtrumentalis autem ſit Miniſter, qui tradit exterius Sacramentum, ſi exprimitur actus, qui per ipſum exercetur Miniſtrum, cum Sanctæ Trinitatis invocatione, perficitur Sacramentum. Miniſter hujus Sacramenti eſt Sacerdos, cui ex officio competit baptizare. In cauſa autem neceſsitatis non ſolum Sacerdos, vel Diaconus, ſed etiam laicus, vel mulier, imo etiam Paganus, & Hæreticus baptizare poteſt, dummodo formam ſervet Eccleſiæ, & facere intendat, quod facit Eccleſia. Hujus Sacramenti effectus, eſt remiſsio omnis culpæ originalis, & actualis, omnis quoque pœnæ, quæ pro ipſa culpa debetur. Propterea baptizatis nulla pro peccatis præteritis injungenda eſt ſatisfactio: ſed morientes, antequam culpam aliquam committant, ſtatim ad Regnum Cælorum, & Dei viſionem perveniunt.

Secundum Sacramentum eſt Confirmatio; cujus materia eſt Chriſma confectum ex oleo, quod nitorem ſignificat conſcientiæ, & balſamo, quod odorem ſignificat bonæ famæ, per Epiſcopum benedicto. Forma autem eſt: *Signo te ſigno Crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Ordinarius miniſter eſt Epiſcopus. Et cum ceteras unctiones ſimplex Sacerdos veleat exhibere, hanc nonniſi Epiſcopus debet conferre: quia de ſolis Apoſtolis legitur, quorum vicem tenent Epiſcopi, quod per manus impoſitionem Spiritum Sanctum dabant, quemadmodum Actuum Apoſtolorum locutio manifeſtat: *Cum enim audiſſent*, inquit, *Apoſtoli, qui erant Hieroſolymis, quia recepiſſet Samaria Verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum, & Joannem. Qui cum veniſſent, oraverunt pro eis, ut acciperent Spiritum Sanctum: nondum enim in quemquam illorum venerat, ſed baptizati tantum erant in nomine Domini Jeſu; tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum Sanctum*. Loco autem illius manus impoſitionis datur in Eccleſia Confirmatio, legitur tamen, aliquando per Apoſtolicæ Sedis diſpenſationem ex rationabili, & urgente admodum cauſa, ſimplicem Sacerdotem Chriſmate per Epiſcopum confecto hoc adminiſtraſſe Confirmationis Sacramentum. Effectus autem hujus Sacramenti eſt, quia in eo datur Spritus Sanctus ad robur, ſicut datus eſt Apoſtolis in die Pentecoſtes; ut videlicet Chriſtianus audacter Chriſti confiteatur Nomen. Ideoque in fronte, ubi verecundiæ ſedes eſt, confirmandus inungitur, ne Chriſti Nomen confiteri erubeſcat, & præcipue Crucem ejus, *quæ Judæis quidem eſt ſcandalum, Gentibus autem ſtultitia*, ſecundum Apoſtolum; propter quod ſigno Crucis ſignatur.

Ter-

Tertium eſt Euchariſtiæ Sacramentum, cujus materia eſt panis triticeus, & vinum de vite, cui ante Conſecrationem aqua modiciſſima admiſceri debet. Aqua autem ideo admiſcetur, quoniam juxta teſtimonia Sanctorum Patrum, ac Doctorum Eccleſiæ pridem in diſputatione exhibita, creditur, ipſum Dominum in vino aqua promixto hoc inſtituiſſe Sacramentum. Deinde, quia hoc convenit Dominicæ Paſſionis repræſentationi. Inquit enim Beatus Alexander Papa Quintus a Beato Petro: in Sacramentorum oblationibus, quæ intra Miſſarum ſolemnia Domino offeruntur, panis tantum, & vinum aqua permixtum in Sacrificium offerantur. Non enim debet in Calicem Domini, aut vinum ſolum, aut aqua ſola offerri, ſed utrumque permixtum: quia utrumque, ideſt, Sanguis, & aqua ex latere Chriſti profluxiſſe legitur, tum etiam, quod convenit ad ſignificandum hujus Sacramenti effectum, qui eſt unio populi Chriſtiani ad Chriſtum. Aqua enim populum ſignificat ſecundum illud Apocalypſis: *Aquæ multæ, populi multi*. Et Julius Papa, ſecundus poſt Beatum Silveſtrum, ait: Calix Dominicus juxta Canonum præceptum, vino & aqua permixtus debet offerri; quia videmus in aqua populum intelligi, in vino vero oſtendi Sanguinem Chriſti. Ergo cum in Calice vinum, & aqua miſcetur, Chriſto populus adunatur, & Fidelium plebs ei, in quem credit, copulatur, & jungitur. Cum ergo tam Sancta Romana Eccleſia a beatiſſimis Apoſtolis Petro, & Paulo edocta, quam reliquæ omnes Latinorum, Græcorumque Eccleſiæ, in quibus omnis ſanctitatis, & doctrinæ lumina claruerunt, ab initio naſcentis Eccleſiæ ſic ſervaverint, & modo ſervent, inconveniens admodum videtur, ut alia quævis regio ab hac univerſali, & rationabili diſcrepet obſervantia. Decernimus igitur, ut etiam ipſi Armeni ſe cum univerſo Orbe Chriſtiano conforment: eorumque Sacerdotes in Calicis oblatione paululum aquæ, prout dictum eſt, admiſceant vino. Forma hujus Sacramenti ſunt verba Salvatoris, quibus hoc conficit Sacramentum. Sacerdos enim in perſona Chriſti loquens, hoc conficit Sacramentum. Nam ipſorum verborum virtute, ſubſtantia panis in Corpus Chriſti, & ſubſtantia vini in Sanguinem convertuntur: ita tamen, quod totus Chriſtus continetur ſub ſpecie panis, & totus ſub ſpecie vini; ſub qualibet quoque parte Hoſtiæ conſecratæ, & vini conſecrati, ſeparatione facta, totus eſt Chriſtus. Hujus Sacramenti effectus, quem in anima operatur digne ſumentis, eſt adunatio hominis ad Chriſtum. Et quia per Gratiam homo Chriſto incorporatur, & membris ejus unitur, conſequens eſt, quod per hoc Sacramentum in ſumentibus digne Gratia augeatur: omnemque effectum quem materialis cibus, & potus, quoad vitam agunt corporalem, ſuſtentando, augendo, reparando, & delectando, Sacramentum hoc quoad vitam operatur ſpiritualem: in quo, ut inquit Urbanus Papa, gratam Salvatoris noſtri recenſemus memoriam, a malo retrahimur, confortamur in bono, & ad virtutum, & gratiarum proficimus incrementum.

Quartum Sacramentum eſt Pœnitentia, cujus quaſi materia ſunt actus Pœnitentis, qui in tres diſtinguuntur partes. Quarum prima, eſt cordis contritio; ad quam pertinet, ut doleat de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cetero. Secunda eſt oris Confeſſio: ad quam pertinet, ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, ſuo Sacerdoti confiteatur integraliter. Tertia eſt ſatisfactio pro peccatis, ſecundum arbitrium Sacerdotis; quæ quidem præcipue fit per orationem, jejunium, & eleemoſynam. Forma hujus Sacramenti ſunt verba abſolutionis, quæ Sacerdos profert cum dicit: *Ego te abſolvo, &c.* Miniſter hujus Sacramenti eſt Sacerdos habens auctoritatem abſolvendi, vel ordinariam, vel ex commiſſione Superioris. Effectus hujus Sacramenti eſt abſolutio a peccatis.

Quin-

Quintum Sacramentum eſt Extrema-Vnctio, cujus materia eſt oleum olivæ per Epiſcopum benedictum. Hoc Sacramentum niſi infirmo, de cujus morte timetur, dari non debet: qui in his locis ungendus eſt; in oculis propter viſum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter guſtum, vel locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter greſſum, in renibus propter delectationem ibidem vigentem. Forma hujus Sacramenti eſt hæc: *Per iſtam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per viſum, &c.* & ſimiliter in aliis membris. Miniſter hujus Sacramenti eſt Sacerdos; effectus vero eſt mentis ſanatio, &, in quantum autem expedit, ipſius etiam corporis. De hoc Sacramento inquit beatus Jacobus Apoſtolus: *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Eccleſiæ, ut orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio Fidei ſalvabit infirmum; & alleviabit eum Dominus: & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei.*

Sextum Sacramentum eſt Ordinis, cujus materia eſt illud, per cujus traditionem confertur Ordo, ſicut Presbyteratus traditur per Calicis cum vino, & Patenæ cum pane porrectionem. Diaconatus vero per Libri Evangeliorum dationem. Subdiaconatus vero per Calicis vacui cum Patena vacua ſuperpoſita traditionem: & ſimiliter de aliis, per rerum ad miniſteria ſua pertinentium aſſignationem; Forma Sacerdotii talis eſt: *Accipe poteſtatem offerendi Sacrificium in Eccleſia pro vivis, & mortuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Et ſic de aliorum Ordinum formis, prout in Pontificali Romano continetur late. Ordinarius Miniſter hujus Sacramenti eſt Epiſcopus, effectus augmentum Gratiæ, ut quis ſit idoneus Miniſter.

Septimum eſt Sacramentum Matrimonii, quod eſt ſignum conjunctionis Chriſti & Eccleſiæ ſecundum Apoſtolum dicentem: *Sacramentum hoc magnum eſt: Ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia.* Cauſa efficiens Matrimonii regulariter eſt mutuus conſenſus per verba de præſenti expreſſus. Aſſignatur autem triplex bonum Matrimonii. Primum eſt proles ſuſcipienda, & educanda ad cultum Dei. Secundum eſt fides, quam unus conjugum alteri ſervare debet. Tertium indiviſibilitas Matrimonii propter hoc, quod ſignificat indiviſibilem conjunctionem Chriſti & Eccleſiæ. Quamvis autem ex cauſa fornicationis liceat tori ſeparationem facere, non tamen aliud Matrimonium contrahere fas eſt, cum Matrimonii vinculum legitime contracti perpetuum ſit.

Sexto compendioſam illam Fidei regulam, per beatiſſimum Athanaſium editam, ipſis præbemus Oratoribus, cujus tenor talis eſt: *Quicumque vult ſalvus eſſe, &c.*

Septimo Decretum Vnionis cum Græcis conſummatæ pridem in hoc Sacro Oecumenico Florentino Concilio promulgatum, cujus tenor talis eſt: *Eugenius, &c. Lætentur Cæli, &c.*

Octavo, cum inter alia ſit etiam cum ipſis Armenis diſputatum, quibus diebus feſtivitates Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis, Nativitatis Beati Joannis Baptiſtæ, & conſequenter Nativitatis, & Circumciſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti, ac Præſentationis ejuſdem in Templo, ſeu Purificationis Beatæ Virginis Mariæ celebrari debeant, ſatiſque dilucide veritas patefacta fuerit, tam Sanctorum Patrum teſtimoniis, quam conſuetudine Eccleſiæ Romanæ, & omnium aliarum univerſaliter apud Latinos, & Græcos. Ne igitur in tantis celebritatibus diſpar ſit Chriſtianorum ritus, unde perturbandæ charitatis occaſio poſſit oriri, decernimus tanquam veritati, & rationi conſentaneum, & juxta totius reliqui orbis obſervantiam, ut ipſi etiam Armeni Feſtum Annunciationis Beatæ Mariæ die vigeſimaquinta Martii, Nativitatis Beati Joannis Baptiſtæ vigeſimaquar-

quarta Junii, Nativitatis vero ſecundum carnem Salvatoris noſtri vigeſimaquinta Decembris, Circumciſionis ejuſdem prima Januarii, Præſentationis Domini in Templo, ſeu Purificationis Dei Genitricis ſecunda Februarii, debeant ſolemniter celebrare. His omnibus explicatis, prædicti Armenorum Oratores nomine ſuo, & ſui Patriarchæ, & omnium Armenorum, hoc ſaluberrimum Synodale Decretum cum omnibus ſuis Capitulis, declarationibus, definitionibus, traditionibus, præceptis, & ſtatutis, omnemque doctrinam in ipſo deſcriptam, necnon quidquid tenet, & docet Sancta Sedes Apoſtolica, & Romana Eccleſia, cum omni devotione, & obedientia acceptant, ſuſcipiunt, & amplectuntur. Illos quoque Doctores, & Sanctos Patres, quos Eccleſia Romana approbat, ipſi reverenter ſuſcipiunt: quaſcumque vero perſonas, & quidquid ipſa Romana Eccleſia damnat, & reprobat, ipſi pro reprobatis, & damnatis habent, profitentes, tanquam veri obedientiæ filii, nomine quo ſupra, ipſius Sedis Apoſtolicæ ordinationibus, & juſſionibus fideliter obtemperare. Datum Florentiæ in publica Seſſione Synodali ſolemniter in Eccleſia majori celebrata, anno Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimo nono, decimo Kalendas Decembris, Pontificatus noſtri anno nono.

## COMMENTARIUS.

LXXII. Hactenus Eugenii Decretum pro Armenis. Dubitatum autem eſt, an Decretum ipſum, quo continetur Inſtructio Armenorum, & eorum Unio cum Eccleſia ſit pars hujus Concilii. Aliqui enim multum diſcriminis ponunt inter definitionem Concilii, qua continetur Unio cum Græcis, & Decretum aliud Eugenii pro Armenis; illi quippe omnem auctoritatem tribuunt, quæ Decretis Synodi Generalis competere poteſt, huic non ita, quod jam Græci diſceſſiſſent, cum Unio facta eſt cum Armenis, ita ut non putent tunc fuiſſe Synodum Generalem. Verum doctiſſimus Petrus Arcudius in præclariſſimo Opere, *De Concordia Eccleſiæ Orientalis, & Occidentalis*, Cap. v. optime oſtendit, Decretum iſtud, totius Concilii nomine editum fuiſſe. Quamvis enim Græci in ipſa Florentina Synodo pars ejus Synodi fuerint, illiſque non præſentibus pars aliqua Synodi defuerit; quia tamen ipſis conſentientibus Unio Armenorum ſubſequuta eſt (quippe Græcis placebat Armenos inſtruendos eſſe a Latinis, ut intelligere licet ex colloquio Armenorum privatim habito cum Imperatore) & Concilium cenſetur unum & integrum, præſertim quando ſuperſederit, & non abierit Caput ipſius Concilii, ideſt, Summus Pontifex cum quibuſdam nobiliſſimis membris, Cardinalibus ſcilicet, atque Epiſcopis: propterea Viri doctiſſimi merito affirmant, Decretum ipſum pro Armenis nomine totius Concilii fuiſſe editum; idque perſpicue oſtendunt verba ejuſdem Decreti, in quibus ait Eugenius Papa IV. ſe tradere Armenis *ſub brevi quodam compendio Orthodoxæ Fidei veritatem .... ſacro hoc approbante Florentino Concilio.*

LXXIII. Confirmat hoc ipſum Henricus Spondanus Appamiarum Epiſcopus ad annum Chriſti MCDXXXIX. afferens, non una cum Græcorum diſceſſu diſſipatam eſſe, quod multi male opinati ſunt, Florentinam Synodum Generalem, ſed continuatam quidem cum Patribus Latinis, nec ſolum hoc anno, verum etiam tribus ſequentibus, quod ſcilicet vellet ſecum perpetuo habere Eugenius Pontifex cum quibus poſſet de Schiſmate, quod parabatur in Germania, conſultare, ac decernere. Quod & luculenter confirmatum reperimus ex Actis celeberrimi Concilii Tridentini, quæ Romæ in Arce S. Angeli aſſervantur. Ubi, ut inter alios tradit eruditus Ludovicus Bail in ſuis ad Concilium Florentinum Annotationibus, legitur, quod cum Epiſcopus Clodienſis in Congregatione Generali die XXVI. Februarii anni MDXLVII. excitaſſet difficultatem de Bulla Unionis Jacobitarum, quaſi ea non pertineret ad Florentinum Concilium, quod terminatum fuiſſet anno MCDXXXIX. quo conſignata eſt Bulla Unionis Græcorum, Bulla autem Jacobitarum anno MCDXLI. ſive potius MCDXLII. Cardinalis a Monte memorati Concilii Tridentini Præſes hallucinari eos reſponderit, qui putarent, finem Concilii Florentini fuiſſe Unionem Græcorum, cum longe poſt, per tres ſcilicet fere annos perduraverit, nempe uſque ad annum Domini MCDXLII. quo anno, VI. Kalendas Maji celebrata Seſſione Romam tranſlatum fuit Generale hoc ipſum, & Œcumenicum Concilium Florentinum.

LXXIV. Veniſſe autem una cum ipſis Armenis Oratores ex India, teſtatur S. Antoninus Titulo XXII. Cap. XI. §. I. Sed cum de iſtis nulla in hoc Eugenii recitato Decreto fiat mentio, de quibus tamen ſe ſe offerebat opportuniſſima occaſio loquendi, viſum eſt variis Scriptoribus, teſtimonium S. Antonini dubiæ fidei eſſe. Verum notat Pagius in Vita Eugenii Papæ, Num. CXLIX. ex Litteris Alexandri Papæ III. datis *Venetiæ in Rivo alto v. Kal. Octobris MCLXXVII.* quas refert Matthæus Pariſius anno MCLXXXI. per Indos, de quibus loquitur S. Antoninus, intelligendos eſſe Æthiopes, quod illæ nempe Alexandri Litteræ ita inſcriptæ ſint: *Alexander Papa chariſſimo in Chriſto filio Presbytero Joanni, illuſtri & magnifico Indorum Regi.* Reges autem Æthiopiæ regnaſſe olim in India, eorumque Regna in Aſia ſita fuiſſe, nemo eſt qui neſciat. Quamobrem S. Antoninus verum dicit, cum ait, Indos veniſſe Florentiam. Fallitur in eo tamen, quod dicit veniſſe cum Armenis, cum certum ſit, Arme-

nos veniſſe anno Chriſti MCDXXXIX. Iudos vero, ſeu Æthiopes anno MCDXLI. uti mox dicemus,

*De Ordinationibus Græcorum.*

LXXV. Quicquid autem de hac re ſit, qnod Græcorum ordinationes ſpectat, quædam plane ſunt in ipſo Eugenii Decreto pro Armenis, quæ non parum difficultatis afferre poſſunt. Si enim Decretum iſtud Romani Pontificis, & Generalis Concilii auctoritate promulgatum eſt, uti nonnulli objicere ſolent, tenerentur Græci in Ordinationis Sacramento tradere inſtrumenta tangenda ordinandis, & uti formis, quas aſſignat Decretum in adminiſtratione Sacramentorum, quod tamen minime ab eiſdem obſervatur. Nodum hunc egregie diſſolvit eruditiſſimus Petrus Arcudius in celebri Opere, *Ds Concordia Eclsſiæ Orientalis, & Occidtntalis*, ubi ingenue primum ait, teneri Græcos bene ſentire de toto illo Decreto tanquam Synodico: teneri etiam iu Sacramentis nihil eſſentiale prætermittere; formas autem Græcas, & Latinas, ſicut & materias idem valere. Docet deinde Auctor præſtantiſſimus, manus quidem impoſitionem in Ordinatione potiſſimum Presbyteri, cujus alias non ſit expreſſa mentio in ipſo Decreto pro Armenis, apud Latinos eſſe materiam eſſentialem, ut & apud Græcos, ſed apud Latinos una cum inſtrumentis magis explicatam, & dilatatam eſſe, quam tamen dilatationem Græci non damnant, neque enim unquam cum Latinis de hac re conqueſti ſunt, licet ipſam minime adhibeant. Non enim neceſſe eſt, ut Theologi inſignes docent, ſi non eſt talis mos apud illos, ut eam adhibeant, ſed ſatis eſt, ſi eam non damnent in aliis, etſi per ſolam ipſi manus impoſitionem totum adimpleant; videreturque nimis durum aſſerere, Græcos iterum debere ordinari; hac enim ratione nunquam ſuiſſet Sacrdotium apud Græcos, & tamen Græci de hac re nunquam objurgati ſunt a Latinis; neque, ubi ad concordiam revertuntur, iterum apud Latinos ordinantur, aut aliquid ſuppletur in eorum Ordinatione.

LXXVI. Hanc Arcudii ſententiam laudant, probantque docti plerique Auctores, quia ſcilicet ad materiam Ordinis aliud non requiri ajunt, niſi ut fiat ſigno viſibili, per quod gradus illius miniſterii repræſentetur ſufficienter prolata debita forma. Ad quod reſpiciens Concilium Tridentinum Seſſione XXIII. *De Ordine*, Cap. III. dicit, ſacram Ordinationem *vsrbis & ſignis exserioribus* perfici. Dicit *ſignis exterioribus*, quia ſicuti traditio poteſtatis per ſigna externa variis modis fit, ut impoſitione manuum, & traditione inſtrumentorum, alterutrum ſufficit, quando eſt proportionatum ſignum traditæ poteſtatis. Eſt autem apud Græcos impoſitio manuum ſignum proportionatum traditæ poteſtatis Sacerdotalis, quando fit ſimul cum prolatione verborum, quæ ſecundum eorum Euchologium, ubi agitur de Ritu in Ordinatione Presbyteri ſervando, hæc verba ſunt apud eruditum Jacobum Goar: *Pontifex dexteram manum ejus capiti impoſitam tenens exclamat*: Divina Gratia, quæ ſemper infirma curat, & ea, quæ deſunt, adimplet, promovet N. devotiſſimum Diaconum in Presbyterum: oremus pro eo, ut veniat ſuper eum Sanctiſſimi Spiritus Gratia. *Et qui ſunt in Tribunali, ter*, Domine miſerere, *dictum, & ſimiliter Cantors &c*, Ratio itaque eſt, qnia verba iſta determinant impoſitionem hanc manuum ad ſignificandam poteſtatem Sacerdotalem, quæ tunc confertur. Verum eſt, expreſſius ſignificari per traditionem inſtrumentorum, ut fit apud Latinos, ſed cum Sacramentum conſtet ex duplici ſigno, uno minus expreſſe ſignificante effectum Sacramenti, quod iccirco vocatur materia, altero magis expreſſe ſignificante, ac ideo magis determinato, quod forma nuncupatur, non eſt neceſſe, quod tam expreſſe ſignificet effectum Sacramenti id quod vocatur materia; ideoque ſola impoſitio manuum poteſt eſſe ſufficiens materia, quamvis expreſſius ſignificaret cum traditione inſtrumentorum, ſicut apud Latinos.

LXXVII. Quamquam vero Ordinis ſacri materia expreſſa ſit ab Eugenio IV. Papa in recitata ſuperius Inſtructione pro Armenis, §. *Sextum Sacramentum*, ubi expreſſe ait, Ordinis materiam eſſe *illud, psr cujus traditionem confertur Ordo; ſicut Prssbyteratus tradisur psr Calicis cum vino, & Patsnæ cum pane porrectionem; Diaconatus vero per Libri Evangeliorum dationem; Subdiaconatus vero per Calicis vacui cum Patena vacua ſupsrpoſita traditionem; & ſimiliter de aliis per rerum ad miniſteria ſua pertinsntium aſſignationem*: ſcitiſſime tamen inſignes Theologi, & Canoniſtæ docent, Eugenii mentem in ipſa Inſtructione, ſeu Decreto, nequaquam fuiſſe, eſſentiales, & a Chriſto inſtitutas materias, & formas Sacramentorum aſſignare, ſed ad ſummum formas ordinarias tunc in Eccleſia Latina uſitatas, ut hac Inſtructione Armeni de Ritu Romanæ Eccleſiæ eſſent inſtructi. Ita plane inter alios pluribus docet eruditus Franciſcus Farracquius in Opuſculo, *Ds Saeramento Confirmationis*, Cap. III. Quæſtione II. §. II. Ceterum licet Eugenius mentionem aliquam de manuum impoſitione non faciat, unde anſam arripuit Dominicus Soto Theologus alias præſtantiſſimus, in IV. Sententiarum, Diſtinctione XXIV. Quæſtione I. Articulo V. docendi, eam non eſſe eſſentialem; quia tamen idem Eugenius Pontifex ſe refert ad Pontificale Romanum, *prout in Pontificali Romano late continetur*; in quo expreſſa eſt ipſa manuum impoſitio, nihil ex Engenii Decreto, ſeu Inſtructione concludi contra ipſam manuum impoſitionem poteſt. Sed nec opus fuit, ut Pontifex recenſeret impoſitionem manuum, eo quod jam eſſet in uſu apud Armenos, quibus peculiarem Eccleſiæ Romanæ ritum tradere habebat in animo.

LXXVIII. Quantum ad traditionem inſtrumentorum, cujus meminit Eugenius, jam non poſſe illam dici materiam eſſentialem Saeramenti Ordinis, ita ut ſine illa nunquam potuiſſent, aut etiamnum hodie poſſent valide Ordines conferri præſertim Græcis, evidenter, ut apparet, evincit Joannes Morinus Oratorii Gallicani Presbyter egregie doctus in Tractatu, *De Sacris Eccleſiæ Ordinationibus*, cujus ſententiam plerique Theologi recentiores doctiſſimi, & in antiqua Eccleſiæ diſciplina, ac veteribus ſacris Ritibus ſumme verſati ſequuti ſunt, idque duobus potiſſimum argumentis oſtendit, quæ poſt Martene, Vaneſpen, alioſque recenſet explicatque luculentiſſime Sanctiſſimus Dominus Noſter Regnans Pontifex BENEDICTUS XIV. Theologus & Canoniſta eruditiſſimus, nec unquam ſine debita laude nominandus, non modo ob ſingularem ſuæ Pontificiæ dignitatis præſtantiam, & eximiam pietatem, qua fulget, ſed tum etiam, quod plurimum

rimum ſtudii ſummo Reipublicæ Chriſtianæ, ac Litterariæ bono in Eccleſiaſticis rebus, & controverſiis trutinandis, admirabilique ſapientia decidendis, nullis vigiliis, ac laboribus parcens, diu impendit.

LXXIX. Ergo ut memoratus Pontifex notat, Lib. VII. *De Synodo Diœceſana*, Cap. XXV. Num. V. & ſeqq. duo ſunt argumenta, quibus ſuam aſſertionem nedum probari, ſed & evidenter oſtendi putat Morinus. Primum ex eo deſumitur, quod per annos ad minimum DCCC. Ordines Hierarchici, Epiſcopatus videlicet, Presbyteratus, & Diaconatus, in univerſa Eccleſia collati fuerint per ſolam manuum impoſitionem abſque ullius inſtrumenti traditione, quod etiam Doctores contrariæ ſententiæ cum Bellarmino, & Hallierio coguntur admittere; nulla quippe traditionis inſtrumentorum occurrit mentio in antiquis Ritualibus, & Sacramentariis, a Menardo, Morino, & Martene diligenter perquiſitis, & prolatis; quinimo in Concilio Carthaginenſi IV. anni CCCXCVIII. cui Epiſcopi CCXIX. inter quos S. Auguſtinus, interſuere, per hoc Subdiaconatus ab Hierarchicis Ordinibus diſtinguitur, quod iſti manuum impoſitione, ille vero inſtrumentorum porrectione conſerretur, eandemque differentiam fieri legimus in antiquo Sacramentario Romano edito a Cardinali Thomaſio. Nullam etiam inſtrumentorum traditionem commemorant Amalarius Fortunatus, Rabanus Maurus, & Walafridus Strabo, etſi de Ritibus conferendi ſacros Ordines fuſe, atque ex profeſſo agant. Altum ſimiliter apud Scriptores ſequioris ævi ſilentium, docetque Durandus in IV. Sententiarum, Diſtinctione XXIV. Quæſtione III. antiquitus in Eccleſia ſola manuum impoſitione cum verbis ordinatum fuiſſe Diaconum, ſecundum Ordinarium antiquiſſimum Eccleſiæ Anicienſis, *cui*, inquit, *præfuimus; ſed nos volentes conformare cæteris Eccleſiis, poſuimus de manu noſtra in margine dicti Ordinarii, quod Liber Evangeliorum tradatur Diacono cum conſueta verborum forma*. Fuit iu Durandus a Sancto Portiano Arvernus Ordinis Prædicatorum Theologus eximius, in ſacra Facultate Pariſienſi Doctor, Sacri Palatii Magiſter, a Joanne Papa XXII. Anicienſis Epiſcopus deſignatus eſt anno MCCCXVIII. & ad Meldenſem Epiſcopatum anno MCCCXXVI. translatus, obiit anno MCCCXXXIII. ut tradit Natalis Alexander in Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſeculi XIII. & XIV.

LXXX. Conſtat itaque per evidentem conſequentiam, cum inſtrumentorum traditionem non poſſe dici materiam eſſentialem a Chriſto Domino inſtitutam, ita ut ex Chriſti inſtitutione validitas Sacramenti ab ea dependeret, uti obſervat Vaneſpen Parte II. *Juris Eccleſiaſtici univerſi*, Titulo IX. Cap. I. Porro autem non aliud Eccleſiam ſibi voluiſſe, cum prædicta inſtrumentorum additamenta ſacræ Ordinationi fieri præcepit, docent Auctores a laudato Regnante Pontifice BENEDICTO XIV. citati, quam magis diſerte explicare poteſtatem, quemadmodum priusquam Scholaſticorum opinio omnium menti altius inſideret, faſſi ſunt inter alios Hugo a Sancto Victore, & Petrus Lombardus, quorum primus Libro II. *De Sacramentis*, Parte III. Cap. XII. ita inquit: *Accipiunt Calicem cum vino, & Patenam cum Hoſtiis de manu Epiſcopi, quatenus his inſtrumentis poteſtatem ſe accepiſſe agnoſcant placabiles Deo Hoſtias offerendi*. Alter vero, nimirum Petrus Lombardus idipſum iiſdem plane verbis aſſerit: *Accipiunt etiam Calicem cum Hoſtiis, ut per hoc ſciant, ſe accepiſſe poteſtatem, placabiles Deo Hoſtias offerendi*. Quibus conſentit Pontificale Romanum ms. Bibliothecæ Colbertinæ, ab erudito Martene allatum, ubi legitur: *Accipiat Patenam cum Oblatis, & Calicem cum vino, & ponat ſimul in manibus Ordinati cujuslibet per ſe*. Etenim cum dicat, *Ordinati*, & non, *Ordinandi*, aperte denotat, ante inſtrumenti traditionem, abſolutam, & perfectam jam eſſe Ordinationem.

LXXXI. Alterum nec minus validum argumentum huic ſententiæ adſtruendæ ſuppeditat Eccleſia Græca, quæ in Sacris Ordinationibus perficiendis aliam non adhibuit materiam, uti notatum ſuperius fuit, præter manuum impoſitionem, uti legere eſt in Græcorum Euchologio; & teſtatur Arcudius loco citato, quin tamen Eccleſia Romana cjuſmodi Græcorum Ordinationes unquam irritas habuerit, aut ullo pacto improbaverit; imo de illarum validitate non ſolum nihil dubitatum fuit in Conciliis Lugdunenſi II. & Florentino, quibus Græci cum Latinis adſuere, ſed nihil præterea dubitavit Clemens Papa VIII. qui Ruſſorum Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos, ad Catholicam Unitatem admiſit cum Ordinibus, quibus ſecundum Ritum Græcorum inſigniti fuerant in ſuo Schiſmate, ut late proſequuntur varii Scriptores a laudato Pontifice BENEDICTO XIV. allegati, qui eodem hoc argumento e Græcorum more, ac probata praxi petito antevertunt fundamentum contrariæ opinionis, Decreto huic Eugenii Papæ IV. ſubnixum. Qua enim ratione, inquiunt, potuiſſet Eugenius IV. definire, in inſtrumentorum porrectione, eique reſpondentibus verbis conſiſtere eſſentiam Sacræ Ordinationis, poſtquam in eodem Concilio ad Communionem admiſerat Epiſcopos, Sacerdotes, & Diaconos Græcos ſola manuum impoſitione ordinatos? Neceſſe eſt igitur fateri, Eugenium loquutum de materia, & forma integrante, & acceſſoria, quam optavit ab Armenis ſuperaddi manuum impoſitioni jamdiu ab illis adhibitæ, ut Eccleſiæ Latinæ moribus ſe prorſus accommodarent, ac Rituum uniformitate firmius eidem adhærerent, quod bene ponderant Menardus, Becanus, & Morinus, quos etiam laudat ſequiturque Jueninus in Tractatu, *De Sacramentis*, Diſſertatione IX. Quæſtione III. Cap. II. prope finem. *Neque hanc explicationem*, ſubdit memoratus Pontifex BENEDICTUS XIV. *reſpuere poſſunt Auctores contrarii; ſiquidem in eo Decreto*, nempe Eugenii IV. *nulla ſit mentio tertiæ impoſitionis manuum, quam nihilominus ad Ordinationis Presbyteri eſſentiam pertinere iidem affirmant, atque idcirco fateri coguntur, non fuiſſe mentem Pontificis*, Eugenii IV. *ibidem explicare, quæ Ordinationis ſubſtantiam perficiunt*.

LXXXII. Hæc & plura alia in hanc rem ſcitu digna docet Pontifex BENEDICTUS XIV. qui tandem finem Quæſtioni huic imponens, hæc habet: *Quia autem nonnulli non infimi Theologi dixerunt, impoſitionem manuum præambulam porrectioni inſtrumentorum ſimul cum hac in unam coaleſcere materiam, qua, una cum verbis ab Epiſcopo inſtrumenta exhibente prolatis, prima confertur Sacerdotalis poteſtatis pars, conficiendi nimirum Corpus Chriſti; idcirco Sacra Congregatio ſcite animadvertens, præviam illam ma-*

*nuum impoſitionem jamdiu ante peractam non poſſe moraliter conjungi cum traditione inſtrumentorum, quæ poſtmodum fieret, ut etiam hujus opinionis in re tanti momenti rationem aliquam haberet, totam Ordinationem ſub conditione iterandam reſcripſit*. Ita laudatus Pontifex; ſed hæc locum habeat in Ordinatione Latinorum, nam alias nequaquam iterari ſolet vel ſub conditione Ordinatio Græcorum, qui ad Romanæ Eccleſiæ Communionem recipiuntur, licet in Schiſmate ſola fuerint manuum impoſitione abſque inſtrumentorum traditione ordinati. Sane, ut aliquid demum de Presbyteratus forma dicamus, docent & illud paſſim Theologi recentiores, & quidem magni nominis, formam Presbyteratus fuiſſe olim Orationem, cui in Sacramentario S. Gregorii Magni Titulus eſt, *Conſecratio*, & quæ eam ſub hoc Titulo ſubſequitur, *Conſummatio Presbyteri*. Sunt etiam non pauci, qui contendunt, his etiam temporibus, Presbyteratus formam eſſe Orationes, quæ alteram manuum impoſitionem comitantur. Sed de his, aliiſque id genus Quæſtionibus videri poſſunt, quæ nos jam diximus Tomo I. Romani Pontificalis, in Commentario ad Titulum XII. qui eſt, *De Ordinatione Presbyteri*, & quæ docet Jueninus in laudato Opere, *De Sacramentis*, loco citato. Sunt & alia in ipſo Eugenii Decreto, quæ forte explicatione indigerent, præſertim ubi agit de Sacramento Confirmationis, ſed videri & de iis poſſunt, quæ in aliis Operibus noſtris abunde diximus, præſertim vero in Commentariis, quibus Romanum Pontificale illuſtravimus. Præ ceteris multa copioſe, ac docte in eam rem tradit in Libris, *De Synodo Diœceſana*, BENEDICTUS XIV.

*De Jacobitarum adventu, & eorum cum Romana Eccleſia Unione opera Eugenii Papæ IV. in hoc eadem Florentino Concilio peracta.*

LXXXIII. Abſoluta Græcorum, atque Armenorum optata diu Unione, miſit Eugenius Pontifex ſub fine anni MCDXXXIX. Albertum Sartianenſem Ordinis Fratrum Minorum in Orientales partes Indiæ Æthiopiæ, & Jeruſalem Commiſſarium, ut eas quoque Græcorum, & Armenorum exemplo ad obedientiam, & Synodi celebrationem adduceret: *Hi igitur Ægyptum incolentes*, inquit ad annum MCDXLI. Num. I. Spondanus, *cum una cum Græcis, Armenis, aliiſque Populis ab Eccleſia Romana Schiſmate, aut errore divulſis ab Eugenio Pontifice per Litteras, & Oratores ad Synodum, & Unionem invitati fuiſſent, tardius paulo ceteris*, nempe Græcis, & Armenis, *ob diverſas difficultates Florentiam pervenere &c.* At non mirum, ſi Jacobitæ tardius pervenerint, Unio ſiquidem Græcorum, & Armenorum facta jam fuerat, antequam Eugenius Jacobitas ipſos invitaſſet ad Unionem. Pervenerunt itaque illi, nempe Andreas Abbas inſignis Monaſterii S. Antonii in Ægypto, totius Jacobinorum, ſeu Jacobitarum Gentis, & Joannis eorum Patriarchæ Legatus, & Petrus Diaconus, qui una cum Andrea munus Oratoris obibat Conſtantini Zaræ Jacob Imperatoris Æthiopum, die ultima Auguſti anni MCDXLI. unaque cum ipſis, quos ſecum adduxerat, Albertus Sartianenſis, cujus ſupra mentionem fecimus.

LXXXIV. Porro præſidente Concilio Eugenio, memoratus Andreas Abbas idiomate Syrorum religioſam, & reverentem habuit Orationem, in qua ſupremam Romani Pontificis poteſtatem agnovit. Deinde Unionem poſtulavit, & exhibuit ſuæ Legationis Inſtrumentum, quod extat inter Acta Florentini Concilii, quæ laudatus toties Horatius Juſtinianus ex Vaticano ms. Codice publici juris fecit, & referuntur a Labbeo in ſua Collectione Conciliorum memorato Tomo XVIII. Inſtrumentum autem, ſeu Epiſtola a Jacobitarum Patriarcha ad Eugenium miſſa, hæc eſt: *Joannes humilis ſervus ſervorum Chriſti, Miniſter Sedis S. Marci, magnæ ſcilicet Alexandriæ, & totius Ægypti, Libyæ, Æthiopiæ, Pentapoleos, Occidentalis Africæ, totiuſque Prædicationis Apoſtoli Marci, humilis dico in ſuis peccatis, petita prius venia, & abſolutione ab ipſo Domino, uſque ad terræ pavimentum coram te juſtiſſime, ac Sanctiſſime Pater, inclino, perfectio Sacerdotis, Paſtor optime, honeſtatis, ac ſanctitatis Princeps, piiſſime ductor eorum, qui in via hujus peregrinationis incedunt, qui ſtudio, ac ſanctitate ceteris viam ſalutis oſtendis, Domine Eugeni Papa magnæ Urbis Romæ, omnium Eccleſiarum Chriſtianarum Apoſtolice Paſtor Principum Chriſti Sedium unice, venerande, Patrum, ac Sacerdotum Princeps, & Medice languentium animarum &c.*

LXXXIV. Data dicitur hæc Epiſtola *Cayren duodecima Septembris anno 6940. ſecundum Græcos, ſecundum vero Jacobitas MCLVII. a tempore Martyrum; a computatione Incarnat. Dom. MCDXL.* Notat autem Pagius in Vita Eugenii IV. Num. CLXXV. peculiarem eſſe, & antiquam totius Ægypti Chronologiam, ut a Sanctis Martyribus numerent annos; etenim horreſcentes recenſere nomen Diocletiani Imperatoris in numeratione annorum, quam ille ab exordio ſui Imperii faciendam præſcripſerat, ipſi ab ejuſdem Imperii anno primo itidem numerum deducentes, loco nominis perſecutoris Eccleſiæ Diocletiani, Sanctos Martyres poſuerunt. Merito autem miratur Pagius, quod Spondanus ad annum MCDXLI. ſcripſerit, Decretum Unionis Jacobitarum confectum fuiſſe anno ipſo MCDXLI. quia ſcilicet non obſervavit, annum MCDXLI. *Incarnationis Dominicæ pridie Nonas Februarii*, quo tempore datum, & confectum fuit Decretum Unionis Jacobitarum, nobis eſſe annum MCDXLII. Quale vero ſit Decretum, Orthodoxæ Fidei formulam continens, quod Eugenius Jacobitis tradidit, jam nos inferius referemus. Ceterum non omittendum hic illud, Conſtantinum Imperatorem Æthiopum, vulgo dictum *Presbyterum Joannem*, ideo vocari *Zaram Jacob*, quia ſcilicet prædicti Reges ex ſemine Jacob per Salomonem, & Reginam Saba gloriantur originem ducere. Atque hinc eſt, quod ejus ſubditi *Jacobitæ* appellentur. Quod etymologiam ſpectat ejus vocis, *Presbyteri Joannis*, jam alibi diximus. Addi autem hoc loco poteſt, quod obſervat Adnotator Baronii Pagius alter, ex ea voce colligi quidem, Reges illos jam olim Sacerdotes fuiſſe, ſed tamen Neſtorianos.

LXXXV. Ergo anno MCDXLII. pro Unione Jacobitarum electi ſunt aliqui præcipui Viri Concilii, habitiſque variis cum Andrea Abbate Patriarchæ Jacobitarum Legato congreſſibus, detecti non modo eorum errores fuere, ſed etiam expoſita ſunt illis Orthodoxæ Fidei Myſteria, quæ Eugenius pridie Nonas Februarii, ſeu die IV. ejus menſis anni Incarnationis Dominicæ MCDXLI. qui nobis eſt annus MCDXLII. promulgari fecit,

De-

Decreto a ſeipſo, & a duodecim Cardinalibus ſubſcripto, in quo inter alia continentur hæc capita. I. De Sanctiſſima Trinitate, & erroribus veterum hæreticorum circa illam. II. De rerum creatione, & Veteris, ac Novi Teſtamenti Libris uno eodemque Deo Auctore conſcriptis, & Manichæorum contraria ſentientium reprobatione. III. De Divinitate, & Humanitate Chriſti, ac Paſſione ejuſdem, & humani generis redemtione cum hæreſum contrariarum condemnatione. IV. De uſu Legalium, quandiuque duraverit. V. De ciborum delectu. VI. De receptione Sanctarum Synodorum Œcumenicarum, Nicenæ, Conſtantinopolitanarum, Epheſinæ, & Chalcedonenſis, cum rejectione hæreſum in iis damnatarum; necnon aliarum item Œcumenicarum Synodorum, ac ſpeciatim Florentinæ. VII. De verbis, quibus Conſecratio Euchariſtiæ conficitur, & qualitate panis in ea adhibendi. VIII. demum de multiplicitate Uxorum ſucceſſive, dummodo nullum ſit impedimentum Canonicum. Atque hæc omnia a Legato Jacobitarum acceptata fuere, eique tradita, ut ad ſuum Patriarcham, & ad Jacobitas deferret. Porro ut inter alios memoratus Pagius notat in Vita Eugenii Papæ IV. Numero CLXXIX. teſtatur Auguſtinus Patricius in Summario Concilii Baſileenſis, Decretum, ſeu Bullam pro Inſtructione, & Unione Jacobitarum manu Eugenii, & Cardinalium ſubſcriptam, propriis oculis vidiſſe una cum aliis Actis ejuſdem Concilii, quæ Romæ in Arce S. Angeli aſſervantur. Oſtendit pariter Horatius Juſtinianus in ſua editione hujus Concilii Florentini, hanc Bullam, ſeu Decretum pro Jacobitis cum inſertione Decretorum pro Græcis, & Armenis, tranſumtam fuiſſe ex mſs. Codicibus Vaticanis, Bullario Romano, & ex originali Bulla aſſervata in Conventu Fratrum Ordinis Minorum Feſulano prope Florentiam. Sed jubet Decretum ipſum hoc loco deſcribere, *veram neceſſariam doctrinam continens*, quam ut in eodem Decreto legitur, Eugenius Papa *in ſolemni Seſſione, Sacro approbante Oecumenico Concilio Florentino in nomine Domini*, tradidit; eſtque hujuſmodi.

# EUGENIUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

## *Ad perpetuam rei memoriam.*

Cantate Domino, quoniam magnifice fecit; annuntiate hæc in univerſa terra. Exulta & lauda habitatio Sion, quoniam magnus in medio tui Sanctus Iſrael. Cantare profecto, & exultare in Domino decet Eccleſiam Dei, pro hac grandi magnificentia, & gloria Nominis ſui, quam hodierna die clementiſſimus Deus operari dignatus eſt. Toto ſiquidem corde laudare, & benedicere Salvatorem noſtrum nos convenit, qui Sanctam Eccleſiam ſuam novis quotidie accumulat incrementis. Quamquam autem in populum Chriſtianum ſua beneficia omni tempore multa, & magna ſint, quæ luce clarius erga nos ſuam immenſam charitatem oſtendunt; ſi tamen accurate inſpicimus, quæ, & quanta his diebus noviſſimis Divina clementia facere dignata eſt, judicare certe poterimus, hoc noſtro tempore plura, ac majora, quam a multis retroactis temporibus ſuæ charitatis munera extitiſſe. Ecce enim nondum exacto triennio in hac Sancta Oecumenica Synodo ſaluberrimam trium magnarum Nationum Vnionem Dominus noſter Jeſus Chriſtus pro ſua infatigabili pietate ad commune perenneque totius Chriſtianitatis gaudium, tam copioſe effecit; unde actum eſt, ut totus fere Oriens, qui glorioſum Chriſti Nomen adorat, ac non parva Septentrionis portio poſt longa diſſidia cum Sancta Romana Eccleſia in eodem Fidei, & charitatis vinculo jam convenerint. Primo etenim Græci, & ii qui ſubſunt quatuor Patriarchalibus Sedibus multas gentes nationeſque, & idiomata continentibus; deinde Armeni multorum populorum gens; hodie vero Jacobini magni etiam per Ægyptum populi, Sanctæ Sedi Apoſtolicæ uniti ſunt.

Et cum nihil Salvatori noſtro Domino noſtro Jeſu Chriſto gratius ſit, quam mutua inter homines charitas, nihilque Nomini ſuo glorioſius, atque Eccleſiæ utilius eſſe poſſit, quam ut Chriſtiani, omni inter ſe ſublato diſſidio, in eadem ſimul Fidei puritate conveniant, merito nos omnes, & cantare præ gaudio, & jubilare in Domino debemus, quos, ut tantam Chriſtianæ Fidei magnificentiam diebus noſtris videremus, Divina miſeratio dignos effecit. Summa igitur cum alacritate annuntiamus magnalia hæc in univerſa Chriſtanorum Terra, ut ſicut nos pro gloria Dei, & exaltatione Eccleſiæ gaudio inenarribili repleti ſumus, ita & alios tantæ lætitiæ participes faciamus, ut omnes uno ore magnifice-

ficemus, & glorificemus Deum, & ſuæ Majeſtati, prout dignum eſt, magnas quotidianaſque gratias agamus pro tot tantiſque mirabilibus beneficiis hac ætate Eccleſiæ ſuæ ſanctæ collatis.

Et quoniam, qui opus Dei diligenter exercet, non modo meritum, ac retributionem in Cælis expectat, ſed & apud homines amplam gloriam, laudemque meretur; Venerabilem Fratrem Noſtrum Joannem Jacobinorum Patriarcham, hujus ſanctæ Vnionis cupidiſſimum, a Nobis & tota Eccleſia merito laudandum, & extollendum, ac communi omnium Chriſtianorum favore cum tota ſua gente dignum judicamus. Is enim a Nobis per noſtrum Oratorem, ac Litteras excitatus, ut ad Nos, & ad hanc Sanctam Synodum Legationem mitteret, & ſe ac ſuam gentem in eadem cum Eccleſia Romana Fide uniret; dilectum filium Andream natione Ægyptium Abbatem Monaſterii Sancti Antonii apud Ægyptum, in quo & habitaſſe, & mortuus eſſe Sanctus ipſe Antonius perhibetur, religione & moribus non mediocriter inſtitutum, ad Nos & ipſam Synodum deſtinavit, cui devotionis zelo accenſus impoſuit, atque commiſit, ut Fidei doctrinam, quam Sancta Romana Eccleſia tenet, & prædicat, nomine ipſius Patriarchæ, & ſuorum Jacobinorum reverenter ſuſciperet, deferendam poſtea per eum ad ipſum Patriarcham, & Jacobinos, & ut ipſi eandem agnoſcerent, ratamque haberent, & in ſuis Regionibus prædicarent.

Nos igitur, quibus vice Domini commiſſum eſt paſcere oves Chriſti, ipſum Andream Abbatem per nonnullos hujus tam Sacri Concilii inſignes Viros, ſuper articulis Fidei, & Sacramentis Eccleſiæ, & quibuſque ad ſalutem ſpectantibus, diligenter examinari fecimus; & tandem, quantum viſum eſt fore neceſſarium, expoſita eidem Abbati Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Fide Catholica, & per ipſum humiliter acceptata, hanc quæ ſequitur, veram neceſſariamque doctrinam hodie in hac ſolemni Seſſione, Sacro approbante Oecumenico Concilio Florentino, in nomine Domini tradidimus.

Imprimis igitur Sacroſancta Romana Eccleſia, Domini, & Salvatoris noſtri voce fundata, firmiter credit, profitetur, & prædicat, unum verum Deum omnipotentem, incommutabilem, & æternum Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, unum in Eſſentia, Trinum in Perſonis. Patrem ingenitum, Filium ex Patre genitum, Spiritum Sanctum ex Patre, & Filio procedentem. Patrem non eſſe Filium, aut Spiritum Sanctum: Filium non eſſe Patrem, aut Spiritum Sanctum: Spiritum Sanctum non eſſe Patrem, aut Filium; ſed Pater tantum Pater eſt, Filius tantum Filius eſt, Spiritus Sanctus tantum Spiritus Sanctus eſt. Solus Pater de Subſtantia ſua genuit Filium, ſolus Filius de ſolo Patre eſt genitus, & Solus Spiritus Sanctus ſimul de Patre procedit, & Filio. Hæ tres perſonæ ſunt unus Deus, & non tres Dii, quia trium eſt una Subſtantia, una Eſſentia, una Natura, una Immenſitas, una Æternitas, omniaque ſunt unum, ubi non obviat relationis oppoſitio. Propter hanc unitatem Pater eſt totus in Filio, totus in Spiritu Sancto: Filius totus eſt in Patre, totus in Spiritu Sancto: Spiritus Sanctus totus eſt in Patre, totus in Filio; nullus alium aut præcedit æternitate, aut excedit magnitudine, aut ſuperat poteſtate. Æternum quippe, & ſine initio eſt, quod Filius de Patre extitit; & æternum ac ſine inirio eſt, quod Spiritus Sanctus de Patre, Filioque procedit. Pater quidquid eſt, aut habet, non habet ab alio, ſed ex ſe, & eſt principium ſine principio. Filius quidquid eſt, aut habet, habet a Patre, & eſt principium de principio. Spiritus Sanctus quidquid eſt, aut habet, habet a Patre ſimul & Filio, ſed Pater, & Filius non duo principia Spiritus Sancti, ſed unum principium, ſicut Pater & Filius & Spiritus Sanctus non tria principia creaturæ, ſed unum principium.

Quoſ-

Quoſcumque ergo adverſa, & contraria ſentientes damnat, reprobat, & anathematizat, & a Chriſti Corpore, quod eſt Eccleſia, alienos eſſe denuntiat. Hinc damnat Sabellium Perſonas conſundentem, & ipſarum diſtinctionem realem penitus auferentem. Damnat Arianos, Eunomianos, Macedonianos, ſolum Patrem Deum verum eſſe dicentes, Filium autem, & Spiritum Sanctum in creaturarum ordine collocantes. Damnat & quoſcumque alios, gradus ſeu inæqualitatem in Trinitate facientes.

Firmiſſime credit, profitetur, & prædicat unum verum Deum Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum eſſe omnium viſibilium, & inviſibilium Creatorem, qui quando voluit, bonitate ſua univerſas tam ſpirituales, quam corporales condidit creaturas, bonas quidem, quia ſummo bono factæ ſunt, ſed mutabiles, quia de nihilo factæ ſunt; nullamque mali aſſerit eſſe naturam, quia omnis natura, in quantum natura eſt, bona eſt. Unum atque eundem Deum Veteris, & Novi Teſtamenti, hoc eſt Legis, & Prophetarum, atque Evangelii profitetur Auctorem, quoniam eodem Spiritu Sancto inſpirante, utriuſque Teſtamenti Sancti locuti ſunt, quorum Libros ſuſcipit, & veneratur, qui titulis ſequentibus continentur. Quinque Moyſis, ideſt, Geneſi, Exodo, Levitico, Numeris, Deuteronomio, Joſue, Judicum, Ruth, quatuor Regum, duobus Paralipomenon, Eſdra, Nehemia, Tobia, Judith, Heſter, Job, Pſalmis, David, Parabolis, Eccleſiaſte, Canticis Canticorum, Sapientia, Eccleſiaſtico, Iſaia, Jeremia, Baruch, Ezechiele, Daniele; duodecim Prophetis minoribus, ideſt, Oſea, Joele, Amos, Abdia, Jona, Michæa, Nahum, Habacuc, Sophonia, Aggæo, Zacharia, Malachia; duobus Machabæorum; quatuor Evangeliis, Matthæi, Marci, Lucæ, Joannis; quatuordecim Epiſtolis Pauli, ad Romanos, duabus ad Corinthios, ad Galatas, ad Epheſios, ad Philippenſes, ad Coloſſenſes, duabus ad Theſſalonicenſes, duabus ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos; Petri duabus, tribus Joannis, una Jacobi, una Judæ, Actibus Apoſtolorum, & Apocalypſi Joannis.

Præterea Manichæorum anathematizat inſaniam, qui duo prima principia poſuerunt, unum viſibilium, aliud inviſibilium; & alium Novi Teſtamenti Deum, alium Veteris eſſe Deum dixerunt.

Firmiter credit, profitetur, & prædicat, unam ex Trinitate Perſonam, verum Deum, Dei Filium ex Patre genitum, Patri conſubſtantialem, & coæternum in plenitudine temporis, quam divini conſilii inſcrutabilis altitudo diſpoſuit, propter ſalutem humani generis, veram hominis integramque naturam ex immaculato utero Mariæ Virginis aſſumpſiſſe, & ſibi in unitatem Perſonæ copulaſſe tanta unitate, ut quidquid ibi Dei eſt, non ſit ab homine ſeparatum; & quidquid eſt hominis, non ſit a Deitate diviſum; ſitque unus & idem indiviſus, utraque natura in ſuis proprietatibus permanente, Deus & homo, Dei Filius & hominis Filius, æqualis Patri ſecundum Divinitatem; minor Patre ſecundum Humanitatem. Immortalis, & æternus ex natura Divinitatis, paſſibilis, & temporalis ex conditione aſſumptæ Humanitatis.

Firmiter credit, profitetur, & prædicat, Dei Filium in aſſumpta Humanitate, ex Virgine vere natum, vere paſſum, vere mortuum, & ſepultum, vere ex mortuis reſurrexiſſe, in Cælum aſcendiſſe, ſedereque ad dexteram Patris, & venturum in fine ſæculorum, ad vivos mortuoſque judicandos.

Anathematizat autem, execratur, & damnat omnem Hæreſim contraria ſapientem. Et primo damnat Ebionem, Cerinthum, Marcionem, Paulum Samoſatenum, Photinum, omneſque ſimiliter blaſphemantes, qui percipere non va-

Hos hæreticos jam nos confutavimus in ſuperioribus Tomis, ubi opportuna ſe nobis de eiſdem differendi dedit occaſio.

Digitized by Google

valentes unionem perſonalem Humanitatis ad Verbum, Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum verum Deum eſſe negaverunt; ipſum purum hominem confitentes, qui Divinæ gratiæ participatione majori, quam ſanctioris vitæ merito ſuſcepiſſet, divinus homo diceretur. Anathematizat etiam Manichæum cum ſectatoribus ſuis, qui Dei Filium non verum corpus, ſed phantaſticum ſumpſiſſe ſomniantes, Humanitatis in Chriſto veritatem penitus ſuſtulerunt. Necnon Valentinum aſſerentem, Dei Filium nihil de Virgine Matre cepiſſe, ſed corpus Cæleſte ſumpſiſſe, atque ita tranſiſſe per uterum Virginis, ſicut per aquæ ductum defluens aqua tranſcurrit. Arium etiam, qui aſſerens corpus ex Virgine aſſumptum anima caruiſſe, voluit loco animæ fuiſſe Deitatem. Apollinarem quoque, qui intelligens, ſi anima corpus informans negetur in Chriſto, humanitatem veram ibidem non fuiſſe, ſolam poſuit animam ſenſitivam, ſed Deitatem Verbi vicem rationalis animæ tenuiſſe. Anathematizat etiam Theodorum Mopſueſtenum, atque Neſtorium aſſerentes, Humanitatem Dei Filio unitam eſſe per gratiam, & ob id duas eſſe in Chriſto Perſonas, ſicut duas fatentur eſſe Naturas, cum intelligere non valerent, unionem Humanitatis ad Verbum hypoſtaticam extitiſſe, & propterea negarent Verbi ſubſiſtentiam accepiſſe. Nam ſecundum hanc blaſphemiam, non Verbum caro factum eſt, ſed Verbum per gratiam habitavit in carne: hoc eſt, non Dei Filius homo factus eſt, ſed magis Dei Filius habitavit in homine. Anathematizat etiam, execratur, & damnat Eutychem Archimandritam, qui cum intelligeret juxta Neſtorii blaſphemiam, veritatem incarnationis excludi, & propterea oportere, quod ita Dei Verbo unita eſſet Humanitas, ut Deitatis, & Humanitatis una eſſet eademque Perſona, ac etiam capere non poſſet, ſtante pluritate Naturarum, unitatem perſonæ; ſicut Deitatis, & humanitatis in Chriſto unam poſuit eſſe Perſonam, ita unam aſſeruit eſſe Naturam, volens ante unionem dualitatem fuiſſe naturarum, ſed in unam naturam in aſſumptione tranſiiſſe, maxima blaſphemia, & impietate concedens, aut humanitatem in Deitatem, aut Deitatem in humanitatem eſse converſam. Anathematizat etiam, execratur, & damnat Macarium Antiochenum, omneſque ſimilia ſapientes, qui licet vere de naturarum dualitate, & perſonæ unitate ſentiret, tamen circa Chriſti operationes enormiter oberravit, dicens in Chriſto utriuſque Naturæ unam fuiſse operationem, unamque Voluntatem. Hos omnes cum Hæreſibus ſuis anathematizat ſacroſancta Romana Eccleſia, affirmans in Chriſto duas eſse Voluntates, duaſque operationes.

Firmiter credit, profitetur, & docet, neminem unquam ex viro feminaque conceptum, a diaboli dominatione fuiſse liberatum, niſi per meritum mediatoris Dei & hominum Jeſu Chriſti Domini noſtri, qui ſine peccato conceptus, natus, & mortuus, humani generis hoſtem, peccata noſtra delendo, ſolus ſua morte proſtravit, & Regni Cæleſtis introitum, quem primus homo peccato proprio cum omni ſucceſſione perdiderat, reſeravit: quem aliquando venturum omnia Veteris Teſtamenti Sacra, Sacrificia, Sacramenta, Cæremoniæ præſignarunt.

Firmiter credit, profitetur, & docet, Legalia Veteris Teſtamenti, ſeu Moſaicæ Legis, quæ dividuntur in Cæremonias, Sacra, Sacrificia, Sacramenta, quia ſignificandi alicujus futuri gratia fuerant inſtituta, licet Divino cultui illa ætate congruerent, ſignificato per illa Domino noſtro Jeſu Chriſto adveniente, ceſsaſſe, & Novi Teſtamenti Sacramenta cæpiſse. Quemcumque etiam poſt Paſſionem in Legalibus ſpem ponentem, & illis velut ad ſalutem neceſsariis ſe ſubdentem, quaſi Chriſti Fides ſine illis ſalvare non poſset, peccaſse mortaliter. Non tamen negat, a Chriſti Paſſione uſque ad promulgatum Evangelium illa potuiſse ſervari, dum tamen minime ad ſalutem neceſsaria crederentur, ſed

poſt

poſt promulgatum Evangelium, ſine interitu ſalutis æternæ, aſſerit non poſſe ſalvari.

Omnes ergo poſt illud tempus, Circumciſionis, & Sabbati, reliquorumque Legalium obſervatores, alienos a Chriſti Fide denuntiat, & ſalutis æternæ minime poſſe eſſe participes, niſi aliquando ab iis erroribus reſipiſcant. Omnibus igitur, qui Chriſtiano nomine gloriantur, præcipit omnino, quocumque tempore, vel ante, vel poſt Baptiſmum, a Circumciſione ceſſandum; quoniam ſive quis in ea ſpem ponat, ſive non, ſine interitu ſalutis æternæ obſervari omnino non poteſt. Circa pueros vero propter periculum mortis, quod poteſt ſæpe contingere, cum ipſis non poſſit alio remedio ſubveniri, niſi per Sacramentum Baptiſmi, per quod eripiuntur a diaboli dominatu, & in Dei Filios adoptantur, admonet non eſſe per quadraginta, aut octuaginta dies, ſeu aliud tempus juxta quorumdam obſervantiam, ſacrum Baptiſma differendum, ſed quam primum commode fieri poteſt, debere conferri, ita tamen, quod mortis imminente periculo, mox ſine ulla dilatione baptizentur, etiam per laicum, vel mulierem, in forma Eccleſiæ, ſi deſit Sacerdos, quemadmodum in Decreto Armenorum plenius continetur.

## COMMENTARIUS.

LXXXVI. Jam non deſunt, qui contendunt, Decreta hujuſmodi pro Armenis, & Jacobitis edita non pertinere ad hoc Florentinum Concilium, ſed eſſe ſolius Eugenii IV. Papæ Definitiones, quia ſcilicet Decreta ipſa, poſt Græcorum diſceſſum, & jam ſoluto Florentino Concilio, promulgata fuerunt. Id plane in Concilio Tridentino probare olim conatus fuit Epiſcopus Clodienſis, cujus tamen argumentum egregie diſſolvit Cardinalis de Monte, dicens, *hallucinari eos, qui putant, finem Concilii Florentini eſſe Unionem Græcorum, cum longe poſt, poſt tres ſcilicet fere annos perduraverit, uſque videlicet ad annum MCDXLII. quo anno vi. Kalendas Maji, celebrata Seſſione, translatum eſt Romam.* Id ita eſſe jam non modo conſtat quidem ex Actis Concilii Tridentini in Arce S. Angeli Romæ ſervatis, ſed & ex teſtimonio Auguſtini Patricii, qui & tempore Florentini Concilii claruit, quique in ſuo Compendio Actorum Concilii Baſileenſis, & Florentini, ita inquit: *Florentiæ inter hæc Eugenius decimam Seſſionem celebrat,* quæ ordine jam ſervato trigeſima dicenda venit, vi. *Kalendas Maji anni ſalutis MCDXLII. in qua aſſerens Zara Jacob magni Regis Æthiopiæ, quem Presbyterum Joannem vocant, Legatum ad Concilium Oecumenicum Orthodoxæ Fidei ſuſcipiendæ gratia properare, Concilium ipſum, ut majorem auctoritatem etiam ex loco ſuſciperet, Romam, approbante ipſo Concilio, tranſtulit proſequendum in Baſilica Lateranenſi propria, & prima Sede Summi Pontificis* xv. *die poſt ejus ad Urbem reditum. Huic translationi addit & plures cauſas, loci reverentiam, & commoditatem, rerum omnium copiam, tum occaſione componendarum Provinciarum Eccleſiæ, & pacis, ac quietis Italiæ, cæterarumque Regionum procurandæ.*

LXXXVII. Præſtitiſſe id quidem cum effectu Eugenium Papam, perſpicue conſtat ex publicis Seſſionibus Romæ in Laterano habitis, editiſque de Fide Conſtitutionibus pro Syris, Æthiopibus, Chaldæis, & Maronitis, de quibus paulo inferius. Porro autem, licet Patricius referat, Eugenium aſſeruiſſe, Legatos magni Regis Æthiopiæ ad Concilium Œcumenicum properare, non tamen deſtruitur id, quod alias dictum fuit de acceſſu Legatorum Regis Æthiopiæ, qui ad Eugenium anno MCDXLI. venerant, ſed dici illud poteſt, quod & notat Pagius, Eugenium nempe alios Legatos ejuſdem Regis expectaſſe. Poſtquam enim Græcos, Armenos, ac Jacobitas ad Unionem ſuſcepiſſet, miſiſſe quoque ad Regem Æthiopum quatuor Legatos, addiſcere licet ex Epiſtola a Davide Æthiopum Imperatore ad Clementem Pontificem VII. anno MDXXIV. ſcripta, quam refert Damianus a Goez in Tractatu, *De moribus Æthiopum*, ex Verſione Jovii, in qua habetur, *Eugenium Pontificem tranſmiſiſſe Legatos, videlicet, Theodorum, Petrum, Didymum, & Georgium ad Regem Æthiopiæ cum plena inſtructione rerum in Synodo geſtarum.* Eugenius enim, ut idem Pagius ſubdit, adventum ſibi propoſuerat Legatorum Æthiopum, tanquam rem, cujus occaſione commodius, & plauſibilius Florentinam Synodum Romam transferret, cum nihilominus haud tam cito ad Urbem acceſſerit.

LXXXVIII. Pervenit tandem Eugenius Romam die xxviii. Septembris anni MCDXLIII. populi concurſu, & acclamatione receptus. Verum cum die ſequenti ad S. Petrum iturus Pontificio Habitu per Urbem incedens tumultuantem populum intelligeret ob duplicatum tributum, & vectigale novum vino impoſitum, ſumma prudentia, qua erat præditus, exactionem illam, ut minus liberalem ſuſtulit. Quo facto, ut refert Platina in ejus Vita, ſtatim ſucclamatum ab omnibus fuit: *Vivat Eugenius*; cum antea clamaſſent: *Moriantur nova vectigalia, eorumque inventores*. Poſt dies vero xix. ad Lateranum proficiſcens, Concilium Generale eo loci ſe habiturum denunciavit, miſſis ad Principes Litteris, & Nunciis, quibus ea de re certiores fierent; hac enim ratione, ut ſubdit Platina, tolli omnino volebat Eugenius Concilium

Baſilcenſe, cujus Hiſtoriam, ac varias Seſſiones jam nos ſupra ſuo loco ſuſe narrravimus, atque explicuimus.

LXXXIX. Quod autem Lateranenſe Concilium ſpectat, ſiva potius Florentini Concilii Œcumenici continuationem Romæ in Laterano factam, & Syrorum cum Eccleſia Romana Unionem, conſtat plane ex Decreto in Eccleſia Lateranenſi dato *pridie Kalendas Octobris anno Incarnationis Dominicæ MCDXLIV. Pontificatus anno dreimoquarto*, quod Horatius Juſtinianus in Actis Andreæ de S. Cruce ex Codice Vaticano evulgavit, non modo acceſſiſſe Romam Abdalam Archiepiſcopum Edeſſæ, Ignatii Patriarchæ Syrorum, totiuſque ejus Nationis nomina Legatum ad Eugenium IV. Pontificem, ſed & Eugenium ipſum Deo gratias agiſſe, quod poſt Unionem Græcorum, & reductionem Armenorum, ac Jacobitarum, qui variis opinionibus involuti, omni tandem diſſenſione relicta, in unam rectam veritatis ſemitam convenerant, aliæ quoque Nationes inter Tigrim, & Euphratem Meſopotamiam inhabitantes, & de Proceſſione Spiritus Sancti, & aliis quibuſdam articulis non recte ſentientes, miſiſſent prædictum Abdilam Syrorum Patriarchæ Ignatii, atque totius ſuæ Nationis nomine ad Concilium Lateranenſe, ut eiſdem traderetur ea Fidei regula, quam ſacroſancta Romana profitetur Eccleſia.

XC. Subdit præterea idem Eugenius in ipſo Decreto, quod in Actis Conciliorum, & Annalibus Eccleſiaſticis relatum eſt, ſe nonnullos Cardinales, & Doctores Concilii delegiſſe, qui cum prædicto Edeſſæ Archiepiſcopo Abdila de difficultatibus, dubiis, & erroribus illius Nationis conferrent: inventumque eum fuiſſe de Fide, & moribus recta ſentientem, tribus dumtaxat exceptis articulis, de Proceſſione ſcilicat Spiritus Sancti, da duabus in Chriſto Naturis, ac totidem in illo Voluntatibus, & operationibus, de quibus cum plena inſtructus fuiſſet, profeſſus eſt omnem Fidem, omnemque doctrinam ſuſcepturum nomine prædicti Ignatii Patriarchæ Syrorum, totiuſque ejus Nationis, ac ſuo, quæ eidem. Sacro approbante Concilio, traderetur. Hinc de eiſdem Articulis Fidei formulam Abdalæ Archiepiſcopo tradidit Eugenius in Seſſione, quam trigeſimam primam appellant, in Eccleſia Lateranenſi habitam, ut ſuperius dictum eſt, *pridie Kalendat Octobris anno Incarnationis Dominicæ MCDXLIV.* Porro ſumma formulæ ejus Fidei hæc eſt; *Spiritum Sanctum ex Patre, & Filio æternaliter eſſe, & eſſentiam ſuam, ſuumque eſſe ſubſiſtens habere ex Patre ſimul & Filio, & ex utroque æternaliter tanquam ab uno principio, & unica ſpiratione procedere: Dominum Jeſum Chriſtum perfectum eſſe in Deitate, & perfectum in Humanitate; atque in duabus Naturis inconfuſe, incommutabiliter, indiviſe, inſeparabiliter agnoſcendum, non in duas Perſonas diviſum; ſed unum, & eundem Dei, & hominis Filium: in eodem Domino Jeſu Chriſto vero Deo, & vero homine duas eſſe naturales operationes indiviſe, inconvertibiliter, inſeparabiliter, inconfuſe: duas etiam naturales Voluntates, unam Divinam, alteram Humanam, non contrarias, ſed humanam ſubjectam Divinæ.*

XCI. Sequenti demum anno, ideſt, mcdxlv. venere ad Eccleſiæ Unionem Chaldæi, & Maronitæ, uti conſtat ex Conſtitutione, quam in ſolemni Seſſione vii. Kalendas Auguſti habita memorati anni MCDXLV. Eugenius edidit pro ipſis Chaldæis, & Maronitis, qui tam Neſtorii, & Eutychis, quam Macarii, & Monothelitarum ſectatores erant, atque aliorum etiam Hæreticorum erroribus imbuti. Chaldæi quippe Chriſtum purum hominem eſſe, & Beatiſſimam Virginem non Dei, ſed Chriſti Genitricem, ſicut Neſtorius, aſſeverabant: Maronitæ autem impietatem Macarii Antiocheni ſequentes, quamquam Chriſtum verum Deum, & Hominem eſſe profiterentur, Divinam tamen ſolum in eo Voluntatem, & operationem eſſe aſſerebant. Sane, uti ex eadem Conſtitutione Eugenii liquet, miſerat jam hic Pontifex ſuperiori anno, ſcilicet mcdxliv. poſt Unionem Græcorum, Armenorum, Jacobitarum, & Meſopotamiæ populorum reductionem, Andream Archiepiſcopum Coloſſenſem ad partes Orientis, & Cypri Inſulam, ut Græcos, Armenos, & Jacobitas ibidem degentes prædicationibus ſuis, & Decretorum pro eorum Unione editorum expoſitionibus, in ſuſcepta Fide confirmaret; & quos ex aliis Sectis a vera doctrina alienos, Neſtorii, aut Macarii ſectatores inveniret, ad Fidei veritatem reducere conaretur.

XCII. Mandatum Eugenii diligentiſſime exequutus Andreas, Divina aſpirante Gratia, ad veritatem Fidei Catholicæ perduxit Timotheum Archiepiſcopum Tarſenſem Metropolitam Chaldæorum Cypri Neſtorianum, & Eliam Epiſcopum Maronitarum Macarii hæreſi infectum, cum univerſo eorum Clero, ac populo Inſulæ Cypri. Timotheum ipſum, & Iſaac prædicti Eliæ Nuncium Romam acceſſiſſe, & ſolemnem Fidai profeſſionem emiſiſſe, damnatis Neſtorii, Eutychis, & Monothelitarum, quibus antea imbuti erant, erroribus; ac Spiritus Sancti Proceſſione a Patre, & Filio, necnon Romanæ Eccleſiæ, & Summi Pontificis Primatu approbatis, ex Profeſſione Fidei ab utroque emiſſa, & ex laudata Eugenii Conſtitutione licet addiſcere, quam legere eſt apud memoratum toties Horatium Juſtinianum, & apud Labbeum Tomo xviii. Conciliorum Venetæ editionis; viderique etiam de ea re poſſunt Spondanus, & Rainaldus ad annum MCDXLV. & Natalis Alexander in Hiſtoriam Eccleſiaſticam Seculi xv. & xvi. Cap. i. Articulo iv. ubi enarrat Vitam Eugenii Papæ IV. ac Pagius in ejuſdem Pontificis Vita, Num. clxix.

XCIII. Porro edidit Eugenius Papa IV. Conſtitutionem non modo pro Armenis, ſed & pro Chaldæis, & Maronitis, Sacro approbante Concilio, quod Romæ proſequebatur, itemque pro Syris, & Indis. Quæ omnia Baſileenſe Conciliabulum in pejorem partem ſumens, prædicabat, Eugenium Romam Concilium transtuliſſe, tum ne compelleretur ad aliud Concilium in Germania celebrandum, tum ut oſtenderet, ſe ſummum imperium habere ſupra Concilium. At vero Eugenius univerſali Concilio præſidens, Nationes, & Regna ad Apoſtolicæ Sedis obedientiam reduxit, atque ad ipſum in vertice montium, & Epiſcopum Epiſcoporum conſtitutum juxta Prophetæ vaticinium confluebant omnes Gentes, tabeſcentibus interim Baſileenſis Conciliabuli ſub prætextu reformationis Schiſmaticis, ut juxta Prophetæ Iſaiæ, Cap. xxvi. Oraculum viderent, & confunderentur zelantes populi, ut inter alios adnotat eruditiſſimum Juſtinianus Parte iii. Actorum Generalis hujus Florentini Concilii.

XCIV. Ex

Digitized by Google

XC.V. Ex dictis itaque addiſcere licet, non modo Decretum illud pro Armenis, de quo ſuperius actum fuit, partem eſſe hujus Concilii, ſed plerasque alias Conſtitutiones pro Jacobitis, Chaldæis, Syris, Æthiopibus, aliiſque ceteris populis, qui Oratores Romam, atque ad Eugenium Papam ſuos miſerunt, ut Eccleſiæ Romanæ reconciliarentur, ab eaque, & a Romano Pontifice Maximo Orthodoxæ Fidei articulos, in quibus aberrabant, reciperent. Neceſſe eſt enim, a Centro Unitatis, quod eſt in Eccleſia Romana, diſſitos eo magis a ſe invicem per varias opiniones diſſentire, ſicut lineæ quo plus a centro diſtant, eo magis a ſe invicem elongantur. Sane omiſſis hoc loco Armenorum erroribus jam ſupra enarratis, teſte Guidone Carmelita in Summa, *De hæreſibus*, Jacobitæ pueros circumcidunt; negant Confeſſionem, quæ fit Sacerdotibus, ſed ſoli Deo confitentur, ponuntque ignem juxta ſe cum incenſo in ſignum, quod Deus in tali Confeſſione conſumit eorum peccata; unam tantum Naturam in Chriſto admittunt, ideoque uno tantum ſe digito ſignant. Æthiopes autem magna ex parte Neſtorium ſequuntur, qui depravavit maximam Orientis partem, & præſertim, ut ait idem Guido Carmelita, Terram Presbyteri Joannis, & per Sergium Saracenos.

*De Oecumenica Florentinæ Synodi auctoritate, & quinam eam impugnarunt.*

XCV. Expunxiſſe aliquando Gallos Florentinam noſtram hanc Synodum de numero Conciliorum Generalium, teſtis eſt Cardinalis Lotharingus in Commonitorio ad Britonem Secretarium ſuum, rebuſque ſuis in Romana Curia gerendis præpoſitum dato, ut cum Summo Pontifice communicaretur, ubi ita inquit: *Apud Gallos Conſtantienſe Concilium in partibus ſuis omnibus, ut Generale habetur, Baſileenſe in auctoritatem admittitur. Florentinum perinde, ac nec legitimum, nec Generale, repudiatur; atque icciro Galli de vita potius, quam de ſententia decederent.* Et ſane qui Baſileenſe Concilium recipiunt, neceſſe eſt, ut Florentino Concilio detrahant, cum eodem tempore haud poſſint ſimul eſſe in Eccleſia duo Generalia Concilia. Inter alios autem Gallos Franciſcus Duarenus Lib. v. *De ſacris Eccleſiæ Miniſtris*, Cap. XI. Baſileenſem Synodum viribus totis propugnans, & uſque ad ſyders extollens, perperam, ac ſumma impudentia conatus eſt Synodi Florentinæ auctoritatem deprimere: *Baſileæ*, inquit, *congregati Patres nequaquam ab incœpto deſiſtunt, præter paucos quoſdam factioſos, qui ad conventum alium Eugenii in Italia, quo jure, quave injuria ab ipſo indictum proficiſcuntur; qui Baſileæ convenerant illud Concilium Ferrariæ primo indictam, ſimul ac Eugenium, qui indixerat, excommunicarunt Seſſione* XXXII. *& Conventiculum vocant Seſſione* XXXVIII.

XCVI. Sed quicquid Adverſarii obganniant, certum illud eſt, Florentinam Synodum ab Eugenio Papa IV. rejecta Synodo Baſileenſi, celebratam legitimæ eſſe, atque Œcumenicæ auctoritatis; quia ſcilicet, ut eſt omnium Scriptorum ſententia, Synodus, ad quam juſſu, aut conſenſu Romani Pontificis convocatam, Orientalis, & Occidentalis Eccleſiæ Epiſcopi concurrerent, Romano ipſo Pontifice per ſe, vel per Legatos præſidente, Œcumenica ſemper eſt habita. Sic Innocentius I. in Litteris ad Theophilum Alexandrinum, quarum Palladius in Vita S. Joannis Chryſoſtomi meminit, Synodum in ejuſdem Chryſoſtomi cauſa congregandam deſcribit, dicens: *oportere conſtare aliam irreprehenſibilem Synodum Occidentalium, & Orientalium Sacerdotum.* Ita & Concilium Œcumenicum, quod in cauſa ſuæ hæreſeos congregari poſtulabant Pelagiani, S. Auguſtinus delineat Libro III. contra duas Epiſtolas Pelagianorum, Capite XII. *Iſtorum*, inquit, *ſuperbia hanc etiam gloriam captare intelligitur, ut propter illos Orientis, & Occidentis Synodus congregetur.* Sic Epheſina Synodus latam in Neſtorium ſententiam pro Univerſalis Eccleſiæ judicio habendam eſſe probat Actione III. his verbis: *Firmum ergo eſt, juxta Decretum omnium Eccleſiarum (omnes namque Orientis, & Occidentis Sacerdotes, vel per ſe, vel certe per ſuos Legatos Sacerdotali huic conſeſſui interſunt) quod in ipſum pronunciatum eſt.*

XCVII. Notat hæc pro Œcumenica Florentinæ Synodi auctoritate vel ipſe Natalis Alexander, Auctor Gallus, & Synodo Baſileenſi addictus, in Hiſtoriam Eccleſiaſticam Seculi XV. & XVI. Diſſertatione X. Articulo I. Num. VI. ubi etiam ſcite obſervat, neceſſe haud eſſe, ut omnes Concilio Generali Epiſcopi adſint, ſed plane ſufficere, ut vocati fuerint, & eo ſint numero, qui Eccleſiam Univerſalem repræſentet. Quis enim neſcit, in plerisque Conciliis Œcumenicis in Oriente habitis duos, aut tres duntaxat Epiſcopos Occidentalis Eccleſiæ adſuiſſe? Sic ad Marcianum Auguſtum ſcribebat S. Leo in Epiſtola ſua XLIX. ſe exiſtimaſſe ipſum Sacerdotalem Synodum ad tempus opportunius dilaturum, *ut vocatis de cunctis Provinciis Sacerdotibus, vere poſſet eſſe Univerſale Concilium.* Synodus Nicena II. Actione V. Synodum Univerſalem definit, quæ Præſidem habet Romanum Pontificem, vel ejus Legatos, & conſentientes Patriarchas Orientis, ac reliquarum Præſules Eccleſiarum, & harum conditionum defectu Conſtantinopolitanam Synodum ad abolendas Imagines a Conſtantino Copronymo Imperatore convocatam, & eo jubente celebratam, Univerſalem non fuiſſe probat, ſic inquiens: *Quomodo magnum, & Univerſale Concilium, quod neque receperunt, neque concordaverunt reliquarum Præſules Eccleſiarum, ſed illud anathemati tranſmiſerant? Non habuit enim adjutorem illius temporis Romanorum Papam, vel eos, qui circa ipſum ſunt Sacerdotes, neque etiam per Vicarios ejus, neque per encyclicam Epiſtolam, ut Synodorum mos eſt; ſed nec conſentientes ſibi Patriarchas Orientis, Alexandrinæ ſcilicet, Antiochiæ, & Sanctæ Civitatis, vel Comminiſtros, & Summos Sacerdotes, qui cum ipſis exiſtunt.*

XCVIII. His & alia longe plura addit laudatus Scriptor, ex quibus ait, facile colligi Florentinam Synodum Œcumenicam eſſe, ac dici debere; ſiquidem ex Epiſcopis Orientis, & Occidentis congregata eſt a Romano Pontifice Eugenio IV. qui ipſi præfuit: adfuere Conſtantinopolitanus Patriarcha, & Alexandrini, Antiocheni, Hieroſolymitani, Patriarcharum Vicarii, Græci, Latinique Antiſtites magno numero, Omnium Orbis Chriſtiani Provinciarum Præſules, & quotquot de jure, vel conſuetudine Conciliis Generalibus adeſſe poterant, per Litteras encyclicas Summi Pontificis convocati, nullo excluſo. Ceterum non modo ratione Dogmatum Florenti-

nam hanc Synodum eſſe Univerſalem, verum etiam talem eſſe convocatione, congregatione, eepeæſentatione Univerſalis Eccleſiæ, atque uno verbo omnia complectar, auctoritate, rectiſſime ſubjicit idem Alexander loco citato. Et quidem cur legitima, & Oecumenica non cenſeretue, cum ipſi convenientcharacteres omnes, quibus legitimam, ſeu bene geſtam Synodum Gelaſius I. delineat in Epiſtola ad Epiſcopos Daedaniæ? *Bene geſta Synodus*, inquit, *ideſt, ſecundum Scripturas, ſecundum Traditionem Patrum, ſecundum Eccleſiaſticas Regulas, pro Fide Catholica, & Communione prolata, quam cuncta recipit Eccleſia, quam maxime Sedes Apoſtolica comprobavit.*

XCIX. Poreo de hac Florentina Generali Synodo Florentiæ in ſummo Templo adhuc extat Inſcriptio, quam recenſet Oldoinus in Notis ad Ciaconium in Vita Engenii IV. eſtque hujuſmodi.

*AD PERPETUAM REI MEMORIAM.*

*Generali Concilio Florentiæ celebrato, poſt longas Diſputationes Unio Græcorum facta in hac ipſa Eccleſia die* VI. *Julii MCCCCXLI. Præſidente eidem Concilio Eugenio PP. IV. cum Latinis Epiſcopis, & Prælatis, & Imperatore Conſtantinopolitano cum Epiſcopis, Prælatis, & Proceribus Græcorum in copioſiſſimo numero, ſublatiſque diſcordiis, in unam eandemque Fidem rectam, quam Romana tenet Eccleſia, conſenſerunt.* Romæ quoque in Bibliotheca Vaticana alia eſt ejuſdem Concilii memoria his veebis apud eundem Scriptorem.

EUGENIO IV. PONTIFICE GRAECI ARMENI AETHIOPES AD FIDEI UNITATEM REDEUNT.

Et in æneis portis Baſilicæ Vaticanæ, quas Ipſe Engenius Pontifex metallo ciecumtexit, exaeata leguntúr hæc Carmina.

*Ut Græci, Armeni, Æthiopes hic aſpice, ut ipſam*
*Romanam amplexa eſt Gens Jacobina Fidem.*
*Sunt hæc Eugenii monumenta illuſtria Quarti,*
*Excelſi hæc animi ſunt monumenta ſui.*

C. Multis putidiſque calumniis Florentinam Synodum peoſcidit Marcus Epheſius, qui unus e Græcis Præſulibus, qui Synodo illi interfuerunt, Definitioni Fidei ſubſcribere pertinaciter recuſavit, uti conſtat ex Joanne Pluſiàdeno, & Joſepho Methonenſi Epiſcopo. Objiciebat autem inter alia Epheſius, Græcos Unioni conſenſiſſe, multis pollicitationibus illectos, & muneribus a Romano Pontifice, & Latinis redemtos. Sed calumniam iſtam egregie eefellit laudatus Methonenſis in Reſponſione ad Marci Epheſii Libellum: *Non audaces*, inquit, *ad impietatem, ſed religioſi ad retinendam pietatem erant illi, quos tu calumniaris. Noluerunt enim deinceps in Schiſmate, & perverſitate perſiſtere, ſecernendo ſe a Fratribus, & ab Eccleſia; nec adeo ſtolidi erant, ut veritatem, quæ Chriſtus eſt, coram hominibus negarent; & propterea nuda fronte palam pronunciarunt, a tenebris peſſimæ illius, quam præſumtam animo habebant, opinionis ſe colligentes, & ad veritatis lucem revocati, te miſerabiliter humi jacere relicto, ac ſocios habere omnes, qui jam uſque ab initio fuere ſchiſmatici. Nec vero, ut vis, pellecti ſunt illi promiſſis, ac muneribus, ſed timore permoti illius oculi, quem latere nihil poteſt, confeſſi ſunt, quod æquam eſſe cognoverunt.* Eandem calumniam diluit Joannes Pluſiadenus in Dialogo de Sinodo Floeentina, cujus veeba citato loco, Num. VII. idem Natalis Alexander refert.

CI. Rurſus effutiebat Marcus Epheſius, Græcos ad ſubſcribendum Unioni coactos inopia pecuniæ, argenteque ſame, quia nulli quidquam ſumtuum condictorum ſuppeditabatur. Verum hanc rurſus calumniam diſerte refellit memoratus Joſephus Methonenſis Epiſcopus his verbis: *Hic te oſtendam auditoribus mendacem, & penitus deſipientem, qui talia dicat. Heus tu, nec Deum ee veritus, nec homines, ut tam illuſtre mendacium proferas. Quis conſtituta nummum aureorum erogatione fraudatus? quis noſtrum contriſtatus, aut conqueſtus eſt? Qui vere id fieri poterat, præſente Imperatore, & Patriarcha, & Eccleſiarum Præſulibus, & Optimatibus, & reliquis? Nullam res hæc habet probabilitatem; ſi enim ita, ut nunc dicis, factum eſſet, Imperator, & Patriarcha non tacuiſſent, ſed libere, palamque dixiſſent, Vultis per vim Synodum ad finem perducere; contra jus faſque hoc eſt. Deinde quis eſurivit, quem afflixit inopia? Quis de fame conqueſtus eſt. Non enim ad alimenta ſolum impendebatur eis pecunia, ſed multo etiam copioſior, ut ſuppeteret ad conficienda indumenta, per zonas, & vaſa argentea; atque inde illi in Patriam locupletati redirent. Quomodo ergo dicis tu, illos deploraſſe, & conqueſtos eſſe, nec habuiſſe unde ſibi alimenta coemerent? Cui vero illi vim attulerunt, ut ſubſcriberet, & uniretur. Per illos quiſque ſui juris fuit.* Multa alia in hanc rem videri plane poſſunt apud eruditiſſimum Leonem Allatium Lib. III. *De perpetua conſenſione Eccleſiæ Occidentalis, & Orientalis*, Capite II.

CII. Atque hæc ſatis ſint de Florentino Concilio Oecumenico, quod Engenius Papa IV. ſummo Eccleſiæ bono, rejecta merito, ac damnata Baſileenſi Synodo, celebravit. In Baſileenſi ſiquidem Concilio, ut in Diplomate, quod Incipit, *Moyſes Vir Dei*, quodque legitur in Actis Concilii Florentini, teſtatur idem Engenius, *innumeræ novitates, inordinationes, deformitates, & quaſi infinita patrabantur mala; ad quod etiam Laici, & Clerici infra Sacros Ordines conſtituti, ignorantes, inexperti, vagi, diſcoli, profugi, apoſtatæ, de criminibus condemnati, & de carceribus fugientes, Nobis, & ſuis Superioribus rebelles, & reliqua iſtiuſmodi hominum monſtra concurrerent, qui & ab ipſius ſcelerum magiſtris in omnem corruptionis labem facile trahebantur.* Ceterum quod Eugenium IV. Pontificem ſpectat, teſte S. Antonino, Titulo XXII. Cap. XI. §. XVII. *poſt decimum ſextum ſui Pontificatus annum, ætatis ſuæ, ut ferebatur, ſexageſimum ſextum, menſe Februarii, ſumtis devote Eccleſiaſticis Sacramentis, integro ſenſu, atque aſpectu in Domino obdormivit anno MCDXLVII.* De ipſo Eugenio cum egregia laudis commendatione meminit in ſua Europa, Capite LVIII. Æneas Silvius ſic inquiens: *Summum Pontificatum adeptus magis enituit, qui etſi oriente Schiſmate in principio ſui Pontificatus uſque ad obitum cum Baſileenſibus contenderit, coronato tamen Sigiſmundo Cæſare, Græcorum, & Armenorum* (& aliorum de quibus ſupra) *facta cum Eccleſia Latina Unione, Civitatibus Eccleſiæ, quae amiſerat, recuperatis, tyrannis per circuitum deletis, contumacia Romanorum edomita, victor inclytus veterem hominem exuit &c.*

III-

# HISTORIA
## CONCILII OECUMENICI XVII. LATERANENSIS V.

I. QUum Synodus Baſileenſis, de qua ſupra ſuo loco actum a nobis fuſe jam fuit, plurima Decreta pro reformatione Eccleſiæ, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ reſtauratione edidiſſet, præſertim quoad Beneficiorum Proviſionem, & Judicia Cauſarum, Legatos ſuos ad Galliarum Regem Carolum VII. atque ad Eccleſiam Gallicanam miſit, effecturos nempe, ut ea Decreta ſuſciperentur, promulgarentur, & obſervarentur in Galliis. Rex vero ex magni Concilii ſui ſententia Epiſcopos, Abbates, inſignia Capitula, alioſque Viros Eccleſiaſticos, atque Doctores anno Domini MCDXXXVIII. in magno numero Bituricis congregans in Capitulo S. Capellæ, auditiſque tum Synodi Baſileenſis, tum Eugenii Papæ IV. Legatis, qui ad ea Bituricenſia Cleri Gallicani Comitia acceſſerant, cauſam a diverſis Doctoribus coram ſe examinari juſſit. Poſt cujus diſcuſſionem Baſilienſis Concilii Decreta de Beneficiis Eccleſiaſticis, eorumque reſervationibus, expectativis, aliiſque novis id genus moribus introductis reſcindendis perlubentes amplexati ſunt Galli, Pragmaticæque Sanctioni intexerunt, non ſine pluribus tamen modificationibus, de quibus fuſe inter alios agit in ſua Diſciplina Thomaſſinus Parte II. Lib. I. Cap. XLV. Conſtat Pragmatica Sanctio Titulis XXIII. & edita eſt a Coſma Guimiero cum Notis, habeturque Tomo II. Commentariorum Cleri Gallicani, & alibi. Ejuſdem Hiſtoriam, ſicut & Concordatorum illuſtravit etiam Pinſonius Advocatus Pariſienſis.

II. Pragmaticam Sanctionem vehementer improbavit Eugenius IV. uti conſtat ex ejus Litteris ad ipſum Carolum VII. Regem Galliæ datis, quas deſcripſit Rainaldus ad annum MCDXXXIX. In ea enim non modo electiones Capitulis reſtitutæ ſunt, ac reſervationes Pontificiæ abolitæ, verum confirmationes ipſæ Prælatorum inferioribus & ordinariis reſervabantur, aliaque plura ſancita ſunt, quæ in præjudicium erant Apoſtolicæ Sedis. Sed firmas nihilominus in Gallia radices egit ea Pragmatica Caroli VII. Regis Sanctio ſpatio annorum circiter XX. donec Æneas Sylvius Cardinalis Senenſis, qui ipſam acriter impugnaverat Libro, *De moribus Germanorum*, ſub Callixti III. Pontificatu edito, ad Summum Pontificatum aſſumptus eſt anno MCDLVIII. ſub nomine Pii II. Is quippe indicto habitoque Mantuæ Conventu anno ſequenti, qui fuit MCDLIX. ad ineundam rationem Belli Turcis inferendi, prædicti Caroli VII. Galliæ Regis Oratores primo quidem aditu peramanter accepit; ſed paulo poſt motum animi adverſus Regem Regnumque Galliæ ob Pragmaticæ Sanctionis obſervationem diſſimulare non potuit: Orationeque minis intermixta, innuit, ſe ab omni ſacro Commercio cum Gallis abſtenturum, ac durioribus verbis Sanctionem ipſam Pragmaticam, & Supremam Parlamenti Curiam perſtrinxit.

III. De his Pii II. Papæ motibus, & conſiliis certior factus Carolus VII. ex deliberatione matura, ut Galli Hiſtorici narrant, Principum, Prælatorum, Nobilium, Sapientumque Virorum Regni ſui juſſit M. Joanni Douvet Procuratori ſuo Generali in Senatu Pariſienſi, ut de his Pii Pontificis cœptis, miniſque, ad Generale Concilium provocaret. In Appellationis Inſtrumento, quod die X. Februarii anno MCDLX. confectum eſt, habetur, ex his, quæ Pius in Mantuano Conventu palam dixit, veriſimiliter æſtimari, ipſum velle Regem, ejuſque dominia, ac univerſos, qui ſacros Canones obſervarint, vel eorum obſervantiam promoverint, a ſuo conſortio ſeparare: cogi itaque Regiam providentiam tanto ſcandalo Eccleſiæ, prout juris fuerit, & rationis, obviare, *ſalva in omnibus ſanctæ Sedis Apoſtolicæ reverentia, & illa, quæ Summo Pontifici juxta ſententias Sanctorum Patrum debetur, obedientia*. In primis autem Summum Pontificem filiali hortatur affectu, ut priuſquam ad ſciſſionem tantæ portionis, tantæque multitudinis Chriſtianorum in graviſſimam deplorationem ſtatus Eccleſiæ de facto prorumpat, rem ipſam maturius digerat, & conſulat; cum ſacris Generalibus Conciliis pacem foveat: ut Generale Concilium, ſecundum Synodi Conſtantienſis Decretum congreget in loco tuto & libero; cujus certe Statutis Rex pro ſua pietate acquieſcet. Addidit & alia Carolus quibus magis magiſque ſuam indeflexam adverſus Pii II. Papæ conatus conſtantiam oſtendit.

IV. Licet autem in ſua fixus ſententia de Pragmaticæ Sanctionis obſervatione perſtiterit Carolus VII. Galliæ Rex: ubi tamen ad ejus Regni gubernacula ſedere cœpit Ludovicus XI. ſeu Cardinalis Atrebatenſis primarii Miniſtri ſui inſtigatione, ſeu cupidine conciliandæ ſibi Pontificis gratiæ, ad Siciliam aliquando ſibi ſubjiciendam; ſeu denique, uti obſervat laudatus Thomaſſinus loco citato, obſtinata averſatione eorum omnium, quæ parens ſuus Carolus VII. molitus eſſet, Authenticum, & Autographum ipſum Pragmaticæ Sanctionis ad Pium II. Pontificem miſit cum Diplomate, quo illa funditus obliterabatur, anno MCDLXI. Sunt, qui tradunt, Romæ chartam ipſam Pragmaticæ per lutulentas Urbis vias tractam, & raptatam fuiſſe; ſed nihilominus tam vehementer Senatum Pariſienſem ſuper ea Pragmaticæ abolitione ad memoratum Ludovicum XI. peroraſſe, ut eodem ipſo anno MCDLXI. in uſum revocata ſit, minime jam repugnante laudato Cardinale Atrebatenſi, quem a ſe alienaverat Pius II. Pontifex invicta ſua conſtantia in damnanda Epiſcopatuum pluralitate; cum enim uno eodemque tempore vacaſſent Eccleſiæ Veſuntionenſis, & Albigenſis, utramque ſimul poſtulans Cardinalis expugnare a Religioſiſſimo Pontifice non potuit, niſi alterius optionem. Ceterum non ita reſtitutum fuiſſe Pragmaticæ uſum, ut Reſervationes, & Expectati-

ſtativæ ſubinde locum non haberent, ſatentur ipſi Auctores Galli, atque inter alios Scriptores Auctor Libri Libertatum Eccleſiæ Gallicanæ, Capite XXII. Num. XIV.

V. Nullum non movit lapidem ad ipſam Sanctionem Pragmaticam penitus exterminandam, qui Pio II. immediate ſucceſſit Paulus II. itemque deinde ſequiores Romani Pontifices Sixtus IV. & Innocentius VIII. adeo ut varia fuerit ejus Sanctionis ſors per ea tempora, quibus hi Pontifices Maximi univerſam Eccleſiam rexerunt, uti addiſcere licet ex ipſa Pragmaticæ ſanctionis Hiſtoria. Porro acriter in eandem invectus eſt Julius II. atque in ipſum Galliæ Regem Ludovicum XII. qui publicato Edicto, Pragmaticam reſtituerat, & inſtantiſſime obſervari præceperat. Diſſidio autem graviſſimo, ac bello inter ipſos ferveute, novem S. R. E. Cardinales, nempe Bernardinus Carvajal Titulo S. Crucis Hiſpanus, Franciſcus Borgia Titulo S. Cæciliæ, Archiepiſcopus Conſentinus, pariter Hiſpanus, Renatus de Pria Titulo S. Sabinæ Bajacenſis Epiſcopus, Guillelmus Briſſonetus Narbonenſis Archiepiſcopus, Philippus de Lucemburgo Tuſculanus Epiſcopus, Galli, ac Federicus Sanſeverinus Titulo Sancti Angeli, Mediolanenſis, Hadrianus Titulo S. Chryſogoni, de Corneto, Carolus Titulo S. Viti, de Finario, & Hippolitus Titulo S. Luciæ, Eſtenſis, a Julio II. Pontifice ſeceſſione facta, Maximiliani Imperatoris, & Ludovici XII. Francorum Regis auctoritate fulti, Œcumenicum Concilium, ut ipſi ajebant, Piſis celebrandum indixerunt.

DE PISANO CONCILIABULO.

VI. Neceſſariam eſſe eam Generalis Concilii celebrationem, contendebant prædicti Cardinales, Conſtantienſis, & Baſileenſis Conciliorum Decretis freti, quibus celebratio Concilii Generalis decennio quolibet imperata eſt. Jus autem illud convocandi ideo ad ſe devolutum eſſe aſſerebant, quia ſcilicet Julius Papa celebrare Concilium recuſaret, cum alias ipſe, ceterique Cardinales in Conclavi ante electionem ſuam & iterum poſtquam electus eſt Pontifex inter alia capita promiſiſſent, voviſſent, ac juraſſent, *Generale Concilium intra biennium a creatione ſua indicere, & eum effectu incipere in loco libero, & tuto determinando per eum, & duas partes Reverendiſſimorum Dominorum Cardinalium per calculos &c.* Quod etiam ni faceret Julius ipſe Pontifex, tanquam tranſgreſſor voti, ac fidei præſtitæ, ac perjurus, tanquam etiam perturbator, ac ſcandalizator Eccleſiæ, & totius Chriſtianitatis haberetur, & reputaretur; & ex tunc dediſſet, & conceſſiſſet facultatem, & poteſtatem duabus partibus Collegii congregandi Concilium Generale, cujus ſententiæ, & correctioni, propter prædictorum, publicum, & libertatem ſacri Collegii reſpicientium, tranſgreſſionem ſe ſubjiciebant, uti conſtat ex publicis Inſtrumentis ea de re confectis, & ab Odorico Rainaldo ad annum MDIII. relatis. Porro hoc juramentum ac votum poſt electionem ſuam memoratus Papa Julius II. confirmavit hac verborum formula: *Ego Julius II. electus in Summum Pontificem, premiſſa omnia, & ſingula promitto, juro, & voveo obſervare, & adimplere in omnibus, & per omnia, pure, & ſimpliciter, & bona fide, & cum effectu, & ſub pœna perjurii, & anathematis, a quibus nec me ipſum abſolvam, nec alicui abſolutionem committam. Ita me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.*

VII. Hæc in Actis Piſani Conventus, ſeu Conciliabuli anno MDXI. celebrati legere eſt, cui Conventui, ſive potius Conciliabulo juramentum hujuſmodi a Julio II. præſtitum occaſionem dedit, illius cum Ludovico XII. Galliæ Rege diſſidio, cujus jam ſupra meminimus, roboratam. Porro memorati Cardinales indixerunt ipſum Concilium inchoandum Piſis Kalendis Septembris anni MDXI. rogaveruntque humillime Pontificem, ut huic ejus convocationi adeſſe per ſe, vel per Legatos ſuos dignaretur, & Cardinales, Patriarchas, Epiſcopos, ceteroſque Conciliis de jure, aut conſuetudine intereſſe ſolitos, necnon Reges, Principes, & Potentatus, itidem per ſe, vel per Legatos, & Procuratores pariter adeſſe rogaverunt, ac monuerunt; & quia tutum non eſſe dicerent ad Pontificem pro hujuſmodi convocationis ſignificatione accedere, qui S. R. E. Cardinales Fratres ſuos, & Eccleſiæ univerſalis Principes carceribus mancipari, atque Oratores Principum contra Jus Gentium detineri juſſerat; ideo decreverunt, eam in valvis Eccleſiarum Mutinenſis, Rhegienſis, & Parmenſis affigi; ex quibus poſſet ad notitiam illius aliorumque omnium pervenire. Hæc in Actis diffuſe recitatis, ſingulis confectis iis de rebus Inſtrumentis publicis.

VIII. Quibus auditis a Julio II. Pontifice, cum is Cardinales a ſe diſſentientes oblata venia ad ſe reducere fruſtra conatus eſſet, ad potentiora remedia animum intendens, conſilio, ut creditum eſt, Antonii de Monte S. Sabinæ dicti, Patria Aretini, Clementiſque VII. patrui, Legum peritia, & rerum gerendarum prudentia inſignis; unius ex illis octo quos nuper Ravennæ in Collegium Cardinalium adlegerat, Concilium Univerſale in proximum annum MDXII. Romæ in Lateranenſi Baſilica celebrandum indixit, hac arte Piſanum adverſariorum Conventum diſſolutum volens, quamvis adverſarii contra arguerent, poſtquam ipſi antevertiſſent, ſuum prævalere. Extat Indictionis ejus Conſtitutio data Romæ XV. Kal. Auguſti prædicti anni MDXI. qua totius rei cauſas, & progreſſus in ſuam excuſationem, & adverſariorum criminationem enarrans Pontifex Julius II. ait, cum ipſe Bononiam pergeret pro reparatione nonnullarum Terrarum S. R. E. nonnullos Cardinales ex ipſius licentia ab Urbe recedentes, Florentiam divertiſſe, ibique ſe continuiſſe, etiam poſtquam ipſe eos ad ſe Bononiam per Nuncios, & Litteras evocaſſet; cumque nihilominus venturos ſe ſpopondiſſent, ſine cauſa legitima a ſuo Capite recedentes, armis, ſatellitibuſque ſtipatos, imo ipſoſmet thoracibus, & gladiis armatos Papiam ſe contuliſſe: inde ſtimulis conſcientiæ agitatos, per Internuncios, & Regiorum Oratorum interceſſiones, deſertionis veniam poſtulaſſe: quam cum eis Pontifex benigne obtuliſſet, nihilominus illos auſos Pontificalem auctoritatem ſibi adſcribere, adgreſſos eſſe Œcumenicum Concilium convocare, locum, & tempus indicere, & valvis Eccleſiarum, aliiſque publicis locis affigere, & publicare; falſoque, & impudenter quoſdam alios Cardinales ſui propoſiti ſocios declarare, qui tamen & publicis & privatis ſcriptis nunquam ſe illis in hujuſmodi propoſito conſenſiſſe declararunt: quinimo ipſummet

Pon-

Digitized by Google

Pontificem ac reliquos Cardinales ad id Concilium evocare non formidaſſe, aſſerentes decennium poſt ultimum univerſale Concilium etiam contra Conſtitutionem Concilii Conſtantienſis jamdudum effluxiſſe, atque ipſum Julium II. Papam illud convocare neglexiſſe, cum juraſſet, ac voviſſet, illud poſt biennium a creatione ſua celebrare; neque credendum fore, ipſius auctoritate Concilium futurum; & cum de gravibus criminibus univerſalem Eccleſiam ſcandalizantibus, in Capite agendum foret, ad Summum Pontificem Concilii convocationem non attinere, ſed ſecundo loco ad Cardinales, qui Pontifici in negligentia non adhæſerunt.

IX. Hæc autem ſolide oſtendit Julius Pontifex falſa commentitiaque eſſe, & non ex zelo Religionis, ſed odii ſomite, & inimicitiæ procedere, inde manifeſto apparere, quod omnibus compertum eſſet, ſibi per ultimos XI. annos, quibus Cardinalatus officio functus eſt, nihil magis cordi fuiſſe, quam celebrationem Concilii, & Eccleſiæ Romanæ reformationem; hujus enim ſolicitudinis cauſa factum eſſe Alexandro Papæ VI. odioſum, & terra marique jactatum: poſt aſſumtionem vero ſuam Reges ac Principes omnes commonuiſſe pariter de celebrando Concilio, & Expeditione in Turcos Conciliariter decernenda, atque aſſumenda; totoque biennio nihil potius curaſſe quam Principes conciliare ad celebrationem Concilii: nulla igitur ſua culpa dilatam eſſe Concilii indictionem, & celebrationem, ſed temporum infelicitate, & inſtanti neceſſitate recuperandi Terras, & Jura Eccleſiæ Romanæ: quo circa non debuiſſe illos Cardinales de futura Concilii celebratione diffidere: & ſi ea tam eis cordi eſſet, animadvertere debere ex praxi ſuperiorum temporum, & doctrina Patrum Concilia Generalia a ſolis Romanis Pontificibus indici ſolere, ac debere, & aliter indicta, rata non eſſe: Conſtitutionem Concilii Conſtantienſis ab octoginta annis ſervatam non fuiſſe; & ſi ſervata fuiſſet, tamen ex prædictis cauſis fas ſibi fuiſſe eam tranſgredi; denique juramentum, ac votum a ſe de Concilii celebratione emiſſum haud ſe tranſgreſſum eſſe, quandoquidem legitimis impedimentis detentus non potuit obſervare. Quod ad crimina & flagitia ſibi objecta, ait Julius Pontifex, fieri hoc ex more ſchiſmaticorum, quos S. Hieronymus inquit, cum dubitant cauſas ſuas damnari, in contumelias proſilire. Additque mox etiam, ad Summum Pontificem ſpectare congregare Concilium, etiamſi de ipſius cauſa agatur, quemadmodum a Joanne XXIII. factum fuit, qui Conſtantienſe indixit, in quo de ipſius potiſſimum cauſa agendum erat. Præterea abuſos valde eſſe prædictos Cardinales uſurpata auctoritate in eo quod ad Concilium Œcumenicum convocandum nonniſi tres menſes cum dimidio aſſignarunt, & quod locum incommodum deſignarunt, quod pluribus probat, & proſequitur: ideoque prædictis omnibus mature conſideratis, de conſilio, & conſenſu Cardinalium, ac de plenitudine Apoſtolicæ poteſtatis, ſe dictam Indictionem, convocationem, & publicationem, necnon ſchedulas Procuratorio nomine Maximiliani Romanorum Imperatoris electi, & Ludovici Francorum Regis Chriſtianiſſimi, præter eorum mentem, ut par eſt credere, factas, cum omnibus quomodocumque ad illa pertinentibus, nulla, irrita, & inania declarare, eademque reprobare, revocare, irritare, ac ſub anathematis, & maledictionis æternæ, aliiſque pœnis inſertis, favorem ullum eis a quocumque cujuſcumque Dignitatis Eccleſiaſticæ, vel ſecularis impartiri, prohibere.

X. At nihilominus ſubdit tum etiam in ipſa ſua Conſtitutione idem Julius II. Papa, bonam ſuam intentionem exequi volentem ſe, ad extirpationem hæreſum, & ſchiſmatum, ad reformationem morum, tam Eccleſiaſticorum, quam Secularium perſonarum, quæ de jure, vel conſuetudine, reformationi, vel determinationi Concilii ſubjiciuntur, Bellorum Chriſtianorum extinctionem, &, ut unicuique quod juſtum eſt, redderetur, atque Expeditionis adverſus Infideles ſuſceptionem: Œcumenicum, Univerſale, ac Generale Concilium in Alma Urbe Roma communi omnium Patria, apud Lateranum, ubi plurima alia Concilia habita fuiſſent, inchoandum anno proximo MDXII. die XIX. Aprilis, Feria II. poſt Octavam Reſurrectionis Domini, nunciare, & indicere; licet dubitaret hanc novem menſium præfixionem, a decimoquinto videlicet Kalendas Auguſti, quo facta eſt indictio, pro Concilio Œcumenico celebrando, breviorem eſſe, quam ut ex tot longinquis Mundi partibus venire Antiſtites Principes, & alii, qui de Jure, vel more majorum Concilio intereſſe deberent, quos omnes evocabat, poſſent: verum non poſſe illum commode mutare, quod jam Galliæ Regi Chriſtianiſſimo, & nonnullis aliis Principibus eam indicaſſet. Ita in ejus Conſtitutione, cui una cum ipſo Julio II. Pontifice ſubſcripſerunt unus & viginti Cardinales, videlicet tres Epiſcopi, duodecim Preſbyteri, & ſex Diaconi. Porro Concilio promulgato, ut narrat Guiciardinus Lib. X. jam magis ſuo Juri Julius fidens, contra Cardinales, Carvajalem, qui Summi Pontificatus adipiſcendi ſpe Concilii Piſani auctor in primis fuiſſe perhibebatur, & Borgiam Hiſpanos, ac Briſſonetum Gallum, tres præcipuos illos ejus Conciliabuli auctores, quos conciliari poſſe omnino diffidebat, de ceteris namque nondum ſpem amiſerat, Edictum promulgavit, quo niſi intra ſexageſimum quintum diem ſe Romæ ſiſterent, eos dignitate Cardinalatus, ac cunctis Beneficiis, & Sacerdotiis privatum iri commonebat.

XI. Interea Cardinales ſegreges, qui Mediolani morabantur, uti refert Spondanus ad annum MCDXI. Num. XIX. cum non adeo res ſuas paratas haberent, necdum plenam poteſtatem a Florentinis, quorum dominio Piſæ tunc ſuberant, obtinuiſſent, ac proinde illuc accedere tutum eis eſſe non videretur, ne tamen omnino deeſſent celebrationi ſui Conciliabuli ad Kalendas Septembris indictæ, die XXV. Auguſti auctoritatem ſcripto contulerunt Zachariæ Ferrerio Subaſienſi Abbati Vicentino, Antonio de Andrea Montiſpeſſulani Protonotario Apoſtolico, & Jacobo Galando Lochenſi Archipreſbytero in Eccleſia Turonenſi, Piſas ſuo nomine ſe transferendi, & quæ neceſſaria ad Concilii celebrationem eſſent, parandi; necnon, ſi quos invenirent ibi Prælatos ſibi adhærentes, illud inchoandi, vel ſaltem advenientes recipiendi. Qui Piſas pergentes dictis Kalendis Septembris, poſt Miſſam de Spiritu Sancto, Sermonem ad Populum habuerunt de cauſis celebrationis Concilii, illud-

illudqne apertum eſſe declararunt. Pontifex autem vehementer commotus, quod Florentini id in ſua Ditione fieri aſſcnſi eſſent, Florentiam, & Piſas, & quotqnot Conciliabnlo faverent, Sacris interdixit, diriſque devovit, omnibuſque pœnis in ſchiſmaticos & hæreticos ſtatutis ſubjecit: eiſdemque armorum vim minatus, Cardinalem Mediceum eorum Imperii æmulum, Bononiæ Legatum conſtitnit; ut ea locorum proximitate, eos in metum, & confuſionem conjiceret. Florentini vero a Pontificis Sententia ad Concilium univerſæ Eccleſiæ provocantes, perinde ac ſi Sententiæ latæ vis provocatione eſſet ſuſpenſa, ſupremi eornm Magiſtratus præcepto, quatuor præcipuorum Templorum Sacerdotes rem ſacram publice peragere coegerunt.

XII. Quum autem interim ipſi Cardinales ſegreges Mediolano ad Oppidum Bnrgi Sandonini non longe a Parma progreſſi, Litteras ibi accepiſſent a ceteris Cardinalibus Romæ exiſtentibus, & Julio II. Pontifici adhœrentibus, a quibus iuvitabantur, dimiſſo Conſilio Piſani Conventus Romam ad Concilium accedere, ut pœnas vitarent, qnas illis memoratus Julius Papa intentaverat; excuſantes illi & brevitatem temporis, & loci ſuſpicionem, ſimulque expoſtnlantes de monitionum, & Cenſurarum acerbitate, Nuncios miſerunt, nti Acta docent, atque ex eiſdem Spondanus, Rainaldus, aliiqne Scriptores narrant, qui apud Julium, & Collegium Cardinalium, aliquem accommodationis modum quærerent; deinde vero cum nihil a Pontifice obtineri potniſſet, præter octiduum dilationis Sententiæ contra illos ferendæ poſt præſcriptum reſipiſcentiæ tempus; illi ibidem Burgi die XXVII. Septembris ejuſdem anni MCDXI. longam Apologiam promulgarunt, ad conſiliornm ſnorum, & indictionis Concilii ſui purgationem, & criminnm ſibi a Pontifice in Edicto Synodi Lateranenſis, ac monitionibus in ipſos publicatis objectorum depnlſionem: quæ extat inter Acta Concilii Piſani, in cujus etiam fine, inhærentes proteſtationibns, & provocationibus jam ſæpius, nt ajunt, interpoſitis, omnes pœnas, Cenſnras, privationes in ipſos attentatas, inanes, & nnllas profitebantnr, & proteſtabantnr. Neqne his contenti, Conſilium qnoque Philippi Decii celebris Juriſconſulti Mediolanenſis, eſtque Conſilinm CLI. itidem promnlgarunt, cujus principio ait, requiſitum ſe nomine Chriſtianiſſimi Regis Francornm, qni ipſnm in Patriam ſuam maxima cum dignitate revocaverat, ſcripſiſſe illnd pro veritate, & juſtitia Piſani Conventus. Verum adverſns hujuſmodi ſegregum Scripta complures pii doctique Viri calamum exeruernnt, interque illns Thomas de Vio Cajetanus noſtri Neapolitani Regni eximinm decus, ac totius Ordinis Prædicatorum Magiſter, duobus editis Iibris, de comparatione anctoritatis Papæ & Concilii, & ſuprema dignitate Summi Pontificis; itemque Angelus Anachoreta Vallis-umbroſæ Apologeticum pro Julio II. Pontifice ad S. R. E. Cardinalea contra ipſnm Philippnm Decium ſcripſit, majorl tamen ſui jactantia, & adverſarii depreſſione, qnam ſolida juſtæ, quam proponebat, canſæ defenſione, ut notat ad prædictum annum MCDXI. idem Spondanus, Nnm XXI.

XIII. At vero quum elapſo tempore Cardinalibus Conciliabnli anctoribus ad reſipiſcendnm præſcripto, ſolemni ritu, ornatnque Pontificio in Aula Vaticani Palatii Apoſtolici, quam Regiam vocant, ſedens Jnlius Papa factioſos Cardinales Cardinalatus honore decidiſſe, & omnibns pœnis, quibus hæretici, & ſchiſmatici ſubjiciuntur, obnoxios declaraſſet, ii tandem tertio Kalendas Novembris prædicti anni MDXI. una cnm dnobus Archiepiſcopis, Lugdunenſi, & Senonenſi, & qnatuordecim Epiſcopis Gallis, necnon Generali Ciſtercienſi, ac Procnratore Cluniacenſi, & Abbatibus S. Dionyſii, & S. Medardi, nonnulliſque aliis Abbatibus, & Procnratoribus Univerſitatum Pariſienſis, Toloſanæ, & Pictavienſis, *aliaque ejuſmodi e Gallia turba*, ut ait Spondanus, quorum ſingulorum nomina recenſentur in Actis, itemque una cum aliis quibnſdam e Principatu Mediolanenſi, qui tunc Ludovico XII. Galliæ Regi ſuberat, Piſas advenientes, Concilium ibidem inchoarunt, omnibus plane quæ in Synodi Generalibns obſervari conſueverunt, etiam ab ipſis obſervatis ad exemplum Concilii Conſtantienſis.

## S E S S I O I. E T II.

XIV. Seſſione prima hnjus Conventus quæ habita eſt in Eccleſia Cathedrali die Mercurii V. Novembris anni MDXI. Præſide Bernardino Carvajale Cardinale S. Crucis poſt conſnetas preces, & Sermonem, decretum eſt, ipſum Piſanum Conventum eſſe Generalem Synodum legitime congregatam: deinde omnia a Summo Pontifice, vel aliia, contra Cardinales, alioſque Concilium componentes, in odium convocationis, & rerum ſequntarum, annexarum, & dependentium, decreta, vel facta, attentata, vel attentanda, ſive per Cenſuras, ſive per Sententias privationia, vel inhabilitationis, etiam Conſiſtoriales, nulla, & irrita eſſe. Sancitum eſt etiam, juxta Concilii Conſtantienſis Decretum, ut Beneficiati in Concilio exiſtentes Beneficiorum ſnorum fructus perciperent; ac creati denique ſunt Officiarii Concilii, prout in præcedentibus Synodis fieri ſolitum ſuit, ex quatuor Nationibus, Italica, Germanica, Gallica, Hiſpanica, Advocati vero Concilii electi ſunt Philippns Decins & Hieronymus Buticella Legum Doctorea. Seſſione ſecunda die Veneris, VII. ejuſdem menſis, & anni celebrata, Canon Toletani Concilii IV. de modeſtia in Conciliis ſervanda repetitus, & confirmatus eſt. Statutum præterea, ex quorumvis Prælatorum receſſu Concilium nequaquam diſſolntum iri. Tertio deputati Judices ad canſas in Concilio audiendas. Quarto decretum, ut Concilii membra ob quamvis canſam, litem, quæſtionem, & controverſiam motam vel movendam, quavis occaſione, ad Romanam, ſeu ad aliam Curiam trahi non poſſent. Quinto de ſigillo Synodi proviſum eſt, ordinatumqne in fignra emiſſionis Spiritus Sancti cum hujuſmodi inſcriptione, *Sacroſancta Generalis Synodus Piſana*.

## S E S S I O III.

XV. Commotis Florentinis, atque Piſanis, qnod non parvus Gallorum equitatus quaſi ad cuſtodiam Patrum adductus fuiſſet, & alioqni Concilii cauſa nec grata Piſanis eſſet, nec alicujus pretii; ac propterea inviſi adeo ibi eſſe cœpiſſent, tam Eccleſiaſtici, quam Seculares, ut etiam clauſis majnris Templi ſoribus, aditu prohiberentur: ſnperveniente denique gravi rixa inter milites Gallos, & plebem, qua nonnulli occiſi, ac multi vnlnerati ſunt; tanto terrore

Con-

Digitized by Google

Conciliares repleti ſunt, ut habita pridie Idus Novembris tumultuarie Seſſione tertia Synodum Mediolanum traſferre decreverint abſque ulla ejus diſſolutione, ingenti Florentinorum, & Piſanorum lætitia, nec minori Gallorum Antiſtitum gaudio, qui ſe in locum incommodum ob diuturna annorum bella delatos ægre ferebant; multoque magis, quia cum Regio imperio inviti veniſſent, loci mutatione ſperabant, Conventum aut difficiliorem redditum iri, aut diſſolutum.

XVI. Porro decretum in hac Seſſione eſt, Synodum non poſſe diſſolvi quouſque univerſalis Eccleſia in Fide, & moribus, tam in capite, quam in membris eſſet reformata, hæreſeſque, ac ſurgentia ſchiſmata extinguerentur, & imminentia bella inter Chriſtianos Principes ſopirentur. Decreta quoque Seſſionis v. Concilii Conſtantienſis de Generalium Conciliorum auctoritate renovata ſunt, conſtitutumque tandem fuit, ut Synodus Piſis Mediolanum transferretur abſque ipſius Synodi diſſolutione, quia, uti paulo ſuperius notatum fuit, Piſani hujuſmodi Conventui minime favebant, imo quod ab eiſdem adverſus Conciliares ſeditio excitata eſſet. Sane priuſquam hi Piſis abirent, eodem Seſſionis die, nempe die XII. Menſis Novembris, ex Congregatione extra Seſſionem habita, Epiſtolam, quæ poſt Acta Piſani Concilii legitur apud Collectores Conciliorum, ad Maximilianum Cæſarem contra Julium II. Papam ſcripſerunt, de iis ſcilicet, quæ in ipſos, ac Synodum Pontifex ipſe perpetraſſet; qua Cæſarem adverſus illum commovere ſategerunt, miſſa ſimul Apologia, quam ab ipſis Burgi confectam diximus.

### SESSIO IV.

XVII. Mediolanum ubi acceſſere Piſani Conventus Patres die VII. Decembris prædicti anni MDXI. ſolemni pompa Cruce Synodali præcedente, & cunctis ſacris, ac profanis ordinibus obviantibus, ad eam Urbem ingreſſi ſunt, Seſſionem IV. quæ indicta fuerat in Idus ejuſdem menſis, & anni, propter Helvetiorum incurſum, & Civitatis turbationem, ad diem IV. menſis Januarii ſequentis anni MDXII. remiſerunt. Ita plane habent Acta, cum nihilominus ſcribat Guicciardinus, Sacerdotes Mediolanenſes ad eorum adventum tanquam hominum execratorum ſtatim per ſe a Sacris celebrandis abſtinuiſſe; & cum in publicum Conciliares prodirent, populum palam diras eis imprecari ſolitum, ac præſertim Carvajali Tituli S. Crucis Cardinali, qui exerandi facinoris auctor habebatur, quique, quod Piſis factus eſſet Concilii Præſes, magis erat hominibus inviſus, donec Gaſto Fuxenſis Nemorſius Dux Sororis Regis Galliæ filius, quem Rex nuper Ditioni Mediolanenſi, & Copiis Gallicis præfecerat, hujuſmodi ſeditiones compeſcens, Sacerdotes Sacra obire, & populum modeſtius agere graviſſimis Edictis compulit.

XVIII. Seſſione igitur quarta, habita die IV. Januarii MCXII. ut alia omittam, quæ de eodem Piſis diſceſſu narrant ad ipſum annum MDXI. Spondanus, ac Rainaldus, præſentibus pluſculis Antiſtitibus, qui ex Gallia advenerant, actum eſt de concordia cum Julio II. Pontifice ineunda. Ad inſinuandum autem univerſis, quanto deſiderio tenerentur concordiam ineundi cum ipſo Julio Pana II. primo narrant, ſe Piſis in Seſſione III. quatuor Oratores Romam ad eum, & ad Collegium Cardinalium direxiſſe, offerentes, ſi Pontifex unam, quam mallet, ex decem Civitatibus, quas nominabant, nempe Vercellas, Taurinum, Caſale, Veronam, Gebennam, Conſtantiam, Biſuntium, Metim, Avenionem, Lugdunum, deligeret ad celebrationem Concilii univerſalis, quippe quod Roma eis ſuſpecta eſſet, ipſos protinus eo convolaturos, ut communibus conſiliis res tractarentur: ſi vero nulla illarum ei placeret, nominaret ipſe alias decem, quæ non eſſent de Statu Eccleſiæ, aut Venetorum, quarum ipſi unam deligerent: *Sic nimirum belluli Patres ex pari cum illo agere præſumentes*; ut lepide ſubdit Spondanus ad annum Chriſti MDXII. Num. XIII.

XIX. Cum vero ad Synodum relatum eſſet, Oratores ad Summum Pontificem deſtinatos Litteras liberi commeatus ab illo obtinere non potuiſſe, nec ad ipſum tutum acceſſum patere, triginta dierum ſpatium ad eligendum, ſeu nominandum locum Concilii eidem ampliatum eſt. Monuerunt etiam Pontificem, & Chriſtianos Principes, ut a bello ceſſarent, cauſaſque bellorum Concilii arbitrio permitterent. Irrita declararunt juramenta, quibus ſe nonnulli Summo ipſi Pontifici obſtrinxerant, quod ad Concilium non venerint; itemque prohibuerunt ſub pœna excommunicationis, nequis Conciliarium Beneficia vi ſententiarum a Summo Pontifice latarum, aut ferendarum, impetret, vel acceptet; ac demum ne ratione Monitorii a Pontifice emiſſi, Domeſtici, & Familiares Conciliarium diſcedant abſque licentia dominorum ſuorum. Atque hæc ſunt Acta Seſſionis IV. Piſani Conciliabuli, primæ vero, quæ habita fuit Mediolani die IV. Januarii anni MDXII.

### SESSIO V. ET VI.

XX. Seſſione quinta, die undecima Februarii celebrata, renovata eſt Synodi Conſtantienſis Conſtitutio contra invaſores, & ſpoliatores accedentium, ac recedentium a Concilio; Legatioque Bononienſis Federico Cardinali Sanſeverino commiſſa eſt. Seſſione ſexta habita die XXIV. Martii, Julius II. Papa accuſatus eſt contumaciæ; plurimaque Decreta Reformationis propoſita ſunt, eorumque obſervantia omnibus, & ſingulis Concilii membris imperata eſt. Modus quoque procedendi per Deputationes, Congregationes, & Seſſiones conſtitutus; ac declaratum eſt, indictionem, & congregationem hujus Concilii fuiſſe, & eſſe legitimam: Concilium vero Romanum a Julio II. convocatum, nullum eſſe, atque illegitimum; cum Piſana Synodus jure præventionis Apoſtolica auctoritate firmatæ legitima ſit, & duo Concilia Generalia eodem tempore ſimul eſſe non poſſint. Declaratum præterea eſt, loci pro continuando Concilio nominationem, aut electionem, ad Summum Pontificem ulterius non pertinere, ſed in Concilio totam reſidere. Imperator tandem, & Galliæ Rex ſub Concilii protectione ſunt recepti; & Monitorium contra Pontificem publicatum eſt, ut intra dies viginti quatuor attentata contra Synodum reſcinderet.

### SESSIO VII. ET VIII.

XXI. Seſſione ſeptima habita die XIX. Aprilis, rurſus accuſata eſt Julii II. Papæ contumacia, quia nimirum impedimenta Synodo appoſita ſtatuto tempore non ſuſtuliſſet; deſcriptuſque eſt Ordo Deputationum, Congregationum, & Seſſionum. Seſſione octava celebrata biduo poſt, nempe die XXI. Aprilis, accuſata eſt iterum con-

tumacia Pontificis, qui etiam ab omni, tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus, Papali adminiſtratione ſuſpenſus declaratus eſt, ob enormia ſcilicet, quibus eum onerant, flagitia; ipſaque adminiſtratio ad eandem Piſanam Synodum ipſo jure devoluta; factaque omnibus prohibitio, nequis, durante Suſpenſione, ei obediret, cauſa poſtmodum ad plenam ejus abdicationem, ſiquid contra eam Suſpenſionem attentaret, aut obſtinatum ſe præberet, proceſſura. Atque hæc dumtaxat a Conciliaribus Mediolani præſtita fuiſſe, Acta eorum habent; nec quid amplius apud Guicciardinum geſtum reperimus.

XXII. Porro in Congregatione habita poſt prædictam primam Seſſionem Mediolani habitam die x. Januarii, uti inter alios ait Spondanus ad annum MDXII. Num. xv. ſtatutum & illud fuit, mittendum ad Univerſitatem Pariſienſem per Gaufredum Bouſſardum ejus Cancellarium, Libellum quendam, ut vocant, ſuſpectum, & plenum injuriis contra Concilium Conſtantienſe, & Baſileenſe, ac iſtud Piſanum, & contra Joannem Gerſonem optimum Eccleſiæ defenſorem, compoſitum per quendam Fratrem Cajetanum, hominem audacem, & periculoſum (fuit is præſtantiſſimus Theologus F. Thomas de Vio, Cajetanus dictus a ſua Patria, quæ fuit Cajeta Civitas Regni Neapolitani, Generalis Magiſter Ordinis Prædicatorum, & poſtea S.R.E. Cardinalis, qui de poteſtate Papæ, & Concilii, ſive Eccleſiæ ſcripſerat) quem ab ipſa Univerſitate examinari, & diſcuti, & factam ab ea determinationem ad ſe mitti Piſani hujus Conventus Patres hortati ſunt. Cui mandato ſubſcripſerunt quinque Cardinales, nempe, Sanctæ Crucis, Narbonenſis, Bajocenſis, Sancti Severini, & de Prie; duo Archiepiſcopi, Lugdunenſis, & Senonenſis; tres Epiſcopi, Lucionenſis, Magalonenſis, & Engoliſmenſis; ac duo Abbates, Ciſtercienſis, & Sueſſionenſis. Bouchetus autem in Annalibus Aquitanicis, Parte II. Cap. XII. ſcribit, etiam Lugduni, quo Conciliabulares, uti mox dicemus, confugerant, habitas eſſe nonnullas Seſſiones, nihil tamen concluſum eſſe, ob intervenientem paulo poſt Julii II. Papæ mortem.

XXIII. Sed neque hic omittendum, quod in Hiſtoria Eccleſiæ Mediolanenſis Lib. XIV. ſcribit Ripamontius, Bernardinum nempe Carvajalem Cardinalem Sanctæ Crucis, qui factionis contra Julium Papam princeps erat, in Templo maximo Summum Pontificem eſſe appellatum, & Martini nomen ſumſiſſe. Quod tamen factum eſſe negaremus omnino, niſi in Volumine Epiſtolarum Principum, quædam Leonardi a Portu ad Antonium Savorgnanum Epiſtola reperiretur, qua æque aſſerit, Julium II. Papam a Piſano Conciliabulo a Dignitate Pontificia amotum fuiſſe, ac Bernardinum Carvajalem in pſeudopontificem electum. Sed quod Epiſtola ipſa data dicatur die III. Auguſti anni MDXI. omnino intelligitur, rem vana ſuſpicione jactatam fuiſſe Venetiis, ubi is tunc erat; quandoquidem nondum eo tempore Piſanum Conciliabulum inchoatum fuerat, ut ſcite obſervat Spondanus ad prædictum annum MDXII. Num. XVI. Ceterum rem magis urgent memorati Ripamontii Annales, qui ſi veritate conſtent, putat jam idem Spondanus, id arcano tantum inter factioſos decretum eſſe, nec in publicum erupiſſe, quod longe majores, & acerbiores clamores concitaſſet: cujus nec tot alii eorum temporum publici Scriptores meminerint, nec ulla penitus in ejuſdem Carvajalis palinodica abjuratione facta anno ſequenti ſcilicet anno MDXIII. mentio facta, aut indicata ſit. Abierunt tandem errones illi Conciliabulares, quod nec Mediolani tuti eſſent, primo Taurinum, deinde Lugdunum, ubi tamen nihil præterea ſub nomine Synodi geſtum legitur.

# CONCILIUM V. LATERANENSE.

XXIV. Conciliabulum ipſum Piſanum occaſionem Julio II. Pontifici præbuiſſe indicendi, ac celebrandi Romæ in Lateranenſi Baſilica Generale Concilium, dictum iccirco Lateranenſe V. jam ſuperius notatum fuit. Quinto igitur Nonas Maji anni MDXII. die Lunæ Feſto Inventionis S. Crucis ſolemni ritu in ipſa Baſilica Lateranenſi Pontificio ornatu, Cardinalium Collegio, & magna Epiſcoporum multitudine comitante, Concilium ipſum Œcumenicum Lateranenſe V. auſpicatus eſt laudatus Pontifex Maximus Julius II. peractiſque de more ſupplicationibus, & Sacro in Sancti Spiritus invocationem celebrato, Ægidius Viterbienſis Fratrum Eremitarum S. Auguſtini Generalis Magiſter, ac poſtea S. R. E. Cardinalis, magni tunc nominis Orator, & Concionator juſſu Pontificis Orationem habuit, quæ in Actis ejuſdem Concilii legitur, mirum in modum a doctiſſimo Sadoleto laudata. Inter alia de præſtantia, & de neceſſitate Conciliorum loquutus, Patres toto corde, & pura mente publicum Eccleſiæ bonum, & Chriſtianæ Religionis dignitatem tueri, ac promovere, & ad perditiſſimorum correctionem morum diligenter accendere hortatus eſt, Pontifice etiam Julio II. laudato, quod ejus opera jam ſublata eſſent latrocinia, aperta itinera, plures Romanæ Eccleſiæ reſtitutæ Urbes, quam a quoquam alio ab omni memoria Pontificum. His atque aliis in ea Oratione ab Ægidio dictis, Pontifex per Alexandrum Cardinalem Farneſium Tituli S. Euſtachii primum Diaconorum, qui aderant, ſchedam legi præcepit, qua ipſe Pontifex Patres ad eadem, quæ Ægidius, cohortatus eſt, ac primam Concilii Seſſionem indixit ad diem Lunæ decimam menſis Maji prædicti anni MDXII.

## SESSIO I.

XXV. Ipſa igitur die decima Maji poſt Sacra abſoluta, & Sermonem habitum per Archiepiſcopum Spalatenſem (quæ ſemper ſingulis Seſſionibus ante omnia fieri conſuevere) præſidente ipſomet Julio Papa II. & præſentibus Cardinalibus quindecim, Patriarchis Alexandrino, & Antiocheno Latinis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis LXXVII. quorum numerus conſequentibus Seſſionibus auctus eſt, duobus Abbatibus, Magiſtris Generalibus Ordinum, Prædicatorum, & Eremitarum S. Auguſtini, ac Vicariis Minorum, & Carmelitarum, Senatore Urbis, & Oratoribus Regis Catholici Hiſpaniæ, Reipublicæ Venetæ, & Florentinorum, Nobilibus quibuſdam Romanis, & Procuratore Ordinis S. Joannis Hieroſolymitani, aliiſque Doctoribus, & Magiſtris, lectum eſt per Alexandrum Cardinalem Farneſium Diploma indictionis Concilii, & nonnullarum ejus prorogationum; ac deinde ſcheda alia Pon-

Pontificis, qua ſtatuit, Sacra per omnes Urbis Eccleſias quotidie ad Gratiam Divinam pro felici Concilii proſequutione implorandam celebranda, conceſſis ad hæc ſacris Indulgentiis; hortatuſque eſt omnes, qui Concilio intereſſe deberent, cogitare, & referre ea, quæ ad illud utilia, & opportuna eſſent; cum omni libertate vota ſua promere, modeſte tamen, ac ſine tumultu; atque ex ſeſſione, quæ debito, & opportuno loco non fieret, nulli præjudicium generatum iri declaravit. Miniſtros quoque, & Officiales Concilii nominavit; atque in primis Conſtantinum Cominatum Macedoniæ Ducem, & Achajæ Principem, qui in Monferratenſi Ditione aliquid poſſidebat, Generalem Concilii Cuſtodem; loci vero, in quo celebraretur, Conſervatores Urbis; Perſonæ ſuæ Milites Hieroſolymitanos. Deinde creavit quatuor Notarios Apoſtolicos, qui, quæ ſcriberentur, diligenter inſpicerent, & ſubſcriptionibus ſuis munirent; itemque alios quatuor Notarios, ſeu Scribas Concilii, qui prædictis Apoſtolicis Notariis ſubeſſent: duos ejuſdem Concilii Secretarios; quatuor votorum Scrutatores: quinque Advocatos: tres Procuratores: duos locorum aſſignatores, & Magiſtros Cæremoniarum, quorum qui præſentes erant, juramentum ad pedes Potificis præſtiterunt; abſentes vero in manibus Raphaelis Riarii Cardinalis Tituli Sancti Georgii, & Romanæ Eccleſiæ Camerarii præſtare juſſi ſunt.

S E S S I O II.

XXVI. Seſſione ſecunda, quæ habita eſt die xvii. Maji, præſidente, ut ſupra, Julio II. Pontifice, ceteriſque præſentibus, Sermonem habuit laudatus toties Thomas de Vio Cajetanus Ordinis Prædicatorum Generalis Magiſter. Publicatum eſt fœdus inter Julium Papam, & Henricum Angliæ Regem. Lectum eſt deinde Mandatum Ferdinandi Regis Aragoniæ, quo tam ſuo, quam Joannæ Reginæ Caſtellæ ipſius filiæ nomine, Procuratorem ſpecialem ad res Concilii conſtituit Hieronymum de Vich, ſuum jam apud Pontificem Oratorem ordinarium. Præterea Bernardus Zane Archiepiſcopus Spalatenſis de mandato ejuſdem Pontificis, Sacro approbante Concilio (quæ ſemper clauſula in omnibus Edictis Pontificis nomine in Concilio publicatis apponi conſuevit) legit Edictum contra Conciliabulum Piſanum; quo confirmans Decreta edita adverſus illud ab ipſius indictione, ac deinceps publicata, quæ recenſet, illud ipſum denuo, ejuſque tranſlationes, & Acta damnavit, ac nullius roboris eſſe declaravit: additis de more Cenſuris contra aſſiſtentes, adhærentes, conſentientes, directe, vel indirecte &c. Tertiam autem Concilii Seſſionem ob æſtivos calores, atque ob alias juſtas cauſas Concilio probatas, & ut iis, qui nondum advenerant, tempus daretur commodum, in tertium Nonas Novembris remiſit.

S E S S I O III.

XXVII. Quum tempus præſcriptum appropinquaret celebrationi Tertiæ Seſſionis Lateranenſis hujus v. Concilii, pridie Kalendas Novembris fuit illa ad tertium Nonas Decembris prorogata propter proximum adventum Epiſcopi Gurcenſis Vicarii Cæſaris in Italiam, quem petitione Pontificis a Maximiliano, cum quo jam Pontifex fœdus inierat, ex Conventu Trevirenſi Legatum eſſe in Italiam Coccinius ſcribit; cujus animum cum Pontifex Julius II. ſummopere ſibi devincire cuperet, per totam ſuam Ditionem illum omni honoris genere excipiendum, lautiſſimis etiam præbitis ſumtibus curavit; uti late eam rem narrant Spondanus, & Rainaldus ad annum Chriſti MDXII. Porro fœdere inter Pontificem, & Imperatorem, ac alios Principes, Reſpublicaſque ſolemni Ritu publicato, memoratus Epiſcopus Gurcenſis Tertiæ Concilii Lateranenſis Seſſioni, quæ habita fuit die Veneris iii. Decembris ejuſdem anni MDXII. Cæſaris nomine interfuit, ejuſque Procuratorium Mandatum obtulit, quo Maximilianus revocans, & irritans quæcumque pro Concilio Piſano ab ipſo ejuſque nomine geſta fuiſſent, Lateranenſe hoc Generale v. Concilium comprobavit; ſubindeque Pontifex legi ex Ambone mandavit per Epiſcopum Forolivienſem Bullam, ſeu Edictum, quo damnans rurſum Conciliabulum Piſanum, ejuſque fautores, & ſequaces, inſuper confirmavit Litteras a ſe Idibus Auguſti nuper elapſis promulgatas, per quas propter favorem, & adhæſionem eidem Conciliabulo per Regem Franciæ, & nonnullos alios Regni illius Prælatos, Officiales, Nobiles, & Barones, notorie præſtitam, univerſum Franciæ Regnum, ac præſertim Lugdunum, quo ſcilicet Schiſmatici Cardinales ſe receperant, ſuam Comœdiam proſequuturi, Ducatu Burgundiæ excepto, Eccleſiaſtico ſubjecerat Interdicto, nundinaſque Lugduni fieri ſolitas in Civitatem Gebennenſem tranſtulerat. Quartam denique Seſſionem indixit Pontifex in diem x. Decembris, de qua mox infra dicendum erit.

S E S S I O IV.

XXVIII. Seſſione quarta, quæ habita eſt die x. Decembris prædicti anni MDXII. poſt lectum Mandatum Leonardi Lauredani Ducis Venetiarum factum ante prædictum fœdus Franciſco Folcaro Nobili Veneto Oratori ſuo Romæ reſidenti, ut ipſius nomine Concilio Lateranenſi intereſſet, juſſu Julii Papæ II. lectæ ſunt Litteræ Ludovici XI. Francorum Regis ſcriptæ olim ad Pium II. de abrogatione Pragmaticæ Sanctionis, de qua nonnihil diximus initio hujus Hiſtoriæ: moxque decretum Monitorium contra Prælatos, Capitula, Parlamenta, Laicos omnes, & Eccleſiaſticos, ipſumque Galliæ Regem, ad comparendum intra lx. dies coram ipſo Pontifice, & Concilio, cauſamque dicendam, quare hujuſmodi Pragmatica abrogari non deberet; rurſumque excluſis omnibus, qui Concilio intereſſe non poterant, Pontifice, & Cardinalibus, ac Prælatis ſacris veſtimentis indutis, Alexander Epiſcopus Alexandrinus Lombardiæ de mandato ejuſdem Julii II. Papæ ex Ambone legit Bullam, qua idem Monitorium conciliariter confirmatum eſt, ac publicari juſſum; & quæcumque in Conciliabulo Piſano circa collationes Beneficiorum, aut aliarum gratiarum conceſſiones, geſta fuiſſent, aut decreta, nulla & irrita declarata ſunt; quintamque Seſſionem in decimum quartum Kalendas Martii anni proxime futuri, ideſt, MDXIII. indixit, cui tamen ipſe non interfuit, uti mox dicemus. Porro varia interim geſſit Pontifex, quæ ad ipſum annum MDXII. & ad ſequentem MDXIII. narrant Spondanus, Rainaldus, aliique qui Julii II. geſta poſteris tradidere.

S E S S I O V.

XXIX. Seſſione quinta habita die xvi. Februarii anni MDXIII. cui ob ægritudinem Julii II. Papæ præfuit Raphael Riarius Cardinalis Epiſcopus

pus Oſtienſis, poſt celebrata Solemnia lectum eſt ab Epiſcopo Cumano Diploma Pontificis, quo confirmata eſt Conſtitutio ab eodem Julio Pontifice edita anno MDV. qua ſtatuerat, ut ſiqua Simonia in electione Summi Pontificis committatur, vel ab Electo, vel ab Eligentibus, Electio eo ipſo nulla exiſtat, & contra ipſum uti hæreticum agi poſſit, & auxilium brachii ſecularis implorari; tamque ipſe, quam qui eum ſimoniace elegerint, aut eligi quomodocumque procuraverint, privati ſint Cardinalatu, aliiſque omnibus Dignitatibus, & Beneficiis Eccleſiaſticis, Feudis, bonis, honoribus &c. iique Cardinales, qui Simoniæ non conſenſerint, electionem alterius Pontificis agere poſſint, & Concilium etiam Generale indicere, & convocare. Quod pie cogitatum remedium multis viſum eſt difficultatibus implicatum, ideoque viſum Patribus hujus Concilii ſuit, nonnulla ejus Conſtitutionis Capita explicare, aut emendare, quæ in Actis hujus ejuſdem Concilii recenſentur.

XXX. Et quidem quamvis bonæ intentionis laudem mereatur Sanctio iſta Julii II. Papæ, ſi caſus tamen, cui proviſum voluit, accideret, pernicioſiſſimo Schiſmati viam aperiret. Si enim electus Papa (ut ſcite obſervat eruditus Cabaſſutius in ſua Notitia Conciliorum, Cap. xcv. ubi Lateranenſe hoc v. Concilium enarrat) & Cardinales Electores Simoniæ rei eſſent, quiſnam exurgeret contra illos Actor? Et quiſnam ſederet Judex? Et ſi pars Cardinalium rea quidem eſſet, ceteri vero Cardinales litem contra priores intentarent, novumque inter ſe Pontificem eligerent, quis poſſet natam exinde diſcordiam conſopire, præſertim ſi pars Simoniæ rea vellet pervicaciter hanc inficiando amoliri? Periculoſæ itaque plenum opus aleæ ſuſciperetur. Eo ſane caſu ſatius videretur, uti laudatus Auctor ſubdit, qualemcunque promotum, & ſemel admiſſum tolerare, pari prudentia, & cautione, qua olim Eccleſia Felicem, & Vigilium toleravit, qui nefariis artibus Sacram Petri aliquando Cathedram invaſerant, ne hac occaſione Schiſma prorumperet. Eo namque fine, graviſſimam perniciem antevertendi, multa facta tenent, juxta Juriſprudentiæ regulam, quæ fieri prohibentur. Sed quicquid de hac re ſit, lecta pariter ſuit alia Bulla de Pragmaticæ Sanctionis diſcuſſione, ob ipſius tamen Pontificis Julii II. infirmitatem in ſextam Seſſionem, III. Idus Aprilis habendam differenda. Sed rem mors ejuſdem Pontificis interrupit.

XXXI. Porro ſexto die poſt Seſſionem hanc celebratam lenta tenacique ſebre conſumtus obiit Julius II. nono Kalendas Martii anno MDXIII. Sacramentis Eccleſiæ religioſe perceptis; Cardinalibuſque monitis, ut Succeſſoris deligendi cura penes ipſos eſſet, non penes Concilium, & factioſis injuriarum ſibi illatarum culpa condonata, ita tamen, ut electioni intereſſe non poſſent; de quibus ita pronunciaſſe ſcribit Paris de Graſſis Cæremoniarum Sacelli Pontificii Magiſter in ſuis Diariis, & ex eo Spondanus, & Rainaldus ad ipſum annum MDXIII. & Scriptores paſſim in Vita Julii II. Papæ: *Ut Julianus*, quo nomine ante Pontificatum appellabatur, *Cardinalibus indulgeo Schiſmaticis, ut Julius juſtitiæ rationem habendam judico*. Teſte Guicciardino Lib. xI. dira moliebatur Julius adverſus Ludovicum XII. Francorum Regem, a quo etiam in Regem Angliæ Ludovici hoſtem, Titulum *Chriſtianiſſimi* trasferre decreverat, ipſumque Regia Dignitate ſpoliare, & Regnum proſcribere, ac prædæ objicere, ferale Decretum Concilii nomine promulgaturus, niſi illius, ut ajunt, Orbiſque Chriſtiani, in quo majora bellorum incendia concitaſſet, miſertus Deus, tam præceps, acerbumque conſilium ipſius morte diſſipaſſet. Sedit autem annos IX. menſes III. dies XXI. vixit annos LXX. ſepultuſque eſt in Baſilica S. Petri. Ipſum ſane Joannes Maria de Monte Sipontinus Archiepiſcopus Oratione habita in hoc Lateranenſi Concilio, Paris de Graſſis Papalium Cæremoniarum Magiſter in ſuis Diariis, Ægidius Cardinalis Viterbienſis, Ubertus Folietta, aliique complures, a ſtudio libertatis Eccleſiaſticæ conſervandæ, a magnanimitate, & conſtantia in adverſis, ab odio ſimoniacæ peſtis, ab ædificiorum magnificentia, atque ab aliis rebus plurimis feliciter geſtis prædicant, & ſummis laudibus ornant, tametſi non deſint, præſertim Auctores Galli, qui eum carpunt.

XXXII. De hoc Pontifice ſcribit inter alios Natalis Alexander in Hiſtoriam Eccleſiaſticam Seculi xv. & xvI. Articulo xII. Numero II. Julium II. appellari voluiſſe, *intuita potius Julii Cæſaris, cujus bellatorem animum æmulabatur, quam Julii I. Sanctiſſimi Pontificis, cujus manſuetudinem, & pacificam indolem non adeo imitari curabat*. Sed hæc inepta putidaque calumnia eſt. Siquidem vel ſolum nonnulla, quæ egit anno MDX. ſatis demonſtrant, qui Julius animo illius obverſaretur, quum Julius II. vocari voluit. Nempe die xII. Aprilis, qua celebratur Feſtum S. Julii I. Papæ jurium S. R. E. aſſertoris egregii, pluvia licet maxima aliud ſuadente, equitare voluit pompa ſolemni ad Baſilicam S. Mariæ trans Tyberim, in qua Corpus S. Julii I. Papæ ſervatur: ibi cum Sacro Cardinalium Collegio, & reliqua Curia Papalem, ut ajunt, Capellam habuit; proceſſitque deinde ad paratum in ædibus, hortiſque Cardinalis Titularis epulum iis par quæ auguſtioribus recurrentibus ſolemnitatibus juxta ejus ævi morem dare conſueverant Romani Antiſtites. Conceſſit poſtea iis plenariam peccatorum remiſſionem, ſeu Indulgentiam, qui Sepulcrum ſanctiſſimi deceſſoris ſui Julii I. cujus nomen in Pontificatu aſſumſerat, quotannis in illius Feſto viſitarent. Teſtantur habitam ad Sanctæ Mariæ trans Tyberim Capellam die ipſa xII. Aprilis anni MDX. mſs. Diaria Paridis de Craſſis. Indulgentiarum vero ſervari autographum Bullæ, quam ex parte vulgarunt Socii Bollandiani Tomo I. Aprilis, ubi de S. Julio Papa I. agunt, teſtis eſt ejuſdem tranſtyberinæ inſignis Baſilicæ Canonicus doctiſſimus Petrus Morettus in ipſius Baſilicæ Hiſtoria, ubi etiam integram Bullam deſcribit una cum prolixa memorati Paridis narratione ex apographo Diariorum quod extat in Tabulario Apoſtolico Vaticano.

XXXIII. Eodem teſte Alexandro, qui etiam alios Auctores citat, *Julius II. inſtituiſſe dicitur, ut in Italia contra Gallos ad pulſum Angelicæ ſalutationis Deiparæ, cum eadem ſalutatione tres breves orationes ad Virginem Mariam, quas ipſe dictaverat, recitarentur; Rex vero Ludovicus XII. ab Epiſcopis Regni ſui obtinuit, ut quotidie ad elevationem Corporis Chriſti in Eccleſiis Cathedralibus, Collegiatis, & Conventualibus inter Miſſarum ſolemnia verſiculus ille decantaretur*.

O ſa-

O ſalutaris Hoſtia,
Quæ Cæli paudis oſtium,
Bella premunt hoſtilia,
Da robur, fer auxilium.

*Ad cujus finem loco illorum verborum*, fer auxilium, *Cantores Regii adjunxerunt*, ſerva Lilium. Meminit & ejus Ritus eruditiſſimus Edmundus Martene in addendis ad Tomum 1. *De antiquis Eccleſiæ Ritibus*, in fine, ubi ait, prædictos quatuor verſiculos cantari cœpiſſe ad Sacratiſſimæ Hoſtiæ elevationem, *petente Ludovico XII. Francorum Rege, ob urgentes belli neceſſitates, & pericula*, additoſque fuiſſe in Capella Regia duos hoſce verſiculos.

*In te confidit Francia*
*Da pacem, ſerva Lilium.*

Quia ſcilicet Lilia ſunt Regis Franciæ ſtemma.

XXXIV. Porro Julii II. ſimultates cum Ludovico XII. Galliarum Rège Scriptores varii pro uniuſcujuſque affectione varie deſcribunt, aliis Gallorum in Italia dominationem execrantibus, aliis Julium accuſantibus animi nimia ira adverſus Gallum ebullientis, & Principes contra ipſum ſollicitantis, unde illius mortem ſpeciali Dei erga Galliam providentiæ tribuunt. At vero illud indubitatum eſt, a Ludovico peſſimum initum conſilium, dum una cum Maximiliano Imperatore Conciliabulum vocavit, ut Julium II. Pontificem in ordinem redigeret; quapropter cum Pontifex infenſiſſimum Eccleſiæ hoſtem, Schiſmatiſque fautorem Ludovicum noviſſet, hinc ad ipſius vires attenuandas, in eumdem Principes concitavit. Audiendus hic Alphonſus Ciaconius, qui in Vita laudati Julii II. Papæ poſtquam dixit, fuiſſe illum bello addictum, ita ſtatim ſubjicit: *Nec enim probari ob id minus debet, quod tam infracti animi virtute contra Eccleſiæ Dignitatis invaſores propugnaverit, quando temporum ea conditio tantum Virum religione, ac fortitudine vere Maximum Pontificem poſtulabat. Neque ſane ob alias cauſas tot bella geſſit, niſi ut a pluribus occupatum Sacræ Sedis Imperium recuperaret. Ad quod præſtandum inſita a natura Julii invicto animo bellicæ virtutis ſemina cernebantur. Erat enim animo magnus, acer, conſtans, liberalis, contumacibus implacabilis, in proſperis continens, in calamitatibus ſe ipſo ſemper excelſior: irritari adverſis, non enervari, virtus ejus non poterat.* Teſte eodem Ciaconio, *primus omnium Pontificum Julius contra majorum conſuetudinem, barbam prolixam aluit, ut majorem intuentibus reverentiam incuteret, idque reliqui poſt eum Romani Pontifices probaſſe uſu videntur.*

SESSIO VI.

XXXV. Quamvis ſexta hæc Seſſio, ut in quinta Seſſione dictum eſt, indicta fuerit in tertium Idus Aprilis anni MDXIII. ipſum tamen diem novus Pontifex Leo X. ſolemni Lateranum aditioni ſelegit, pridieque ipſius diei, nempe quarto Idus Aprilis Edicto facto eandem Seſſionem ſextam in Mercurii diem XXVII. ejuſdem menſis remiſit. Itaque præſidente huic Seſſioni Leone Papa X. poſt Solemnia conſueta, lectum eſt Mandatum Procuratorium Reipublicæ Florentinæ ſuis Oratoribus datum, aſſiſtendi Concilio, ejuſque Decretis adhærendi. Deinde petita eſt a Procuratore Concilii citatio contra Gallos contumaces in cauſa Pragmaticæ Sanctionis, ſed nihil tamen Pontifex reſpondit, quod nimirum mitius cum eis agendum exiſtimaret. Poſtremo excluſis omnibus, quibus facultas non erat deliberandi in Concilio, Pontifice, cæteriſque omnibus de more ſacris veſtibus indutis, & Mitratis, lecta eſt ab Archiepiſcopo Rheginenſi Bulla Pontificia, Sacro approbante Concilio, qua Pontifex Concilium, & quæ hactenus in eo geſta eſſent, approbans, declaravit, decreviſſe ſe illud uſque ad perfectionem cauſarum, propter quas indictum fuit, ac præſertim pacem, & concordiam inter Principes Chriſtianos, proſequi, ſalvumque conductum, ut vocant, omnibus accedere obligatis conceſſit, ac ſeptimam Seſſionem in decimum Kalendas Julii indixit. Conſequentibus interim diebus deſignati ſunt nonnulli Prælati graves, ac docti, qui una cum Cardinalibus coram Pontifice tractarent de iis, quæ eſſent in Concilio proponenda. Ac die XX. Maji prorogata fuit ſeptima ipſa Seſſio ad decimum quintum Kalendas Julii ob adventum Oratorum Sigiſmundi Regis Poloniæ, qui propediem expectabantur. Tertio tandem die Junii viginti quatuor Prælati in tres claſſes diviſi ſunt una cum ſelectis Cardinalibus; quarum una pacis univerſalis inter Reges ac Principes Chriſtianos componendæ; altera generalis reformationis, etiam Curiæ Romanæ; tertia diſcuſſionis, & àbrogationis Pragmaticæ ſanctionis, ac rerum Orthodoxam Fidem ſpectantium, peculiarem curam haberent.

SESSIO VII.

XXXVI. Die itaque decima quinta Kalendas Julii, ideſt, XVII. Junii, quæ fuit Feria ſexta, celebrata Seſſione ſeptima, eodem Leone Papa X. præſidente eidem, lectum eſt Mandatum Procuratorium Sigiſmundi Polonorum Regis datum Joanni Laskeo Archiepiſcopo Gueſneuſi Poloniæ Primati, & Stanislao de Oſtronog Palatino Caliſſienſi pro obedientia Leoni X. Pontifici præſtanda, Concilio approbando, eique illius nomine aſſiſtendo: quos & præterea Mandatum accepiſſe de defendenda Polonorum cauſa in controverſia, quæ inter ipſos, & Cruciferos erat ſæpius agitata, ſopita, & innovata, in juribus utrorumque, pro quibus cruentiſſima, frequentiſſimaque geſta fuere bella, eorum Scriptores tradunt, Jodocus Decius in Rebus geſtis ſub Sigiſmundo, & Bernardus Vaporius, qui interfuerunt, quoſque recenſent ad annum Chriſti MDXIII. Spondanus, & Rainaldus. Vertebatur autem tunc lis inter Sigiſmundum Regem, & Albertum Brandeburgenſem ipſius nepotem Magiſtrum Theutonicorum elapſo anno electum, juramentum ei præſtare recuſantem. Porro ut controverſias ſuas Poloni, atque Cruciferi Concilio Lateranenſi dijudicandas remitterent, laudatus Leo Pontifex diverſis Litteris ad utroſque ſcriptis, quæ apud Bembum earum compoſitorem extant, hortatus eſt.

XXXVII. Poſt lectum Mandatum Regis Poloniæ, alia ſimilia exhibita Concilio fuere, Maximiliani Ducis Mediolani, Franciſci Marchionis Mantuani, Stanislai, & Joannis Ducum Mazoviæ, Ruſſiæque, ſuis quibuſque Oratoribus tradita: iiſque finitis, lecta fuit ſcheda a Bernardino Carvajale, & Franciſco Sanſeverino, quos Julius II. Papa Cardinalatu privaverat, oblata de Schiſmatis ejuratione eorum manibus ſubſcripta, qua ſuppreſſo Cardinalium nomine, Conciliabuli Piſani quæcumque Acta, & Decreta

ta

ta damnabant, & illa Concilii hujus Lateranenſis V. Œcumenici comprobabant; Pontifici Leoni X. obedientes futuros promittebant, ſeque jure a Julio ipſo II. & a Concilio e Cardinalium numero expunctos fatebantur. Quorum cauſa apud Pontificem agitata, cum dilata aliquantulum fuiſſet, ob Maximiliani, & Ferdinandi Oratorum, & Cardinalium, Eboracenſis Angli, & Sedunenſis Helvetii interceſſionem, qui Novatiano pene ſpiritu, uti inter alios notat Spondanus, tam pernicioſi, execrandique delicti Auctoribus veniam minime concedendam eſſe contendebant; quod id eſſet portam aperire ad ejuſmodi facinora perpetranda, ſpemque veniæ poſteris monſtrare: nihilominus Leo Pontifex Apoſtolica ſapientia, atque clementia Piſani Conciliabuli nomen benignitate facilius, quam ſeveritate extingui poſſe ratus, & ne Galliæ Regis, qui vehementer pro eis deprecabatur, animum irritaret, in mitiorem ſententiam inclinans, illorum deprecationem coram Concilii Patribus legi voluit, reſtitutione alia die aſſignata.

XXXVIII. Summopere etiam laudanda eſt eximia ejuſdem Pontificis prudentia, quippe qui Schiſmatis illius extinctionem ex Galliæ Regis, Ludovici nempe XII. arbitrio pendere animadvertens, multis artibus ejus animum placare niſus eſt, ut Guicciardinus inter alios narrat; tum moleſtiſſime ſe ferre eidem ſignificans, quod per ejuſmodi ipſius patrocinium diſſidii, facultas ſibi adimeretur oſtendendi, quantum ſua natura, ad ejus amicitiam propenſionem haberet; donecque ad Eccleſiæ Unitatem rediret, Sedis ſuæ, Perſonæque conſideratione, prohiberetur eum uti Chriſtianiſſimum Regem, & Primogenitum Eccleſiæ Filium agnoſcere: hac benignitate effecit, ut Rex, qui & alioqui proprii commodi gratia, ut vel Scriptores Galli fatentur, Regni ſui cum Eccleſia Romana concordiam ab univerſo Regno vehementer flagitatam, & ad quam maxime a Regina incitabatur, exoptabat, Maſſilienſem electum Epiſcopum Claudium Seiſellum ad tractandum de hiſce rebus cum Leone Papa, ad eum mitteret: ad cujus adventum Pontifex Concilii Lateranenſis Decreto, Gallis Epiſcopis, aliiſque Antiſtitibus, quos tanquam ſeditioſos Julius II. ejus Præceſſor, minis, ac denunciationibus perſequutus fuerat, terminum citationis, & monitionis iis factæ, uſque ad primam Seſſionem poſt Kalendas Novembris proximi prorogavit, promulgato ea de re in eadem hac VII. Seſſione Decreto: quo etiam contra Officialium Romanæ Curiæ extorſiones conſtituti ſunt Examinatores; & ad Reges, ac Principes Chriſtianos decreti Legati, & Nuncii, qui eos ad pacem, & concordiam hortarentur. Denique ob calores æſtivos imminentes, qui remorari poſſent Prælatorum adventum ad Concilium, Seſſio octava indicta eſt in XVI. Kalendas Decembris, quæ tamen poſtea prorogata eſt primo in XVII. & deinde in XIV. Kalendas Januarii, uti apparet ex actis Concilii hujus V. Lateranenſis.

XXXIX. Quod reſtitutionem memoratorum Cardinalium Carvajalis, & Sanſeverini ſpectat, fuit illa, uti Bzovius, Spondanus, Rainaldus, aliique ad annum MDXIII. & præ ceteris Acta hujus Concilii narrant, facta in hunc modum. Cum noctu privato habitu Romam ingreſſi, & in Palatium Vaticanum deducti fuiſſent, ſequenti mane die XXVII. Junii, coram Pontifice in Senatu Cardinalium Pontificio habitu ſedente, veſte Clericorum Secularium coloris violacei ſe ſiſtentes, infinita hominum multitudine ad ſpectaculum concurrente, genibus in terram poſitis, aliam ab illa, quæ in Concilio fuerat, plenioremque ſchedulam alta voce legerunt, eique propriis manibus publice ſubſcripſerunt; hocque facto, a Papa ſolemniter ab omnibus Cenſuris, ac pœnis abſoluti, & Communioni Eccleſiæ, Dignitati Cardinalatus eodem gradu, & loco, quo prius fuerant, necnon Beneficiis Eccleſiaſticis, de quibus per Sedem Apoſtolicam non fuiſſet alias diſpoſitum, pleniſſime reſtituti, ac purpureis veſtibus Cardinalitiis induti, admiſſi ſunt a Pontifice ad oſculum pedis, manus, & oris; moxque ad Cardinales accedentes, qui tunc, non prius aſſurrexerunt eis, ſingulos oſculati ſunt. Propoſita demum quadam actione, votum ſuum dederunt; acceptaque pœnitentia, ut ſingulis hebdomadibus toto tempore vitæ ſuæ una die jejunarent, admiſſi ſunt ad convivium Pontificis. Exſtant rei geſtæ Acta publica una cum ipſis prædictorum Cardinalium palinodiæ, & Pontificiæ Abſolutionis formulis, ex quibus rem breviter Guicciardinus retulit; confirmaturque non modo ex mſs. Diariis Paridis Craſſi, ſed & ex Litteris, quibus poſtridie, nempe quarto Kalendas Julii, Leo Papa X. qui Cardinales ipſos abſolvit, ſuæque Dignitati, a qua privati fuerant, reſtituit, Maximilianum Cæſarem de his certiorem fecit, quæ apud Petrum Bembum ejus tunc Secretarium, poſteaque S. R. E. Cardinalem, Lib. III. Epiſtola XXI. reperiuntur.

SESSIO VIII.

XL. Seſſio octava habita eſt decimo quarto Kalendas Januarii, ideſt, die XIX. Decembris anni MDXIII. cuique præfuit idem Leo Papa X. & interfuerunt Cardinales XXIII. Archiepiſcopi, & Epiſcopi XCIII. Abbates quinque, Generales Ordinum quinque, Oratoreſque Cæſaris, Regum Galliæ, Hiſpaniæ, Reipublicæ Venetæ, Ducis Mediolanenſis, & aliorum. Poſt peracta Solemnia, Orationemque habitam a Baptiſta Gargha Equite Hieroſolymitano, lectum fuit Mandatum Regis Francorum datum Friderico Cardinali Sanſeverino, Claudio Seiſello electo Epiſcopo Maſſilienſi, atque Ludovico Forbla Domino de Soleriis, Procuratoribus ſuis ad hoc conſtitutis; quo narratis breviter, quæ ſub Julio II. Pontifice facta fuiſſent in cauſa diſſidii inter ipſos a malevolis ſuſcitati, & Concilii Piſani a nonnullis Cardinalibus ad id ſe facultatem habere aſſerentibus, de conſenſu, & auctoritate Maximiliani Imperatoris electi, convocati, cui & Rex ipſe Galliæ adhæſiſſet, & per ſuum Regnum locum habere permiſiſſet, non quidem ut Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, aut Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſciſſuram aliquam inſerret, ſed prædictorum conſiliis, atque ſuaſionibus inductus, & quia cauſæ propriæ, per quas ad id faciendum motus fuerat, perſonam Julii, a quo provocatus fuerat, reſpiciebant.

XLI. Subdebatur prætera in eo Mandato, Regem, cum audiſſet, Julium vita functum eſſe, & Leonem ejus loco electum, æque Concilium Piſanum, ejuſque omnia geſta damnaſſe, & Lateranenſe comprobaſſe Concilium; ideoque pro ſingulari, quam erga illum, & Sanctam Sedem Apoſtolicam gereret, devotione, veſtigia Chriſtianiſſimorum Franciæ Regum Deceſſorum

ſuo-

Digitized by Google

ſuorum non ſolum imitari, verum etiam, ſi fieri poſſet, anteire cupientem, atque etiam animadvertentem, per mortem Julii Papæ omnia odii, & ſuſpicionis fomitem eſſe extinctum, nonnulloſque ex Cardinalibus, nec non Imperatorem electum, qui prætentum Concilium Piſanum in lixerant, jam illi renunciaſſe, ac Lateranenſi adhæſiſſe: ſe quoque prædictis ſuis Procuratoribus Mandatum dare, ut ſuo nomine, a dicto prætento Piſano Conciliabulo penitus diſcedant, ac plane renuncient; & pure, libere, atque ſimpliciter Sacro Lateranenſi Concilio tanquam vero, unico, atque legitimo adhæreant. Quod cum ipſi præſtitiſſent in Palatio Apoſtolico coram Pontifice, & aliquot Cardinalibus, ac teſtibus ad hoc vocatis die VI. Octobris, promiſiſſentque inſuper, effecturum Regem, ut ſex Prælati, & quatuor Doctores ex præcipuis, qui Conventui Piſano interfuiſſent, ad Pontificem nomine ejuſdem Piſani Conventus, eorumque, qui ei adhæſiſſent, intra Kalendas Januarii venirent, qui illud adjurarent Conciliabulum, & veniam, atque abſolutionem a Pontifice poſtularent, & Concilio Lateranenſi adhærerent; itemque, cum primum commode fieri poſſet, venturos aliquot Prælatos, & inſignes Viroa nomine totius Eccleſiæ Gallicanæ, qui pariter Lateranenſi Concilio adhærerent, & aſſiſterent. Hia porro ad Regem relatia tum eadem omnia ipſe die XXVI. ejuſdem Octobria Corhiæ exiſtens confirmavit; tum ſyngrapham eiſdem Procuratoribus ſuia miſit, ad obtinendum a Pontifice, & Concilio, nomine ſuo, & Eccleſiæ Gallicanæ dilationem competentem pro mittendis Legatis ſuis ad ſiſtendum ſe Concilio, ac de Pragmatica Sanctione reſpondendum, quod ingruentibus bellia haud facile eſſet Prælatis congregari, & viæ ſe committere.

XLII. Hæc igitur ſunt, quæ, uti notant Scriptorea ex hujuſce Lateranenſis V. Concilii Actis, in hac Seſſione octava a Regis Galliæ Procuratoribus oblata, lectaque, ab eiſdem rurſum confirmata fuere, atque a Pontifice, & univerſa Synodo accepta. Lectia pariter Mandatis Marchionum Brandeburgenſia, atque Monſerratenſis per Oratores ſuoa Concilio adhærentium, unus e Concilii Procuratoribus ſupplicationem obtulit contra Parlamentum Provinciæ, quod Litteras a Pontificibus, & Apoſtolica Sede impetratas non permitteret exequutioni mandari, niſi præhabita ab eo licentia; auctoritatemque ſibi in Clericos, & res, ac Beneficia Eccleſiaſtica tribueret, & uſurparet, atque ad Sedem Apoſtolicam recurrere prohiberet: decretumque eſt Monitorium pœnale in perſonaa Parlamenti in ſupplicatione Procuratoris expreſſas, ſub pœnis, & cenſuria Juris, ac ſub termino trium menſium.

XLIII. Lectum præterea eſt ex Ambone per Archiepiſcopum Gneſnenſem Poloniæ Primatem Decretum Pontificia, Sacro approbante Concilio, contra nonnulloa Philoſophos, aut Philoſophantes, qui auſi fuerint dicere de natura Animæ Rationalia, *quod mortalis ſit, aut unica in cunctis hominibus .... ſaltem ſecundum Philoſophiam*. Sane una cum univerſa hac Lateranenſi Synodo damnat Leo Pontifex ac reprobat *omnes aſſerentes Animam intellectivam mortalem eſſe, aut unicam in cunctis hominibus, & hæc in dubium vertentes. Cum illa non ſolum vere, & per ſe, & eſſentialiter humani corporis forma exiſtat, ſicut in Canone Clementis Papæ V. in Generali Viennenſi Concilio edito continetur, verum & immortalis, & pro corporum, quibus infunditur, multitudine, ſingulariter multiplicabilis, & multiplicata, & multiplicanda ſit. Quod manifeſte conſtat ex Evangelio, cum Dominus ait.* Animam autem occidere non poſſunt. *Et alibi:* Qui odit animam ſuam in hoc mundo &c. *& etiam cum æternam pœnam, & æterna ſupplicia pro merito vitæ judicandis repromittit.* Tum paulo poſt, omnem aſſertionem huic veritati contrariam, *omnino falſam eſſe*, definit; *& ut aliter dogmatizare non liceat*, diſtrictius inhibet: *omneſque hujuſmodi erroneis aſſertionibus inhærentes, tanquam hæreticos vitandos, & puniendos fore decernit.* Inſuper omnibus, & ſingulis Philoſophis in Univerſitatibus Studiorum Generalium, & alibi publice legentibus diſtricte præcipit, *ut cum Philoſophorum principia, aut concluſiones, in quibus a recta Fide deviare noſcuntur, auditoribus ſuis legerint, ſeu explicaverint (quale hoc de immortalitate animæ, aut unitate, & Mundi æternitate, ac alia hujuſmodi) tenerentur eiſdem veritatem Religionis Chriſtianæ omni conatu manifeſtam facere, & perſuadendo pro poſſe docere, ac omni ſtudio hujuſmodi Philoſophorum argumenta, cum omnia ſolubilia exiſtant, pro viribus excludere, atque reſolvere.*

XLIV. Ad tollendam vero omnem in præmiſſis errandi occaſionem, ſtatuit mox & illud Pontifex, *ne quis de cetero in Sacris Ordinibus conſtitutus, in Studiis Generalibus, vel alias publice audiendo, Philoſophiæ, aut Poeſis ſtudiis ultra quinquennium poſt Grammaticam, & Dialecticam ſine aliqua Studio Theologiæ, aut Juris Pontificii incumbat: verum exacto dicto quinquennio, ſi illis Studiis inſudare voluerit, liberum ſit ei, dum tamen ſimul ſeorſim Thologiæ, aut Sacris Canonibus operam navaverit; ut in his ſanctis, & utilibus Profeſſionibus Sacerdotes Domini inveniant, unde infectas Philoſophiæ, & Poeſis radices purgare, & ſanare valeant.* Concludit demum, ac mandat Pontifex, & quidem in virtute ſanctæ Obedientiæ, *hos Canones per Ordinarios locorum, & Rectores, Univerſitatibus, ſingulis annis in principio Studii publicari.* Atque hæc ſunt, quæ de Animarum qualitatibus ſtatuit Leo Pontifex X. ejuſque hæc Generalis V. Synodus Lateranenſis Seſſione VIII. Occaſionem autem prædictæ de Philoſophis Sanctioni dediſſe dicitur Petrus Pomponatiua Jovii in Philoſophia Præceptor, qui, ut inter alins ad annum MDXIII. Num. XX. teſtatur Spondanua, enarrana Ariſtotelem, & Averroem Bononiæ, animaa poſt corporis mortem interituras ex ſententia Ariſtotelis probare conatua, juventutem valde corruperat, ſe eo defendens, quod Philoſophice loqueretur, ſed aliter, cum Chriſtianua eſſet, ſentiret. Atque hinc eſt, quod Pontifex in recitato Decreto eoa etiam damnat, *qui temere philoſophantes, ſecundum ſaltem Philoſophiam, verum eſſe aſſererent*, quod nempe Anima rationalis, mortalia ſit, aut unica in cunctis hominibua.

XLV. Porro quorundam Philoſophorum maxime Platonicorum antiquiſſima opinio fuit, Animam rationalem humano corpori additam eſſe velut nauclerum navi, videlicet tanquam externum quoddam principium movens, atque gubernans, quomodo Intelligentiæ aſſiſtunt Cælis, quoa movent, non autem, ut formam ſubſtantialiter informantem. Hujua ſententiæ meminit qui-

Digitized by Google

quidem Ariſtoteles Lib. II. *De Anima*, Cap. I. eamque ſuiſſe etiam ipſius Ariſtotelis ſententiam, ex aliis ejuſdem Scriptis quidam Auctores haud temere colligunt, uti indicat doctiſſimus Guillelmus Eſtius in Libri II. Sententiarum Diſtinctionem XIV. ubi memorati Philoſophi de Anima Cœli exponit. Eandem opinionem Chriſtiani quidam ſive Platonem, ſive Ariſtotelem ſequuti tenuere vel initio Seculi XIV. ſed eos tanquam hæreticos damnandos cenſuit Clemens V. in Concilio Viennenſi, cujus ſuper hac re Decretum extat in Clementina Conſtitutione, *De Summa Trinitate, & Fide Catholica*. Cum tandem etiam poſtea homines quidam ſequioris ævi prædictam ſententiam auſi eſſent docere, merito Leo Papa X. in hac Seſſione VIII. Concilii V. Lateranenſis iterum eam damnavit. Probatur enim Catholica veritas, demonſtraturque vel ex Fide Incarnationis Chriſti; ſiquidem eo ipſo, quod credimus Chriſtum humanam accepiſſe naturam, credimus eum aſſumſiſſe Animam. Quod profecto conſequens non eſſet, ſi anima non eſſet hominis pars eſſentialis, ſed tantummodo corporis humani, vel ipſius hominis gubernatrix. Ad eam enim gubernationem ſufficere poterat Chriſti Divinitas. Quocirca Apollinaris, qui Chriſto Animam rationalem detraxit, dicens, ipſum Verbum officia Animæ in eo abunde ſupplere, damnatus eſt hæreſeos, propterea quod ſubtractione Animæ, veritatem humanæ in Chriſto naturæ tolleret. Ceterum, quod in ſingulis hominibus ſingulæ inſint Animæ, quibus informentur, & a quibus eſſe ſuum accipiant, non autem, vel plures Animæ rationales in uno homine, vel unica in omnibus hominibus, ut quidam male philoſophantes ſenſerunt; definitum non modo ſuit in hac Seſſione VIII. in Synodi V. Generalis Lateranenſis, ſed & in Generali VIII. Synodo, Conſtantinopolitana IV. Can. XI. in quem vide Commentarium noſtrum Tomo II. Conciliorum.

XLVI. Ad Animæ vero immortalitatem quod ſpectat, Epicurei quidem, quibus in voluptate corporis ſitum eſt ſummum bonum, ut Dei providentiam ſubſtulerunt, ita & Animas humanas ſimul cum corporibus interire opinati ſunt; quorum ſermo eſt ille, qui legitur Cap. II. Sapientiæ: *Ex nihilo nati ſumus, & poſt hoc erimus, tanquam non fuerimus*; & alia quæ ſequuntur. Epicureis apud Judæos perſimiles fuere Sadducæi, qui non modo Corporum reſurrectionem, ſed & Animarum immortalitatem negarunt, ut indicat S. Lucas, Cap. XXIII. Actuum Apoſtolorum, dicens eos negaſſe Angelum, negaſſe quoque ſpiritum, ideſt, Animam poſt Corporis mortem ſupereſſe. Contra & hujuſmodi errorem diſſerunt paſſim Sacræ Scripturæ, Synodi, ac Sancti Patres; eſt enim tanti momenti hæc Fides de Animæ vita poſt corporis mortem, ut dicat S. Auguſtinus in Libro, *De utilitate credendi*, Cap. VII. Animæ cauſa omnem Religionem eſſe; ſcilicet, ut per eam Anima vitam beatam conſequatur. Unde jam olim inter Philoſophos iidem Religionem e medio ſuſtulerunt, qui Animas mortales eſſe aſſerebant. Porro quod & hic error, vel initio Seculi XVI. a quibuſdam Chriſtianis teneretur, & utinam non etiam noſtra hac tempeſtate a multis ſolo nomine Chriſtianis, & Epicuream vitam ducentibus, merito errorem ipſum damnavit Synodus V. Generalis Lateranenſis in hac Seſſione VIII. in qua tandem lecta eſt per Senenſem Archiepiſcopum Conſtitutio de mittendis ad Reges & Principes Cardinalibus pro pace, & concordia inter eos concilianda; & pro Bohemis hæreticis ad Concilium cum pleno ſalvoconductu invitandis: aliaque per Epiſcopum Taurinenſem de Reformatione Officialium Curiæ Romanæ, & freno rapacitatibus ejus ævi appoſito; ac Nona Seſſio indicta eſt ad Nonas menſis Aprilis anni proxime ſequentis, ideſt, anni MDXIV.

## SESSIO IX.

XLVII. Seſſio nona, quæ, uti jam dictum eſt, Indicta fuerat ad Nonas Aprilis, ob varia impedimenta, nonniſi tertio Nonas Maji, & quidem anni MDXIV. celebrata eſt in Eccleſia Lateranenſi, in loco ſolito mane Hora Tertiarum, præſente Leone Papa X. induto veſtibus Pontificalibus, ac ſedente in Thalamo conſueto. Interfuerunt Seſſioni S. R. E. Cardinales, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, & Magiſtri Generales Ordinum, Oratores Principum, aliique Doctores, & Nobiles *in copioſa multitudine*. Fuit celebrata Miſſa de Spiritu Sancto ſubmiſſa voce per Gabrielem Archiepiſcopum Dyrrachienſem; & habita Oratione per Antonium Puccium Clericum Cameræ Apoſtolicæ, cantatiſque Litaniis, ac Orationibus conſuetis, & benedicta Synodo, per memoratum Leonem Pontificem, cantatoque Evangelio ſecundum Joannem, quod incipit, *Si diligitis me*, per Ludovicum Cardinalem Aragoniæ Tituli S. Mariæ in Coſmedin, idem Pontifex incœpit Hymnum, *Veni Creator Spiritus*; quo finito, & Oratione cantata per ipſum Pontificem, acceſſerunt mox ad ejus pedes Oratores Regis Portugalliæ. Lectum eſt deinde Mandatum Emmanuelis Luſitaniæ Regis, ab ejuſdem Legatis Concilio oblatum, quo ipſis facultas dabatur aſſiſtendi Concilio, eique inhærendi. Poſt lectum Mandatum Procurator Concilii contumaciam Gallorum accuſans, qui monitioni de ſiſtendo ſe Synodo, reſponſuri de Pragmatica Sanctione minime obtemperaſſent, procedi contra eos petiit. Ex adverſo autem Claudius Epiſcopus Maſſilienſis Regis Galliæ Orator eoſdem excuſavit, quod cum itineri ſe accinxiſſent, obtinere non potuerint ſalvumconductum a detentoribus Ducatus Mediolanenſis, & Dominii Genuenſis, probavitque, & Inſtrumento publico, & Litteris ab eiſdem ad Pontificem ſcriptis, quæ tunc lectæ ſunt, & Actis Concilii hujus intextæ habentur. Ex quibus inter alia & illud conſtat, Epiſcopos Cabilonenſem, Lexovienſem, Amhianenſem, Engoliſmenſem, & Laudunenſem una cum aliquot Doctoribus in Theologia, & utroque Jure, tam ſuo, quam nonnulorum aliorum, qui interfuerant Piſano Conventui, vel ei adhæſerant, nomine, iter ſumſiſſe ad Pontificem, ad demonſtrandum, nunquam ab Unitate Sedis Apoſtolicæ diſceſſiſſe, aut ſchimaticos ſuiſſe, ſed unam Eccleſiam Catholicam ſub uno Pontifice Maximo coluiſſe; quicquid ab inimicis veritatis, & Galliæ Regis, ac ejus Regni ex adverſo dictum ſuiſſet; & ad renunciandum prædicto Conventui Piſano, & ad adhærendum huic Lateranenſi V. Generali Concilio.

XLVIII. Lectum præterea ex Ambone per eundem Maſſilienſem Epiſcopum ſuit pium Leonis X. Papæ Decretum Sacro approbante Concilio, quo preces injunctæ ſunt per Univerſum Chriſtianum Orbem pro Pace inter Catholicos

Prin-

Principes obtinenda, & Unione contra Infideles, cum Indulgentiarum largitione, ac ſub interminatione Divini Judicii prohibitum, aequis ejus tractatibus per Legatos, aut Nuncios Apoſtolicos procurandis impedimentum aliquod interponere directe, vel indirecte præſumeret. Mandatum inſuper Principibus, & Prælatis, qui hactenus ad Concilium hoc non veniſſent, aut Legatos, vel Procuratores miſiſſent, ut id quamprimum præſtarent; & cunctis item Principibus, ac Rebuſpublicis, & Civitatibus, atque earundem Rectoribus, ut liberum omnibus, qui ad Concilium venirent, tranſitum præberent, ſub pœnis contra impedientes Concilii Celebrationem ſtatutis. Conſtant hæc ex Actis ipſis hujus IX. Seſſionis Lateranenſis V. Generalis Concilii, uti videre eſt apud Labbeum, Harduinum, in Relatione hujus Concilii, & apud Spondanum, & Rainaldum ad annum MDXIV.

*De reformatione Curiæ, & de eligendis Epiſcopis, atque Abbatibus.*

XLIX. Inter alia Decreta, quæ in eadem hac IX. Seſſione ſunt promulgata, celebre plane eſt illud amplum Decretum lectum per Archiepiſcopum Neapolitanum, continens Reformationem Curiæ Romanæ, quo primum mandat Leo Pontifex, ut ſervetur Statutum Alexandri Papæ III. in Concilio Generali III. Lateranenſi, Canone ſcilicet III. editum de ætate, & gravitate morum, ac litterarum ſcientia in promovendis in Epiſcopos, & Abbates inquirenda. Addit tum vero & illud, *ut ſi de minoribus ætate triginta annorum, Eccleſiis, aut Monaſteriis hujuſmodi contigerit provideri, non diſpenſetur cum eiſdem, ut Eccleſiis citra vigeſimum ſeptimum ætatis annum, Monaſteriis vero citra vigeſimum ſecundum præeſſe valeant.* Diſpenſatum fuiſſe compluries a Sede Apoſtolica, ut vel longe minores prædicta ætate in Epiſcopos eligerentur, variis exemplis probat doctiſſimus Joannes Baptiſta Rigantius in ſuis Commentariis ad Regulas Cancellariæ, quos ejus nepos ex Fratre Nicolaus RigantiusVir & Ipſe eruditus,non ita pridem publici juris fecit. Ceterum ut alia exempla omittam, Clemens Papa XII. Ludovico Hiſpaniarum infanti, quem octavum ætatis annum habentem die XIX. Decembris anno MDCCXXXV. Cardinalem declaravit, Archiepiſcopatus Toletani adminiſtrationem temporalem contulit, & non multo poſt Archiepiſcopatus etiam Hiſpalenſis.

L. Accomodanda profecto eſt tempori Eccleſiaſtica diſciplina, præſertim vero, ubi cum Regibus, ac Magnis Principibus agendum eſt; idque paſſim vetera, ac recentia exempla nos docent. Legitur inter Epiſtolas eximii Cardinalis Papienſis illa Sixti Papæ IV. ad Regem Aragonum, eſtque Epiſtola DXI. qua negat, commendari poſſe Cæſaraugustanam Metropolin ſexenni ejus notho; nec enim vel ſe, vel Cardinales aſſentiri poſſe ait annuendæ ei gratiæ, qua certiſſima importatur, & danti pernicies, & petenti, & ei cui, res datur. Ea repulſa exacerbatus Rex tam immaniter ſæviit in Cardinalem Valentinum, quem Pontifex ea donaverat Metropoli, & Pontificem ipſum tot cuniculis, tot machinis, tot artibus oppugnavit, ut eum compulerit tantillo puerulo Eccleſiæ illius perpetuam adminiſtrationem commendare. Novum illud, inſolenſque fuiſſe agnoſcunt inter alios Scriptores, Spondanus, & Mariana, peræque Pontifici, ac Regi probroſum, qui non poſſent concordare niſi in excidium Canonum, quamquam in Pontificem ipſum potiſſimum ejus facinoris invidia reſiliret. Ita Spondanus ad annum Chriſti MCCCCLXXIII. Num. XIV. alias Pontifices, & Reges honorificentiſſimis verbis perſequi ſolitus: *Novo ſic damnato inducto exemplo, quo & Reges Catholici, & Summi Pontifices in Eccleſiæ damnum, & ſacrarum Legum ſubverſionem, quaſi conſpirarent, qua conſentirent. Longe tamen graviori Pontificum culpa, ut cuique patet, quam Regum; ac nihilominus ſatis utriſque ad damnationem idonea.* A quibus non aberravit Mariana celebris Hiſpaniæ Scriptor Lib. XXIV. Capite XVI. eidem narrationi hæc ſubjungens: *Novum damnatumque exemplum inductum, vincente Pontificiam conſtantiam Regum importunitate in Eccleſiæ Jura invadentium: quod ſemper neceſſabitur, & ſemper erit.*

LI. Porro, ut accuratius, diligentiuſque idoneæ perſonæ ad Epiſcopatus faſtigium promoveantur, mandat deinde Pontifex & in ipſa Reformationis Curiæ Conſtitutione, ut Cardinalis, cui Electionis, Poſtulationis, aut Proviſionis Eccleſiæ, ſeu Monaſterii Relatio committetur, antequam in Sacro Conſiſtorio, ut antiqui moris eſt, referat Commiſſionem examinis, aut Relationis hujuſmodi ſibi datam, uni cujuslibet Ordinis antiquiori Cardinali in ipſo Conſiſtorio per ſeipſum, vel, ſi ea die, qua ſibi commiſſionis onus injunctum fuerit, Conſiſtorium non fuerit, per Secretarium ſuum, aut alium quemlibet ex ſuis domeſticis familiaribus notam illam facere debeat: qui tres priores aliis quamprimum ſui Ordinis Cardinalibus eam ſignificare teneantur, negotiumque Electionis, Adminiſtrationis, Poſtulationiſve, aut Promotionis, ſummarie, & de plano per ſeipſum dictus Relator examinet, & ſiqui contradixerint, his vocatis, idoneos, graves, & fide dignos teſtes, &, ſi expediens, opuſve fuerit, alios ex officio aſſumere, Proceſſuſve, & Jura ejuſmodi Relationis una cum dictis teſtium die faciendæ Relationis ſecum ad Conſiſtorium deferre debeat: neque ullo modo referat, ſi præſens in Curia promovendus majorem Cardinalium partem antea non adiverit, ut quæ referente Collega ſint Cardinales auditori, oculata fide, quantum ad perſonam promovendi attinet cognoſcere poſſint: Promotus vero eoſdem Cardinales, qui præſentes in Curia fuerint, ex antiquo more, conſuetudineque laudabili, quamprimum viſitare teneatur. Atque hæc ſunt, quæ de promovendis in Epiſcopos, & Abbates ſtatuit Leo Papa X. qui etiam eiſdem mandat, ut morem ipſum, laudabilemque conſuetudinem viſitandi Cardinales, quam innovat, inviolabiliter obſervent. Sed de hac re videri poſſunt, quæ ſcripſimus nos Tomo I. Commentariorum in primam Partem Cæremonialis Epiſcoporum, Titulo I. ubi etiam novum Clementis Papæ VIII. Decretum recenſuimus, quo juſſit rigido examine de ſcientia diſcuti, qui promovendi ad Epiſcopatus ſublime faſtigium ſunt.

*De Epiſcoporum, & Abbatum Remotione, & Translatione.*

LII. Rurſus ſtatuit Pontifex, ut (quoniam Epiſcopalem Dignitatem tueri illæſam, & ne improborum impugnationibus, aut accuſantium calumniis paſſim pateat, muniri par eſt) *nullus Epiſcopus, aut Abbas quovis inſtante, ac re-*

*quirente niſi ſibi copia, & facultas legitimæ defenſionis permittatur, etiamſi crimina fuerint notoria, diligenterque partibus auditis, cauſa plenarie probata fuerit, dignitate privari valeat; neve aliquis Prælatus invitus, niſi aliis juſtis, efficacibuſque rationibus, & cauſis transferatur, juxta formam, ac Decretum Concilii Conſtantienſis.* Quod primam attinet partem, cautum jam fuit in Generali IV. Lateranenſi Concilio Canone VII. quem nos Tomo III. abunde explicuimus, ut non poſſit procedi contra Prælatum, niſi prius exponantur ei *illa capitula, de quibus fuerit inquirendum, ut facultatem habeat defendendi ſeipſum; & non ſolum dicta, ſed etiam nomina ipſa teſtium ei, ut quid, & a quo ſit dictum, appareat,* publicentur; *necnon exceptiones, & replicationes legitimæ* admittantur, *ne per ſuppreſſionem nominum, infamandi, per exceptionum vero excluſionem, deponendi falſum audacia præbeatur.* Sed & omnis Judicii ordo requirit, ut ante pronuntiationem ſententiæ matura fiat cauſæ diſcuſſio, jubeturque Judex prius partes in allegationibus ſuis audire, uti expreſſe habetur ex Lege I. Cod. Theod. *De Judiciis*, cujus Interpretatio apud eruditiſſimum Gothofredum hæc eſt: *Judex cum cauſam audire ceperit, litigatorum aſſertiones, vel reſponſiones patienter accipiat, & omnia plena diſcuſſione perquirat, nec prius litigantibus ſua ſententia velit obviare, niſi quando ipſis peractis omnibus jam nihil amplius in contentione habuerint, quod proponant; & tandiu actio ventiletur, quouſque rei veritas perveniatur, frequenter interrogari oportet, ne aliquid prætermiſſum fortaſſe remaneat; quia ſi apud ipſum finienda cauſa eſt, totum debet agnoſcere. Sin vero ita res exigit, ut ad Principis notitiam deferatur, plena diſcuſſis omnibus data relatione debet eſſe ſugeſtio &c.*

LIII. Ad Epiſcoporum remotionem quod ſpectat, fuit jam ipſa vel olim una e majoribus cauſis, quæ omnino ſunt reſervatæ Sedi Apoſtolicæ, & quidem ex Canone quodam Apoſtolorum, quem laudat Julius Papa I. in Epiſtola I. ad Epiſcopos Orientales, cujus pars refertur a Gratiano in Canone IX. Cauſa III. Quæſtione VI. cujus hæc ſunt verba: *Dudum a Sanctis Apoſtolis, ſucceſſoribuſque eorum in antiquis decretum eſt ſtatutis, quæ hactenus ſancta & univerſalis Apoſtolica tenet Eccleſia, non oportere præter conſcientiam Romani Pontificis, Concilia celebrari, vel Epiſcopum damnari, quoniam Sanctam Romanam Eccleſiam Primatum omnium Eccleſiarum eſſe voluerunt. Et ſicut Beatus Petrus Apoſtolus primus fuit omnium Apoſtolorum, ita Eccleſia ſuo nomine conſecrata, Domino inſtituente, prima ſit, & caput ceterarum; & ad eam quaſi ad matrem, atque apicem omnes majores Eccleſiæ, Cauſæ, & Judicia Epiſcoporum recurrant, & juxta ejus ſententiam terminum ſumant, nec extra Romanum quicquam ex his decerni debere Pontificem.* Eadem Epiſtola legitur apud S. Athanaſium in Apologia II. *De fuga ſua*; eundemque Canonem Apoſtolicum inſtauravit Nicena I. Synodus, ut teſtantur Patres Synodi Alexandrinæ ad Felicem Papam, ita ajentes: *Nam ſcimus, in Nicena magna Synodo cccxviij. Epiſcoporum ab omnibus concorditer eſſe roboratum, non debere abſque Romani Pontificis ſententia Concilia celebrari, nec Epiſcopos damnari, licet hæc & alia quamplura neceſſaria, ab hæreticis, qui nos quotidie infeſtant, & perdere nituntur, ut facilius nos capere poſſint, ſint Synodica Capitula incenſa, nobiſque ſublata.*

LIV. His regulis paſſim Romani Pontifices vetuere, ne Epiſcopi deponerentur abſque ſententia Summi Pontificis, ut plurimis auctoritatibus veterum Canonum exempliſque oſtendit eruditiſſimus Altaſerra Lib. X. *De juriſdictione Eccleſiaſtica*, Capite III. Jam non addubito, aliquando ex Africanis Conciliis, ac præſertim ex Concilio I. Carthaginenſi anni CCCXLVIII. Can. XI. ubi de cauſa Epiſcopi agebatur, debuiſſe eam a duodecim Epiſcopis judicari. Viguit tum alibi hæc diſciplina, uti conſtat ex Concilio Triburienſi in Germania habito anno DCCCXCV. Can. X. ubi Concilii Carthaginenſis Canonem ſequens ſtatuit, *ut nullus Epiſcopus deponatur, niſi a duodecim Epiſcopis*. Docet Thomaſſinus Parte I. Diſciplinæ VI. Cap. XLVIII. Num. XI. a IX. ſeculo primum de Epiſcoporum criminalibus cauſis Judicium Summo Romano Pontifici reſervari; ſed plane labitur eruditiſſimus Scriptor, nam præter laudatum Altaſerram, pluribus demonſtrat doctiſſimus Lupus in Commentario ad Canonem XXV. Dictatus S. Gregorii Papæ VII. *potuiſſe ſemper ſolum Romanum Pontificem degradare Epiſcopos*, & de facto degradaſſe, ut ex multis exemplis liquet, quæ inter alios memorati Auctores Altaſerra, & Lupus afferunt, quorum alter ſcite aſſerit, Canonem ipſum XXV. quo in Dictatu ſuo S. Gregorius VII. Pontifex ſtatuit, *quod abſque Synodali Conventu Papa poſſit Epiſcopos deponere, & reconciliare*, eſſe *omnino authenticum, ac in antiqua diſciplina fundatum.*

LV. Quantum ad Abbates, tametſi ex levioribus cauſis ſuſpendi ab adminiſtratione poſſint; ut deducitur ex Capite, *Per tuas*, *De Simonia*, non tam facile, nec ſine graviori cauſa deponendus eſt; ne ei adimatur auctoritas, ſi Monachorum poteſtati cœperit ſubjacere, uti docet Textus in Canone, *Nullam*, Cauſam XVIII. Quæſtione II. ideſt, ſi poſſit amoveri ad libidinem Monachorum; neve fiat meticuloſior ad coercendos Monachos metu depoſitionis. Humani ſcilicet moris eſt, illum revereri, cujus voluntate, & judicio nunc erigitur, nunc deprimitur, uti addiſcere licet ex Canone, *Viſis*, Cauſa XVI. Quæſtione II. Sed nec facile audiendi ſunt ſubditi contra Prælatos, qui, ut ait Innocentius III. in Concilio Lateranenſi IV. Can. VIII. quaſi ſignum ſunt poſiti ad ſagittam, ideſt, expoſiti ſunt malitiæ, & inſidiis ſubditorum. Deponendus profecto eſt Abbas, ſicut & Epiſcopus, intercedentibus juſtis, & gravibus cauſis, etiamſi omnis Congregatio vitiis ejus conſentiens, ideſt, vitia ejus diſſimulans, & ferens, quaſi conniventibus oculis, eum Abbatem habere voluerit. Id enim expreſſe edixit laudata Synodus Triburienſis, cujus Canonem inſeruit Gratianus ſuo Decreto, eſtque Canon XV. Cauſa XVIII. Quæſtione II. qui ita inquit. *Siquis Abbas cautus in regimine, humilis, caſtus, miſericors, diſcretus, ſobriuſque non fuerit, ac Divina Præcepta verbis, & exemplis non oſtenderit, ab Epiſcopo, in cujus Territorio conſiſtit, & a vicinis Abbatibus, & ceteris Deum timentibus ſuo arceatur honore, etiamſi omnis Congregatio vitiis ſuis conſentiens, eum Abbatem habere voluerit.*

LVI. Juxta allegatum Canonem depoſitio Abbatis jam non pertinet ad Monachos, nec ad Epi-

Epiſcopum ſolum, ſed ad eum cum Abbatibus vicinis, idqne jam olim ſtatutum ſuerat in Concilio Turonenſi II. anni DLXVII. Can. VII. *Epiſcopus*, inquit, *nec Abbatem, nec Archipreſbyterum, ſine omnium ſuorum Compresbyterorum, & Abbatum conſilio, de loco ſuo præſumat ejicere, neque per præmia alium ordinare; niſi facto Concilio tam Abbatum, quam Presbyterorum ſuorum, quem culpa, aut negligentia ejicit, cum omnium Presbyterorum conſilio refutetur*. Quod qnidem minime habet locum in Abbate exempto cnjus Confirmatio, & Depoſitio pertinet quidem ad Summum Pontificem, qui eſt Ordinariua exmptorum, vel ad Legatum Sedia Apoſtolicæ, qui eſt Ordinarius in partibus. Hoc jure anno Chriſti MCCXIV. per Joannem Tuſcnlanum Epiſcopum, & Legatum Sedis Apoſtolicæ in Anglia depoſitns eſt Radnlphus de Arundel, Abbas Weſtmonaſterienſis exemptus, *fracto ipſius ſigillo*, ut ad hunc annum tradit Pariſius. Nimirum Depoſitio Abbatum, nt docet laudatiſſimus Altaſerra Lib. II. *Originum rei Monaſticæ*, Cap. XVI. non fiebat ſolemniter, uti Depoſitio Epiſcopi, vel Degradatio Presbyteri, aliorumqne Clericorum, de quibus abunde diſſerui in Commentariia ad Partem III. Romani Pontificalis, *ſed nuda & ſimplici fractione ſigilli, quia Abbatis munus non eſt Ordo, ſed Officium*. Præter Pariſium meminit & ejus Ritns Innocentius Papa III. Lib. II. Epiſtola XXXVIII. ubi de Abbate Conchenſi hæc habet: *Et inſtrumenta ſua fracto ſigillo, quo uſus fuerat, in manibus eorundem Judicum reſignavit, & Abbatiam abjuravit memoratam.*

LVII. Eodem notante Altaſerra fiebat etiam aliis modis abdicatio ipſa Abbatum, nempe per depoſitionem Virgæ, ſen Baculi Paſtoralia ſuper Altare, teſtemque ejus Ritus habemus Leonem Oſtienſem, qui in Caſinenſi Chronico Lib. II. Cap. XCIII. inqnit: *Iſa demum Baſilius ad hoc Monaſterium veniens, & Abbatis Virgam, quam eatenus tenuerat, ſimiliter reddens paucis poſt diebus, poſt paucos dies ad Vallem Lucì tranſmiſſus Præpoſitus eſt*. Idem Auctor citato Libro, Cap. XCV. de Petro Abbate loquens, qui Abbatiam renunciavit, ita ſcribit: *Tertia poſt hæc die coram cunctis Fratribus in Eccleſiam veniens, & Virgam ſuper Altare ponens Abbatiam, tali ordine refutavit &c.* Rurſus non modo per depoſitionem Virgæ, ſed & Anuli ſimnl, ac Regnlæ ſuper Corpora Sanctorum conſneviſſe fieri Abbatnm abdicationem teſtis eſt Petrna Diaconns continuator prædicti Canonici Caſinenſia Lib. IV. Cap. CXXII. ubi de Raynaldi Abbatis Caſinenſis depoſitione loquens juſſu Innocenti II. Papæ per ejuſdem Legatos facta, *Depoſitionis ſententiam*, ait, *in eum protulerunt, & ſic juſſu illorum, præſente Imperatore*, Lothario, *& univerſis Imperii Magnatibus, Virgam, & Annulum, nec non & Regulam ſupra Corpus Sanctiſſimi Benedicti depoſuit, & Raynaldi quidem talis rerum exitus fuit*. Porro in citatione horum locorum uſi ſumus editione quam Notis illuſtratam vulgarit eruditiſſimus Angelus de Nuce Neapolitanns Abbas Caſini centeſimus trigeſimus ſextus. Plerumqne Abbati depoſito, vel ab adminiſtratione amoto aſſignatam ſuiſſe Cellam, vel Prioratum alimoniæ gratia, ex variis Epiſtolis Innocentii III. Papæ liquet, & ex ejuſdem Pontificis Decretali relata in Cap. *Cum inter ſeniorem*, XVI. *De electione &c.*

*To. IV.*

LVIII. His omiſſis, devenio ad translationem Prælatorum de propria ſcilicet ad aliam Sedem; mandat enim Leo Pontiſex X. & in hac IX. Seſſione Concilii, *ne aliquis Prælatus invitus, niſi aliis juſtis, efficacibuſque rationibus, & cauſis transferatur, juxta formam, ac Decretum Concilii Conſtantienſis*. Perſuaſiſſimum ſuiſſe vel olim fieri hujuſmodi translationes non poſſe, niſi tria hæc concurrerent, I. Romani Pontificis auctoritas, II. Prælatorum conſenſus, qui transferebantur, III. utilitas, & neceſſitas Eccleſiarum, pluribus probat Thomaſſinns, Parte II. *Diſciplinæ*, Lib. II. Cap. LXIV. ubi inter alia refert Canonem XIII. Dictatus S. Gregorii Papæ VII. *Quod Papæ liceat de Sede ad Sedem, neceſſitate cogente, Epiſcopos tranſmutare*. Agitur hic de extrema *neceſſitate cogente*; nec dicitur poſſe Papam permittere, ſed poſſe facere translationes, quo videri poſſet facultas dari etiam relnctabundos Epiſcopos transferendi. Enim vero, ubi cogat neceſſitas Eccleſiæ, eccui dnbium eſt, qnin teneantur omnes vim ſibi ipſis adſerre, & imperare ſibi, nt velint qnod nolebant? Siquis vero Epiſcopus in ejnſmodi temporum, rerumque moleſtiis otium ſnum, privatamque quietem anteponeret publicæ Eccleſiæ neceſſitati, & ſaluti; quis jam abnuat, profiteri, & eſſe, & eſſe debere poteſtatem ſnperiorem, qua compellatur officio fungi, nec ſibi, ſed Eccleſiæ fateri ſe natum, ſe ordinatum Epiſcopum univerſæ? Sed cum fallat nonnumquam cupiditas, charitatis nomine, & fuco, poſſet hujus tantæ poteſtatia abuſu concuti, & labeſactari qnicquid eſt toto Orbe Chriſtiano Epiſcopalium, & Metropolitanarum Sedium. Satius eſt hic ergo non præcipitare ſententiam, & in loco, tam ſalebroſo ſuſpenſis ingredi veſtigiis, dum ſeqnentium ſeculorum monnmenta hiſtorica evolventibua prodat ſe lux aliqua, qua hæc dubitatio expediatur.

LIX. Docet hæc laudatus Scriptor doctiſſimus Thomaſſinus, qui etiam ait, ſe non temere credere, ea poteſtate ſumma uſum aliquando ſuiſſe Gregorium VII. ſed illo altiſſimo infixo animis noſtris præjudicio, puriſſimo illum exarſiſſe ſelo utilitatis, & dignitatis Eccleſiæ, nec alio nuquam collineaſſe. Notanda quippe, ac pernotanda ſunt ea landati Canonis verba, *neceſſitate cogente*. Neqne enim decet abſqne juſtis, & gravibns cauſis Epiſcopos de Sede ad Sedem tranſmutare. Quamobrem excedere viſns eſt Bonifacins Papa IX. de quo ita ſcribit Theodoricus Niem, Lib. II. *De Schiſmate*, Cap. XIV. *Bonifacius prætextu ſtructurarum, quas fecit fieri, & gentium armigerarum, quas tenuit, ut multas pecunias poſſet exigere, pleroſque Archiepiſcopos, Epiſcopos, & Abbates, & alios Eccleſiaſticos Prælatos præſentes in ejus Curia, vel abſentes, inſcios, & invitos, vel ſimpliciter abſolvit a Prælaturis ſuis, & aliquando ad Titulares Eccleſias tranſtulit, ſeu promovit, dummodo pactæ eſſent pecuniarum ſummæ, quantum volebat*. Quod ipſum qneritur Thomas Walſinghamns ad annum MCCCXCVIII. addens, Joannem, quem invitum Lincolnia Ceſtram tranſtulerat, maluiſſe Cantuariæ Monachum vivere, & mori, quam ita fieri Epiſcopum Ceſtrenſem.

LX. Rurſus ubi Confeſſor Regis Angliæ qui Dominicanæ Familiæ erat alumnus, a Landaffenſi Epiſcopatu ad Ceſtrenſem translatns eſt, tum Richardus II. Rex Clerum Regni convocavit,

pereontaturus, an proprio motu hæc tentare Romanus Pontiſex poſſet: *Rex eo tempore fecit convocari Clerum, ut determinaret, ſi liceret Papæ tales faecero translationes pro urbitrio ſuæ voluntatis*. At vero Clerus gemino hinc & inde ſcopulo territus, & fluctuabundus, nec alienare a ſe Pontificem volens, cujus ſubinde opportuna, & prævalida ope nitebatur adverſus Regiorum impotentiam Miniſtrorum, reſpondit, conſultiſſimum fore, ut Litteris Rex ad Pontificem datis rogaret, his poſt hac temperare translationibus, ut voto ſatisfieret Eccleſiæ Anglicanæ: *Ad quod fuit reſponſum non directe, ſed per modum ſupplicationis porrectæ Regi, ut dignaretur Papæ ſcribere, ut a translationibus ceſſaret pro commodo totius Eccleſiæ Anglicanæ*. Minus probata eſt Regi tam mollis, aut tam modeſta reſponſio; unde & profeſſus eſt, ſi Clerus priſtini vigoris aliquid exeruiſſet, ſe ei validiſſime fuiſſe patrocinaturum: *Juravit Rex, quod, ſi Clerus reſtitiſſet conſtanter Papæ in iſto negotio, ipſe manus apposuiſſet in auxilium eorundem*.

LXI. Iiſdem fere cum Angliæ querelis ceteræ perſonabant Eccleſiæ, quæ in Concilio Piſano anni MCDIX. de quo ſupra dictum eſt, erupere tandem, pollicituſque eſt tunc Alexander Papa V. nunquam invitos a ſe Epiſcopos divellendos, niſi intercederent rationabiles cauſæ, & juſtiſſimæ, parte audita, & vocata, & de conſenſu majoris partis Cardinalium; fuit hic quidem unus ex articulis, quos Concilio Piſano Alexander Papa V. ſpopondit, uti videre eſt in Seſſione XXI. ejuſdem Concilii: *Dominus noſter, Sacro approbante Concilio, diſponit non facere translationes de invitis, niſi parte audita, & vocata, & de conſenſu majoris partis Cardinalium, niſi ex cauſis juſtis, & rationabilibus*. Per hoc ergo Concilium licebat adhuc Pontificibus etiam invitos transferre Epiſcopos de una ad aliam Sedem, dum tres iſtæ ſervarentur cautiones. I. ut nonniſi gravibus, & juſtis id fieret cauſis. II. ut Epiſcopi primum ipſi accerſerentur, monerentur de Eccleſiæ neceſſitatibus, audirenturque, ſiqua ſe ratione tueri, & contra niti vellent. III. ut res fieret aſſentiente Cardinalium majori parte. Atque hic obiter admonebo, quod ſupra latius dictum fuit, huic nempe Pontifici Alexandro V. translationem aliquorum Cardinalium ex uno Titulo in alium eſſe adſcribendam, propterea quod in illius Schiſmatis diuturni rerum perturbatione, eodem quandoque Titulo plures donati diverſarum etiam partium fuerant Cardinales.

LXII. Concilii Piſani, ſeu Alexandri V. Decretum infregit haud dubie, qui ei in Pontificatu ſucceſſit Joannes XXIII. in quem Joannes de Scribanis Conſtantienſis Synodi Promotor in Seſſione XI. produxit hunc decimum octavum Articulum: *Joannes Papa pleroſque invitos de ſuis Eccleſiis tranſtulit, ut viduatas carius vendere poſſet*. Hinc Conſtantienſis Concilii Patres nihilo plus ad aſſentandum Pontificibus Romanis propendentes, quam Piſani, Seſſione XXXIX. hocce edidere Decretum: *Cum Prælati nonnunquam jura, & libertatem Eccleſiarum ſuarum, translationis formidine, non adeo ſolerter, ut alias, proſequuntur; ne ad importunitatem quorundam, quæ ſua, & non quæ Jeſu Chriſti quærentiam, Romanus Pontifex forſan, ut homo facti neſcius, in hujuſmodi circumveniatur, aut alias leviter inclinetur; præſentibus ſtatuimus, & ordinamus, invitorum Epiſcoporum, & Superiorum translationes abſque magna, & rationabili cauſa, quæ, vocata parte, cognita fuerit, & deciſa, de conſilio Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, vel majoris partis eorundem, & cum ſubſcriptione, de cetero fieri non debere. Inferiores vero, ut Abbates, aliique perpetuo Beneficiati, inviti, abſque juſta, & rationabili cauſa cognita, amoveri, ſeu privari non debeant. Adjicientes, quod in mutationibus Abbatum, ſubſcriptio Cardinalium interveniat, ſicut in Epiſcopis eſt præmiſſum.* Hoc idem Decretum confirmatum fuit deinde in Concilio Baſileenſi, Seſſione XXIII. his verbis: *Salvo Decreto Sacri Conſtantienſis Concilii de Prælatis non transferendis invitis*.

LXIII. Rurſus ipſum Decretum laudavit in Mantuana Synodo anni MCDLIX. Pius II. Pontifex Maximus, ſic Regis Galliæ Legatis reſpondens: *Commendaſtis nobis nobilem Populum Januæ, qui commendatiſſimus nobis erit, & ſuis meritis, & Regia commendatione. Petiviſtis, Archipræſulem ejus Urbis, tanquam læſæ Majeſtatis reum, ad aliam Eccleſiam transferri. Obſtant deſiderio veſtro Decreta Summorum Pontificum, quæ Prælatos invitos, non cognita cauſa, transferri prohibent. Quod etiam in Conſtantienſi Concilio exiſtit repetitum. Placeat tamen vobis requirentibus cauſam adverſus eum committere, & juxta Canonicas Sanctiones procedere*. Extant hæc apud eruditiſſimum Lucam Dacherium, & apud doctiſſimum Lupum in Scholio ad ipſum Canonem XIII. Dictatus S. Gregorii VII. ubi etiam docet, translationes omnes aboleri, aut certe intra neceſſariam cauſam juxta Dictatum laudati Pontificis circumſcribi, urſiſſe apud Tridentinam Synodum per Litteras etiam S. Thomam de Villa-Nova, Valentinum apud Hiſpanos Archiepiſcopum, & viva voce Hieronymum Seripandum, Archiepiſcopum Salernitanum, & prædictæ Synodo Tridentinæ Præſidentem Legatum: *Verum iſtius Diſciplinæ tempus needum advenerat*; ut ſubdit ibidem Lupus.

LXIV. Ex recentioribus Canoniſtis prolixe Fagnanus, in Capite, *Quanto*, III. *De translatione Epiſcopi*, hanc verſat Quæſtionem, invitine poſſint a Papa transferri Epiſcopi, recenſetque tres Doctorum opiniones. Prima eſt eorum, qui putant, Papam abſolute non poſſe Epiſcopum invitum transferre, eique adhæret Joannes Monachus in Capite, *Generali*, verſu, *ſed quæro*, *De electione*, in VI. Secunda opinio primæ oppoſita eſt illorum, qui arbitrantur, Papam poſſe Epiſcopum abſolute transferre pro libitu voluntatis, eamque opinionem tenet inter alios Hugo, & poſt eum Turrecremata, in Canonem, *Sciat*, Cauſa VII. Quæſtione I. Tertia tandem eſt eorum ſententia, quæ nec abſolute negat, nec abſolute affirmat, Epiſcopum invitum poſſe per Summum Pontificem ad aliam Eccleſiam transferri; ſed ita tamen, ſi concurrat cauſa utilitatis, vel neceſſitatis Eccleſiæ, alias ſecus. Tutiſſima eſt iſtorum opinio, in eaque manifeſtiſſime hæſere, quæ ſuperius laudatæ ſunt Synodi, Piſana, Conſtantienſis, Baſileenſis. Facilis eſt, & perexpedita hujus doctrinæ ratio, non poſſe diſpenſationes niſi Eccleſiæ utilitati, & neceſſitati donari; non poſſe a Papa diſſolvi Conjugium ſpiritale, niſi qua Chriſti Vicarium agit, quem minime ageret, ſi hoc divortium faceret, humanis tantum affectibus in conſilium adhibitis; Pontificem

ſtem non Dominum eſſe, ſed Diſpenſatorem fidelem dignitatum, & honorum Eccleſiæ; definitum denique in Conciliis, Conciliorumque Canonibus, & Decretis, indivulſo, & æterno vinculo Epiſcopos ſuis Eccleſiis adſtringi, niſi ab iis disjungat illos neceſſitas, & charitas Eccleſiæ univerſalis.

LXV. Præſtat certiſſime tertia hæc ſententia, & rationum momentis, & auctoritatis pondere, unde & illi ſuffragantur inter alios doctiſſimus Lupus, ac Thomaſſinus celeberrimum Fagnanum ſequuti, a quo & illud additur, ſi uni Pontifex ſerviat Eccleſiæ utilitati, & neceſſitati, poſſe illum haud dubie invitos Epiſcopos prioribus ſuis Eccleſiis ſubducere, non poſſe invitos poſterioribus ſubjugare, cum nuſquam tam neceſſaria ſit, quam ad novum conjugium libertas. Sane latiſſime de tribus ipſis opinionibus diſſerunt memorati Fagnanus, ac Thomaſſinus, ſed in ſumma notandum illud, frequentiores nempe noſtro hoc ævo Epiſcoporum translationes adeo Religioſiſſimo, ac doctiſſimo S. R. E. Cardinali Bellarmino diſplicuiſſe, ut minime potuerit hanc rem diſſimulare apud Clementem VIII. Pontificem, quem ſubmonuit, ex Canonicis Regulis, & ex uſu Eccleſiæ antiquiſſimo fieri eas non debere, niſi urgente ipſius Eccleſiæ neceſſitate, vel ingenti aliqua utilitate; cum ex tranſverſo jam non transferrentur fere Epiſcopi, niſi quo Epiſcopis ipſis & opum, & dignitatis, ac gloriæ fieret acceſſio: *Translatio Epiſcoporum ſecundum Canones, atque uſum veteris Eccleſiæ, non debet fieri, niſi ob Eccleſiæ neceſſitatem, vel majorem utilitatem. Nec enim inſtitutæ ſunt Eccleſiæ propter Epiſcopos, ſed Epiſcopi propter Eccleſias. Nunc autem quotidie translationes fieri videmus ea ſolum de cauſa, ut Epiſcopi, vel honore, vel opibus augeantur.* Pontifex ſanctiſſimis his Regulis conſentaneus, permoleſtas ſibi eſſe translationes reſpondit, & tum per Litteras, tum per Nuncios ſuos ſæpe a ſe admoneri Principes, ut iis abſtineant: *Nos cum difficultate transferimus, & non defuimus monere Principes per Nos, & per Nuncios noſtros.*

LXVI. Longum plane eſſet recenſere hoc loco innumeros pene Canones, qui Epiſcoporum translationes vetuere. Eas inter alia vetuit Concilium I. Nicenum Can. XV. Rationem ejus Decreti docet S. Hieronymus in Epiſtola ad Oceanum, ſic inquiens: *In Nicena Synodo a Patribus eſt Decretum, ne de alia ad aliam Eccleſiam Epiſcopus transferatur; ne virginalis pauperculæ ſocietate contemta, ditioris adulteræ quærat amplexus.* Viguit jam olim, ſicut & hodie hic abuſus, procurandi ſcilicet translationem de minoribus ad majores Eccleſias dignitate, ac opibus, eumque ob hanc cauſam exterminare conatus eſt Hoſius Cordubenſis Epiſcopus in Concilio Sardicenſi, ubi Canone I. ita edixit: *Non tam mala conſuetudo, quam pernicioſiſſima rerum corruptela ex ipſis fundamentis penitus extirpanda, nemini Epiſcopo liceat, a parva Civitate in aliam migrare, ejus enim cauſæ prætextus eſt manifeſtus, propter quem talia tentantur.* Notanda plane quæ mox ſequuntur: *Nullus enim Epiſcopus adhuc inveniri potuit, qui a majori Civitate in minorem tranſire ſtuduerit. Unde conſtat, eos ardenti plura habendi cupiditate ſuccendi, & magis arrogantiæ ſervire, ut videantur majorem habere poteſtatem.* Rogat Patres Concilii, an eis placeret, *ut ejuſmodi improbitas acerbius vindicetur*, atque ut ii ne laicorum quidem deberent habere communionem: *Omnes Epiſcopi dixerunt*: Placet omnibus.

LXVII. Quicquid ſit de laica Communione, quæ olim quidem fuit pœna graviſſima, ut alias explicuimus, cauſam ſanciendi hujus Canonis docet Julius I. Pontifex in Epiſtola ad Factionis Euſebianæ Synodum Antiochenam, eam arguens, quod Nicenum Canonem, utique XV. totamque Synodum *contemtui haberent, jam in uſu habentes, de loco ad locum ad Epiſcopatus capiendos tranſilire, & rejecta Civitate concredita minore, tranſvolare ad magnam.* Nam & Factionis caput Euſebius olim Beryto translatus Nicomediam, per hoſce dies Nicomedia migrarat Conſtantinopolim, uti notat Lupus in Scholio ad recitatum Canonem Sardicenſem. Novi plane, non paucos parvi pretii homines, qui variis artificiis ſe in parvos Epiſcopatus conantur intrudere, ut deinde facti Epiſcopi facilius præclarioribus donentur Epiſcopatibus, ut alios omittam, qui zelum Dei habentes, ſed non ſecundum ſcientiam, pro frivolis, ac minutiſſimis rebus cum Magiſtratibus, ac Principibus ipſis contendunt, ut ita ad majorem Epiſcopatum transferantur. Sed agendæ gratiæ Deo, qui Eccleſiæ ſuæ Pontificem dedit ſumma ſapientia præditum, BENEDICTUM, inquam, XIV. apud quem nihil poteſt humana calliditas, nihil valet malitia.

*De Monaſteriorum Commendis.*

LXVIII. Agit & in eadem Conſtitutione, quæ de reformatione Curiæ inſcripta eſt, Leo Pontifex de Monaſteriorum Commendis, primumque illud deplorat, quod *ex Commendis Monaſteriorum, ut magiſtra rerum experientia ſæpius docuit, Monaſteria ipſa tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus graviter læduntur, quippe quorum ædificia, partim Commendatariorum negligentia, partim avaritia, vel incuria collabuntur, & in dies Divinus cultus in his magis diminuitur, paſſimque obloquendi materia perſonis præſertim ſecularibus præbetur, non abſque Dignitatis Apoſtolicæ Sedis diminutione, a qua Commendæ hujuſmodi proficiſcuntur.* Tum indemnitati Monaſteriorum conſulere volens, ſtatuit quidem, *ut cum illa per obitum Abbatum, qui illis præerant, vacaverint, nullo pacto cuiquam poſſint commendari, niſi pro conſervatione auctoritatis Apoſtolicæ Sedis, & ad occurrendum malitiis illam impugnantium, pro temporum qualitate, aliter Nobis*, inquit Pontifex, *de Fratrum noſtrorum conſilio viſum fuerit expedire.* Pergit Pontifex, ac jubet, ea Monaſteria, quæ commendata fuerint, cum per eorum ceſſum, vel deceſſum, quibus erant commendata, Commendæ hujuſmodi ceſſaverint, S. R. E. Cardinalibus dumtaxat, ac perſonis qualificatis, & benemeritis commendari poſſint.

LXIX. Hactenus dictis ſubjicit mox quaſdam modificationes, ſub quibus hujuſmodi proventus Monaſteriorum percipiant, ut ſcilicet ipſi Commendatarii, *cujuſvis dignitatis, honoris, & præeminentiæ exiſtant, etiamſi Cardinalatus honore, & dignitate fungantur, ſi Menſam habuerint ſeparatam, ac ſeorſum a Menſa Conventuali, quartam ſuæ Menſæ partem, pro inſtauratione Fabricæ, ſeu pro ornamentis, veſtibus, ac paramentis emendis, ſarciendiſque, aut pauperum alimonia, aut ſuſtentatione, ut major exiget, ac*

ſua-

*ſuadebit neceſſitas: ſi vero Menſa fuerit communis, tertiam omnium fructuum dicti Monaſterii ſibi commendati partem pro ſupradictis oneribus ſupportandis, & ſuſtentatione Monachorum, omnibus aliis deductis oneribus impartiri teneantur. Ac Litteræ, quæ ſuper Monaſteriorum hujuſmodi Commendis expedientur, cum clauſula hoc ipſum ſpecifice exprimente debeant expediri: alioquin, ſi aliter expediantur, nullius ſint roboris, vel momenti.* Præcipit itaque Pontifex, poſtqoam ſcilicet illacrymatus eſt ſpirituali, temporalique Cœnobiorum per Commendatarios Abbates vaſtationi, I. ut inpoſterum, cum primum vacaverint Abbatiæ, eligantur Commendatarii Regulares Abbates, niſi aliter jubeat Sedes Apoſtolica, urgentibus Eccleſiæ neceſſitatibus. II. ne commendari poſſint Cœnobia, oiſi Cardinalibus, aut nobilitate, vel meritorum titulis præcellentibus Viris. III. ut Commendatarii, tam Cardinales, quam alii quicumque quartam ſaltem proventuum partem impendant in reparationes, in Eccleſiæ ornamenta, & in eleemoſyoas, ſi Menſæ ſint ſejunctæ: ſi una vero ſit Menſa Abbati Monachiſque communis, tertia redituum pars alendis Monachis, & oneribus Eccleſiæ decerpatur. IV. ut hæ ſemper cooditiones exprimantur in Diplomatibus Commendarum.

LXX. Ita plane graſſaotem Commendarum Monaſteriorum luem lenire inſtituit peculiari ſua Conſtitotione in hac IX. Seſſione Concilii V. Lateranenſi Leo X. Quamvis enim cruentatæ Eccleſiæ Diſciplinæ crebris Commendarum vulneribus mederi conati ſint prædeceſſores ejus Romani Pontifices repullularunt tamen ſemper ipſæ cum Epiſcopatuum, tum Abbatiarum Commendæ. Notat autem inter alios Thomaſſinus Parte II. *Diſciplinæ*, Lib. III. Cap. XX. initio Seculi XIV. *primum omnium Clementem V. januam latiſſimam aperuiſſe illi licentiæ Commendarum, cui pii probique omnes poſtea tantopere ingemuere, & illacrymantur adhuc, cum Cathedrales Eccleſiæ, & Abbatiæ commendatæ fuere, non ſincera charitate utilitati, & dignitati Eccleſiæ conſulendi, ſed ut ditentur carnales homines pauperum patrimonio, ut Magnatum, & Principum libidini ſerviatur, ut larga manu ſpargantur Beneficia, quæ tam male collocata, dantibus, & accipientibus peræque detrimento futura ſint.* Graviſſimo morbo, ut idem Auctor ſubdit, correptus Clemens tertio Pontificatus anno, ſcoſit quam exitiali plaga Eccleſiæ diſciplinam coovulneraſſet, errorem ſuum publice confeſſus eſt, Commendas revocavit omnes, quas ſibi vel adlanditi eſſent homines ambitioſi, vel extorſiſſent; noo diſſimulavit deoique, quibus rationibus, vel rationum umbris, & ludibriis deluſus foiſſet, & ad ea impulſus conſilia, ex quibus caperet fructum, animi ſui dolorem acerbiſſimum, & ſinceriſſimam pœnitudinem.

LXXI. Radiat in Annalibus Eccleſiaſticis apud Rainaldum anno MCCCVII. & inter Extravagantes communes Lib. III. Titulo II. Cap. II. laudati Clementis V. Papæ ea Conſtitotio, quæ incipit, *Ex ſupernæ*, qua aperit, & quantum mali primo intuliſſet, & quæ mox adjeciſſet ei procurando medicamenta; confitetur autem primum, non potuiſſe ſe inter initia Pontificatos noo indulgere aliquid, & gratificari precibus Regum, Antiſtitum, & Magnatum, quibus antiqua, & ſuaviſſima quadam neceſſitudine devinctus foerat, & quorum jam in Ditione habitaret: *Quia in Terris morantes eorum, gradum hujus promotionis habuimus.* Exiſtimaſſe ſe ait, tutum eſſe in veſtigia ingredi, & in Exempla Aoteceſſorum ſuorum, quibus familiare fuit auſpicia Pontificatus ſui dedicare larga quadam donorum profuſione, & gratiarum: *Ex aſſueta Romanorum Pontificum liberalitate, quam in ſuis exercere ſunt ſoliti novitatibus.* Importuoitate ſibi extortom fuiſſe addit, quod Lex juſtitiæ minus annueret, ubi ſcilicet conceſſit Commendas, cuſtodiaſque Metropoleon, Epiſcopatuum, & Cœnobiorum Clericis ſecularibus, Monachiſque ad tempus, vel ad vitam: *Volentes honoris, & liberalitatis affluentia complacere, ad eorum importunas tamen, & multiplicatas precum inſtantias, nonnullis Clericis, & Perſonis Eccleſiaſticis, Religioſis, & Secularibus diverſorum Ordinum, dignitatis, conditionum, & ſtatuum, Patriarchales, & Archiepiſcopales, & Epiſcopales Eccleſias, ac Monaſteria diſtincta Paſtoribus, ſub Commendæ, vel Cuſtodiæ, ſeu Curæ, vel guardiæ, aut adminiſtrationis titulo, nomine notabili, duximus perpetuo ad vitam, ſeu ad certi temporis, ſpatium committenda; ſuper his, an tales videlicet, tantaſque gratias per nos fieri deceiſſet, variorum arduorum negotiorum multiplicitate diſtracti, uſque ad tempus, quo infirmitate ſatis periculoſa nos his diebus viſitavit Omnipotens, nequivimus cogitare plenarie.*

LXXII. Sero quidem, ſed ſerio advertiſſe ſe tandem aſſerit, quantum diſpendii in his Commendis emergeret in Eccleſias, quarum ſpirituale regimen negligebatur, temporales diſſipabantur res, gregeſqoe omni ope, & præſidio deſtituebantur: *Verum in debilitate ipſius ægritudinis conſtituti, a negotiorum utcunque diſcuſſione ſemoti, ad hoc ſub diligenti examine direximus aciem noſtræ mentis, demumque perſpeximus evidenter, quod Eccleſiarum, & Monaſteriorum eorundem cura negligitur, bona, & jura diſſipantur ipſorum, ac ſubjectis eis perſonis, & populis ſpiritualiter plurimum & temporaliter derogatur, eiſque redundant ad noxam, quæ dicebantur cedere ad profectum, ac ne-dum ipſis, ſed etiam Romanæ Matri Eccleſiæ, quæ diſponente Domino, ipſorum Caput fore dignoſcitur & Magiſtra, graviora inde futura timentur pericula.* His impulſum ſe eſſe affirmat Clemens, ut Commendas omnes revocaret, ubi ita ſtatim ioquit: *Nolentes igitur his, tot, & tantis diſpendiis ulterius cauſam relinquere, ſed volentes potius opportunum, & debitum in hac parte remedium adhibere, omnes & ſingulas promiſſiones hujuſmodi per Nos, ut præmittitur, factas quibuſcunque cujuſcunque ordinis, dignitatis, aut ſtatus, ſed etiam S. R. E. Cardinalibus, quocunque modo, vel tempore, factæ noſcantur, Auctoritate Apoſtolica ex nunc ex certa ſcientia revocamus, caſſamus, & annullamus, & decernimus, de cetero non habere aliquam roboris firmitatem.* De Commendis Prædeceſſorum Pontificum ne meminit quidem Clemens Papa V. quod nullæ, aut rariſſimæ fuiſſent; ideoque oec iis concedendis dixit ſe uſum exemplo, & more Majorum. Illud quoque nos & hic Pontifex docet, agnoſcere ſe, nempe Pontifices homines eſſe, & in ſuis actionibus interdum etiam humanis affectibus ſubjacere, neque velle, ſuas particulares actiones eſſe normam aliis agendi,

Male

LXXIII. Male meritus equidem eſſem de tanto Pontifice, ſi tacuiſſem quod nec ipſe tacuit, & quod vehementiſſime improbatum, & damnatum voluit, peculiari adverſus Commendas promulgata Conſtitutione, quæ uti ſuperius dictum eſt, hodieque legitur in Corpore Juris Canonici inter Extravagantes Communes, Cap. II. *De Præbendis, & Dignitatibus*. An vero in ipſa rerum executione res proceſſerit laudato Pontifici Clementi V. ex animi ſui ſententia, id quidem mihi incompertum eſt. Illud plane ſcio, in Concilio mox Viennenſi Œcumenico, quod ſub eodem Clemente celebratum eſt anno MCCCXI. conqueſtum fuiſſe Guillelmum Durandum Epiſcopum Mimatenſem, uti liquet ex ejus Tractatu, *De modo Generalis Concilii celebrandi*, Parte II. Titulo XXI. quod Cardinales *in grave animarum ipſorum periculum, & univerſalis Eccleſiæ diſpendium, multa millia florenorum, librarum, & marcarum, ſibi, & ſuis, peſtifera adinventione, ſuper Eccleſias etiam Parochiales, & curatas faciunt accumulari: & Eccleſias etiam Cathedrales, & ultramarinas ſub diverſis coloribus commendari: & certas ſibi ſolvi ab illis, qui eorum promoventur auxilio, penſiones, quæ numquam in Romana Eccleſia moriuntur, ſed ab uno Cardinali in alium, vel in ejus, vel Domini Papæ propinquum, vel nepotem detinentur*. Calamitas hæc plane erat ejus temporis, quo Romana Apoſtolica Sedes per ſeptuaginta & ultra annos veluti in captivitate, ut Noſtrates loquuntur, in Galliis manſit.

LXXIV. Teſte eodem Durando, qui fuit pius æque ac doctus Dominicanæ Familiæ alumnus, & Epiſcopus præſtantiſſimus, jam nec religioſiores Cardinales ejus ævi abſtinebant Abbatiis, & Prioratibus, ſed his commendatis gaudebant, ac fruebantur, qui cum Monaſtica Instituta nec ſummis labiis unquam delibaſſent, cauſam dabant extremæ perniciei Monaſticæ Diſciplinæ: *Ex hac peſte*, inquit citato loco, *eſt etiam noviter introductum contra Jura, quod Prioratus Conventuales, & alia Beneficia Eccleſiaſtica conſueta ab olim regi, & gubernari per Monachos, & per alios Regulares, prædicti Domini Cardinales, ac ſi Beneficia ſecularia nequaquam ſufficerent, vel ſi per illos melius, quam per alios reformari deberent, ſibi, & ſuis faciunt aſſignari, quamquam non efficiantur Monachi, nec ſint de Vita, & Regula Monachorum*. Tum paulo inferius mala, quæ ex Commendis proveniunt, hæc enarrat: *Ex quibus in dictis Prioratibus, & Beneficiis Regularium periit in totum Regularis obſervantiæ diſciplina: cum non ſit inter eos qui corrigat, non ſit qui doceat, non ſit cui obſervantia, & reverentia præbeatur, nec qui eos in Vita Regulari, & Monaſtica valeat gubernare: fraudatur hoſpitalitas ſervari in dictis Prioratibus, & Beneficiis conſueta: & jura, ac bona Prioratuum hujuſmodi diſſipantur, & loca ad irreparabile opprobrium non abſque Populi ſcandalo deducuntur*, Ex toties hic iterata Prioratus voce, ut notat Thomaſſinus, facile colligitur, Prioratus ſolos tum commendari ſolitos, non Abbatias. Sicut & ex eadem hac Durandi querimonia ſolis liquet Cardinalibus iſtiuſmodi tum Commendas ſolitas indulgeri.

LXXV. Increbuere ſane Commendæ ſub Joanne XXII. Succeſſore Clementis V. quippe qui non modo Abbatias, ſed & Epiſcopatus, nec Cardinalibus tantum, ſed & aliis compluribus tam liberaliter dilargitus eſt, ut Succeſſor ejus Benedictus XII. anno Pontificatus ſui ſecundo effuſiores illas omnes revocaverit gratias, præterquam Cardinalium, & Patriarcharum: *Revocavit omnes Commendas factas per Prædeceſſores ſuos de Eccleſiis Cathedralibus, & Abbatiis, quibuſcumque perſonis, Cardinalibus, & Patriarchis damtaxat exceptis*. Ita plane ſcribit Auctor ejus Vitæ apud Rainaldum ad annum MCCCXXXIII. Num. LXVII. At Scriptor alius ita de ea re habet: *Exceptis Cardinalibus, quorum Commendas nondum revocavit*. Quibus ex verbis addiſcimus, ſperaſſe Pontificem, opportune etiam aliquando revocari a ſe poſſe Commendas Cardinalium: quarum ſcilicet, niſi exemplo præluceant, qui præfulgent & dignitate, nunquam reſtaurari poſſe priſcam ſacræ Diſciplinæ integritatem. Porro quæ de Clemente V. & Joanne XXII. qui ei immediate ſucceſſit, dicta ſunt, qui duo primi Pontifices Romanam S. Petri Cathedram Avenione defixerunt, illud non obſcure oſtendunt, ex ea Sedis Pontificiæ Avenionem translatione ſcaturiſſe inter alios abuſus, quos hodieque pii doctique homines deplorant, illam multitudinem Commendarum. Nec enim, ut ſcite obſervat laudatus Thomaſſinus Scriptor Gallus & ingenuus eque ac perdoctus, niſi ægre poterant Pontifices non annuere, ſiquid peterent ii Principes, quorum in Terris demorabantur. Cardinales autem, quandiu Roma, & Italia aberant, nullis inde proventibus, nullis temporalibus ſubſidiis allevati, non aliunde fere poterant, quam ex Gallicanæ Eccleſiæ Beneficiis & vitam, & dignitatem ſuam ſuſtentare. Ei cladi mederi voluere Pontifices, ut patuit in Clemente V. poſt ægritudinem, & in Benedicto XII. ſed experti tandem & ipſimet ſunt, infligi facilius vulnera, quam ſanari, & utcumque perſanentur, ſupereſſe cicatricem.

LXXVI. Quamvis itaque Clemens V. & in recitata ſuperius Conſtitutione, *Ex ſupernæ*, quæ legitur Inter Extravagantes Communes, *De præbendis & dignitatibus*, & in illa quam edidit in Generali Concilio Viennenſi, legiturque in Clementinis Cap. I. *De Electione &c.* Commendas omnes revocaſſet, novas tamen conceſſit illius Succeſſor Joannes XXII. etiam Abbatiarum, etſi Clemens Abbatias commendaſſet nullas, & expreſſiſſimo Decreto in Citato Cap. I. *De Electione &c.* vetuiſſet in Abbatiis eligi alterius Ordinis Abbatem. Jam neque auctoritate Viennenſis Concilii, nec Decreto Benedicti XII. Commendarum uſum fuiſſe abolitum, ſed increbuiſſe iterum ſub Clemente VI. ac lapſu temporis, præſertim durante Schiſmate, quod incœpit ab Urbano VI. uſque ad Martinum V. majus incrementum, & firmiores radices egiſſe, ex Actis illorum temporum conſtat. Sane Innocentius VI. qui Clementi VI. anno MCCCLII. in Pontificatu ſucceſſit, primo quidem ſtatim anno Pontificatus ſui reſcidit, & revocavit Commendas omnes Epiſcopatuum, Abbatiarum, Prioratum, Dignitatum, adminiſtrationum, & omnium Beneficiorum Regularium, ſed exceptis tamen ſemper Cardinalibus, ut videre eſt in ejus revocationis Diplomate apud Rainaldum anno MCCCLIII. Num. XXXI. in quo etiam Diplomate luculentiſſime pertexuntur calamitates ex Commendis pullulantes, eædem nimirum ipſæ, quas Clemens V. & Durandus

dus Mimatenſis Epiſcopus a nobis ſuperius allegati enumerarunt.

LXXVII. Memorabile eſt quod ſub Paulo II. Pontifice, non vero Pio II. ut ſcripſit Thomaſſinus Parte II. *Diſciplinæ*, Lib. III. Cap. XX. de re, quam tractamus, narrat io Epiſtola XCIII. Jacobus Cardinalis Papienſis. Cum Guillelmus Cardinalis Oſtienſis proponeret in Conſiſtorio ſpontaneam ceſſionem Abbatis io Gallia jam grandævi, viribuſque effeti, & preces Epiſcopi etiam Galli, qui illud ſibi commendare Cœnobium ſupplicabat, Cardinalis Joannes Carvajalis Epiſcopus Portuenſis, qui proximus ab Oſtienſi erat, reſpondit, illius Epiſcopi preces ſordidiſſima ex avaritia ſcatere, commendata jam eſſe omnia pene Galliarum Cœnobia, verendumque, ne aliquando inſurgeret Gallia univerſa tantæ perverſitatis impatiens: *Vereor*, inquit, *Beatiſſime Pontifex, ne propediem audiamus omnia Galliarum Cœnobia commendata eſſe, & nullum reliquum, quod Abbatem ſuum habeat: ita quicquid ibi a nobis decernitur, Commendatio eſt. Surget, nobis non expectantibus, aliquando Regnum illud in uno, ferre ultra non valens inutile miniſterium noſtrum, & grande aliquod negotium Sedi tuæ exhibebit. Turbulenta Natio eſt: libenter tumultuans, ubi aliquam ſit nacta occaſionem.* Adeo non exaſperatus eſt Pontifex magnanimi, & piiſſimi Cardinalis audacia, ut ab ea ſententia ſeipſum prope abeſſe teſtatus ſit, addideritque, quod ſtupendum, a Pontificatu Caliſti III. Præceſſoris ſui, commendata fuiſſe Cœnobia pluſquam quingenta, denique reformidandum eſſe, ne ea perverſitate clades aliqua ingens Eccleſiæ inveheretur: *Approbavit judicium Pontifex, & adjecit, credere ſe, a Pontificatu Caliſti*, qui decem circiter annis ipſum præceſſerat, *in eam diem amplius quam quingenta Monaſteria eſſe jam commendata, atque ideo in metu ſibi eſſe, ne corruptela hæc maturius opinione in ſcandalum grave erumperet.*

LXXVIII. His enarratis Cardinalis idem Papienſis in præcitata Epiſtola XCIII. mox ſubdit, Commendas olim ſoli Eccleſiarum neceſſitati datas fuiſſe, quæ tunc e manibus Laicorum deprædatorum extorquendæ eſſent, at poſtea feracem eam fuiſſe ſegetem nefariarum cupiditatum, unde ingens in Clericos redundaret infamia: *Commendandorum ab initio Cœnobiorum non ea fuit ratio Patribus noſtris, ut ſaginæ Eccleſiaſticorum illa darentur; ſed, ut fide, & ſtudio majoris alicujus, ea quæ occupata a ſecularibus eſſent, redimerentur, & neglectus divinus cultus in priſtinum revocaretur. Deflexit res, & in abuſum hunc venit odibilem Deo, & ſorti noſtræ infamem.* Concludit tandem, & inquit: *Adjuvemus igitur nos, quantum poſſumus, ſententiam ſancti ſenis*, Pauli nempe Papæ II. *& pro nullis commendationes petamus, niſi cum neceſſariæ videbuntur, atque eas, quæ ambitioſe petentur, ſententiis noſtris condemnemus intrepide.* Cæterum tantum abeſt, ut poſt hæc, maxime in Italia, & Gallia, Commendæ minus frequentes fuerint, ut etiam uſus earum jam palam, ſi non omnino probari, ſaltem ſub quibuſdam conditionibus, aut intuitu quarundam perſonarum tolerari poſſe videretur, uti inter alios notat Vaneſpen, Parte I. *Juris Eccleſiaſtici univerſi*, Tit. XXXI. Cap. VII. Num. XXIX. qui etiam poſt recitatum Leonis Papæ de Monaſteriorum Commendis Decretum in hac IX. Seſſione Concilii Generalis V. Lateranenſis editum, & a nobis jam ſuperius enarratum, ita deinde Num. XXXII. ſubdit: *Poſt hoc Concilium uſus Commendarum per Italiam ſine ulla interruptione uſque modo ſubſiſtit.*

LXXIX. Reſtat, ut referamus quid io Concilio demum Tridentino circa Monaſteriorum Commendas actitatum ſit. Et quidem, quamvis ipſi Tridentini Patres, uti obſervat Thomaſſinus, deſiderio flagrarent extinguendarum penitus Commendarum; delinimento tamen aliquo utendum ſibi cenſuere, & ineluctabili incumbente neceſſitate, ſerviendi tempori, & accommodandi ſe iis ſeculi moribus, qui validioribus remediis exacerbarentur. Ea videtur eſſe horum Concilii verborum ſententia expreſſa Seſſione XXV. *De Regularibus*, Cap. XXI. *Cum pleraque Monaſteria, etiam Abbatiæ, Prioratus, & Præpoſituræ, ex mala eorum, quibus commiſſa fuerunt, adminiſtratione, non levia paſſa fuerint, tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus detrimenta: cupit ſancta Synodus ad congruam Monaſticæ vitæ diſciplinam omnino revocare. Verum adeo dura, difficiliſque eſt præſentium temporum conditio, ut nec ſtatim omnibus, nec commune ubique, ut optaret, remedium poſſit adhiberi.* His ita præmiſſis, Pontificem interpellat Concilium, ut curet in Cœnobiis Regularem unum ejuſdem Ordinis deſignari, qui eorum præſit adminiſtrationi; & in iis, quæ poſthac vacaverint, ne nominet ipſe Pontifex, niſi Regulares peritiores, & quorum vita Monaſticam redoleat, ſpiretque ſanctimoniam: *Primum quidem confidit ſancta Synodus, Sanctiſſimum Romanum Pontificem pro ſua pietate, & prudentia curaturum, quantum hæc tempora ferre poſſe viderit, ut iis, quæ nunc commendata reperiuntur, & quæ ſuot Conventus habent, Regulares perſonæ ejuſdem Ordinis expreſſe profeſſæ, & quæ gregi præire, & præeſſe poſſint, præficiantur; quæ vero inpoſterum vacabunt, non niſi Regularibus ſpectatæ virtutis conferantur.* Addunt mox etiam & illud Tridentini Patres, ut *quoad ea Monaſteria, quæ Capita ſunt, ac Primates Ordinum, ſive Abbatiæ, ſive Prioratus filiæ illorum Capitum nuncupantur, teneantur illi, qui in præſenti ea in Commendam obtinent, niſi ſit eis de Regulari Succeſſore proviſum, intra ſex menſes Religionem illorum Ordinum propriam ſolemniter profiteri, aut iis cedere: alias Commendæ prædictæ ipſo jure vacare cenſeantur.*

LXXX. Sunt jam qui ob recitatam Tridentini Concilii auctoritatem a Commendis liberas manere affirmant Abbatias illas, quæ ſunt Ordinum Capita; creduntque, Concilium ipſum in priori, ubi de Monaſteriis inferioribus agit, non loqui præceptive, ſed conſultive, eo quod utatur verbo, *confidit*; in poſteriori vero parte agens de Capitibus Ordinum præceptive quidem loqui, quia ſcilicet utitur verbo *teneantur*. Quicquid ſit de hac Concilii interpretatione, illud certum eſt, Romanos Pontifices, qui pleraque Monaſteria Ordinis S. Benedicti, & Ciſtercienſis, uti notat Fagnanus in Capite, *Cum ad noſtrum*, *De Electione &c.* dederunt in Commendam Secularibus Clericis, non commendaſſe Monaſterium Caſinenſe, quod eſt Caput illius Congregationis, nec Monaſterium Ciſtercii, quod eſt Ciſtercienſis Ordinis caput. Porro obſervat laudatus Vaneſpen loco citato, etiam poſt Concilium

Digitized by Google

cilium Tridentinum omnes paſſim Abbatias dari ſecularibus Clericis in Commendam, ſi ſola ſcilicet Monaſteria, quæ Ordinum Capita dicuntur, exceperis; idque conſormiter ad reſolutionem Cardinalium ſuper interpretatione recitati Decreti Concilii Tridentini, Seſſione xxv. cap. xxi. qua declaravit, per illud Decretum vetari quidem dari in Commendam Monaſteria, quæ ſunt Ordinum Capita: quoad reliqua vero Monaſteria nequaquam poſitive vetitum eſſe, ea in Commendam ipſis Clericis Secularibus concedi; ſed id conſcientiæ, & Judicio Romani Pontificis committi; uti refert citato loco Fagnanus.

*De Parochiarum Commendis.*

LXXXI. Statuit præterea Leo Papa X. in ipſa nona Seſſione hujus v. Concilii Lateranenſis, *ut Parochiales Eccleſiæ, & Dignitates majores, aliaque Beneficia Eccleſiaſtica, quorum fructus, reditus, & proventus ducentorum ducatorum auri de Camera ſecundum communem æſtimationem, valorem annexam non conſtituant, vel attingunt, necnon Hoſpitalia, Leproſariæ, Xenodochia cujuſcumque valoris, quæ ad pauperum uſum, & alimoniam inſtituta ſunt, S. R. E. Cardinalibus non commendentur, aut alio quovis titulo conferantur, niſi per obitum familiarium ſuorum vacaverint, quæ illis commendari poſſint, ut illa ad illarum perſonarum ſibi gratarum, & idonearum commodum intra ſex menſes dimittere teneantur &c.* Multa ſunt, quæ hoc continentur Decreto, verum quod Parochias ſpectat, proſcriptæ illarum Commendæ omnino fuere in Concilio Generali Lugdunenſi II. anni MCCLXXIV. Canone XIV. quem nos ſupra ſuo loco explicuimus; vetitumque eſt, ne Parochiæ deinceps in Commendam darentur, niſi eam aſſequutis ætatem, qua Presbyteratu initiari poſſent, ad urgentem aliquam Eccleſiæ neceſſitatem, ac denique in ſex non amplius menſes. Innovatum plane fuit Decretum Concilii Lugdunenſis II. in Concilio Angliæ Reddingenſi anni MCCLXXIX. ſed revixerunt tandem poſt Seculum XIII. ut notat Thomaſſinus Parte II. *Diſciplinæ*, Lib. III. Cap. XIX. aperteque conſtat ex Conſtitutione Leonis Papæ X. in hac Seſſione promulgata, in qua etiam & de Parochiarum Commendis actitatum fuit, & Decretum editum.

LXXXII. Percrebuere haud dubie Seculo XIV. ac ſequenti, uti ex ipſo Decreto colligi poteſt, innumerabiles Commendæ cujuſcumque generis Beneficiorum, non Epiſcopatuum tantum, Cœnobiorum, & Parochiarum, ſed & Dignitatum Capitulorum, aliorumque Beneficiorum Eccleſiaſticorum complurium, necnon Hoſpitalium, Leproſariorum, & Xenodochiorum, quibus tamen modum impoſuit Leo X. uti ex ipſius Decreto addiſcimus; in quo etiam edicitur, ut *Uniones perpetuæ præterquam in caſibus a jure permiſſis, vel ſine rationabili cauſa nequaquam fiant. Diſpenſationes autem ad plura incompatibilia Beneficia ultra duo, niſi qualificatis juxta formam Juris communis, non concedantur, niſi ex magna, & urgenti cauſa.* Beneficiorum Unionem eſſe odioſam, unanimis eſt Canoniſtarum ſententia, tum quod per eam minuatur numerus Miniſtrorum, tum quia Beneficia inſtituta ſunt, ut ſingula ſuum habeant Miniſtrum. Quin & Unionem eſſe quandam ſpeciem alienationis, Canoniſtæ etiam paſſim docent, ulteriuſque concludunt Unionem ipſam utpote odioſam, & a communi Eccleſiarum utilitate alienam, nunquam niſi ex magna, & neceſſaria cauſa permitti debere. Inter alios Scriptores, qui hæc docent, Rebuffus in Praxi Parte I. Titulo, *De Unionibus*, Numero XXXVIII. aſſerere non dubitat, duabus dumtaxat ex cauſis fieri poſſe Unionem, videlicet ſi evidens ſit neceſſitas, vel utilitas; idque conſormiter ad Reſponſum Honorii III. in Cap. *Expoſuiſti*, XXXIII. *De Præbendis &c.* ubi reſpondit Epiſcopo Veſprimenſi, quod Præbendis Eccleſiæ ſuæ Cathedralis unire poſſit Capellas, *ſi evidens neceſſitas, vel utilitas exigat.*

LXXXIII. Honorii III. Papæ Reſponſo adhæſit quidem Leo Pontifex X. ubi ſtatuit, ut *Uniones perpetuæ præterquam in caſibus a Jure permiſſis, vel ſine rationabili cauſa nequaquam fiant.* Verum perdurasse eum Beneficia uniendi abuſum poſt recitatum Leonis Papæ Decretum, ſatis nos docet Synodus Tridentina, quæ attendens paſſim factas fuiſſe Uniones Eccleſiarum, & Beneficiorum, non tam ob utilitatem, aut neceſſitatem ipſarum Eccleſiarum, quam in perſonarum favorem, & commodum, atque ex indiſcretis Unionibus multas Eccleſias ſuis neceſſariis Miniſtris deſtitutus, ita ſtatuit Seſſione VII. *De reformatione*, Capite VI. *Uniones perpetuæ, a quadraginta annis citra factæ examinari ab Ordinariis tanquam a Sede Apoſtolica delegatis poſſint: & quæ per ſurreptionem, vel obreptionem obtentæ fuerint, irritæ declarentur. Illæ vero, quæ a dicto tempore citra conceſſæ nondum in toto, vel in parte ſortitæ ſunt effectum, & quæ deincept ad cujuſvis inſtantiam fient, niſi eas ex legitimis, aut alias rationabilibus cauſis coram loci Ordinario vocatis, quorum intereſt, verificandis, factas fuiſſe conſtiterit, per ſurreptionem obtentæ præſumantur; ac propterea, niſi aliter a Sede Apoſtolica declaratum fuerit, viribus omnino careant.* Ita Concilium Tridentinum, ex cujus Decreto, ut notat Vaneſpen Parte II. *Juris Eccleſiaſtici*, Titulo XXIX. Cap. II. habetur primo, nullas Uniones perpetuas eſſe admittendas, *niſi ex legitimis, aut alias rationabilibus cauſis*; legitimæ autem cenſentur, quæ a Sacris Canonibus probantur, quæ ſcilicet utilitatem, aut neceſſitatem Eccleſiarum, non autem favorem privatorum, aut proprium ipſorum Prælatorum commodum reſpiciant. Secundo ex ipſo Decreto patet, ipſos Ordinarios, priuſquam ad Unionem procedant, inquirere, & expendere debere, num legitimæ, aut alias rationabiles Cauſæ Unionis faciendæ ſubſint, adeoque ipſos quodammodo Judices conſtitui, qui judicent de ſufficientia cauſæ. Hic autem ita ſe gerere debet Ordinarius, ne appareat, ipſum *plus faviſſe perſonæ, quam Eccleſiæ*, ut in ſimili loquitur Innocentius III. in Cap. I. *Ne Sede vacante &c.*

LXXXIV. Quod diſpenſationes ſpectat ad plura incompatibilia Beneficia, vult Leo Pontifex, ut *ultra duo, niſi qualificatis juxta formam Juris communis non concedantur, niſi ex magna, & urgenti cauſa.* Teſte Thomaſſino Parte II. *Diſciplinæ*, Lib. III. Cap. IV. Num. III. diſtinctio illa Beneficiorum incompatibilium, & compatibilium, ſive eorum quæ reſidentiam poſtulant, & quæ eam non exigant, orta eſt in illo temporis intervallo, quod fluxit inter Alexandrum III. & Gregorium IX. ideſt, ab anno MCLXXX. uſque ad annum MCCXXX. Primum enim Beneficia etiam ſimplicia, ſeu animarum curam annexam non ha-

bentia reſidentiam poſtulabant, ob quotidianum ſcilicet ibi miniſterium exercendum, ſeu Miſſæ, ſeu ſaltem recitandorum Officiorum, uti idem Auctor pluribus probat, Parte I. Lib. II. Capite XCIII. & ſeq. Irrepſit autem ea novitas, quod cum labefactata diu jacuiſſet Eccleſiæ diſciplina, lateque ſerpſiſſet, & tam alte deſcendiſſet ulcus, ut totum ſimul perſanari poſſe deſpéraretur, curæ interim maximæ fuit, ut ſingularitas, & reſidentia ſaltem in Beneficiis cura animarum gravatis, & Dignitatibus, Præbendiſque Capitulorum omnino reſtitueretur. In id plura Decreta condita ſunt, in eorumque executione toti fuere Summi Romani Pontifices, ceterique Antiſtites in Synodis ſuis, uti nos non uno in loco oſtendimus, ac præſertim in Commentariis ad Canonem XIII. Concilii III. Lateranenſis, & ad Canonem XXIX. Lateranenſis IV. Concilii.

LXXXV. Quamquam vero Beneficiorum incompatibilitas merito variis Conciliorum, ac Pontificum Decretis improbata ſit, atque damnata, quia ſcilicet potiſſimum fundatur in impoſſibilitate reſidendi in diverſis Eccleſiis, & ex illa impoſſibilitate, alia reſultante impoſſibilitate ſatisfaciendi officiis, & oneribus utrique Beneficio annexis: adhuc tamen ruente ſemper in pejus Eccleſiaſtica diſciplina, addenſata in una eademque perſona Beneficiorum incompatibilium pluralitate, coactus eſt Leo X. permittere, ut diſpenſationes, ac duo incompatibilia Beneficia concedi poſſent qualificatis perſonis ex magna, & urgenti cauſa. Sed Concilium Tridentinum manebat ea laus, ut multa præſtantiſſima ab eo ederentur Decreta de confodienda omnino Beneficiorum pluralitate, eorumque præſertim, quæ incompatibilia appellantur, uti & de pleriſque aliis ſacræ diſciplinæ capitibus reſtaurandis.

LXXXVI. Ergo Beneficiorum collationi, pluriumque retentioni Seſſione XXIV. *De reformatione*, Cap. XVII. modum imponens ita ſtatuit: *Cum Eccleſiaſticus Ordo pervertatur, quando unus plurium officia occupat Clericorum: ſancte Sacris Canonibus cautum fuit, neminem oportere in duabus Eccleſiis conſcribi. Verum quoniam multi improbæ cupiditatis affectu ſeipſos, non Deum decipientes, ea, quæ bene conſtituta ſunt, variis artibus eludere, & plura ſimul Beneficia obtinere non erubeſcunt: Sancta Synodus debitam regendis Eccleſiis diſciplinam reſtituere cupiens, præſenti Decreto, quod in quibuſcumque perſonis quocumque titulo etiamſi Cardinalatus honore fulgeant, mandat obſervari; ſtatuit, ut inpoſterum unum tantum Beneficium Eccleſiaſticum ſingulis conferatur; quod quidem, ſi ad vitam ejus, cui confertur, honeſte ſuſtentandam non ſufficiat, liceat nihilominus aliud ſimplex ſufficiens, dummodo utrumque perſonalem reſidentiam non requirat, eidem conferri. Hæcque non modo ad Cathedrales Eccleſias, ſed etiam ad alia omnia Beneficia, tam ſecularia, quam Regularia quæcumque, etiam commendata, pertineant, cujuſcumque tituli, ac qualitatis exiſtant. Illi vero, qui in præſenti plures Parochiales Eccleſias, aut unam Cathedralem, & aliam Parochialem obtinent, cogantur omnino, quibuſcumque diſpenſationibus, ac unionibus ad vitam non obſtantibus, una tantum Parochiali, vel ſola Cathedrali retenta, alias Parochiales intra ſpatium ſex menſium dimittere: alioquin tam Parochiales, quam Beneficia omnia, quæ obtinent, ipſo Jure vacare cenſeantur; ac tanquam vacantia libere aliis idoneis conferantur; nec ipſi antea illa obtinentes, tuta conſcientia fructus poſt dictum tempus retineant.* Hucuſque Tridentinum Concilium, cui gratiæ maximæ agendæ ob eliminatum penitus abuſum, qui altas radices egerat, addenſationis complurium Beneficiorum etiam incompatibilium in una eademque perſona; paulo enim ante ipſum Concilium fuere Cardinales, qui præter alia minora Beneficia aliquando duodecim ſimul in noſtra Italia Epiſcopatus retinuere.

LXXXVII. Hoc itaque Decreto correctum eſt, quod Lateranenſe V. Concilium permiſerat, ut nempe Parochiales Eccleſiæ, & earum perpetuæ Vicariæ, ac Dignitates majores, & principales uſque ad quatuor incluſive retineri ab uno poſſent. Quicquid ſit de aliis Beneficiis, quæ ſimplicia appellant, de incompatibilibus idem Tridentinum Seſſione VII. *De reformatione*, Capite IV. inter alia decrevit, ut *quicumque de cetero plura curata, aut alias incompatibilia Beneficia Eccleſiaſtica contra formam Sacrorum Canonum, & præſertim Conſtitutionis Innocentii III. quæ incipit*, De multa, *recipere, ac ſimul retinere præſumſerit, Beneficiis ipſis juxta ipſius Conſtitutionis diſpoſitionem, ipſo jure, etiam præſentis Canonis vigore, privatus exiſtat*. Conſtitutio Innocentii, quæ incipit, *De multa*, edita eſt in Concilio IV. Lateranenſis, eſtque ejuſdem Concilii Canon XXIX. quem nos Tomo III. Conciliorum jam explicuimus. Ceterum, uti alias notatum fuit, Beneficiorum compatibilium, & incompatibilium diſtinctio, quæ a violata primævæ Eccleſiæ diſciplina originem ducit, & quæ innumeras quæſtiones, & controverſias parit, ignota penitus priſcis Patribus fuit, feliciterque ſe res Beneficiaria haberet, ſi omnis omnino Beneficiorum pluralitas tantopere a Sacris Conciliis improbata, uti oſtendimus Tomo I. Conciliorum in Commentario ad Canonem X. Concilii Chalcedonenſis, auctoritate Concilii Tridentini, vel Sanctione Summorum Pontificum fuiſſet ſimpliciter, & indiſtincte proſcripta, quemadmodum plures ſacri pii cordatique homines hodieque deſiderant.

DE CARDINALIBUS.

LXXXVIII. Plura ſunt, quæ in eadem hac Seſſione nona in celebri ſua Conſtitutione, quæ de reformatione Curiæ inſcribitur, ſtatuit Leo Papa X. circa S. R. E. Cardinales, cum enim *ceteros omnes in ipſa Eccleſia poſt Summum Pontificem honore, ac dignitate præcedant, conveniens, ac debitum eſt*, inquit, *ut vitæ munditia, ac virtutum ſplendore cunctis præfulgeant*. Hinc eos non modo hortatur, ac monet, verum etiam ſtatuit, & ordinat, *ut de cetero quilibet Cardinalium pro tempore exiſtens, juxta doctrinam Apoſtoli ita ſobrie, caſte, ac pie vivat, ut non ſolum a malo, ſed ab omni etiam ſpecie mali abſtinens, coram hominibus luceat, Deumque in primis operibus honorificet*. Diximus jam alias de Cardinalibus, de eiſdemque hic iterum agimus, materiam dicendi nobis præbente celebri hac Conſtitutione de Cardinalibus. Cardinalia itaque ſi vocis ſignificationem ſpectemus, idem eſt, quod principalis; nam & quædam virtutes a S. Ambroſio Lib. I. *De officiis*, aliiſque Patribus vocatæ ſunt *cardinales*, quaſi principales, & a Phyſicis Venti cardinales, atque ab Eccleſiaſticis Scriptori-

ptoribus Presbyteri, vel Diaconi Cardinales sppellati. In Concilio enim Romano, quod celebratum dicitur ſub S. Sylveſtro Papa Canone VI. legimus, in Eccleſia Romana ſeptem fuiſſe *Diaconos Cardinales*. Id quod etiam in aliis Eccleſiis ſervatum conſtat; mandat enim S. Gregorius Lib. V. Epiſtola XI. Fortunato Epiſcopo Neapolitano, ut quendam in ſua Eccleſia *Diaconum Cardinalem* faciat; & Joanni Epiſcopo Syracuſano Lib. XI. Epiſtola XXXIV. præcipit, ut Subdiaconum quendam *Presbyterum Cardinalem* creet. In Concilio quoque Meldenſi, Can. LIV. ſtatutum eſt, *ut Epiſcopus Titulos Cardinales in Vrbibus, vel Saburbiis conſtitutos ordinet, atque diſponat.*

LXXXIX. Quicquid autem ſit de ea nomenclatura juxta antiquam Eccleſiæ diſciplinam, jam ab aliquibus ſeculis contractum eſt hoc Cardinalium nomen ad deſignandos Cardinales Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos, quorum conſilio, auxilioque Eccleſiam Romanam Summus Pontifex adminiſtrat, quique jus, & auctoritatem habent Romano Pontifice vita functo alium ſubrogandi, uti late diximus Tomo III. Conciliorum in Commentario ad Canonem I. Concilii Œcumenici III. Lateranenſis. Atque hæc eſt inſignis illa S. R. E. Cardinalium prærogativa, quam merito, ac ſummopere extollit inter alios S. Petrus Damiani, qui Libro I. Epiſtola XX. de eorum dignitate ſic inquit: *Romanæ Eccleſiæ Cardinales Romanum Pontificem principaliter eligunt, & quibuſdam aliis prærogativis non modo quorumlibet Epiſcoporum, ſed etiam Patriarcharum, atque Primatum jura tranſcendunt: ſalvo quippe univerſalis Eccleſiæ ſacramento, iſti ſunt oculi unius lapidis, ipſi lucernæ unius candelabri.* Eorundem dignitatem ſupra Epiſcopos agnovit etiam S. Bernardus Lib. IV. *De Conſideratione*, Cap. V. ubi ita ſcribit: *Veniamus ad Collaterales, & Coadjutores tuos: hi ſeduli tui, hi intimi ſunt.* Et paulo poſt: *An non eligendi de toto Orbe*, Cardinales ſcilicet, *de toto Orbe judicaturi?* Et in Epiſtola CLXXXVIII. ad Cardinales data, *Nulli dubium*, ait, *quin ad vos ſpecialiter ſpectet tollere ſcandala de Regno Dei, ſurgentes ſuccidere ſpinas, ſedare querelas.* Et rurſus: *Agite pro loco, quem tenetis; pro dignitate, qua polletis; pro poteſtate, quam accepiſtis.* Ad hæc Eugenius Papa IV. in Epiſtola ad Cantuarienſem Epiſcopum data in Concilio Florentino, ut ſupra dictum eſt, qui hac ipſa de cauſa cum Joanne Presbytero Cardinale litigabat, multas cauſas affert, cur Cardinalis Presbyter anteferendus ſit Epiſcopo, & inter cæteras, quod Epiſcopus tantum ſuæ Diœceſis utilitati ſerviat, Cardinalis vero publicæ totius Populi Chriſtiani; ille unam privatam dumtaxat regat Eccleſiam, hic una cum Sede Apoſtolica univerſas; & cum Cardinales a nemine, niſi a Summo Romano Pontifice judicentur; ipſi tamen ſimul cum Pontifice omnes Eccleſiæ gradus dijudicent: Jure itaque meritoque Leo Papa X. in hac Conſtitutione aſſerit, S. R. E. Cardinales reliquos omnes dignitate, & honore poſt Summum Pontificem antecellere; & noviſſime Concilium Tridentinum Seſſione XXV. *De reformatione*, Capite I. ait, S. R. E. Cardinalium conſilio apud Summum ipſum Pontificem univerſalis Eccleſiæ adminiſtrationem niti.

XC. Quibus autem prælucere virtutibus Cardinales debent, jam eas in unum quaſi acervum collegit in recitato Opere, *De Conſideratione*, ad Eugenium III. S. Bernardus, quas hic ejus verbis lubet deſcribere: *Tuum eſt*, inquit Lib. IV. *undecumque evocare, & adſcribere tibi* (Cardinales) *exemplo Moyſis ſenes, non juvenes; ſed ſenes non tam ætate, quam moribus, quos tu noſti, quia ſenes populi ſunt. Non volentes, neque currentes aſſumito, ſed cunctantes, ſed renuentes, etiam coge illos, & compelle intrare. In talibus, ut opinor, requieſcet ſpiritus tuus; qui non ſint attritæ frontis, ſed verecundi, ſed timorati, qui præter Dominum timeant nihil, nihil ſperent, niſi a Deo. Qui adventantium non manus attendant, ſed neceſſitates. Qui ſtent viriliter pro afflictis, & judicent in æquitate pro manſuetis Terræ. Qui ſint compoſiti ad mores, probati ad ſanctimoniam, parati ad obedientiam, manſueti ad patientiam, ſubjecti ad diſciplinam, rigidi ad cenſuram, Catholici ad Fidem, fideles ad diſpenſationem, concordes ad pacem, conformes ad unitatem. Qui ſint in judicio recti, in conſilio providi, in jubendo diſcreti, in diſponendo induſtrii, in agendo ſtrenui, in loquendo modeſti, in adverſitate ſecuri, in proſperitate devoti, in zelo ſobrii, in miſericordia non remiſſi, in otio non otioſi, in hoſpitio non diſſoluti, in convivio non effuſi, in cura rei familiaris non anxii, alienæ non cupidi, ſuæ non prodigi, ubique, & in omnibus circumſpecti.*

XCI. Neque his finem facit Bernardus, ſed monet ipſum Papam Eugenium, ut eos ad Cardinalatum evehat, qui & hiſce aliis virtutibus niteant, nimirum, *qui legatione pro Chriſto fungi, quoties opus erit, nec juſſi renuant, nec non juſſi affectent. Qui quod verecunde excuſant, obſtinatius non recuſent. Qui miſſi, poſt aurum non eant, ſed Chriſtum ſequantur. Qui quæſtum Legationem non æſtiment, nec requirant datum, ſed fructum. Qui Regibus Joannem exhibeant, Egyptiis Moyſen, fornicantibus Phinees, Heliam idololatris, Heliſæum avaris, Petrum mentientibus, Paulum blaſphemantibus, negotiantibus Chriſtum. Qui vulgus non ſpernant, ſed doceant; divites non palpent, ſed terreant; pauperes non gravent, ſed foveant; minas Principum non paveant, ſed contemnant. Qui non cum turba intrent, ſed cum ira exeant: Qui Eccleſias non ſpolient, ſed emendent. Qui marſupia non exhauriant, ſed corda reficiant, & crimina corrigant, famæ provideant ſuæ, nec invideant alienæ. Qui orandi ſtudium gerant, & uſum habeant, ac de omni re orationi plus fidant, quam ſuæ induſtriæ, vel labori. Quorum ingreſſus pacificus, non moleſtus exitus ſit. Quorum ſermo ædificatio, quorum vita juſtitia, quorum præſentia grata, quorum memoria in benedictione. Qui ſe amabiles præbeant, non verbo, ſed opere; reverendos exhibeant, ſed actu, non faſtu. Qui humiles cum humilibus, & cum innocentibus innocentes, duros dure redarguant, malignantes coerceant, reddant retributionem ſuperbis. Qui non de dote viduæ, & patrimonio Crucifixi ſe, vel ſuos ditare feſtinent, gratis dantes quod gratis acceperunt; gratis facientes judicium injuriam patientibus, vindictam in Nationibus, increpationes in Populis. Qui de tuo denique ſpiritu illorum inſtar ſeptuaginta Moyſi accepiſſe cernantur, per quem, ſive abſentes, ſive præſentes, contendant placere tibi, placere Deo. Qui ad te redeant fatigati quidem, ſed non ſuf-*

*farcinati, ſimul & gloriantes, non quod curioſa, ſeu pretioſa quæque terrarum attulerint, ſed quod reliquerint pacem Regnis, Legem barbaris, quietem Monaſteriis, Eccleſiis ordinem, Clericis diſciplinam, Deo populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum.*

XCII. Jam mirum minime videri cuiquam debet, tam multas, tamque magnas virtutes exigi a Cardinalibus, quia quo quis in ſublimiori dignitatis Eccleſiaſticæ faſtigio eſt conſtitutus, eo plures, majoreſque ab ipſo poſtulantur virtutes: *Monſtraoſa res*, ait idem Bernardus Libro II. citati Operis, *gradus ſummus, & animus infimus; ſedes prima, & vita ima; lingua magniloqua, & manus otioſa; ſermo multus, & fructus nullus; vultus gravis, & actus levis; ingens auctoritas, & nutans ſtabilitas.* Sane ob diuturna ſchiſmata inſolentiores effecti erant Cardinales, nonnullique legem ipſi pene ponebant Pontifici, adeout eidem in multis reſiſterent. Res nota eſt ex Scriptoribus illorum temporum, viderique in eam rem poteſt inter alios Rainaldus, & Cardinalis Papienſis in ſuis Epiſtolis. Quod vero nonnulli etiam pro ſuo arbitrio deponere auderent Romanos ipſos Pontifices, ut deponere temere quidam conati ſunt Eugenium Papam IV. in Concilio Baſileenſi, & in Piſano conventu Julium II. Pontificem exauthorare attentarent, hinc eſt, quod aliquando Pontifices ad evitanda pejora, edocti funeſtis Prædeceſſorum exemplis, quorundam Cardinalium vivendi licentiam ferrent, & in eorum criminibus vindicandis moroſos ſe exhiberent. Sed hiſce omiſſis, Leo X. nihil eos metuens, ubi ſuam in hoc Concilio de Cardinalibus Conſtitutionem edidit, ſanctiſſime ſtatuit, atque ordinavit, *ut de cetero quilibet Cardinalium pro tempore exiſtens, juxta doctrinam Apoſtoli, ita ſobrie, caſte, ac pie vivat, ut non ſolum a malo, ſed ab omni etiam ſpecie mali abſtinens, coram hominibus luceat, Deumque inprimis operibus honorifices.*

XCIII. Mandat mox etiam Pontifex, ut Cardinales ipſi Sanctæ Romanæ Eccleſiæ *ſint omnes vigiles, ac divinis Officiis, Miſſarumque celebrationibus intenti, habeantque Capellas ſuas in loco honeſto, prout facere conſueverunt.* Eſſe antiquum morem, ut S. R. E. Cardinales Capellas, ſeu Oratoria in privatis Ædibus ſuis haberent, teſtis eſt Joannes S. R. E. Diaconus Cardinalis in Vita S. Gregorii Papæ Lib. III. Cap. LVIII. ubi loquitur de Sanctorum Reliquiis, *quæ in Oratorio Domus ſuæ in Suburra poſitæ erant.* Fuiſſe hoc Oratorium privatum, cui Manſionarius addictus erat, Presbyterque aliquis ad celebranda ibidem Divina Myſteria, recte conjicit eruditiſſimus Joannes-Baptiſta Gatticus Canonicus Regularis Lateranenſis, & Abbas, in celebri Opere, *De Oratoriis domeſticis*, Cap. VI. Num. VII. ſciteque ſubjicit Num. VIII. nihil obſtare ei conjecturæ, quod Cardinales olim utplurimum in Titulis ſuis habitarent; nam etiam Epiſcopi, ipſique Romani Pontifices in Ædibus Eccleſiæ proximis habitare ſoliti, privata in Ædibus ipſis Oratoria, & Capellas habere conſueverunt. Certe antiqui moris, quem nos enarramus, Seculo XIII. vigentis mentionem facit Jacobus Gajetanus Diaconus Cardinalis S. Georgii in Velabro creatus a Bonifacio Papa VIII. cujus & ipſe nepos erat, in Ordine Romano XIV. Cap. LXI. inſcripto, *De Miſſis, quæ celebrantur coram Cardinale in Capella ejus per Capellanum ipſius.* Extat is Ordo, ſicut & alii complures apud Mabillonium Tomo II. Muſæi Italici.

XCIV. At vero quoniam de privata S. R. E. Cardinalium Capella, ſeu domeſtico Oratorio hic loquimur, ſciendum eſt, quod licet poſſint Cardinales ex indulgentia recentiorum Romanorum Pontificum de iis diſponere, quæ contemplatione Galeri Cardinalitii conceſſa ſunt, in quorum numero comprehenſa videntur ornamenta Capellæ, ſive Oratorii, quod in propriis Ædibus Cardinales habent; verum harum nihilominus diſpoſitio Cardinalibus interdicta eſt, in iiſque Camera Apoſtolica ſuccedit ex Julii III. ſanctione, & in pretio Cardinalitii Annuli Sacra Congregatio de propaganda Fide, ex Decreto Gregorii XV. cujus meminit in ſua Cardinalatus Notitia Cohellius, Capite XVI. Privilegio XVIII. Hinc cum nuper Joſephus S. R. E. Cardinalis Accoramboni Sacram proprii Sacelli ſupellectilem privato Oratorio agnati ſui legaſſet, ubi Miniſtri Cameræ Apoſtolicæ illam pro Sacello Pontificio repeterent, lata eſt pro eiſdem Sententia in Apoſtolicæ Cameræ Tribunali, a qua cum appellaſſet hæres ad plenam Cameram, præſente ibidem Sanctiſſimo Domino Noſtro Pontifice Maximo BENEDICTO XIV. totius Collegii conſenſione Decretum prodiit, *Mandatum Domini Theſaurarii eſſe exequendum, & ſententiam confirmandam, juxta modum a Sanctitate Sua declarandum, quoad candelabra, & ſupellectilia excepta in Bulla Urbani VIII.* quod ubi approbatione ejuſdem Regnantis Papæ BENEDICTI XIV. confirmatum fuit, mandavit ipſe, ut univerſa domeſtici Sacelli prædicti Cardinalis ſupellex, *exceptis candelabris, Malluviis, & Gutturniis, Bacili, & Bocali vulgo nuncupatis*, quæ quidem hæredi reliquit, in Pontificii Sacelli Sacrarium inferretur.

XCV. Rem narrat idem Sanctiſſimus Noſter feliciter Regnans BENEDICTUS XIV. in ſua Conſtitutione, quam occaſione ejus Cauſæ, de Indultis Cardinalium teſtandi, & diſponendi de ſacris ſupellectilibus, edidit die XXII. Aprilis anni MDCCXLIX. Pontificatus ſui anno IX. ejuſque initium eſt, *Inter arduas &c.* Ergo, ut ait Pontifex, prædictæ Reſolutionis fundamentum agnitum fuit in Conſtitutione CLXVI. Urbani VIII. Papæ, quæ incipit, *Æquum eſt*, in qua Clementis Papæ VII. ejus Prædeceſſoris Conſtitutionem renovans, omniaque, & ſingula Indulta diſponendi de ſacra domeſticorum Oratoriorum ſupellectile S. R. E. Cardinalibus alias conceſſa abrogans, decrevit, ac ſtatuit, ut ſequitur: *Motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, etiam ipſam Conſtitutionem Clementis Prædeceſſoris hujuſmodi innovantes, & ampliantes, quod de cetero perpetuis futuris temporibus præfata omnia, & ſingula, Mitræ, Pluvialia, Tunicellæ, aliaque ornamenta, & veſtimenta, ac Calices, Patenæ, Vaſa etiam aurea, & argentea, aliæque res, & utenſilia quomodolibet nuncupata, præſertim benedicta, ſeu conſecrata, quibus S. R. E. Cardinales, nunc, & pro tempore exiſtentes, etiam præfatam, ſeu quamcumque aliam ſimilem, vel diſſimilem facultatem Apoſtolicam de illis diſponendi, ac ad hæredes etiam ab inteſtato tranſmittendi, ut præmittitur, habentes, non ſolum in Capella Pontificis, ſeu Proceſſio-*

Digitized by Google

*ceſſionibus, cæremoniis, & aliis functionibus Pontificiis præfatis, ſed etiam in eorum Capellis privatis hactenus, vel in futurum pro tempore quomodolibet uſi fuerint, ad Sacriſtiam præfatam ipſo jure ſpectent, & pertineant, & ad illam deferri, illique realiter conſignari debeant ſtatim poſt obitum ipſorum Cardinalium, excepta una Tunicella pro quolibet Cardinale Diacono, & una Planeta pro quolibet Cardinale Presbytero, ac uno Pluviali pro quolibet Cardinale Epiſcopo, ac exceptis candelabris, ac Malluviis, & Gutturniis, Bacili, & Bocali vulgo nuncupatis, etiam aureis, vel argenteis, hac perpetua valitura Conſtitutione noſtra ſtatuimus, & ordinamus.*

XCVI. Lata hac Lege Urbanus Pontificii Sacelli ſacrarii antiqua redintegravit jura, quæ jamdudum Julius Papa III. in ſua Conſtitutione VII. cujus initium eſt, *Cum ſicut*, his verbis aſſeruerat: *Hujuſmodi paramenta, ac ornamenta Capellæ ipſorum Cardinalium, quæ jam tanto tempore, quod ejus initii hominum memoria non habetur, Capellæ Apoſtolicæ, in qua Miſſæ Papales celebrantur, devolvi conſueverunt.* Id autem, ut docet doctiſſimus Regnans Pontifex in ſua laudata Conſtitutione, quam nos ob eximiam eruditionem, quam continet, ad literam fere deſcribimus, ad eam ætatem probabiliter referri poteſt, qua primum cœperunt Eccleſiaſtica Officia ſolemni, & publico Ritu in Pontificii Palatii Sacellis perſolvi; ex quo ſcilicet Romani Pontifices Avenione in Urbem reduces fuerunt. Non quod antea quoque in Apoſtolicis Ædibus Laterani, Oratoria, & Sacella minime exiſterent, ſed quod in ipſis Sacri Conventus non haberentur, qui publice fieri ſolebant in Urbis Eccleſiis, & Baſilicis, ad quas Stationes pro tempore indicebantur, ut ex S. Gregorii Homiliis in variis ipſius Urbis Eccleſiis habitis, & ex vetuſtis Ordinibus Romanis colligitur. Id autem cum in Avenionenſi Civitate perfici minime potuiſſet, iccirco ibi in Apoſtolico Palatio Sacella ad Pontificalium ſolemnitatum uſum erecta fuerunt; idque in cauſa fuit, ut Romæ quoque poſt Pontificum reverſionem, magnifica in Apoſtolicis Palatiis Sacella extruerentur, in quibus pleræque Functiones peragerentur, quæ antequam Pontifices Avenione Sedem figerent, ut ſupra dictum eſt, publice in Baſilicis, aliiſque Urbis Eccleſiis fieri conſueverant.

XCVII. Et ſane in Ordine Romano, quem edidit Jacobus olim S. Georgii in Velabro Diaconus S. R. E. Cardinalis Cajetanus, qui Cardinalitiam Dignitatem a Bonifacio Papa VIII. Patruo ſuo accepit, ne verbum quidem legitur de Solemnitatibus in Pontificio Sacello habitis. Contra vero in altero Ordine Romano, quem ſcripſit Petrus Amelius poſtquam Pontifices Romam redierant, de Bonifacio IX. narratur, quod Beatæ Birgittæ Viduæ Canonizationem in Palatii Sacello peregerit, propterea, quod ea nocte, quæ deſignatam hujuſmodi ſolemnitati diem præceſſit, gravi morbo correptus fuiſſet non ſine mortis periculo; a qua tamen ipſius Beatæ interceſſione liberatus, ſequenti die in Baſilica Vaticana ritu ſolemni Miſſam celebravit. Præterea in Cæremoniali Auguſtini Patricii Piccolominei quondam Epiſcopi Pientini, quod ſub auſpiciis Leonis Papæ X. Chriſtophorus Marcellus tanquam ſuum opus edidit, ubi de Dominica prima Adventus, aliiſque per anni curſum Solemnitatibus agitur, ſæpe quidem Eccleſia, ac ſæpe etiam Sacellum, ſeu Capella memoratur. Et quamvis Sixtus Papa V. in ſua Conſtitutione XXIII. quæ incipit, *Egregia Populi Romani*, antiquam conſuetudinem quoad Functiones Pontificales in Baſilicis & Eccleſiis per Urbem celebrandas in priſtinum reſtituere volens, ſtatos dies, certaſque Eccleſias pro uniuſcujuſque Solemnitatis celebritate deſignaſſet; nihilominus uſus invaluit, ut pleræque ex ipſis in ſacris Apoſtolicarum Ædium Sacellis peragantur.

XCVIII. Porro jus illud, quo Capella Apoſtolica a tanto jam tempore, ut præfertur, gaudere dignoſcitur, & quidem ratione Functionum, quæ in ea ab ipſis S.R.E. Cardinalibus, vel ſaltem cum eorum aſſiſtentia peraguntur, quæque continuum ſacræ ſupellectilis uſum requirunt; quodque, ut ſuperius demonſtratum eſt, ab Urbano Papa VIII. ſpeciali Conſtitutione aſſertum, & confirmatum fuit, non ita labefactari viſum eſt in caſu, de quo agebatur, per Indultum a ſanctæ memoriæ Benedicto Papa XIII. per Litteras in forma Brevis conceſſum prædicto Joſepho Cardinali Accorambono, ut harum Litterarum vigore potuerit hic præfatam Capellæ ſuæ ſupellectilem domeſtico hæredis ſui Oratorio legare. Quamvis enim in hujuſmodi Litteris præfati Urbani VIII. Conſtitutioni expreſſe fuerit derogatum, eidemque Cardinali plena, & ampla conceſſa ſit facultas teſtandi, & diſponendi de omnibus, & ſingulis Mitris, Pluvialibus, Planetis, Tunicellis, aliiſque ornamentis, & veſtimentis Eccleſiaſticis, & aliis rebus, & utenſilibus Divino cultui dicatis, ſeu deſtinatis, etiam argenteis, aureis, ſeu inauratis, tam privatæ Capellæ ipſius Cardinalis, quam iis, quibus in Capellis, Cæremoniis, Proceſſionibus, & aliis Functionibus Pontificiis uſus fuiſſet. Cum tamen idem Cardinalis de præmiſſis non diſpoſuerit juxta formam in præfato Indulto præſcriptam, prædicta Urbani VIII. Conſtitutio ſuam vim, auctoritatemque recuperat, & in illius ſequelam, jure meritoque judicatum, reſcriptumque jam fuit, ut ſupra narravimus.

XCIX. Quod autem prædictus Cardinalis Accorambonus de ſacra Oratorii ſui ſupellectile ad formam Indulti non diſpoſuerit, in dubium minime revocatum eſt. Etenim cum in relatis Benedicti XIII. Litteris ea conditio expreſſe appoſita legatur, *dummodo tamen de illis in favorem alicujus Eccleſiæ, ſeu Capellæ, vel Loci Pii arbitrio tuo diſponas*; cumque Cardinalis Accorambonus de præmiſſis omnibus diſpoſuerit in favorem Capellæ Spoleti in ſuis Ædibus erigendæ; clarum eſt, ſervatam ab eo non fuiſſe formam in Pontificio Indulto ſibi præſcriptam. Nec enim ullius momenti ad caſum, de quo agebatur, reputata fuit quæſtio, quæ inter Partium Defenſores agitabatur, an ſcilicet ea Loca, quæ in privatis Domibus ad Sancti Sacrificii celebrationem deſtinantur, *Capellæ* nomine, vel potius *Oratorii* appellanda ſint; aut etiamſi Capellæ nuncupari poſſint, an ſaltem ad aliquam diſtinctionem ſtatuendam in eas, aliaſque Capellas, quæ in publicis Eccleſiis erectæ ſunt, & Altaria lateralia continent, *Capellæ privatæ* appellari debeant. Nam ſi advertatur, Capellæ nomen in præcitato Brevi medium tenere locum inter *Eccleſiam*, & *Locum Pium*, quæ ſane nomina ad

pu-

publica dumtaxat loca referri poſſunt; ait ſiquidem Breve in loco ſupra relato, *in favorem alicujus Eccleſiæ, ſeu Capellæ, vel Loci Pii arbitrio tuo diſponas*; facile erit, exinde inferre, Pontificem id intelligi voluiſſe, non de Capella privata in domeſticis ipſius Cardinalis Ædibus extructa, vel extruenda, ſed de publica Capella intra alicujus Eccleſiæ ambitum conſtituta.

C. Eoque magis id rationi conſonum apparet, quod quum prædictis Romanis Pontificibus in Conſtitutionibus pro Sacello Pontificio editis, propoſitum ſit, non ſolum Cameram Apoſtolicam a tot tantiſque expenſis pro ipſius Sacelli apparatu neceſſariis aliqua ex parte ſublevare, verum etiam aliquem juſtum modum imponere privilegio, quod S. R. E. Cardinalibus concedi conſuevit, de bonis etiam ex Eccleſiaſticis proventibus acquiſitis, in favorem propinquorum teſtandi, & diſponendi, quo ſcilicet, ſi ex Cardinalium reliqua eorum bona ad propinquos deferuntur, quemadmodum de bonis præfati Cardinalis Accoramboni eveniſſe dignoſcitur, ſacra ſaltem vaſa, atque ornamenta vel juxta præſcriptum Conſtitutionum Generalium, ad Pontificiæ Capellæ Sacrarium devolvantur, vel juxta Indultorum formam, in alicujus Eccleſiæ, ſeu Capellæ, vel Loci Pii beneficium cedant. Porro ſi Indulta hujuſmodi etiam de Capellis privatis, quæ in hæredum Domibus ſunt, intelligi deberent, provida Pontificum mens optato fraudaretur effectu: quum ſatis conſtet, in diem contingere, ut Ædium domini hujuſmodi domeſtica Oratoria in uſum propriæ habitationis convertant; eorundem vero ſacra ſupellex jure dominii, quod hæredes liberum in eam exercent, ſæpe venalis fiat, ac dummodo ejus æſtimatio ratione benedictionis, aut conſecrationis non augeatur, illius pretium libere, & licite in dominorum commodum redigatur.

CI. Fruſtra vero præfati teſtamenti Defenſores replicabant, Cardinalis hæredem promptum, & paratum eſſe ad publicam Capellam, ſive Oratorium publicum conſtruendum prope domeſticas ſuas Ædes, idque ipſi negari non poſſe, propterea quod laudatum Benedicti XIII. Papæ Indultum non ipſi ſolum Cardinali facultatem tribuerat ita de præmiſſis teſtandi, & diſponendi, ſed etiam *illa ad hæredes ſuos, ſi ipſum inteſtatum mori contingeret, traſmittendi, dummodo tamen de illis in favorem alicujus Eccleſiæ, ſeu Capellæ, vel Loci Pii, vel ipſe arbitrio ſuo diſponeret, vel per ipſius hæredes, & ſucceſſores, quatenus ipſe ab inteſtato decederet, diſponeretur*; ut in eiſdem Litteris legitur. Prætermiſſis enim aliis reſponſionibus, viſum eſt, ipſius Cardinalis teſtamentum, quo de Capellæ ſuæ ſupellectili, ut præfertur, diſpoſuit, prætenſam hæredis facultatem ex Indulti Litteris deſumtam, penitus de medio ſuſtuliſſe. Hæc ſiquidem facultas in Litteris ipſis hæredi conceſſa erat pro eo caſu dumtaxat, quo Cardinalis ipſe nihil diſpoſuiſſet: *ſi te inteſtatum mori contigerit &c. quatenus ab inteſtato decedas &c.* Sed alium caſum ſane non reſpiciebat, quo ſcilicet idem Cardinalis teſtamentariam diſpoſitionem exaraſſet, at Pontificio Indulto minime conformem, ut fuit illa hactenus examinata, quæ cauſam dedit, ut Urbani Papæ VIII. Lex pro Pontificio Sacello dudum ſtatuta, vim ſuam reſumſiſſe videretur.

CII. His potiſſimum fundamentis cum innixum fuerit Reſcriptum a plena Camera coram Regnante BENEDICTO XIV. Pontifice die XII. Januarii anni MDCCXLVIII. congregata editum, probavit tum illud Pontifex, novoque deinde muniit robore Conſtitutione, quæ incipit, *Inter arduas*, de ea re edita die XXII. Aprilis anni MDCCXLIX. edita. In qua diſerte ait, quod in eo confirmando Reſcripto jam non id ipſi propoſitum fuit, ut quidquam detraheret legitimis Privilegiis, quæ S. R. E. Cardinalibus jure ac merito conceſſa dignoſcuntur; cum etiam ipſe ſimilia Indulta diſponendi de ſacris ſupellectilibus libenter conceſſerit iis, quos ad Cardinalitiam Dignitatem aſſumſit; *ſed eo dumtaxat* ſpectare ſe ait, *ut conditiones, quæ in eorum Indultis provide apponuntur, ſuum debitum ſortiantur effectum: ipſique, ſi conceſſis facultatibus uti voluerint, de ſacris hujuſmodi ſupellectilibus erga Eccleſias, ſeu Capellas publicas, aut Loca Pia benefici ſint.* Hortatur mox Pontifex Cardinales ut circa eam ſacrorum vaſorum & ſupellectilium domeſticæ Capellæ diſpoſitionem, *eas potiſſimum Eccleſias præ oculis habeant, quas ſive Metropolitanas, ſive Cathedrales, ſive Abbatiales, aut ad Eccleſiaſtica ipſorum Beneficia ſpectantia gubernaverint, & obtinuerint, quas quidem Eccleſias beatæ memoriæ S. Pius Papa V. in hoc rerum genere tam amplo privilegio donavit, ut in ſua Conſtitutione* XLII. *quæ incipit*, Romani Pontificis, *decreverit, & declaraverit, quæcumque ornamenta, paramenta, vaſa, & alia utenſilia ſacra ad uſum, & cultum divinum in privatis Capellis, & Oratoriis Epiſcoporum, Abbatum, aliorumque Eccleſiaſtica Beneficia obtinentium alias deſtinata, ſub appellatione ſpoliorum Cameræ Apoſtolicæ debitorum minime venire debere, nec etiam ſub quibuſvis teſtandi facultatibus, & Indultis comprehendi, ſed ad ſingulas Eccleſias, Monaſteria, & Beneficia, in quibus prædecti reſederint, aut quibus præfuerint, ſeu quæ alias obtinuerint, omnino ſpectare, & pertinere.* Tum etiam pari ratione idem Papa BENEDICTUS XIV. eiſdem S. R. E. Cardinalibus commendat *Eccleſias illas, quarum Titulum, ac regimen in ipſo Cardinalatus Ordine obtinuerint, quæ etiam in Sancta Synodo Lateranenſi V. impenſe ipſis commendatæ fuerunt, ut videre eſt in Cap.* II. *Bullæ ſuper reformatione Curiæ .... a Leone Papa X. in ipſius Synodi Seſſione* IX. *promulgatæ.*

CIII. Hæc ſunt, quæ in laudata ſua Conſtitutione Regnans Pontifex BENEDICTUS XIV. ſtatuit, ordinavitque, de Indultis Cardinalium teſtandi, & diſponendi de ſacris ſupellectilibus, mandans inter alia, *ſic, & non aliter, in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Camerarium, & alios Cardinales etiam de latere Legatos, necnon dictæ Cameræ Præſidentes Clericos, alioſque Officiales, nunc, & pro tempore exiſtentes, in quavis cauſa, & inſtantia, ſublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & definiri debere: ac irritum, & inane eſſe, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari*, decernit. Ceterum ut in ſua Cardinalatus Notitia, Cap. XVI. Privilegio XXXIX. notat Cohellius, ex Conſtitutione Julii

Pa-

Papæ III. cujus ſupra facta eſt mentio, Ornamenta ipſa Capellæ, ſeu Domeſtici Oratorii S.R.E. Cardinalium ideo Commiſſario Apoſtolicæ Cameræ conſignari debebant, *ut pauperibus ſcilicet Prælatis ad Romanam Curiam pro tempore confluentibus, & paramenta, ut vocant, Eccleſiaſtica, cum quibus in Proceſſionibus, aliiſque Solemnitatibus per Romanos Pontifices fieri ſolitis, incedere poſſent, non habentibus* ſubveniatur. Uſum plane eſſe antiquum, ut ea ſacra Capellæ Cardinalium ſupellex Capellæ Apoſtolicæ devolveretur, non obſcure innuit Auctor Vitæ Jacobi Cardinalis Papienſis apud Ciaconium Tomo II. Vitarum Pontificum, & Cardinalium, ubi loquens de bonis illius poſt obitum diſtributa, ita inquit: *Veſtis ſacra, & Vaſa nonnulla argentea ſacri uſus Apoſtolico Sacrario dicata.*

*De Cardinalium modeſtia in menſa, veſte, & ſupellectile.*

CIV. Pergit Leo X. in ſua Conſtitutione de Cardinalibus, & mandat, ut *ſit eorum domus, familia, menſa, ſupellexque, non faſtu, aut pompa, neque ſuperfluis rebus, neque aliquomodo reprehenſibilis, ne peccandi, excedendique modum licentia inde naſcatur, ſed, ut æquum eſt, modeſtiæ, & frugalitatis ſpeculum dici mereantur*. Qua fruge, qua modeſtia Beneficiarios omnes, ipſoſque S. R. E. Cardinales eſſe oporteat in menſa, veſte, & ſupellectili, jam ſæpe notatum a nobis fuit auctoritate Conciliorum, ac Patrum Eccleſiæ; dicemuſque etiam iterum iterumque inferius, ubi ſe ſe dabit occaſio de eadem re diſſerendi. Illud vero hic omitti nullatenus debet, quod de S. Carolo Borromeo S. R. E. Cardinali, & Mediolanenſi Archiepiſcopo ſcribit in ejus Vita Gioſſanus, ubi nempe Mediolano profectus eſt, nihil ornamentorum in Palatium paſſum eſſe inferri, nihil aureæ, nihil argenteæ ſupellectilis, ſed teſtaceæ, nempe Faventinæ, a quo non abhorrebat menſæ ejus frugalitas. Inſtrumentum domeſticum, quod Romæ habuerat opulentiſſimum, id Mediolanum comportari fecit, ubi & parte ejus aliqua Eccleſiam ſuam donavit Metropolitanam, reliquam diſtrahi fecit, pauperibus impertiendam. Cum illum alio properantem Senenſis Epiſcopus epulo excepiſſet ſplendidiſſimo, non potuit Carolus non dolorem prodere ſuum, menſaque exiliit ante finem, ut itineri ſe daret, quamquam parum propitio cælo; nec enim velle ſe dixit altero ejuſmodi epulo cauſam dare, tanto pauperum damno: *Pauperibus enim neceſſe eſt Epiſcopos reſidua omnia dilargiri, ubi ſuis ipſi neceſſitatibus conſuluere*. Rem narrat Gioſſanus in ejus Vita Lib. VII. Cap. I.

CV. Quoad veſtes ſuperiores attinet, a decoro quidem non recedebat, at vero interiorum quidquid erat veſtium, viliſſimum id omne erat; priores enim illas donabat Cardinalatui, *quo ſepoſito, nihil ſe a mendicis diſcrepare volebat*, teſte eodem Scriptore Lib. VIII. Cap. XVI. Non ſine convitio repudiavit mendicus veſtem, quam nuperrime Carolus exuerat, uti præter Gioſſanum refert etiam in illius Vita Carolus a Baſilica Petri. Nihil aulæorum, nihil tabularum exquiſitiorum in Palatio ſuo admiſit, tum Mediolani, tum Romæ, *cum magnopere illud delectarent nudi & albentes parietes*. Cum juxta Viterbium in ſplendidiſſimo verſaretur Palatio Cardinalis Gambaræ, non potuit ſibi imperare, quin eum moneret, *multo conſultius facturum fuiſſe, ſiquod Monialium Cœnobium extruxiſſet ea pecunia, quæ in Palatium fuerat abſumpta*. Idem cum in hortis verſaretur Epiſcopi Viglebanenſis, a quodam ſuo familiari ſubmonitus, ut ejuſmodi hortos & ipſe in ſuo Epiſcopatu inſtrueret, ſapientiſſime reſpondit, *Sacra Biblia hortos eſſe Epiſcopi*. Quam alienus tandem eſſet a faſtu, & pompa, jam & tunc ſatis oſtendit, ubi Gentilitia ſuæ inclytæ ſtirpis ſtemmata abradi, vel aſportari fecit, iiſque ſubrogari Imagines Deiparæ Virginis, ac Beati Ambroſii Mediolanenſis Epiſcopi: *Vaſis ſacris, quibus donabat Eccleſias, vel quæ ſuis ipſius uſibus parabantur, vetuit inſculpi ſui, ſuæve gentis ullam memoriam; cujuſmodi ſicubi deprehenderet, protinus ſummovebat*.

CVI. Jam non deerant, qui tunc temporis tum exiguum Caroli comitatum, tum alia quædam in S. Carolo ad Chriſtianæ humilitatis virtutem pertinentia reprehenderent, & ſummam dignitatem aliquo modo ita imminui quererentur: *Res etiam*, ut narrat Carolus a Baſilica Petri in ejus Vita, Lib. VII. Cap. VI. *ad ipſum Pontificem Pium V. quandoque relata eſt; cui Carolus ita facti ſui rationem reddidit, ut nihil haberet optimus Pater quod improbaret. Eorum, qui Dei Miniſtri eſſent, dignitatem, ac exiſtimationem dicebat, non in humanis ornamentis, quæ tamen ad certum modum pluribus de cauſis eſſent adhibenda, ſed in religioſis virtutibus conſiſtere*. Subdit mox etiam Auctor, rem ipſam declaraſſe, *Caroli abjectionem, morum gravitate, ſanctitateque conjunctam, ſummis, atque infimis tanto ſemper in honore fuiſſe, quantum nulla terreni ſplendoris ornamenta conſequi potuiſſent*. Pervolutandi ſunt memoratorum Caroli a Baſilica Petri, & Gioſſani luculentiſſimi de S. Caroli Vita Commentarii, ut videas, ac ſtupeas, Archiepiſcopum, & Cardinalem, nobilitate, dignitate, fide, gratia, & auctoritate longe præcellentiſſimum, qui omnia pene ſibi negaret ipſi, quo profunderet in egenus, qui hinc ſibi gloriam, hinc gaudium, hinc opes cumulatiſsimas affluere ſentiret, geſtiretque, ſi pauperem, ſi frugalem, ſi modeſtiſſimam Vitam ageret, parſimoniæque ſuæ fructibus innumerabiles Eccleſias, pauperesque foveret. S. Caroli exemplum imitatus plane eſt noſtro hoc ævo non ſine ingenti Chriſtiani Orbis ædificatione Venerabilis Joſephus Cardinalis Thomaſius, cujus quanta eſſet modeſtia in menſa, veſte, ſupellectili, variis exemplis docet in ejus Vita Berninus.

*Miniſterium Epiſcoporum indecorum apud Cardinales ſublatum.*

CVII. Jubet præterea Leo Pontifex eiſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, *ut miniſterium indecorum Epiſcoporum, Prælatorumque in Domibus non habeant, ne ceteris præeſſe inſtituti, & ſacro charactere inſigniti, in vilia deſcendant miniſteria, paſſimque Paſtoralis Officii contemtum inducant*. Et quidem, quamvis diu ſuum quique gradum, uti jam dictum ſuperius fuit, Cardinales ſervarint, adeout ne ipſi quidem Epiſcopi Cardinales ſubſcriberent, ſederentve ante alios Epiſcopos Ordinatione priores, nec Presbyteri Cardinales ante ullus prorſus Epiſcopos: cœperunt tamen nonnulli ex ipſis Seculo XIV. & ſequenti adeo contemtui habere Epiſcopos, ut his veluti viliſſimis famulis uterentur. Queritur de eo abuſu non uno in loco Alvarus Pelagius, qui vixit ſub anno MCCCXL. fuitque ex Or-

Ordine Minorum Epiſcopus Silvenſis in Libris, *De Flanctu Eccleſiæ*, quibus Virorum Eccleſiaſticorum, omniumque Reipublicæ Chriſtianæ ſtatuum vitia luculenter, ac perſpicue perſtringit. Is ergo Auctor Lib. II. Cap. VIII. ubi Epiſcopos ſui ævi ſugillat raro in Eccleſiis ſuis reſidentes, inter alia inquit: *In Curia Romana trotant poſt equos Cardinalium .... ſervi ibi effecti, & mercenarii, quum in ſuis Epiſcopatibus eſſent liberi domini, & majores, ut ambiant amplius, & habeant de honore terreno, non contenti terminis ſuis*. Nicolaus quoque Clemangis Archidiaconus Bajocenſis, qui claruit temporibus Sigiſmundi Imperatoris, & Concilii Conſtantienſis, anno MCDXVII. in Opuſculo, quod inſcripſit, *De corrupto Eccleſiæ ſtatu*, Cap. XIII. poſtquam inter alia dixit, Cardinalibus id olim fuiſſe negotii, *ut efferendis mortuis, ſepulturæque mandandis inſervirent*, ita ſtatim ſubjicit: *Nunc vero philacteria ſua in tantum dilataverunt, ut non modo Epiſcopos, quos Epiſcopellos ſolent paſſim vocare, ſed Patriarchas, Primates, & Archipræſules velut infra ſe poſitos deſpiciant: imo ſe jam ab illis ſupplicibus propemodum adorari ſinant*.

CVIII. Sed præſtat audire præ ceteris Auguſtinum Patricium, qui claruit eodem Seculo XV. fuitque Apoſtolicarum Cæremoniarum Præfectus ſub variis Romanis Pontificibus Maximis. Is ſane Lib. III. *Sacrarum Cæremoniarum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ*, Cap. XIII. quod inſcriptum eſt, *De reverentia Epiſcoporum erga Cardinales*, hunc ſui ævi abuſum recenſet, ac jure perſtringit: *Quod autem aliqui ex Reverendiſſimis Dominis Cardinalibus permittant, ut audivi, Epiſcopos ante ſe loqui genuflexos, & in menſa, dum manus lavant, ſimiliter mantile miniſtrare, valde abſurdum videtur. Et quamvis ſæpe apud plerosque Reverendiſſimos Dominos in conviviis fuerim, & ante, & poſtquam inter Epiſcopos indignus adſcriptus ſum, nunquam tamen id ſervari vidi, adſcribendum eſt hoc, pace illorum dixerim, ignaviæ, ac vecordiæ Prælatorum, qui talia faciunt, qui ſupremam in Eccleſia Epiſcopalem Dignitatem non cognoſcunt; ſive eorundem ambitioni, atque adulationi, qui ut gratiam Cardinalis aucupentur, Dignitatis ſuæ rationem non habent, quam ſerviliter deturpant*. Cardinales deinde, qui talia ſive ex inadvertentia, ſive alia cauſa patiuntur, in charitate Dei obſecrat, *ut importunas hujuſmodi adulationes rejiciant, & cogitent, Summum Pontificem non alio titulo, quam Epiſcopali decorari; & cum is publice, & in re Divina lavat manus, non Epiſcopus aliquis, ſed Capellanus ſuus Auditor Rotæ mantile ſubminiſtrat*. Tum vero inferius addit: *Nec minus convenit, Cardinales ipſos benigne ſuſcipere Epiſcopos, & quos Summus Pontifex Fratres appellat, non ut ſervos, ſed ut Confratres honorare*. His itaque abuſibus occurrit Leo Papa X. ubi poſtquam ſtatuit, ut Cardinales *miniſterium indecorum Epiſcoporum, Prælatorumque in Domibus non habeant*; eiſdem deinde Cardinalibus juſſit, ut Epiſcopos, *quos vel nunc habent, vel impoſterum ſunt habituri, honorifice, ut Fratres, ac juxta eorum ſtatus condecentiam tractent*.

*Cardinalibus vetitum miniſterium Principum, ab iiſque Penſiones accipere.*

CIX. Præterea cum ipſi Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales *Romano Pontifici communi omnium Chriſtifidelium Patri aſſiſtant, perſonarum acceptatores, vel advocatos fieri, valde inconveniens eſt*; ideoque ſtatuit idem Leo X. Pontifex, *ne partialitatem ſuſcipiant aliquam, neque Principum, aut Communitatum, vel quorumcunque aliorum contra quemquam, niſi quantum juſtitia, & æquitas poſtulat, eorumque dignitas, & conditio requirit, promotores, aut defenſores fiant, ſed a privata omni paſſione ſejuncti, ſedandis, & componendis inter quoſcumque litibus omni diligentia vacent, incumbantque: Principum, & quorumcumque aliorum, ac præſertim pauperum, & Religioſorum juſta negotia pio promoveant affectu; oppreſſos, & injuſte gravatos juxta vires ſuas, & officii debitum adjuvent*. Illud hic præ ceteris omnibus obſervari neceſſe eſt, quod & notavit Thomaſſinus Parte I. *Diſciplinæ*, Lib. II. Cap. CXIV. Num. XI. cum ſint Cardinales Conſiliarii, Coadjutores, & quaſi membra ejus, qui caput eſt Eccleſiæ univerſæ, atque adeo cum debeant pro univerſæ Eccleſiæ ſalute, & gloria excubias agere, & indeſeſſam exhibere ſollicitudinem, hinc viſum eſt non immerito, nullo præcipuo nexu, vel authoramento debere eos ullis terrenis Principibus adhæreſcere, & mancipari.

CX. Jam longe ante hoc Decretum Concilii V. Lateranenſis, Urbanus Papa VI. anno Chriſti MCCCLXXVIII. ſimul ac ad Apoſtolicæ Sedis faſtigium provectus eſt, expreſſiſſime prohibuit, ne ullis penſionibus Cardinales vel Regi, vel Reipublicæ ulli conſtringerentur, quod illud hinc ſemper naſcatur, ut utilitas publica privatis poſthabeatur rationibus. Refert id quidem Paginus in ejus Vita, Num. XVII. ubi poſtquam dixit, quod *ſtatim a ſua coronatione mores Cardinalium omnium acerrime redarguit, pompam, ſuperfluas epulas, domeſticorum copiam reſcindere juſſit*; ita ſtatim ſubjicit: *Iis, qui munera, & penſiones a Principibus acciperent, pœnas minatus eſt*. Narrant hæc eadem antiqui Scrptores Vitæ ejuſdem Pontificis, ex eiſque tradit Rainaldus ad ipſum annum MCCCLXXVIII. *quod ſuæ intentionis non erat, quod aliqui ex Dominis Cardinalibus de cetero haberent penſiones, ſeu proviſiones, vel aliqua lucra illicita a Principibus, Communitatibus, vel alia quacumque perſona, quia propter illa lucra negotia Eccleſiæ male procedebant, & procederent*. Teſte eodem Rainaldo vetuit & Martinus V. ne Cardinales adgrederentur, vel pergerent exercere protectionem Regnorum, ut affectibus vacui, & liberiores, Pontificiis ſe ſe conſiliis, atque cauſis dedant: *Protectionem Regum, Principum, Comitum, aliarumque perſonarum ſecularium non aſſumant, aſſumtaſque non exerceant; ut liberius ipſi ſanctiſſime in conſiliis, ac aliis actibus valeant aſſiſtere*. Ob protectionem autem Ordinum Religioſorum vetuit quidquam doni, vel emolumenti accipere, quamvis ſponte offerretur: *Pro Ordinum, Religioſorumque, aut perſonarum particularium protectione nihil pecuniæ percipiant, etiam a ſponte offerentibus*.

CXI. Sanctionem Martini V. nonnihil relaxare viſa eſt Synodus Baſileenſis, ubi Seſſione XXIII. habita anno MCDXXXVI. tametſi prohibuerit primum ipſis Cardinalibus, in ſtudia partium ſcindi, aut Principibus aliis adverſus alios ſe devovere; permiſit tamen, ut gratuitas gerere poſſent Principum protectiones, imo & omnium prorſus hominum, maxime calamitoſorum, una ſti-

Digitized by Google

ſtimulante ad hæc omnia charitate: *Et cum ei, qui communis eſt omnium Pater, Cardinales aſſiſtant, Perſonarum acceptatores fieri, vel Advocatos, valde indecens eſt. Propterea interdixit hæc Sancta Synodus, ut tanquam Judices Collaterales partialitatem nullam accipiant, etiamſi de Terra partiali originem ducant. Nec ſint Principum, aut Communitatum, ſeu aliorum, contra quemquam, cum pretio, vel ſine, partiales Protectores, aut Defenſores, ſed exuti omnem paſſionem, in ſedandis concordia, vel juſtitia litibus Papæ aſſiſtant. Principum autem, & quorumcumque, præſertim pauperum, aut Religioſorum, gratis, & ſine ullo quæſtu, promovere juſta negotia, tanquam charitatis opus, perſuadet Sancta Synodus, & commendat.* Eadem fere hæc ſunt, quæ deinde ſtatuit noſtra hæc Synodus v. Lateranenſis in hac nona Seſſione, tametſi improbitati temporum ulterius aliquid viſa ſit indulgere, ubi ſcilicet patrocinia quidem ipſa probavit, nec tamen prorſus gratuita ut eſſent, expreſſit.

CXII. Iterum jam atque iterum deſtomachatus eſt zelantiſſimus Jacobus S. R. E. Cardinalis Papienſis in hujuſmodi protectiones molles, & aſſentatorias, partibus, & Principum voluntatibus plerumque ſervientes, magno non tantum famæ, ſed & conſcientiæ diſpendio, atque univerſæ Eccleſiæ detrimento. Legenda eſt ejus Oratio, quæ inter ejuſdem Epiſtolas locata eſt, Numero ccxciv. habita contra Joannem Cardinalem Atrebatenſem, ſeu Albienſem, præſentibus Cardinalibus nonnullis, dimiſſo tamen Senatu, ubi ſic inter alia ipſum perſtringit: *Minatus eſt multa frequenter Eccleſiæ Romanæ, multa nobis, niſi faciamus ea, quæ Regi ſuo poſſint placere: mallet, ut video, cum everſione omnium noſtrum verus videri, quam eam ſalute mendax, & falſus. Ad hoc eſt tantum intentus dies & noctes, & huc intendit omnis ratio, & ſumma rerum ſuarum, ut ſtatus omnis Orbis Chriſtiani ex una Regis ſui voluntate dependeat. Bonum quippe nullum putat, niſi quod venit ab illo, ſalutem nullam, niſi quæ offertur ab illo: cæteros Reges, & Principes minimum æſtimat, inania ducens, quæ de Potentatibus, & rebus publicis referuntur; adeoque in colendo hoc Deo ſuo eſt cæcus, ut nec videre oculis quippiam ſanum, nec mente poſſit diſcernere. Accedit, quod mercenarius eſt, & lingua conducta ſibi, non Eccleſiæ loquitur. Audiſtis aliquando illum fatentem, duo millia aureorum annua pendi ſibi a Rege in mercedem ſui laboris. Audiſtis in hoc verbo ſe gloriantem, quod Procurator ſit Regius, quodque declaratum nobis per Litteras, ſibi uni de negotiis Regiis præſtari fidem debere.*

CXIII. Pergit Papienſis, pluribuſque acriter contendit, ipſum Cardinalem Atrebatenſem negotiis ſecularis Principis implicatum, indignum plane eſſe, ut una cum aliis Cardinalibus Apoſtolicæ Sedis negotia, & Eccleſiæ univerſæ adminiſtret: *Quomodo ergo, qui Procuratorem ſe confitetur, dignitate loci hujus eſt dignus? Quomodo ſalutariter poteſt conſulere? Quomodo credi ſententiis ejus alieno ſtipendio, non noſtro conductis. Si perſeverandum eſt ei inter nos, advocandi etiam ſunt cæteri, qui in Curia noſtra procurant, & admiſcendi nobiſcum. Non eſt irroganda hæc injuria tot Regibus, Principibus, & Rebuſpublicis, ut eorum Procuratores ſegregentur a nobis. Sciant & illi ſecreta noſtra, ut hic ſcit: revelent ea ſuis, ut iſte revelat: jam nihil ſit, quod his oſtiis teneatur concluſum: inter cubiculum, & forum, nullum habeatur diſcrimen.* Porro laudat deinde Papienſis Guillelmum Cardinalem Rothomagenſem Hoſtienſem Epiſcopum, quod rogatus a Carolo VII. Galliæ Rege Ludovici XI. Patre (cujus negotia memoratus Cardinalis Atrebatenſis gerebat) ut Legatus una cum cæteris, quos ad præſtandam Calliſto Papæ III. obedientiam mittebat Romam, venire non gravaretur: *Prudentiſſimus Vir, cui notum erat officium ſuum, onus quamquam a Magno Rege impoſitum recuſavit, malens dignitati propriæ, quam alterius gratiæ inſervire. Noverat enim, nec debere, nec ſolitum eſſe Cardinalem, niſi pro Romano Pontifice, Legationem accipere. Et certe modeſtiſſimus Rex id indigne non tulit; ſed mittens alios, quos elegerat Oratores, inter cetera mandata, quæ dedit, hoc eſſe voluit primum: Ut quicquid acturi, quicquid dicturi eſſent, ad Cardinalem referrent, ejuſque conſilio, & ſuffragio in omnibus uterentur.*



CXIV. Rurſus, ut idem memoratus Auctor refert, Fridericus Romanorum Imperator petens a Nicolan Cardinale S. Petri ad Vincula, in Germania tunc agente, ut Legatus ſuus Conventui Ratiſponenſi intereſſet, ob cauſam Fidei, intereſſe noluit, reſpondens, *ſi id ſibi non concederet Pontifex, nullo modo licere, neque antea Imperatori aſſenſit, quam ſcriptum eſt Nicolao V. & conceſſio impetrata.* Addit tum alia Papienſis, ſed audiamus quid paulo poſt ſubjicit: *Nil vilius eſt,* inquit, *procurationis officio: nihil contemtibilius. Nihil etiam Cardinali indignius, qui adeo ad eam Dignitatem aſſumitur, ut in Senatu Apoſtolico ſedens, non quid alii petant, quid ſupplicent, quid contendant, quid litigent, anxio labore procuret; ſed quid univerſali Eccleſiæ conveniens, atque utile ſit, libere conſulat; Conſiſtorii enim locus conſilii eſt, non contentionis &c.* Plura alia eandem in rem expreſſit quidem Papienſis in aliis Epiſtolis ſuis. Sed ut ea hic omittam, ex Epiſtolis Oſſati Cardinalis lxx. & clxiv. perſpicue declaratur, quam vehementer cuperet Clemens Papa VIII. non ſolum, ut nepotes ſui, ſed ut omnes prorſus abſtinerent a quibuſcumque Principum penſionibus; quam hoc impulſu Pontificis abhorrerent Cardinales ab iis accipiendis; denique, quam ſedulo caveret Pontifex, neque Collegio Cardinalium adjungeret, niſi qui abſolutus eſſet, & liber ab obſequiis Principum, nec antiquius quidquam haberet, quam libertatem Eccleſiæ; quamquam non arceret Clemens a Sacra Purpura eos, qui avito more a Summis Principibus nominarentur.

*Cardinales, ut ſe gerere erga ſuos Titulos debent.*

CXV. Pergit Leo Pontifex in eadem Conſtitutione, & mandat Cardinalibus, ut *Tituli ſui loca, ſi præſentes in Curia fuerint, perſonaliter, ſi vero abſentes, per Vicarium idoneum ſemel ſaltem ſingulis annis viſitent &c.* Tituli dicebantur Eccleſiæ, quibus deſerviendis ordinabantur Presbyteri, itaut in eis ſtabilitatis promiſſionem facere tenerentur, & ab eis recedere minime ipſis liceret. Juxta veterem diſciplinam, quam fuſe enarravimus noſtris I. & II. Tomis Romani Pontificalis, & Tomo I. Conciliorum in Commentario ad Canonem vi. Chalcedonenſem in ipſis Presby-

ſbyterorum, & Diaconorum, aut Subdiaconorum Ordinationibus ab Epiſcopis Ordinatoribus nominati ſunt Tituli, quibus Ordinandi adſcriberentur, ut colligitur ex Sacramentario S. Gregorii Papæ ab eruditiſſimo Ugone Menardo Notis illuſtrato. Huc ſpectat, quod ait Anaſtaſius in Vita S. Evariſti Papæ: *Hic*, inquit, *Titulos in Urbe Roma diviſit Presbyteris*. Eodem teſte Anaſtaſio S. Marcellus Papa *xxv. Titulos in Urbe Roma conſtituit, quaſi Diœceſes propter Baptiſmum, & pœnitentiam multorum, qui convertebantur ex Paganis, & propter ſepulturas Martyrum*. Item de S. Silveſtro Papa refert, quod *hic fecit in Urbe Roma Eccleſiam in prædio cujuſdam Presbyteri ſui, qui cognominabatur Equitias, quem Titulum Romanum conſtituit*. Et ut alios omittam, de S. Damaſo ait, quod *hic conſtituit Titulum in Urbe Roma, ſcilicet Baſilicam, quam ipſe conſtruxit &c.* Fuſe de iiſdem diſſerunt inter alios Viri eruditiſſimi Franciſcus Romanæ Aulæ Præſul Blanchinius, & ejus nepos Joſeph Presbyter in Notis ad Anaſtaſium. Quanta porro ſit laudati Joſephi eruditio in Antiquitatibus Eccleſiaſticis, fidem facit luculentiſſimum Opus ejus inſigne, quod inſcripſit, *Evangeliarium Quatruplex*, Mœcenati ſuo optimo dedicatum Joanni V. Luſitaniæ Regi.

CXVI. Cur Eccleſia Tituli nomine a veteribus Chriſtianis donata ſit, variæ ſunt Auctorum ſententiæ, quas recenſet Dufreſne in Gloſſario, verbo, *Titulus*. Baronius anno CXII. a Titulis Fiſcalibus deſumtam hanc appellationem putat, quorum appoſitione rem aliquam ſibi Fiſcus vindicare ſolebat: *Titulum Crucis* fuiſſe ait, quo appoſito res ſacra cenſebatur, quod pluribus obſervat in ſuis ad Romanum Martyrologium Notis die XXVI. Julii. Alii a Titulis, ſeu Sepulchris Martyrum, vel Confeſſorum in Ædibus ſacris reconditis, nam Titulum Sepulcri dixit & Juvenalis Satyra VIII.

...... *Titulum decorari Sepulcri*.

Vetus Epitaphium Trevirenſe apud Browerum ad Annales Trevirenſes, in quibus & alia Chriſtianorum Epitaphia deſcribit, ſic habet: *Hic requieſcit Dardanius, qui vixit annos xxxv. Apronius frater Titulum poſuit in pace*. Alii denique, quod Ædi ſacræ veſtibulis Sancti, cui dedicata erat, Nomen inſcriberetur, ſeu quod eo titularetur, Titulos dictas Eccleſias volunt. Ceterum quæ fuerit origo Titulorum, qua de cauſa, ſeu occaſione erecti ſuerint; an idem initio fuerit Titulus, & Eccleſia, ut plerique ſentiunt; an aliquod diſcrimen interceſſerit, ut mavult Florentinius Exercitatione XI. in vetuſtius Martyrologium, nimis operoſum foret hic diligentius examinare. Plura de his curioſus Lector inveniet apud memoratos Blanchinios, & apud eumdem Florentinium citatis locis, atque apud illos, qui de Titulis, & Eccleſiis Urbis ſcripſerunt.

CXVII. Quod ſpectat Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, reſidentiæ nexu vinciebantur & iſti, cum ſub Titulo, ſeu Eccleſia quapiam Romanæ Civitatis ordinati fuiſſent, eique conſecrati. Auſteriſſimæ Canonum Cenſuræ ſpecimen edidit Leo IV. Pontifex in Anaſtaſium Presbyterum Cardinalem, qui annos quinque abfuerat Eccleſia ſua, quamquam illum Pontifex crebris monitionibus excitaſſet, interpoſitis etiam tribus Epiſcopis, ut ſuæ redderet ſe ſe Eccleſiæ, ejuſque functionibus, cujus miniſterio devinctus Ordinatione ipſa ſua fuiſſet. Agitata eſt ea cauſa in Concilio Romano anni DCCCLIII. in quo Pontifex Leo IV. ita diſſeruit: *Anaſtaſius Presbyter Cardinis noſtri, quem nos in Titulo B. Marcelli Martyris, atque Pontificis ordinavimus, contra Statuta Patrum, propriam Eccleſiam deſerens, ecce jam per quinquennarii tempus in alienis Parochiis velut ovis errans habitare præſumpſit. Quem etiam auctoritate Apoſtolica, Apoſtolicis Litteris per tertiam, & quartam vicem vocavimus ... ad quem tres venerabiles Epiſcopos noſtros cum vocationis Litteris deſtinavimus.* Promulgata eſt tandem a Concilio Depoſitionis ſententia in Anaſtaſium Cardinalem, cujus jam tum eminentem valde fuiſſe dignitatem, vel ex hujus ipſius Judicii, & damnationis pompa colligitur. Quod per tres Epiſcopos citatus ſit, argumento id eſt, eminentiſſimæ dignitatis, uti obſervat Thomaſſinus, Parte II. *Diſciplinæ*, Lib. III. Cap. XXXII. Num. V. ubi etiam notat, hinc forſan Anaſtaſium ſuperbiendi occaſionem ſumſiſſe, qui moleſte ferebat, eadem ſe cum reliquis Eccleſiæ Parochis lege teneri, ut qui Parochus eſſet Eccleſiæ Urbis. Adeo non ergo Cardinalium Eccleſiæ Romanæ dignitas illos a reſidentiæ vinculo abſolvebat, ut ex adverſo ſua ipſos Eccleſiæ alicui Ordinatio adſtringeret, in qua reſiderent, & Divino, ſeu Presbyteri, ſeu Diaconi miniſterio incumberent. Sane relata eſt ea Depoſitionis ſententia in Capite II. *De Clericis non reſidentibus*, in quod varia ſcitu digna adnotavit Fagnanus.

CXVIII. Liquet autem & illud ex recitatis ſuperius verbis Conſtitutionis a Leone Papa editæ, habere Cardinales in ſuis Titulis quaſi Epiſcopalem juriſdictionem. Quod tamen novum non eſt; conſtat enim, vel olim Romanæ Urbis Presbyteros Cardinales, itemque Diaconos Cardinales in Titulis ſuis, & in Capellis ſubjectis, Epiſcopali, aut quaſi Epiſcopali uſos fuiſſe juriſdictione, adeo ut non modo viſitandi, ſed & interdicendi, & excommunicandi etiam poteſtatem haberent. Porro Eugenius III. qui claruit ſeculo XII. teſtis eſt antiquæ hujus Diſciplinæ, ubi in Epiſtola ſua IV. & V. ad Clerum Romanum, & ad Archipresbyterum S. Marci ſcripſit, ut priſtinæ unitati redderet Eccleſias omnes particulares & Capellanos omnes cogeret obedientiam profiteri, ac ſpondere Presbytero Cardinali, priſco more: *Hoc effecit humani generis inimicus per Arnaldum ſchiſmaticum, quaſi per membrum proprium, ut quidam Capellani unitatem Eccleſiæ dividentes, Cardinalibus, atque Archipresbyteris ſuis obedientiam, & reverentiam promittere, & exhibere debitam contradicant*. Tum poſtea ſubjicit: *Mandamus, ut ſecundum antiquam & rationabilem conſuetudinem veſtræ Eccleſiæ, obedientiam promittere nullatenus contradicant*. Quiſnam fuerit is Arnaldus de Brixia, qui Romanæ Urbi intulerat ſchiſmaticam contumaciam, & id genus Presbyteros omnes infanda rebellione in ſuos Archipresbyterosi concitaverit, diximus ſupra Tomo III. Concilorum in Commentario ad Canonem XXIII. Concilii II. Œcumenici Lateranenſis.

CXIX. Eadem Diſciplina, quam enarramus, magis magiſque perſpicua fit ex Diplomate Honorii III. qui claruit Seculo XIII. Is comperto, parum religioſe obtemperatum eſſe Eugenii III. mandatis, iterum ſanxit, ut Presbyteri, Clericique Capellarum Presbytero Cardinali S. Lau-

rentii

rentii in Damaſo ſubditarum, ei obedirent, & ſicubi a jugo obedientiæ reſilirent Canonicis ab eo pœuis ſubjicierentur, Interdictis, Suſpenſionibus, & Excommunicatiouibus vibratis. Extat Reſcriptum Honorii iu Capite, *His quæ, De majoritate, & obedientia*, ad G. Presbyterum Cardinalem, & ad Capitulum S. Laurentii in Damaſo datum, ubi ita inquit: *Sententiando decrevimus, ut earundem Capellarum Presbyteri, & Clerici, Cardinali, qui nunc eſt in ipſa Eccleſia, & qui fuerint per tempora, manualem obedientiam, & reverentiam, & honorificentiam omnem exhibeant; & ad Eccleſiam ipſam pro Scrutinio, Baptiſmo, & Capitulo celebrandis conveniant temporibus conſuetis, correctionem ipſius Cardinalis recipientes humiliter, & Excommunicationis, Interdicti, Suſpenſionis ſententias, quas tulerit in eos, & Eccleſias eorundem, inviolabiliter obſervantes*. Servat ſibi Pontifex integram poteſtatem decernendarum iſtiuſmodi pœnarum, cum vacua fuerit ipſa S. Laurentii in Damaſo Eccleſia: *Quando autem Eccleſia ipſa Cardinali vacabit, Capellani, & Clerici memorati eidem Eccleſiæ reverenter exhibeant omnia ſupradicta, excepto quod de correctione, & Excommunicatione, & Suſpenſione ipſarum pro bono pacis, noſtræ providentiæ reſervamus*.

CXX. Jam non deſunt alia veterum Pontificum Romanorum Diplomata, quæ nobis ſubminiſtrent exempla effuſioris Parochorum etiam aliarum Urbium ad excommunicandos non ſolum Laicos, ſed & Clericos juriſdictionis. Reſcripſit Alexander III. ad Epiſcopum Florentinum, ut ſervari curaret Interdicta, & Excommunicationes, quæ juſtis, Canonicisque ex cauſis Parochi fulminaſſent. Relatum eſt Reſcriptum in Cap. *Cum ad Eccleſiarum, De Officio Judicis Ordinarii*, ubi ita inquit: *Mandamus quatenus ſi quando Plebanus S. Petri in Clericos, vel Laicos Parœcianos ſuos Interdicti, vel Excommunicationis ſententiam rationabiliter tulerit, ipſam facias inviolabiliter obſervari, & eam ſine congrua ſatisfactione, & abſque ejuſdem Plebani conſcientia non relaxet*. Ægre ferebat, ut ſuſpicari licet, Epiſcopus hic Florentinus Cenſuras a Parochis intentatas ſervari; at Pontifex non novum jus condit, ſed quod in uſu erat, confirmat, labantemque firmat Parochorum auctoritatem, a qua tandem, quod ea non ſemel abuterentur, ſicuti & aliis privilegiis ſuæ poteſtatis, penitus exciderunt. Remanſit autem ea poteſtas penes Cardinales Romanæ Urbis, qui cum Primitivi ſint Parochi Titulorum ſuorum, ſive Parochiarum, præſcripta utuntur Juriſdictione Epiſcopali, quæ quidem nititur laudato Capite, *His quæ, De majoritate & obedientia*, aliiſque Romanorum Pontificum Conſtitutionibus, ac ſacræ Congregationis Concilii Decretis, ideoque, inquit Fagnanus alios citans in dicto Capite, *His quæ*, Cardinalis Urbis Vicarius non cognoſcit de cauſis ſub Titulis Cardinalium.

CXXI. Procedit autem hæc Concluſio non ſolum in Cardinalibus Presbyteris, ſed etiam in Diaconis, ut nimirum, ſicut illi in ſuis Titulis, ita & hi in ſuis Diaconiis quaſi Epiſcopalem juriſdictionem habeant, uti expreſſum eſt in Conſtitutione Sixti Papæ V. quæ incipit, *Religioſa*, edita Idibus Aprilis anni MDLXXXIX. ubi in principio ſic legitur: *Præter ſex Epiſcopos Cardinales, qui certis Cathedralibus Urbi finitimis præſunt, ſingulis Presbyteris, & Diaconis Cardinalibus propriæ in Urbe Eccleſiæ, Tituli videlicet, & Diaconiæ cum ſuis Clero, & Populo, ac quaſi Epiſcopali Juriſdictione in ſpiritualibus & temporalibus regendæ, & adminiſtrandæ committantur*. Hinc tametſi Gregorius XIII. edixerit, ſe nolle, ut ea quæ Epiſcopis conceſſa ſunt a Concilio Tridentino, competant Cardinalibus in ſuis Titulis, eo quod licet habeant quaſi Epiſcopalem juriſdictionem, ibi tamen vere & proprie non ſunt Epiſcopi; nihilominus extra facultates a Concilio conceſſas ſalva manet juriſdictio Cardinalium in ſuis Titulis ad præſcriptum memorati Capitis, *His quæ, De majoritate & obedientia*, ut ex ſacræ Congregationis Concilii Sententia plenius tradit Fagnanus in Cap. *Ne pro dilatione*, XVI. *De pœnitentiis, & remiſſionibus*. Cardinales itaque in ſuis Titulis, Diaconiis, & in Capellis ſubjectis jus habent corrigendi, & excommunicandi, Suſpenſionis, & Interdicti ſententias vibrandi, uti ex dicto Capite probatum eſt, ac præterea viſitandi jus habent in ſuis Titulis, ſicut Epiſcopi in ſuis Epiſcopatibus, ut tradit Joannes Franciſcus Pavinus, *De Viſitatione*, Parte I. Quæſtione II. Num. XXVI. expreſſumque eſt in citata Leonis Papæ X. Conſtitutione, quam inter alios memoratus Fagnanus recenſet in toties citato Cap. *His, quæ*. Ubi obiter illud notandum, Eccleſiam ipſam S. Laurentii in Damaſo, quæ Titulus erat Presbyteri Cardinalis, conceſſam fuiſſe atque aſſignatam Vicecancellario pro tempore exiſtenti, ut refertur in præcitata Bulla Sixti V. ubi etiam diſponitur, ut alius præterea Titulus ultra numerum præfinitum additus ſit, ut ſi quando contingat, Diaconum, vel Epiſcopum, Vicecancellarium eſſe, & ideo eundem Eccleſiæ ipſi S. Laurentii præeſſe, alicui Presbytero Cardinali proprius Titulus non deſit.

CXXII. Hoc obiter notato, cautum eſt illud ex ipſa Leonis X. Conſtitutione, ut Cardinales ipſi *Clericos, & populos Eccleſiarum Titulo ſuo ſubjectarum cum diligentia inquirant, vigilentque circa cultum divinum, & bona dictarum Eccleſiarum, moreſque in primis, & vitam Clericorum, & Parochianorum ſolerter explorent, eoſque omnes, & ſingulos ad recte, honeſteque vivendum paterno moneant affectu*. Teſte Alvaro Pelagio, Lib. I. *De Planctu Eccleſiæ*, Cap. XVI. *quum primum fuerunt Cardinales in Romana Eccleſia inſtituti, pauperculi erant Romæ in ſuis Titulis habitantes; & eorum, qui erant Epiſcopi, Epiſcopatus in reditibus tenues, & exiles, ſicut hodierna die apparet in eorum Titulis Romæ*. Claruit is Auctor initio ſeculi XIV. Cardinales Presbyteros olim Romæ Parochorum munus in Titulis ſuis exercuiſſe, Auctores paſſim docent, qui de Cardinalibus ſcripſere, præſertim vero Clariſſimus Joannes Marangonus Oratorii noſtri S. Hieronymi Charitatis Presbyter in Opere quod inſcriptum eſt, *Theſaurus Parochorum*. Veterem diſciplinam ſequutus noſtro hoc ſeculo Religioſiſſimus S. R. E. Cardinalis Thomaſius Titulum ſuum S. Martini in Montibus frequentabat, ad eumque diebus præſertim Dominicis pergebat poſt meridiem, ut ibidem pueros puellaſque Chriſtianæ Doctrinæ rudimenta, ut Parochorum eſt munus, edoceret. Rem narrat in ejus Vita Berninus.

CXXIII. Sed ut redeamus nunc ad ea, quæ ſuperius dicebamus, poſſunt Cardinales in ſuis Titu-

Titulis non modo uti Inſigniis Pontificalibus, ſed & ſolemnem benedictionem impertiri more Epiſcoporum, licet Epiſcopi non ſint, ut notant Hoſtienſis, & Joannes Andreas in Cap. I. *De ſupplenda negligentia Prælatorum*. Sane elapſo ſeculo cum orta eſſet Quæſtio, an facultas in propria Eccleſia Cardinali Diacono competeret impartiendi ſolemnem, ac Pontificalem Benedictionem ſub Throno elato Pontificali more, affirmativa prodiit Reſolutio, ſcripſitque ſuper hac re, eleganter ac erudite, ſicut & de Capellis privatis Cardinalium, Cardinalis Brancatus Diſſertatione I. & VII. ejuſque Reſolutionis meminit inter alios Cardinalis de Luca Parte II. Relationis Romanæ Curiæ, Diſcurſu V. Num. XXX. Nuper vero Henricus Benedictus Eboracenſium Dux a Regnante Pontifice BENEDICTO XIV. ad Cardinalatum promotus die III. Julii anni MDCCXLVII. licet nondum Sacris eſſet initiatus, ubi tamen poſſeſſionem cepit Tituli ſui S. Mariæ in Porticu, ſolemnem & ipſe ac Pontificalem Pontificali more Benedictionem populo impertiit. Item poſſunt ſuis ſubditis, & familiaribus primam Tonſuram & minores Ordines conferre, dummodo tamen ſint Sacerdotali charactere inſigniti, alias ſecus, uti ex allegatis ſacris Canonibus docet citato loco Fagnanus varios Canoniſtas citans, addenſque, ea quæ Ordinis Epiſcopalis ſunt, haud poſſe Cardinales exercere, niſi ſint Epiſcopi; ſicut nec iis uti facultatibus, quæ a Concilio Tridentino tributæ ſunt Epiſcopis in ſuis Civitatibus, & Diœceſibus, & ſpecialiter illis, quæ comprehenduntur Seſſione XXIV. Capite VI. Sed & de hac Quæſtione videri idem Fagnanus poteſt in Cap. *Ne pro dilatione, De pœnitentiis, & remiſſionibus*.

CXXIV. Mandat præterea Leo X. in ſua Conſtitutione de Cardinalibus, ut *pro augmento divini cultus, & ſalute animæ ſuæ, quilibet Cardinalis vel in vita donet, vel in mortis articulo relinquat ſuo Titulo quantum ſit ſatis ad Presbyterum unum commode ibi ſuſtentandum; vel ſi Eccleſia indigeat reparatione, vel alia ſubventione, tantum illi relinquat, vel donet, quantum conſcientiæ ſuæ videbitur*. Quanta fuerit veterum Cardinalium munificentia erga Titulos ſuos Cardinalitios, ſatis nos docent eorum ornatum, ac ſacrarum ſupellectilium memoriæ, quæ adhuc ſuperſunt. Liberariores quippe in Eccleſias tunc erant, quod facultatem tunc minime haberent teſtandi pro ſuo ipſorum arbitrio de rebus etiam contemplatione Eccleſiæ acquiſitis. Quicquid ſit, noviſſime BENEDICTUS XIV. feliciter Regnans in ea Conſtitutione, quam edidit die XXII. Aprilis anni MDCCXLIX. circa Indulta Cardinalium teſtandi, & diſponendi de ſacris ſupellectilibus, citans Conſtitutionem Leonis Papæ X. in hoc Concilio V. Lateranenſi pro Cardinalibus editam, quam nos in præſentia enarramus, eoſdem vehementer hortatur, ut in diſpoſitione Capellæ ſuæ privatæ, ſacræque ſupellectilis, quæ alias olim, uti dictum eſt, ex veteri conſuetudine, & Pontificum Conſtitutionibus ad Sacrarium Apoſtolicum poſt ipſorum Cardinalium obitum pertinebat rationem haberent Eccleſiarum illarum, *quarum Titulum, ac regimen in ipſo Cardinalatus ordine obtinuerint, quæ etiam in ſancta Synodo Lateranenſi V. impenſe ipſis commendatæ fuerunt, ut videre eſt in Cap. II. Bullæ ſuper Reformatione Curiæ a recolendæ memoriæ Prædeceſſore pariter noſtro Leone Papa X. in ipſius Synodi Seſſione IX. promulgatæ*. Ita BENEDICTUS XIV. in laudata ſua Conſtitutione, *De Indultis Cardinalium &c.* quæ incipit, *Inter arduas*.

*De præpoſtero Cardinalium erga propinquos affectu.*

CXXV. Rurſus, quod minime deceat, *affines & conſanguineos præſertim benemeritos, & ope indigentes negligere, ſed illis providere, juſtum, & laudabile ſit; non propterea tamen Beneficiorum multitudine, vel Eccleſiaſticis reditibus ita eos impleri convenire arbitramur*, inquit in citata Conſtitutione Leo X. *ut ceteri damnum ex hujuſmodi largitionis intemperantia patiantur, & inde ſcandalum naſcatur*. Nihil vel in Sacris Canonibus, vel in Scriptis Patrum, vel in Summorum Pontificum Oraculis uſitatius, quam res Eccleſiæ dici *vota Fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum*. De hac Patrum, & Eccleſiæ ſenſu teſtis eſt Julianus Pomerius Libro II. *De Vita contemplativa*, Capite XXXIX. ubi poſtquam narravit, quomodo S. Paulinus Epiſcopus Nolanus, & S. Hilarius Arelatenſis Epiſcopus omnia ſua contemſiſſent, & pauperibus erogaſſent, antequam ad Epiſcopatum venirent, ita infert: *Unde datur intelligi, quod tanti, ac tales Viri, qui volunt fieri Chriſti Diſcipuli, renuntiaverunt omnibus, quæ haberent, non ut poſſeſſores, ſed ut procuratores facultates Eccleſiæ poſſidebant; & iccirco ſcientes, nihil aliud eſſe res Eccleſiæ, niſi vota Fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum, non eas vendicarunt in uſus ſuos, ut proprias, ſed ut commendatas pauperibus diviſerunt*. Atque hæc definitio tanquam nota, & ex traditione Patrum recepta, tempore Caroli Magni, ejuſque Succeſſorum ſupponebatur, uti ex eorum Capitularibus addiſcimus, ac præſertim Libro I. Capite LXXVII. & Lib. V. Cap. CVIII. & in Additione III. Cap. I. Editionis Baluzianæ, ubi leguntur hæc verba relata a Gratiano, Cap. LVIII. Cauſa XVI. Quæſtione I. *Quia juxta Sanctorum Patrum traditionem novimus, res Eccleſiæ vota eſſe Fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum &c.*

CXXVI. Longum eſſet velle hoc loco innumera pene Patrum, Synodorum, & Pontificum loca referre ad confutandos Caſuiſtas molles, Beneficiariorum adulatores, qui minime veriti ſunt Concluſiones typis mandare, quibus perperam aſſerebant, Beneficiarios, neque ex juſtitia, neque ex charitate reditus Eccleſiaſticos ſuperfluos teneri impendere in uſus pios, & in alimoniam pauperum. Sat porro eſt luculentiſſima ea in re Tridentini Concilii Decreta notare, quibus Decretum hujus V. Lateranenſis Concilii egregie explicatur. Ergo Tridentini Patres Seſſione XXV. *De reformatione*, Cap. I. Epiſcopis interdixere, nequid ſacrorum redituum in proximos ſinerent derivari, allegato etiam Apoſtolico Canone, qui re quavis adeſſe illis vetat, niſi egeant, & pro ipſo egeſtatis ſuæ modo; illos denique monuere, ut carnis ſe & ſanguinis affectibus prorſus ſpoliarent, cum ex ea vena corruptelæ innumerabiles in Eccleſiam jamdiu exundent: *Omnino vero eis interdicit, ne ex reditibus Eccleſiæ conſanguineos, familiareſve ſuos augere ſtudeant; cum & Apoſtolorum Canones prohibeant, ne res Eccleſiaſticas, quæ Dei ſunt, conſanguineis donent; ſed, ſi pauperes ſint, iis ut pauperibus diſtribuant: eas autem non diſtrahant, nec diſſipent illorum cauſa; imo, quammaxime poteſt, eos*

*San-*

*Sancta Synodus monet, ut omnem bumanum bunc erga fratres nepotes, propinquoſque carnis affectum, unde multorum malorum in Eccleſia ſeminarium extat, penitus deponant.* Ab Epiſcopis ad reliquos Beneficiarios pergit, ut & hi eidem obtemperare legi conentur; tum vero Decretum ad Cardinales ipſos extendit Concilium, ut qui principem obtineant locum in conſiliis Pontificis, & in adminiſtratione Eccleſiæ Univerſalis, & quorum proinde in moribus eniteſcere debeat omnium forma virtutum, atque earum maxime, quibus Clerici a terrenis affectibus expediuntur: *Sed & ad Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales pertinere decernit, quorum conſilio apud Sanctiſſimum Romanum Pontificem cum univerſalis Eccleſiæ adminiſtratio nitatur, nefas videri poteſt, non iis etiam virtutum inſignibus, ac vivendi diſciplina eos fulgere, quæ merito omniam in ſe oculos convertat.*

CXXVII. Præſtat nunc audire præclariſſimum Eccleſiæ Lumen, atque Doctorem S. Thomam Aquinatem, cujus doctrina magis, magiſque explicantur recitata Conciliorum, hujus v. Lateranenſis, & Tridentini Decreta. Patrimonii bona ſegregat S. Doctor in ſua Secunda Secundæ, Quæſtione CLXXXV. Articulo VII. quorum dominium, & tota poteſtas penes Beneficiarios eſt, ab Eccleſiæ rebus, quarum non ſunt, niſi diſpenſatores: *Sed Eccleſiaſticorum bonorum ſunt diſpenſatores, vel procuratores.* Segregantur rurſus ab illo bona Eccleſiæ, ante eorum partitionem inter Clericos, pauperes, & reparationes, ab ea portione, quæ poſt eam celebratam partitionem ſingulis obvenit Beneficiariis. His notatis, cum cardo ejus Quæſtionis, an Epiſcopi, ceterique Beneficiarii proximos donare poſſint rebus ex Eccleſiaſticis proventibus coemtis, vel pecuniis ipſis, in hac maxime parte vertatur rerum Eccleſiæ cuique Beneficiario adſignata, de ea quoque potiſſimum expiſcanda nobis eſt memorati Angelici Doctoris ſententia, quam nonnulli Theologi perperam aliquando interpretati ſunt, ut nimirum Beneficiariorum genio inſervirent, qui carni, & ſanguini plus nimio addicti, proventibus Eccleſiaſticis Palatia ædificant, atque ameniſſimas Villas, & Feuda coemunt pro cognatis ſuis, qui alias nati erant in paupere domo, & tugurio ruſticano, ut phraſi utar S. Hieronymi in Epiſtola ad Nepotianum, *De vita Clericorum, & Sacerdotum*, quam nos peculiari opella Notis illuſtravimus, Clericorum tironum gratia.

CXXVIII. Quod propoſitam Quæſtionem ſpectat, & doctrinam S. Thomæ Aquinatis, quam egregie dilucidat doctiſſimus Thomaſſinus Parte III. *Diſciplinæ*, Lib. II. Cap. XLVI. primum quidem videri poteſt ille ejus portionis dominium Clericis adſignare, ut arbitratu ſuo eam diſpenſent: *De bis autem, quæ ſunt ſpecialiter ſuo uſui deputata, videtur eſſe eadem ratio, quæ eſt de propriis bonis, ut ſcilicet propter immoderatum affectum, & uſum, peccet quidem, ſi immoderata ſibi retineat, & aliis non ſubveniat, ſicut requirit debitum charitatis.* Sed in ipſis verbis patet graviſſime peccari contra charitatis legem, ſi bonorum quis ſuperflua in pauperes non effundat, moderato ipſe victu, & ornatu contentus. Si nec ipſe autem Beneficiarius iis niſi moderate uti poſſit, nec proximis ergo, niſi egentibus, atque ut egentibus impartiri poterit. Idque rurſum paulo poſt conceptis verbis pronunciat S. Doctor: *Dicendum quod bona Eccleſiarum non ſint ſolum expendenda in uſus pauperum, ſed etiam in alios uſus, ut dictum eſt. Et ideo ſi de eo, quod uſui Epiſcopi, vel alicujus Clerici eſt deputatum, velit aliquis ſibi ſubtrahere, & conſanguineos, vel aliis dare, non peccat, dummodo illud faciat moderate, ideſt, ut non indigeant, non autem, ut ditiores fiant. Unde Ambroſius dicit in Libro,* De Officiis, *Hæc eſt approbanda liberalitas, ut proximos ſeminis tui non deſpicias, ſi egere cognoſcas; non tamen ut illos ditiores fieri velis ex eo quod tu potes conferre inopibus.*

CXXIX. Rectiſſime ſubjicit Thomaſſinus loco citato, non videre ſe quid vel luminis, vel roboris tam præſtanti accedere poſſit doctrinæ. Agitur enim ibi de pecuniis parſimonia Clerici accumulatis ex proventu Beneficii, vel ejus portionis rerum Eccleſiæ, quæ ipſi ſigillatim aſſignata eſt ſejunctim ab aliis communis menſæ partionibus, quæ pauperibus, quæ fabricis Eccleſiæ vindicantur. Et diſerte definitur, non poſſe citra culpam quidquam inde in proximos defluere, niſi egeant; & ne ſic quidem defluere poſſe, niſi ut egeſtate non laborent. Atque huic Sancti Thomæ doctrinæ videntur adhæſiſſe Concilia ipſa memorata Œcumenica Lateranenſe v. & Tridentinum, ac deinde variæ Synodi Provinciales, inter quas Remenſis anni MDLXXXIII. Titulo, *De Epiſcopis*, Cap. VIII. præcipit Epiſcopis ipſis, & Beneficiariis omnibus, nequid rerum, vel proventuum Eccleſiæ propinquis impertiant, niſi pauperes ſint, & levandæ tantum paupertati: *Caveant diligentiſſime, ne de Eccleſiæ bonis, propinquorum facultates augeant, niſi ad eorum levandam inopiam, ſi penuria laborent.* Cui geminum eſt & illud Concilii Burdigalenſis eodem anno Decretum, quod extat Titulo XVI. *Sciant*, inquit, *omnino eis interdictum, ne ex reditibus Eccleſiæ, qui Dei proprii ſunt, conſanguineos, familiareſque ſuos locupletiores efficiant, cum id Apoſtolorum Canonibus adverſetur. Si tamen illi rerum penuria premuntur, iis ut pauperibus quæ neceſſaria videbuntur, diſtribuant, dummodo nihil ipſorum cauſa diſſipent, & diſtrahant.*

CXXX. Itaque ex dictis hactenus liquet, non omnem communicationem facultatum a Beneficiario conſanguineis factam, iis eſſe obnoxiam diris, & verborum fulminibus, quibus uſi ſunt ſæpe Patres, & Sacri Eccleſiæ Doctores, ſanique Theologi. Si cognati enim Beneficiarii ſint pauperes, non debet Beneficiarius viſcera ſua ſuper eos claudere; imo dignum, ac juſtum eſt, ut eis præſertim benefaciat, & illis potiſſimum, qui benemeriti ſunt, & ope indigent, ut ait Leo X. in citata Conſtitutione; ne ſcilicet, dum vult eſſe juſtus multum, illam in ſe Apoſtoli cenſuram devocet, *Siquis ſuorum, & maxime domeſticorum curam non babet, fidem negavit, & eſt infideli deterior.* Multa in hanc rem adducit quidem Raynaudus, & Patrum teſtimonia, & exempla in ſua Lucubratione, quam inſcripſit, *Mala e bonis Eccleſiæ*, Lib. II. Sectione III. Cap. v. Sed nequeo tamen improbare exempla alia, quæ in contrarium afferri poſſunt. Certe tam nullo erat loco, nulloque pretio apud Adrianum Papam VI. proximitas in diſpenſatione Beneficiorum, ut etiam ubi paria erant ultro citroque meritorum momenta, extraneum proximo anteponeret teſte Panvinio in ejus Vita, ubi ita inquit: *Quinimo etiam in paribus dotibus alienorum potius, quam ſuo-*

Digitized by Google

*ſuorum rationem habiturus videbatur*. Cum proximorum ejus non pauci Romam advolaſſent ſpe illecti Beneficiorum ineuntis Pontificatus, pedites quamprimum omnes remiſit, vix etiam veſte ſingulis donata, & quantula opus erat ad iter pecunia. Copioſe de his Paulus Jovius, e quo paucula hæc nefas eſt præterire: *Alios quoque, nec remoto affinitatis gradu neceſſarios, qui ſpe celſioris fortunæ e Germania pedibus Romam venerant, mirum in modum increpavit, donatiſque ſingulis ſagis lineis, & frugi viatico, pedibus ſimiliter in Patriam redire juſſit*. Narrat & hæc Rainaldus ad annum MDXXIII. ubi Adrianum laudat, qui etiam minime diſſimulabat, ſuperiorum Pontificum in proximos largitates, detrimenti immane quantum attuliſſe: *Quarum rerum, teſtimonio ſuperiorum Pontificum, profuſam ergo propinquos liberalitatem uti gravem, & Reipublicæ pernicioſam deteſtari ſolitus erat*.

CXXXI. Permirum illud in hoc Pontifice videri poſſet, quod ubi æqua lance pendebantur merita, extraneos proximis præferret. Verum, uti laudatus Thomaſſinus citato loco, Numero XIV. obſervat, in eam virtutis præſtantiam præiverat illi, & longo ex intervallo B. Richardus Ciceſtrenſis in Anglia Epiſcopus, de quo Auctor ejus Vitæ apud Surium die III. Aprilis, ita ſcribit: *Conſanguineos ſuos etiam maturos, & habiles ad Beneficia Ecclesiaſtica admittere noluit ulla ratione, ſciens, Paſtorum Principem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum non Beato Joanni Evangeliſtæ ipſius Cognato, ſed Beato Petro ſanguine illi minime conjuncto Regni Cælorum Claves tradidiſſe*. Sed ut alia Romanorum Pontificum recentium exempla referam, de Marcello II. Pontifice Maximo narrat ad annum MDLV. Spondanus, cognatorum neminem Romam proficiſci paſſum eſſe, ne fratrem quidem; dum Cardinalitia tantum emineret Purpura, duos fratris filios Romæ ſecum habuiſſe, curaviſſeque inſtituendos; ad Pontificatus autem ſummi apicem evectum, nec in conſpectum ſuum illos venire paſſum fuiſſe, nec honoribus ullis coli; percuntantibuſque nonnullis, an in Palatio eos habitare vellet, abrupte, ſanctiſſimeque reſpondiſſe: *Quid illis cum Palatio? Eorumne id patrimonium eſt?* Puto equidem, omnium præſtantiſſimum eſſe exemplum recens, atque omnium oculis patens, quod cernimus in Regnante Summo Pontifice BENEDICTO XIV. qui annum Pontificatus x. agens minime paſſus eſt, nepotem ſuum filium ex ejus Fratre, vel Romam ſolum venire, ut illius pedes oſcularetur, tam alienus eſt a carne, & ſanguine, ut libere aſſerere queam, carnalium propinquitatum, affectuumque abdicationis incomparabile ſpecimen elucere quammaxime in BENEDICTO XIV. ut in eum ſcilicet & Cardinales, & Epiſcopi, & Beneficiarii omnes velut in ſpeculum, & ſanctiſſimæ Diſciplinæ exemplar oculos ſuos conjiciant.

CXXXII. Celeberrimo huic Pontifici Bononienſis Urbis Patricio, atque Antiſtiti Religioſiſſimo adjungere lubet alium ejuſdem Urbis Patricium, Epiſcopumque, S. R. E. Cardinalem B. Nicolaum Albergatum, qui, ut ait ejus Vitæ Auctor apud Ciaconium Tomo II. Vitarum Romanorum Pontificum, & Cardinalium, *ſuis, ideſt, ſibi conſanguinitate conjunctis nihil unquam ex bonis Eccleſiæ tradidit, aſſerens, diſpenſatorem ſe a Deo, non Dominum, aut largitorem eſſe conſtitutum, nec Eccleſiæ reditus ad familias Clericorum, aut Epiſcoporum locupletandas, ſed ad ſuſtentandas in primis egentium turmas eſſe conceſſos. Imo affinium ſuorum neminem ſecum domi eſſe volebat, perturbare eos dicens reliquam familiam, dum ſibi omnia deberi, ac patrimonium Chriſti ſuam eſſe putant, & ad Sanctuarium Dei hæreditate poſſidendum aſpirant*. Plura de hoc Religioſiſſimo S. R. E. Cardinale monumenta collegit, ediditque in lucem Vir apprime doctus, & raræ ſinceritatis Conſtantinus Roggerius inſigni Bibliothecæ Imperiali Præfectus, cujus opera ob egregiam ejuſdem probitatem, ac penitiorem rerum litterariarum notitiam, non modo complures S. R. E. Cardinales, ſed & ipſe Regnans Pontifex Maximus BENEDICTUS XIV. quammaxime utitur.

CXXXIII. Ceterum quamvis licitum Beneficiariis ſit, aliquid ex reditibus Eccleſiæ propinquis ſuis donare, ne ſcilicet egeſtate laborent; certum tamen illud eſt, quod ubi conſanguinei Beneficiariorum nec pauperes eſſent, nec tam humili conditione, ut probro, ac dedecori eſſe videantur Beneficiario, ſed tantum ex affectu carnis & ſanguinis ſuperfluis Beneficii reditibus a Beneficiario donentur, ultra fines donationum ſuſtentatione honeſta comprehenſarum, quod eſt punctum, in quo verſamur, ſic omnino dicendum eſt, graviter peccare Beneficiarium, reditus Beneficii in ſuos conferendo, nec ſecus agere, quam Gedeonem, cum de manubiis fecit Ephod, quod ipſi, & Domui ejus fuit in ruinam. Hanc eſſe vulgatiſſimam, & antiquiſſimam luem in Eccleſia Dei, pluribus oſtendit citato loco doctiſſimus Raynaudus, conſtatque, jam a tempore S. Ambroſii graſſatam eſſe, uti ex ejus Libro I. *De officiis*, Cap. XXX. addiſcimus. Vigere autem maxime hoc malum in Beneficiariis, qui ex infima ſorte evecti ſunt, & hanc ob cauſam Ludovicum Pium in multas ſe, & Imperium induxiſſe ærumnas, ſcribit Theganus in ejuſdem Imperatoris rebus geſtis, Num. XX. ubi valide, & fuſe conclamat adverſus hujuſmodi terræ filiorum elationem, & ſtudium provehendi ſuos, qua conjugiis cum nobilibus, qua aliis quibuſvis rationibus; additque Theganus, propinquos item ſortis anterioris immemores illico turgere, & efferri etiam ſupra eos, quibus prius non fuiſſent numerandi.

CXXXIV. Egregia plane non Thegani modo, quem utpote nobilem pupugit ea diſparium ſibi erectio, ſed etiam Alvari Pelagii Minoritæ, cujus nullo modo intererat, proſtat diſputatio Lib. II. *De Planctu Eccleſiæ*, Cap. XV. Quicquid autem nonnulli Theologi afferant, Beneficiariorum aſſentatores, & qui conſuunt pulvillos ſub omni cubito, & condunt cervicalia: eſſe grave peccatum, ſi Beneficiarius de talibus Beneficii ſui ſuperfluis conſanguineorum ſtatum mutet, eoſque ſupra terminos a Patribus, Sacris Canonibus, & ſanioribus Theologis fixos provehat, eſt communiſſima ſententia Doctorum, ac præſertim S. Thomæ Theologorum omnium Principis, quem uti Doctorem Angelicum veneratur Eccleſia, in Secunda Secundæ Quæſtione CXXXV. Articulo VII. eumque ſequuntur Cardinalis Turrecremata Libro II. *De Eccleſia*, Cap. XVI. Alphonſus Toſtatus Epiſcopus Abulenſis in Matthæum, Cap. VI. Quæſtione LXXIV. & LXXV. Hieronymus Platus in Tractatu, *De Cardinalis Dignita-*

*gnitate*, Cap. XXIV. & alii, quos idem Raynaudus recenſet, qui etiam eandem ſententiam, quam auctoritate Sanctorum Patrum, ac ratione comprobat, aperte haberi ait *ex definitionibus Eccleſiaſticis*. Sed & de his jam nos fuſe egimus in noſtris ad ſuperiores Synodos Commentariis, ubi ſe ſe dedit occaſio; tametſi ſciamus ſanctiſſima Conciliorum Decreta a multis carni & ſanguini addictis in ſuam ſuorumque animarum perniciem omnino contemni.

CXXXV. Sane & illud ſtatuit Leo X. *ut Eccleſiarum bona temere non effundant*, Beneficiarii, *ſed ea in piis & ſanctis operibus exponant, quorum cauſa magni & opimi reditus per Sanctos Patres ſtatuti, & ordinati fuerunt*. Idipſum paſſim Synodi omnes edicunt tum generales, tum particulares, Patreſque inculcant, ac Theologi etiam recentiores ſanæ mentis, qui contra Caſuiſtas molles, & Evangelii, ac Chriſtianæ Religionis deſtructores, certam illam propugnant S. Bernardi doctrinam, tum alibi in ejus Operibus paſſim, tum præſertim in Epiſtola II. ad juniorem Clericum expreſſam, quem ſerio monet, etſi poſſet de Altari vivere, ideſt, ex reditibus Eccleſiaſticis, non poſſe tamen luxuriari, & laſcivire veſtibus, pannis, equis, ſellis, alioque ejuſmodi vaniſſimæ ſuperfluitatis inſtrumento, imo nec citra rapinam, ac ſacrilegium poſſe in hæc effundi, quæ Deo in alimenta pauperum, ac præſertim orphanorum, viduarum, adoleſcentularumque periclitantium, dicata ſemel fuere: *Dignum eſt*, inquit, *ut qui Altario deſervit, de Altario vivat, non autem, ut de Altario luxurieris, ut de Altario ſuperbias, ut inde compares tibi fræna aurea, ſellas depictas, calcaria deargentata, varia, griſeaque pellicea, a collo & manibus ornatu purpureo diverſificata*. Notanda præſertim a Beneficiariis, & ab iis, qui eorum Confeſſiones excipiunt, quæ ſequuntur: *Denique quicquid præter neceſſarium victum, ac ſimplicem veſtitum de Altario retines, TUUM NON EST, RAPINA EST, SACRILEGIUM EST. Contenti ſimus veſtimentis, quibus operiamur, non quibus laſciviamus, non quibus mulierculis, vel ſimilari, vel placere ſtudeamus*.

CXXXVI. Merito haud dubie contremiſcent Clerici, & Beneficiarii, qui ſacris reditibus ad ſuam ipſorum voluptatem fruuntur, ſi ſerio perpendant ea S. Doctoris verba, ſive potius tonitrua, ac fulmina: *Quicquid præter neceſſarium victum, ac ſimplicem veſtitum de Altario retines, tuum non eſt, rapina eſt, ſacrilegium eſt*. Contremiſcere debent & hujuſmodi Beneficiariorum Præſules, qui illos videntes bona Eccleſiæ diſſipare, laſcivire veſtibus, pompiſque ſeculi, atque inſaniis, *quibus mulierculis, vel ſimilari, vel placere* ſtudent, non modo eos non corrigunt, nec a reditibus percipiendis ſuſpendunt, qui fomentum eiſdem præbent execrandæ iniquitatis, quinimo potius novis eiſdem proventibus cumulant, & dignitatibus; poſthabitis Viris doctis, ac piis, qui bona ipſa recte, ut Sacri Canones jubent, impenderent. Hujuſmodi Epiſcoporum abuſum pro ſua in univerſam Eccleſiam ſolicitudine Romani Pontifices Maximi jam iterum iterumque improbarunt; in multis nihilominus, & præſertim magnis Diœceſibus viget non ſine Chriſtiani populi ſcandalo ſummopere dolentis, bonis Eccleſiæ, quibus periclitantium puellarum virginitas ſervari debuerat, nonnullos Beneficiarios effrontes, impudicoſque non ſine ſacrilegii nota ad eam expugnandam abuti.

CXXXVII. Quamvis autem Beneficiariis improbis, ut vel ipſa Concilia teſtantur, Catholica Eccleſia abundavit, non defuerunt tamen Viri probi Eccleſiaſtici, ac præſertim S. R. E. Cardinales, tum noſtro hoc ævo, tum elapſis ſeculis, qui facultatibus Eccleſiæ juxta Conciliorum Decreta, ac Patrum oracula utebantur. Ut Cardinalem Thomaſium omittam, alioſque complures Cardinales recentiores, audiamus quid eam in rem ſcribat de B. Nicolao Albergato Cardinale, & Epiſcopo Bononienſi Auctor ejus Vitæ apud Ciaconium: *Facultates*, inquit, *Eccleſiaſticas juxta Sanctiones Canonicas ita diſtribuit, ut poſt moderatum illarum uſum, qui ſibi, ac ſuis ſufficeret, reliquum ſacris ædificiis reparandis, ſuſtentandis inopibus maxime puellis nubilibus, quæ dote carerent, collocandis impertiretur. Erat enim, ut jam diximus, in egenos, ac pauperes, Clericos præſertim beneficentiſſimus, neminemque ex illis a ſe vacuum, aut indonatum a ſe abire patiebatur*. Sed audi quid mox ſubjicit: *Nec ſatis illi erat, quod iis, qui ad illum ſtipem rogaturi ventitabant, larga manu ſuccurreret, aut confluentibus ad ipſum tanquam charitatis, & miſericordiæ fontem mendicis victum publice ſubminiſtraret, niſi etiam per Urbem aſſidue, & occulte perquiri faceret eos, qui egeſtatem paterentur, ac erubeſcerent, quos frumento, vel pecunia clanculum domum miſſa ab inopia ſublevabat*.

CXXXVIII. Præteriri hic demum ſine elogio non debet eximia erga puellas egentes Joannis Cardinalis Turrecrematæ Dominicani pietas, quippe qui, ut ait Auctor illius Vitæ apud eundem Ciaconium, Romæ in Æde S. Mariæ ſuper Minervam Ordinis Fratrum Prædicatorum *erexit Societatem ſub nomine Annunciatæ, cujus intereſt quotannis in Feſto Annunciationis Virginis puellas Romanas inopes certa pecuniæ quantitate nuptui tradere*. Additque mox, in Sacrario ejuſdem Eccleſiæ appoſitos, ut ferunt, ab ipſo Joanne Cardinale legi hos Verſus.

*Ne mala patrandis ſtupris, quod avara merendo*
*Forma puellaris ſæpe coegit inops.*
*Annua pauperibus ſtips eſt hic penſa viritim,*
*Doſque maritandis condita Virginibus.*
*Munus & officium ſancti celebrate Quirites,*
*Cum vicena venit Martia quinta dies.*
*Terreſtri ut cenſu Cæleſtia Regna paretis,*
*Pollicita & vobis centupla meſſis erit.*

Hæc Societas, quæ ab ipſo Cardinale Turrecremata originem ſumſit, ut idem Auctor narrat, in tantum aucta eſt, ut ſuccedente tempore Leo X. Pontifex, dum in minoribus eſſet, cum fere omnibus Cardinalibus illi adſcribi voluerit, Oliverio Carafa Cardinale Neapolitano Viro integerrimo ſuadente. Sic igitur aucta eſt maximis juribus, & proventibus, ut, cum ſuperioribus temporibus quadraginta, aut ad ſummum ſexaginta Virgines nuptui traderentur, nunc ducentis, & amplius Virginibus pauperibus dos præbeatur. Subſequuta enim eſt Urbani VII. Pontificis Maximi largiſſima donatio, qui totum ſuum patrimonium prædictæ Societati conceſſit, quare mirum in modum Societas crevit. Quod quidem divinum Opus laudato Joanni Cardinali Turrecrematæ tamquam Auctori, & primo Fundatori debetur.

CXXXIX. Jubet quoque in ea Conſtitutione Leo

Pon-

Digitized by Google

Pontifex Cardinalibus, *ut Eccleſiis ſibi commendatis, etiamſi Cathedrales, Abbatialeſve, aut Prioratus, vel quæcumque alia Beneficia Eccleſiaſtica fuerint, abſque omni prorſus excuſatione procurent, ac omni conatu ſuo provideant debite inſervire, Cathedralibus dignos, & idoneos Vicarios, ſeu Suffraganeos, prout conſuetudo fuerit, cum digna, & competenti mercede apponentes: reliquis autem ſibi commendatis Eccleſiis, aut Monaſteriis, de juſto Clericorum, vel Capellanorum, ſeu Religioſorum, aut Monachorum Deo ſufficienter & laudabiliter ſervientium numero providentes*. De Epiſcopatuum, & Abbatiarum Commendis hic non eſt opus fuſe diſſerere, quia ſcilicet non uno in loco jam ſupra de earum abuſu egimus. Legenda integra Epiſtola CMXLVII. Jacobi Cardinalis Papienſis ad Franciſcum Gonzagam Cardinalem Mantuanum data, & deſcripta a nobis Tomo I. Conciliorum in Commentario ad Canonem X. Chalcedonenſem, Num. IX. ubi inter alia ita invehitur in eum abuſum: *Quatuor, quinque, pluriumve Præſulum ſedes occupat unus. Cœnobiorum multorum Patres idem unus excludit*. Refellit in ea Epiſtola Auctor & ipſe Cardinalis ſuum pariter & Cardinalium ævi ſui abuſum, qui multis incubabant Epiſcopatuum, atque Abbatiarum Commendis.

CXL. Cardinales quonam primum tempore plurium Epiſcopatuum facti ſint Titulares, notavit Pagius in Vita Alexandri Papæ III. Num. XII. ubi hanc ejus rei originem refert. Conradus quidem Frater Ottonis Comitis Palatini, qui teſte Dodechino ad annum MCLXII. eodem anno conſtitutus ab Imperatore Epiſcopus Moguntinus, cum nollet conſentire Imperatori contra Alexandrum Papam anno MCLXV. in Galliam ad ipſum Pontificem feſtinus acceſſit, ut ad eum Chriſti annum refert Chronographus Reicheſpergenſis: *Electus Moguntiacenſis*, inquit, *Dominus Chonradus, qui ante obedientiam per ſe fecerat Alexandro, dum iret ad Limina S. Jacobi, ſolus fere de nocte de Curia fugiens propter juramentum, venit in Franciam ad Alexandrum, & ibi exulabat*. Hunc Conradum Alexander Preſbyterum Cardinalem Tituli S. Marcelli creavit, qui ideo primus videtur, quem ex Epiſcopo Presbyterum Cardinalem ſine controverſia dictum invenire ſe idem Pagius affirmat. Non multo poſt memoratus Pontifex Alexander III. eundem Conradum inſtituit Epiſcopum Sabinenſem retento Archiepiſcopatus Moguntinenſis Titulo. Tum quoque anno MCLXVII. teſte Joanne Ceccano in Chronico, eidem Epiſcopatum Soranum tunc in confinio Campaniæ ſitum, nunc in Provincia Terræ Laboris etiam conceſſit, abſque eo quod unquam Epiſcopatum Sabinenſem reliquerit, imo poſt Chriſtiani in Archiepiſcopatum Moguntinenſem intruſi mortem, in eundem Archiepiſcopatum reſtitutus fuit, retentis nihilominus Epiſcopatibus Sabinenſi, & Sorano, *ita ut novo, nec unquam antea audito, exemplo*, uti ſubdit Pagius, *fuerit primus Cardinalis plurium Epiſcopatuum Titularis*. Fuit is Conradus de Witelbaſch, e qua Familia hodierni Bavariæ Duces, & Palatini Rheni Comites originem ducunt, ut videre eſt in ejus Vita apud Ciaconium.

CXLI. Invaluit deinde abuſus, ut Cardinalibus ipſis, ſi non in Titulum jam in Commendam Epiſcopatus complures darentur, ut fidem faciunt Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Scriptores, Auctoreſque Vitarum S. R. E. Cardinalium. Agendæ autem Deo gratiæ, quod uſitatiſſimæ illæ, & pervagatiſſimæ Epiſcopatuum Commendæ, quibus velut torrente Viri etiam probi ante ſaluberrima Tridentini Concilii Decreta abripiebantur, ſaltem in noſtra Italia extinctæ penitus ſunt. Porro in eo abolendo abuſu præivit Concilio Tridentino Conſilium delectorum Cardinalium, & aliorum Prælatorum de emendanda Eccleſia juſſu Pauli Papæ III. conſcriptum, eique exhibitum anno MDXXXVIII. ſic inquiens: *Alius etiam abuſus invaluit, ut Reverendiſſimis Cardinalibus Epiſcopatus conferantur, ſeu commendentur, non unus tantum, ſed plures; quem Beatiſſime Pater, putamus magni eſſe momenti in Eccleſia Dei. Primo quidem, quia officium Cardinalatus, & officium Epiſcopi incompatibilia ſunt. Nam Cardinalis eſt aſſiſtere Sanctitati Tuæ pro gubernanda univerſali Eccleſia; officium autem Epiſcopi eſt paſcere gregem ſuum, quod præſtare bene, & ut debet, haud poteſt, niſi habitet cum ovibus ſuis, ut Paſtor cum grege. Præterea, Pater Sancte, hic uſus maxime obeſt exemplo. Quomodo namque hæc Sancta Sedes poterit dirigere, & corrigere aliorum abuſus, ſi in præcipuis membris abuſus non tollerentur? Nec ob id, quod Cardinales ſint, putamus, eis magis licere tranſgredi legem; imo longe minus. Horum enim vita debet eſſe aliis Lex; nec imitandi ſunt Phariſæi, qui dicunt, & non faciunt; ſed Chriſtus Salvator noſter, qui cœpit facere, & poſtea docere. Amplius hic uſus nocet in Conſultationibus Eccleſiæ; nam hæc licentia fomentum eſt avaritiæ. Ambiunt præterea Cardinales a Regibus, & Principibus Epiſcopatus, a quibus poſtea dependent, ne poſſint libere ſententiam dicere, imo ſi poſſent, & vellent, fallerentur tamen paſſione animi in judicando perturbati. Ideo utinam hic mos tolleretur, & providerentur Cardinalibus, ut poſſent honeſte pro dignitate vivere, omnibus æquales reditus: Quod putamus, facile fieri poſſe, ſi vellemus abjicere ſervitutem mammonæ, & Chriſto tantum ſervire*.

CXLII. Hactenus Conſilium illud Paulo III. Pontifici exhibitum. Ceterum quod ipſe abuſus tempore Lateranenſis hujus V. Synodi vigeret, in ſuo Decreto addit Leo Papa X. & mandat eiſdem Beneficiariis, ut *ædificia quoque, poſſeſſiones, & jura quæcumque in ſtatu convenienti conſervent, & diruta inſtaurent, ſicut ad bonorum Prælatorum & Commendatariorum officium ſpectat*. Conſtat plane, multos hodieque inveniri Commendatarios, Beneficiarioſque Decretum hoc floccipendere; integros enim percipere reditus volunt, nihilque impendere in ædificiorum, & Eccleſiarum inſtaurationem. Sed optandum ſaltem, ut Romani ipſi Pontifices Maximi, ubi ad eos recurritur, tantam Beneficiariorum ſocordiam, & fœdiſſimam avaritiam, qua Chriſtianus populus ſummopere ſcandalizatur, ſeveriſſime puniant. Neque enim decet, ut recurſus ea in re, quæ ad juriſdictionem ſpectat Eccleſiaſticam, fiat ad laicos Principes, ac Magiſtratus, & ipſi manus apponant.

*De Cardinalium Familia.*

CXLIII. Statuit etiam Leo Papa, *ut dicti Cardinales circa numerum familiarium quorumque ſuis impenſis alendorum, magna utantur circumſpectione, ac diligenti providentia, ne majorem numerum, quam ſua facultas, conditiove, aa digni-*

*diguitas patiantur, babeutes, luxus, ac prodigalitatis vitio notari poſſint*. Ahuſum iſtum, qui Leonis Papæ X. ævo graſſabatur, jam longe ante ipſum enarrat, deploratque Jacobus Cardinalis Papienſis in Epiſtola cxcii. ad Cardinalem Beſſarionem dictum Nicennm ſcripta, qua ediſſerit quantnm emolumenti cepiſſet a detrimento, qnod paſſus ſuerat permagnæ partis proventuum ſuorum Eccleſiaſticorum: *Didiei primum, moneute ſaperua bouitate, de ſtadio eolendoram Principum bono Cardinali remitteudum plurimum eſſe damuo animæ: noa procuraudu illorum carnalia deſideria: melias eſſe eonſidere in Domino, quam eouſidere iu bomine, & ſperare iu eo, qaam ſperare iu Prineipibus. Intellexi quoque, noſtris amieitiis uti illos ut uammo: non ad eburitatem, quæ raru in illa fortunu eſt, ſed quaſi ad mereatorium qaæſtum, ae taudiu baberi eas iu pretio, quaudiu præſeutem utilitatem miniſtraut,* Pergit, aliaque adnotat lectu digna, atque præſertim S. R. E. Cardinalibus ntiliſſima: *Sum quoqae admonitus, diſpeaſsuda juſtius eſſe, qaæ nobis proveniunt ex Altari; earui & ſuuguiai non itu profuſe indulgendum: Iu eomitatu quoqae alendo, eomparaudoque oruatu domeſtieo tam multa non iuſumeuda. Bona bæc uoſtra Altaribas uttributa, pretia peeeatorum eſſe, quibus redimi animas dautium pia eara oporteat, & luſtaurari Domum Orationis, & egeuos, vagoſque iu Demos uoſtras induei. Quæ eum nou fiuut, iraſei graviter Deum, & ſæpe buue exitum uegligentibus dare, quem ia me ipſo ſum proxime expertus, ut videlieet adminiſtrata male, etiam ſuo permiſſu dilabautur deterius*. Concludit tandem, & ſic inter alia ſubjicit: *Ocules igitur, qaos peeeatum elaaſerat, ne Saeerdotis viderem officium, ſuperveuieus pœna aperuit, ae juxta Iſaiæ Propbetæ verbam: Vexatio iatellectum dedit auditui*. Tum vero & hæc paulo inferius inquit: *Mibi jam ſatis ſit vivere, ſi uou eam vitum, quæ oeulis intuentium placeat, ut eam, quum Dominus udminiſtret: quietiorem eerte, & minus babentem moleſtiæ; noa enim poſſunt grandes familiæ noa oneri eſſe, utqae animum pluribus oeeupare*.

CXLIV. Prolixa eſt hæc eximii Cardinalis Papienſis Epiſtola ac variis docnmentis referta. Ex eo enim inopino inſortunio, quod paſſus fuerit, ait primo, inter alia addidiciſſe ſe, ut ne magnopere poſthac laboraret de comparanda Principum gratia, quæ tam levi, & nulla ſæpe cauſa excntitur. II. ut proventns ſacros melius erogaret, nec lis ditaret proximos, conſanguineoſque. III. ut modico apparatu, & famulitio contentus degeret, & Eccleſiæ reditus tractaret ut hoſtias Deo oblatas ad Altaris Templique cultum, & ad alimenta pauperum. IV. uſu proſano rernm ſacrarum, iram, & vindictam cæleſtem ſuccendi, ut iis merito exuamur. V. ut pluris faceret modicam familiam, & tranqnillam, qnam tumultuoſa ſervorum, & ſtipatorum agmina.. Saluberrima hæc documenta, qnæ & in ſacris Synndis, & apnd Patres, atque Theologos præſtantiſſimos paſſim legere eſt, jam erroris redargnunt nuperos quoſdam Caſniſtas aſſentatores, qui non veriti ſunt adoleſcentes Beneficlarios docere hanc propoſitionem veluti ex Jure Canonico, & palam in Conſeſu ſummorum Virorum defendere: *Clerici Beneſieiarii verum babeat redituum Eeeleſiaſticorum ſuperfluarum deminium, quos tamen neque ex ſtricta juſtitia, neque ex mera earitate, ſed ex ſpeeiali, & gravi Eceleſiæ praeepto iu pauperes, & iu pias cauſas erogare teneatur*.

CXLV. Qna fruge, qna modeſtia Beneficiarios eſſe oporteat in Familiarium, equorumque numero ſuſtentando, jam non uno in loco explicui ex Sanctornm Patrum teſtimoniis, & Synodorum Decretis. Pauca hic notabo ex innumeris, aureiſque Tractatibus, quos hanc in rem, & ad graſſantem vel noſtro hoc ævo abuſnm Auctores complures ernditiſſimi, ac zelantiſſimi conſcripſerunt. Sane damnavit S. Fulbertus Carnotenſis Epiſcopus invectum ab Anteceſſoribns ſuis morem tam nnmeroſæ alendæ Familiæ, ut jam hoſpitibus excipiendis, & alendis pauperibns copiæ non ſuppeterent, eiqus neceſſitati ſervire aliquandin ſaltem ipſummet compulſum ſuiſſe, ingenue ſatetur in Epiſtola ſua xc. ita inqniens: *Illud ægrius talerabam, quod res Eeeleſiæ ia ſuperflaorum domeſtieorum victualia ſic expeadere eompellebar ex prava eonſaetudine Prædeceſſorum meorum, ut offieium boſpitalitatis, & eleemoſynæ, ſieut mea intereſt, adminiſtrare nou poſſem*. Jam ſemel iterumqne conteſtatns eſt Sanctus Petrus Damiani, dolere ſe quammaxime, quod cum Epiſcopus proviſor eſſet pauperum, extranei diviteſqne cnm eo epulas frequentarent, deglutirentque opes pauperum ſuſtentationi olim conſecratas. Sic enim ſcribit Lib. 1. Epiſtola x. ad Pontificem: *Et eam Epiſcepus diſpeuſator, & premus, debeat eſſe pauperum, ad eoram meuſam afflaeutibus deliciis alieai ructant, & eum illi, quorum eſt tota ſubſtantia, proeul exeluſi, famis iuopia eontabeſeant*.

CXLVI. At vero, cum hic de Cardinalibus agamus, videſis ut ad Epiſcopos Cardinales ſcribat Lib. 11. Epiſtola cxii. *Non eouſtat*, ait, *Epiſeopatus in tarritis zebellinerum tranſmarinarumve ſerarum pileis, aon iu flammantibus martoram ſubmentalibas roſis, non in bractearum eireamfluentium phaleris, aoa denique iu glomeratis eonſtipaatiam militum cuaeis, neqae iu frementibus, ac ſpumautia fræna maadentibas eqais, ſed iu beneſtate morum, ae ſauctaram exereitatioae virtutam*. Probro illud vertit S. Bernardns Beneficiariis, quod non modo equos multos ſuſtentent, ſed & ipſos ſuperfluis, & perridicnlis onerent nrnamentis, cnm interim cibo, & veſtitu non adeſſent panperibus, quorum ſunt bona Eccleſiæ. Legenda ejus Epiſtola xlii. ad Henricum Senonenſem Archiepiſcnpum, ubi inter alia, has recenſet egennrum querelas adverſns Beneficiarios, qui ad ſuam ipſorum voluptatem Eccleſiaſticis reditibus abutuntur: *Clamaat vero uudi, elamaut ſameliei, eonqaeraatur, & dieaut: Dieite Poutifiees in fræno quid ſacit aurum? Numquid aurum a fræno rapellit frigus ſive eſuriem? Nobis frigore, & ſame laboraatibas quid couſerunt tot mutatoria, vel extenſa iu pertieis, vel plieata in manticis? Noſtrum eſt, qaod effunditis, nobis erudeliter ſubtrahitur, quod iuaniter expeuditis. Et nes enim Dei plaſmatio, & nos Sanguine Chriſti redemti ſumus. Nos ergo fratres veſtri. Videte quale ſit de fraterna portione paſcere oculos veſtros. Vita noſtra cedit vobis iu ſuperfluas eopias. Noſtris neceſſitatibus detrahitur quicquid aceedit vanitatibus veſtris. Duo denique mala prodeunt de una radiee eupiditatis dum & vos vanitaude peritis, & nos ſpoliaudo perimitis*.

CXLVII. Vix mihi tempero, quin & alias hic referam miſerabilium querelas, quas idem Bernardus recenſet, & quæ ad rem noſtram quam maxime ſpectant: *Jumenta gradiuntur onuſta gemmis, & noſtra non curatis crura nuda caligulis? Anuli, catenulæ, tintinnabula, & clavatæ quædam corrigiæ, multaque talia tam ſpecioſa coloribus, quam ponderibus pretioſa, mulorum dependent cervicibus: Fratrum autem lateribus nec ſemicinctia miſerantes appoſitis? Huc accedit, quod hæc omnia nec proprio manuum exercitio vobis laboraſtis, ſed nec jure hæreditario poſſidetis, niſi forte & vos in corde veſtro dixeritis:* Hæreditate poſſideamus Sanctuarium Dei. *Et hæc pauperes,* ſubdit S. Doctor, *modo quidem coram Deo tantum, cui corda loquuntur. Nec enim audent aperte cauſari adverſum vos, quibus interim pro ſua vita neceſſe habent potius ſupplicare. Ceterum in futuro, ſtabunt in magna conſtantia adverſus eos, qui ſe anguſtiaverunt, ſtante quippe pro eis Patre orphanorum, & Judice viduarum. Ipſius enim tunc vox erit.* Quandiu non feciſtis uni de his minimis meis, nec mihi feciſtis.

CXLVIII. Hinc quis non videat, quam juſtiores adverſus Epiſcopos, Beneficiariosque omnes Eccleſiæ opibus laſcivientes ad Chriſtum Judicem forent innumerarum pene adoleſcentularum querelæ, quæ ob indigentiam victus, veſtituſque coactæ ſunt noſtra hac tempeſtate pudicitiam ſuam proſtituere. Vellem plane a Theologis edoceri, ac præſertim ab iis, qui ſacramentales Epiſcoporum, & Beneficiariorum confeſſiones excipiunt, an tuti ii ſint, & a peccato læthali immunes, qui ſcientes, videnteſque tantam Chriſtianæ Religionis ruinam, bona Eccleſiæ in voluptatibus, ludis, equis, multoque famulitio, ac pompis ſeculi, inſaniiſque impendunt? Forte non deſunt ſacri homines, qui hæc rideant, qui Beneficiarios palpant, qui putant ſat eſſe Beneficiario, ſi Eccleſias ſuas ſupellectile donent, ſi marmorea Sacella erigant, ſi candelabra, ſtatuaſque argenteas Altaribus largiantur, ſi Miſſarum anniverſaria ſuis in Eccleſiis conſtituant. Pia opera hæc ſunt, non reprehendo, non abnuo. Sed ſervanda eſt potius periclitantium puellarum caſtitas Eccleſiæ opibus, quæ pauperum ſunt, &, ſi opus fuerit, conflatione etiam ſacrorum vaſorum juxta doctrinam, atque exempla Sanctorum Patrum, uti alias oſtenſum fuit. Ceterum non addubito, quin Epiſcopi, Beneficiariive, qui curam pupillorum, atque adoleſcentularum præſertim negligunt, rigidam Chriſto Judici rationem reddent, nihilque eiſdem proderit, quod neglectis pauperibus, ad quos, uti ſexcenties dictum eſt, bona Eccleſiæ pertinent, & relictis orphanis, Templa conſtruxerint, pretioſaque ſupellectile ornarint. Legendus inter alios S. Ambroſius Lib. II. *De officiis*, Cap. XXVIII.

CLXIX. Pergit Leo Pontifex, monetque Cardinales, *ne avari, ſordidique habeantur, ſi in magnis, & amplis reditibus, pauciſſimis victum præbeant, cum domus Cardinalium, patens hoſpitium, portuſque, ac refugium proborum, & doctorum maxime Virorum, & pauperum nobilium, honeſtarumque perſonarum eſſe debeat.* Frugalitate, & hoſpitalitate ornatur quidem vita omnium in commune Fidelium, at Epiſcopis, & Beneficiariis, ac potiſſimum S. R. E. Cardinalibus, ut fideles ſint diſpenſatores bonorum Eccleſiæ, Lex aliquanto ſtrictior incumbit, ut pauperes ſemper convivas habeant, vel tam parce ipſi veſcantur, ut conſtet, hanc eſſe pauperum menſam. Plura in hanc rem Decreta proſtant apud Gratianum Diſtinctione XLII, varioſque Canones recenſet, explicatque Thomaſſinus Parte III. *Diſciplinæ* Lib. III. Cap. XLVII. & ſeqq. Ut alia omittam, Turonenſis Provinciæ Concilium apud Redones habitum anno MCCLXXIII. in genere pronunciavit Can. II. bona Eccleſiæ omnia pauperum eſſe, Beneficiariorum ædes, & res hoſpitibus pauperibuſque communes eſſe debere: *Verum quia quicquid habent Clerici, domus eorum omnibus debent eſſe communes, per quam indecens videretur, ſi de bonis Eccleſiaſticis Chriſti pauperibus hoſpitalitas negaretur.* Hoſpitalitatis diſciplinam ſervatam fuiſſe a pleriſque Cardinalibus ſeculi præſertim XV. conſtat ex Ciaconio in eorum Vitis. Porro Dominicum Cardinalem Capranicam laudat Jacobus Cardinalis Papienſis in Epiſtola CLXXVIII. ad Paulum II. Pontificem Maximum, quod nempe ille ipſum Papienſem adoleſcentem *venientem in Curia hoſpitio accepit, egentem adjuvit, titulo ſecretariatus ſui ornavit, ad hancque Curialis diſciplinæ induſtriam rudem ignarumque formavit.*

CL. Hac plane in re præ ceteris ſummopere laudandus eſt Oliverius Cardinalis Caraſa Neapolitanus, quippe qui, ut teſtatur Auctor ejus Vitæ apud Ciaconium, Tomo II. Vitarum Pontificum & Cardinalium, piam liberalitatem nedum erga ſacra Loca exercuit, *verum etiam in homines extendit, ac præſertim in doctos Viros, & qui litterarum ſtudio operam navabant. Nullus enim fuit non Romæ tantum, & in Italia, ſed in univerſo fere Chriſtiano Orbe litterarum ſcientia, ac doctrina inſignis, aut diſcendi ſtudio incenſus adoleſcens, qui Oliverii beneficium, ac liberalitatem non ſit expertus, hos enim mirum in modum fovit, in ſuam Aulam excepit, dilexit, facilem ſe iis ſemper præbuit, quibus potuit modis favit, bonaque omnia, & commoda procuravit, ut merito ipſe non religione modo, ac pietate, ſed litteris quoque, ac liberalibus diſciplinis excultus, doctorum Virorum optimus Parens, ac Mæcenas eſſe videretur, ut plurimorum teſtimoniis compertum habemus. Scriptores enim ejus ætatis fere omnes Scripta, ac Libros, quos ediderunt, Oliverio nuncuparunt.* Refert mox Auctor varios Scriptores, & inter alios Auguſtinum Niphum Sueſſanum Philoſophum, ac Medicum ea ætate illuſtrem, qui librum, quem de noſtrarum calamitatum cauſis inſcripſit, eidemque Oliverio anno MDV. dedicavit, hæc inter alia de eo habet: *Tu unus, quem Litteratorum omnium conclamatu, ætatis noſtræ decus audio, vita, moribus, diſciplina non temere occurrebas: ad te omnes veluti ad ſaluberrimum portum confugiunt, eruditorum vox diverſa ſonat, ſed una eſt, quod tu verus omnium ſtudiorum Pater diceris; redditam, profecto redditam vetuſtatem te Præſide eſſe conclamant. Sed extra ſuſpicionem adulationis, quod de te ſentio dici poſſe vellem, dicerem, profecto dicerem, non eſſe veterum Patrum, quem vita, moribus, diſciplina non anteceſſeris.* Sed ut de aliorum Cardinalium munificentia erga bona ſtudia, eorumque cultores ſileam, vide quæ infra dicemus de Marcelli II. Papæ, cum nempe Cardinalis eſſet, familia,

milia, atque probis Viris hoſpitio exceptis.

CLI. Illuſtria hæc exempla quam maxime damnant ditiſſimos Beneficiarios, qui, poſthabitis Viris doctis, pauperibuſque, Muſicis, equis, canibus, feriſque beſtiis delectantur. Innumeri pene afferri in hunc abuſum Canones poſſent. Certe in Concilio Agathenſi anni DVI. Can. LV. vetiti ſunt Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi canes alere, aut aves, intentata contumacibus Suſpenſione, aut etiam Depoſitione. Erant nihilominus vel olim Epiſcopi qui canum voluptate abrepti ſuam inſaniam eo colore fucabant, & obumbrabant, quod fida canum cuſtodia ædes ſuæ egerent. Hos carpſit, confutavitque Concilium II. Matiſconenſe anni DLXXXV. Can. XIII. ubi ait, Epiſcopales ædes omnibus patere debere jure & officio hoſpitalitatis, nec canibus objiciendos hoſpites; unamque eſſe tutiſſimam & conſentaneam ædium Epiſcopalium cuſtodiam, Orationem, & Pſalmodiam, cui cum canibus, & avibus omnino non convenit: *Volumus*, ait Canon, *quod Epiſcopalis domus quæ ad hoc, Deo favente, inſtituta eſt, at ſine perſonarum acceptione omnes in hoſpitalitate recipiat, canes non habeat, ne forte qui in ea miſeriarum ſuarum levamen habere confidunt, dum infeſtorum canum morſibus laniantur, detrimentum verſa vice ſuorum ſuſtineant corporum. Cuſtodienda eſt igitur Epiſcopalis habitatio Hymnis, non latratibus, operibus bonis, non morſibus venenoſis. Ubi igitur Dei eſt aſſiduitas cantilenæ, monſtrum eſt, & dedecoris nota, canes ibi, vel accipitres habitare.* Sed de his alias fuſius.

CLII Monet autem inter alia Leo X. Pontifex Cardinales, ut *ſint circa modum & numerum tenendi prudentes, ac de familiarum qualitate in primis curioſi, ne ex alienis vitiis turpem ſibi contrahant infamiæ notam, vulgoque obloquendi, calumniandique juſtas præbeant occaſiones.* Huc facit quod de Familiaribus Papæ ſcripſit Lib. IV. *De Conſideratione* ad Eugenium III. Pontificem Bernardus Cap. V. *Intereſt gloriæ Sanctitatis tuæ, ut quos præ oculis habes, ita ordinati, ita ſint informati, quatenus totius honeſtatis, & ordinis, ipſi ſpeculum, ipſi ſint forma.* Tum vero infra: *Diſcant a te Coepiſcopi tui comatulos pueros, & comptos adoleſcentes ſecum non habere. Certe inter Mitratos diſcurrere calamiſtratos non decet.* De cura Cardinalium circa Familiarium vitam, & mores copioſe, ac docte inter alios agit eruditiſſimus Hieronymus Platus in Tractatu, *De Cardinalis Dignitate, & Officio*, Cap. XXIII. quem Additionibus, Notis, ac Diſſertationibus opportunis egregie illuſtravit, auxitque doctiſſimus, atque religioſiſſimus Archiepiſcopus Tyri Joannes Andreas Tria, & quarta editione donavit Romæ Typis Zempellianis anno MDCCXLVI. Cavendum quippe eſt, quam maxime S. R. E. Cardinalibus, ne homines improbos, rixoſos, obſcenos, adulatoreſque aulicos domi ſuæ alant, & ex eo ipſo alant, quod a Deo accipiunt, & præſertim ex proventibus Eccleſiaſticis, qui ſunt Deo conſecrati, & in pauperum uſus debent impendi juxta Patrum, & Synodorum doctrinam alias notatam.

CLIII. Hinc, ut ſcribit in Vita Marcelli II. Papæ Clariſſimus Petrus Pollidorus, num XIII. geſta ejus referens, cum Cardinalis eſſet, *quoniam negotiorum felicitatem non parum ex fida Miniſtrorum opera pendere noſcebat*, Marcellus Cardinalis Cervinus, *eos mature, atque opportune lectos adhibebat. In familiam propterea non temere quemquam adſciſcebat, illam neceſſariorum dumtaxat, & utilium locum appellans, eandem veluti ſpeculam animi, & morum Domini ſui eſſe dictitabat; tantumque intereſſe probos habere familiares, quantum honori, ac famæ ſuæ conſulere.* Sed neque omittenda, quæ idem Auctor de eodem Marcello in eandem rem ſubjicit, ita inquiens: *Ipſa Marcelli familia, quæ ſimillimam Domini referebat imaginem, magis magiſque illius pietatem, eruditionem, Catholicæque Eccleſiæ juvandæ ſtudium fovebat, & commendabat. Viros enim probos, doctiſſimoſque apud ſe habuit, quorum cauſa apud Italos juxta ac exteros, & meritis crevit, & nomine.* Hos inter a memorato Auctore ibidem numerantur Guillelmus Sirletus Calaber, poſtea S. R. E. Cardinalis; Petrus Æthiopus, nec litteris modo, ſed pietate, & Catholicæ Religionis ſtudio clarus; Victorius, qui Reatinus Epiſcopus obiit; Petrus Paulus Gualterius Aretinus non vulgari eruditione præditus, variis linguis ornatus; Nicolaus Phryſius Vir peracutus; Hieronymus Berardellus ingenii cultu, & doctrina præſtans; Angelus Maſſarellus Septempedanus a ſecretis Mareelli, vir pietate, ingenio, & doctrina notus, demum Theleſinus Epiſcopns, aliique.

CLIV. Multa id genus exempla occurrunt apud Ciaconium in Cardinalium Vitis cum Additionibus Victorelli, qui etiam de Innocentio Papa VI. in ejus Vita ita inquit: *Ubi ad Pontificatum fuit aſſumtus, ſtatim familiam ſuam ad certum numerum redegit, nec, niſi probatiſſimos Viros domi habere voluit; &, ut idem Cardinales efficerent, gravi juſſit edicto; dicebat enim, ſuam, & Eccleſiaſticorum omnium vitam, aliis exemplo eſſe debere.* Certe, ut docent S. Auguſtinus, S. Ambroſius, aliique Eccleſiæ Patres paſſim, domus Epiſcopi, & multo magis nos dicimus, S. R. E. Cardinalis, quaſi in ſpecula ponitur, & eſt magiſtra publicæ diſciplinæ, & quicquid in ea agitur, id omnes putant ſibi licere. Prudenter itaque S. Hieronymus Nepotiano, quem ad perfectam Clerici, ac Sacerdotis vitam inſtituit, inter alia & hoc monitum dedit: *Tales habeto ſocios, quorum contubernio non infameris. Si Lector, ſi Acolythus, ſi Pſaltes te ſequitur, non ornetur veſte, ſed moribus; nec calamiſtro criſpent comas, ſed pudicitiam habitu polliceantur.* Teſte Genuenſi in Manuali Paſtorum Cap. XXII. Num. IV. cujus locum deſcripſit laudatus Archiepiſcopus Tyri Joannes Andreas Tria in aureis ſuis Additionibus, & Notis ad Hieronymi Plati Tractatum, *De Cardinalis Dignitate, & Officio*, Cap. XXIII. §. I. Pag. 271. *Experimenta compertum eſt, quamplures Epiſcopos*, adde & Cardinales, *ſine eorum culpa, non modica infamia notatos fuiſſe propter domeſticos pravos, qui concubinas eorum ducebant ad domum Epiſcopi, & alii ſugillabant Epiſcopum.* His adde & aliud ejuſdem Genuenſis Monitum, Cap. XXII. §. XII. ut Prælatus ſcilicet *non permittat familiares tractare negotia, nec de eorum manibus recipere memorialia, quia ſolent pecunia corrumpi, & ſubditi quandoque ſolvunt pecuniam famulis, pro illis, quæ ab Epiſcopo gratis reciperent, ut experientia docet.*

CLV. Docet nos plane & illud experientia, eo nonnullos Prælatos, & quidem ſummos amoris

ſaſcino abreptos eſſe erga ſuos vel viliſſimos familiares, aurigas, & eos, qui equili ioſerviont, ut ii ſint viſi aliquando non modo nobilioribus aulicis, ſed & ipſi Prælato, Dominoque ſuo imperare. Hi ſunt qui protecti a Domino inſolentiores effecti non modo aulam, & domum ejus, ſed & cives impune perturbant, atque injuriis afficiunt. Optima certe eſt regula, quam tenebat B. Elzearios Comes, qui, uti in ejus Vita legimus apod Suriom ad diem XXVII. Septembris, adoo fuit ſeverus in diſciplina familiæ, ut aperte diceret, nolle ſe quemquam ſuo pane veſci, quem mortali peccato implicatum ſciret, idque exequebatur; ſtatim enim expellebat, quem cognorat turpe aliquid admiſiſſe. Multas etiam leges præſcripſerat, quas ab omnibus volebat ſervari, & hanc inter alias, ut omnes aulici, ac milites quoque, quos domi habebat, ſingulis hebdomadis peccata confeſſione expiarent; blaſphemias autem, imo vero ſacramenta leviter, ac temere pronunciata, oullo modo tolerabat; quin etiam ſanxerat, ne quiſquam aliquem offenderet, quod ſi faceret, ſtatim in gratiam ejus rediret, volebatque omnes in ſumma pace, & concordia degere. Fuit hic Elzearius Comes Ariani e Narbonenſi Gallia, ſive Provincia oriondus, obiitque anno MCCCXXIII.

CLVI. Omiſſis aliorum Principum ſecularium exemplis in ſua regenda familia, omnium optima eſt regula illa, & ab omnibus utique Cardinalibus curanda, quam docet S. R. E. Cardioalis, & Mediolanenſium Antiſtes, qui per Mediolanenſem Eccleſiam toti præluxit Orbi Sanctus Carolus Borromæus in celebri illa Epiſtola, quam ſcripſit Aodreæ Bathorio de Somlio Tranſilvano juveni, Stephani Poloniæ Regis Fratris Filio, & ejuſdem Regis apod Gregorium XIII. Papam Oratori, ab eodem Pootifice recens renunciato S. R. E. Cardinali, quaque ipſum inſtruit, ut ſatis ſuo officio faciat, ac divinæ vocationi reſpoodeat. Extat Epiſtola apud Ciacconium, Tomo IV. lo Vita ejuſdem Cardinalis Bathorii, ubi inter alia ita ad rem ooſtram ſcribit: *Curabis familiam caſtam, modeſtam, & piam habere, & conſervare. Caſtam quidem, ut non patiaris, inter domeſticos tuos quemquam vivere, cujus nedum impudica ſint facta, ſed cujus etiam non ſint verba, & mores admodum caſti. Habeaſque Dom: probatæ virtutis Viros, qui in banc rem invigilent, & qui te erebro de domeſticorum vita certiorem faciant. Modeſtia in cultu corporis, & verbis cernatur*. Pergit Sanctus Cardioalis, additque: *Itaque curabis, ut juramenta e familia tua abſint, turpes ſermones, ſeu viles joci, convitia, contumeliæ, & omnia verborum genera, quæ alios lædunt, inter tuos neque dici, neque audiri patiaris &c.* Legenda iotegra Epiſtola a Cardinalibus, referta enim eſt utilibus documentis non modo ad ſeipſos, & familiam ſuam bene regendam, ſed ad implenda omnia Cardinalatus officia.

CLVII. Abs re oon erit & ea hoc loco Cardioalibus S. R. E. in memoriam revocare, quæ longe aote S. Carolum, de cura Summi Pontificis circa familiam ſcripſit S. Bernardus Lib. IV. *De Conſideratione*, ad Eugenium III. unam enim eſſe ait eam curam inter reliquas curas totius Orbis Terrarum: *Sunt*, ait, *quæ te ignorare nolim, mores quorumque, & ſtudia. Non oportet ut vitia domus tuæ ultimus ſcias, quod quamplurimis novimus contigiſſe. Quapropter alius alia diſpenſet; de diſciplina tu provide: illud nemini credas; ſi inſolentior coram te, vel ſermo ſonuerit, vel babitus apparuerit, manus tua ſuper ejuſmodi, tu ulciſcere injuriam tuam. Impunitas auſum parit, auſus exceſſum. Domum Epiſcopi decet ſanctitudo, decet modeſtia, decet boneſtas, borum diſciplina cuſtos. Sacerdotes domeſtici, aut ceteris boneſtiores, aut fabula omnibus ſunt. In vultu, in babitu, in inceſſu illorum, qui circa te ſunt, nibil reſidere impudicum, nibil indecens patiaris*. Hæc Beroardus ad Eugenium Papam, ideoque & ad Cardinales dici poſſuot; oeque enim nos taoti ſumus, ut eoſdem docere valeamos.

CLVIII. Age ounc reliqua explicemus, quæ in ipſa de Cardinalibus Conſtitutione in hoc V. Lateranenſi Concilio Leo Pontifex mandat: *Et cum maxime providendum ſit*, inquit, *ut non ſolum coram Deo, cui primum placere debemus, ſed etiam coram bominibus opera noſtra probentur, ut ceteris exemplo ad imitandam poſſimus eſſe, ordinamus, ut quilibet Cardinalis ſe Domus, ac Familiæ ſuæ optimum Rectorem, Præfectumque oſtendat eſſe, tam circa ea, quæ extrinſeca omnibus apparent, quam quæ intus latent abſcondita*. Certe ioter alia Cardinalium munia illud potiſſimum eſt Summo Romano Pontifici aſſiſtere, & una cum ipſo univerſam Eccleſiam regere; atque hæc una ex cauſis eſt, ob quas Eugenius Papa IV. in Epiſtola ad Henricum Archiepiſcopum Cantuarienſem ſcribit, Cardinalium dignitatem præſtantiorem eſſe ceteris Dignitatibus Eccleſiaſticis: *Quis etiam non videat, Cardinalatus Dignitatem Archiepiſcopali eſſe majorem Dignitate, quia cum illa privatæ Patriæ præſit, iſta publicæ totius populi Chriſtiani; illa unam dumtaxat regit Eccleſiam, iſta cum Sede Apoſtolica univerſas*. Vel ob hanc itaque cauſam debet Cardinalis ſe domus, ac familiæ optimum Rectorem Præfectumque oſtendere. Nam alias, ut verbis utar Apoſtoli io Epiſtola I. ad Timotheum, Cap. III. *Siquis domui ſuæ præeſſe neſcit, quomodo Eccleſiæ Dei diligentiam babebit?*

CLIX. Itaque jubet Leo Pontifex, ut quiſque Cardinalium *babeat Sacerdotes, & Levitas boneſtis veſtimentis indutos; attenteque provideat, nequis in Familia ſua quoquo modo Beneficiatus, & in Sacris Ordinibus conſtitutus veſtes portet verſicolores, nec eo babitu utatur, qui Ordini Eccleſiaſtico parum conveniat.* De Clericali veſte jam fuſe, & oon uno io loco diximus ſopra in noſtris ad præcedentium Conciliorum Canones Commeotariis, itemque io illis, quibus Pontificale Romanom in tres Tomos diſtributum, & Cæremoniale Epiſcoporum in duos partitum, copioſe illuſtravimus. Quod hoc Leonis Papæ Decretum ſpectat, ſcitiſſime docet eruditiſſimus Platus in citato toties Tractatu, *De Cardinalis dignitate, & officio*, Capite vigeſimotertio, *decere omnino Cardinalem, ut ejus aſſeclæ, ſi non omnes, quod ipſe Borromæus faciebat*, ſcilicet Sanctus Carolus, *ſaltem magna ex parte Clericali babitu utantur; boc enim & gravitatem redolet, & illis ipſis quandam majoris modeſtiæ neceſſitatem imponit, & magis etiam convenit Cardinali.* Et rationem ſubjicit: *Ut enim dedeceret, ſi profano Principi Clerici multi famularentur, ſic etiam non video, cur non indecorum ſit, plures Laicos verſari in Eccleſiaſtici Principis comitatu.*

Duo

Digitized by Google

Duo ſunt, quæ hic admonenda cenſeo. I. cavendum Cardinalibus, ne ad viliora ſervitii munia, Clericorum opera, ac præſertim Sacerdotum utantur. Neque enim deceret, ut hi illis ad menſam inſervirent, aliaque infima miniſteria obirent. Porro laudatur inter alias ejus egregias virtutes Cardinalis Thomaſius, quippe qui, ut in illius Vita ſcribit Berninus, Caudatarium Presbyterum habere noluit, ſed ſimplicem Clericum in eo officio, quod dedecere Sacerdotem dicebat, adhibuit. Alterum eſt, ne ſibi famulari ſinant reſidentiæ vinculo adſtricti; idque nos docet exemplum ejuſdem Cardinalis Thomaſii, qui Clericum a ſuo famulatu dimiſit, ubi eum Canonicum eſſe agnovit; malentemque illum Canonicatui renunciare, ut Cardinali inſerviret, ſummopere objurgavit, quod Eccleſiæ ſervitium famulatui Cardinalis præferret. Narrat & hæc in ejuſdem Cardinalis Thomaſii Vita idem Berninus.

CLX. Lubet hoc loco, ubi de veſte & moribus eorum agimus, qui Cardinalibus famulantur, ac de cura iſtorum erga illos, alloquutionem referre, quam de eiſdem rebus Clemens Papa XI. non ſine elogio nominandus habuit in Conſiſtorio ſecreto die vi. Decembris anno Domini MDCCVI. ad Sacrum S.R.E. Cardinalium Collegium, ſic inquiens: *Enixe vobis potiſſimum commendamus, ut vigilem domeſticorum veſtrorum curam habeatis, quorum aliquando vitiis ipſa dominorum virtus obnubilatur. Illos proinde ita regite, ut in omnibus ſuis actibus nil, niſi grave, moderatum, ac Religione plenam præſeferant, ab iis porro, quos ex illis in ſortem Domini vocatos eſſe contigerit, exacte adeo, ac fideliter Sanctionem illam, quam pro veteri Clericalis habitus diſciplina inſtauranda, ac abuſibus, qui hac in re deplorandum in modum irrepſerunt, tollendis propediem evulgari curabimus, obſervari ſtudete*; ut per decentiam habitus extrinſeci (*Concilii Tridentini verbis loquimur*) morum honeſtatem intrinſecam oſtendant, aliiſque exemplo eſſe poſſint, ſicut decet Miniſtros Myſteriorum Dei. *Splendor veſter facit, Venerabiles Fratres, ut peccare ſine ſummo Reipublicæ detrimento, ac periculo non poſſitis. Ab iis quippe, quibus plus datum eſt, plus etiam requiretur*. Vos eſtis lux mundi, ac Civitas ſupra Montem poſita; *in quos ex univerſa Eccleſia Populi, tanquam in ſpeculum oculos ſuos conjiciunt; neceſſe eſt ergo, ut ex vobis habeant, quod imitentur*. Hactenus Clemens Papa XI. ad Cardinales, ex cujus aurea alloquutione addiſcimus, quod & libere aſſerit Platus loco citato, nempe, *nullam aptiorem, aut compendioſiorem eſſe ad hoc efficiendum viam, quam ſi Cardinalis ipſius exemplum præluceat in omni virtute. Nam & hoc efficacius ad movendum, & alioquin fruſtra in aliis inducere conabitur eam formam, a qua ipſius mores diſſideant; & quantum verbis, ac præceptis efficere ſtudebit, in ſuis tantum deſtruet factis.*

CLXI. Porro vetuit non modo Leo Papa, & ejus Synodus v. Lateranenſis, ne Cardinales in familia ſua haberent ullos vel Beneficiarios, vel Majores Clericos, qui veſte eſſent varii coloris, vel Presbyteros, quorum indumentum non ad humum uſque demitteretur; verum etiam ſtatuit, ut ſiquis Familiarium prædictorum contrafecerit, aut poſt tres menſes, legitima monitione præcedente, a publicatione ſuæ hujus Conſtitutionis hujuſmodi veſtes prohibitas geſtaverit, in excommunicationem incurrat: ſi vero intra tres alios menſes non ſe correxerit, a perceptione fructuum ex Beneficiis, quæ obtinet, ſuſpenſus intelligatur: quod ſi per alios ſex menſes in hujuſmodi pertinacia obſtinatus permanſerit, legitima ſimiliter monitione præcedente, Beneficiis omnibus, quæcumque habet, privatus ſit, & eſſe cenſeatur: eaque ſic vacantia a Sede Apoſtolica impetrari valeant. Quæ omnia & ſingula in cujuſque Romani Pontificis pro tempore exiſtentibus Familiaribus, & ſimiliter in omnibus aliis Clericis Beneficiatis, vel in Sacris Ordinibus conſtitutis locum habere voluit idem Leo Pontifex; *hoc uno tantum excepto, quod dicti noſtri*, ut inquit, *& Romani Pontificis Familiares, rubri coloris veſtimenta geſtare poſſint pro decentia, & conſuetudine Dignitatis Pontificalis*. Veſtes nondum nigras exigebant Synodi vel Seculi xv. cavebant ſolum, ne vel viridis, vel rubei, vel albi coloris eſſent, ut pluribus docet eruditiſſimus Thomaſſinus Parte 1. *Diſciplinæ*, Lib. II. Cap. LI. Sed de hac re jam nos fuſe diſſeruimus Tomo 1. Cæremonialis Epiſcoporum.

CLXII. Quæ huc uſque circa ſupellectilis, & menſæ, famulitiique modeſtiam Cardinalibus præſcripſit Leo Pontifex, providit mox, ut hæc locum etiam habeant in Ædibus, famulitioque Summi Pontificis: *Quæ omnia*, inquit, *& ſingula in noſtris, & cujuſcumque Romani Pontificis pro tempore exiſtentibus familiaribus, & ſimiliter in omnibus aliis Clericis Beneficiatis, vel in Sacris Ordinibus conſtitutis, ac etiam Curialibus locum habere volumus: hoc uno tantum excepto, quod dicti noſtri, & Romani Pontificis familiares, rubri coloris veſtimenta geſtare poſſint pro decentia, & conſuetudine Dignitatis Pontificalis*. Dicet quiſpiam, fruſtra a Leone Papa, & a Concilio Lateranenſi legem futuris Summis Pontificibus imponi, cum par in parem non habeat imperium. Verum, ut ſcite notat Cabaſſutius in ſua Notitia Conciliorum ad hunc locum Seſſionis IX. Lateranenſis v. Concilii, duplex eſt diſtinguenda poteſtas, coactiva ſcilicet, & directiva; prima connotat imperium, & ex parte decernentis requirit juriſdictionem, atque auctoritatem: ſecunda vero circa bonos mores, & congruentem diſciplinæ ordinem, habet locum etiam inter pares; imo & congruit nonnunquam inferiori erga Superiorem prudens admonitio, & fraterna diſcretaque correctio. Itaque poteſtate directiva poteſt uti erga Summos Pontifices legitima Synodus, & vivens Pontifex erga Succeſſores; non vero poteſtate coactiva, qualem aliquando voluit indebite, temereque ſibi aſſumere Concilium Baſileenſe adverſus Eugenium IV. Pontificem Maximum.

CLXIII. Præter recitatum Lateranenſis hujus v. Concilii Decretum circa Summi Pontificis officium, proferri & alia ſimilia poſſunt tum antiquiora, tum recentiora. Nam primo quidem Romana III. ſub Symmacho Papa Synodus relata in Can. *Non liceat*, Cauſa XII. Quæſtione II. ſic decernit: *Non liceat Papæ prædium Eccleſiæ alienare aliquo modo pro aliqua neceſſitate, nec in uſumfructum prædia dare, niſi tantummodo domos, quæ in quibuslibet Urbibus non modica impenſa ſuſtentantur. Liceat etiam quibuslibet Eccleſiaſticis perſonis contradicere, & eum fractibus alienata repoſcere. Quod non modo in Apoſtolica ſervandum eſt Eccleſia, verum etiam uni-*

ver-

*verſis Eccleſiis per Provincias*. Præterea S. Gregorius Papa in Romano Coocilio, quod ipſe commemorat Lib. IV. Epiſtola LXXXVIII. ſtatuit, ne impoſterum Romani Epiſcopi pueros ſeculares ad miniſteria cubiculi, ſed ſolum Clericos electos, aut Monachos admittant. Item Generale IV. Lateranenſe Concilium Canone XXXVII. ſanxit, per Apoſtolicas Litteras non poſſe quemquam trahi ultra extra ſuam Diœceſim ad aliquod judicium. Rurſus Tridentina Synodus Seſſione XIV. *De reformatione*, Cap. XIX. uſum abolet Mandatorum Apoſtolicorum de providendo, & expectativarum a ſuprema Sede manantiom. Seſſione quoque XXV. Cap. IX. §. *Inſuper*, prohibet fieri auctoritate Apoſtolica uniones Beneficiorum liberorum ad Beneficia Juriſpatronatos, vetatque hujuſmodi conceſſionum executiones, ſi poſthac ab Apoſtolica Sede indulgeantur, etiam cum expreſſa clauſula hujus Conſtitutionis derogatoria. Et ibidem Cap. XI. reprobat, fierique prohibet etiam Apoſtolicæ Sedis auctoritate alia tria conceſſionum ibi expreſſarum genera.

LXIV. Licet enim Princeps ſit ſolutus Legibus civilibus, debet tamen ſecundum Leges vivere, ut docet Textus in Lege *Princeps*, ff. *De Legibus*. Id quod etiam confirmat S. Gregorius Papa, ubi Lib. V. Epiſtola CXII. ita inquit: *Juſtitiæ, & rationis ordo ſuadet, ut qui ſua a Succeſſoribus deſiderat mandata ſervari, Deceſſoris ſui procul dubio voluntatem, & ſtatuta cuſtodiat.* Idemque Lib. XII. Epiſtola XXXI. ait: *Si ea deſtruerem, quæ Anteceſſores noſtri ſtatuerunt, non conſtructor, ſed everſor eſſe juſte comprobarer*. Summa vero horum ratio, ut ſubjicit laudatus Cabaſſutius, ducitor ex primario Summi Pontificis officio, quod verſatur circa exactum Eccleſiæ ſibi commiſſæ regimen, perfectionem, & diſciplinam, cujus rationem rigidam, exactiſſimamque Chriſto Judici redditurus eſt: *Atque utinam & Pontificum, & quorumcumque Principum auribus hæc ſalubria monita potius ingerantur, quam aſſentationes, quibus inducuntur ad commiſſæ ſibi divinitus auctoritatis abuſum, & ad propriarum animarum æternum exitium*. Ita Cabaſſutius loco citato.

*De officio Cardinalium circa Fidei inquiſitionem, & de ejus origine.*

LXV. His itaqoe explicatis, devenio ad alias Conſtitutionis partes, qnam de Cardinalibus Leo edidit: *Et quoniam*, inquit, *ad Cardinales maxime ſpectat operum optimorum cura, pro viribus laborabant ſcire, quæ Regiones hæreſibus, erroribuſque, ac ſuperſtitionibus contra veram, & orthodoxam Fidem infectæ ſint; & ubi Divinorum mandatorum Eccleſiaſtica deficiat diſciplina, quique Reges, ac Principes, ſeu Populi bellis infeſtentur, vel infeſtari timeant. Hæc, & hujuſmodi ſcire, ac Nobis, & Romano Pontifici referre operam dabunt; ut opportuna, & ſalutaria talibus malis, ac peſtibus remedia vigilanti ſtudio excogitari valeant*. Cardinales juxta antiquam Romanæ Eccleſiæ diſciplinam, quam deinde etiam probavit Concilium Tridentinum Seſſione XXIV. *De reformatione*, Cap. I. *ex omnibus Chriſtianitatis Nationibus* eligi ſoliti erant; quia ſcilicet ipſorum conſilio, & opera negotia non modo Eccleſiæ Romanæ, ſed & univerſalis expediebantur. Hinc eſt, quod de Cardinalibus loquens S. Bernardus Lib. IV. *De Conſideratione*, ad Eugenium Papam III. inter alia inquit: *An non eligendi de toto Orbe Orbem judicaturi?* Cum ergo S. R. E. Cardioales ex univerſo Chriſtiano Orbe deligerentur, merito eiſdem Leo Papa X. in hac Conſtitutione id onus impoſoit, ut quæ Regiones, & loca hæreſibus, errorihus, ac ſuperſtitionibus contra veram, & Catholicam Fidem eſſent infecta, inqoirerent, & perſcrutarentur, Romanoque Pontifici referrent.

LXVI. Sed, ot ejns rei nriginem altius repetamus, teſtes ſunt varii Auctores, Epiſcopos quidem per XII. Secula fuiſſe Fidei inquiſitores, juſſoſque vi officii ſui in hæreticos invigilare; Innocentium vero III. Pontificem Maximum ineunte Seculo XIII. primum fuiſſe, qui aliquot Monachos Fidei Inquiſitores conſtituerit, Arnaldum nempe Abbatem Ciſtercienſem, Petrum de Caſtro-novo, & Radulphum Monachos Ciſtercienſes, qoos cum plena auctoritate procedendi miſit contra hæreſim Albigenſium in Provinciam Tolnſanam, eique adjacentes, ut patet ex Litteris ad ipſos datis die XXIX. Maji anni MCCIV. Verum cum iſti Legati parum, aut nihil proficerent, adco ut præ tædio injunctæ ſibi Legationi renuntiare intenderent, ut teſtatur Petrus Monachus Cœnobii Vallom-Gernay in Hiſtoria Albigenſium, Cap. III. idem Innocentius Papa III. anno MCCVI. in Provinciam ipſam Toloſanam pari auctoritate contra prædictos hæreticos miſit Didacum Epiſcopum Oxomenſem, una cum S. Dominico tunc ejuſdem Eccleſiæ Canonico, qui apud Montem Peſſulanum memoratis Monachis Ciſtercienſibus ſe adjunxerunt; tranlactoque biennio cum Epiſcopus ad Eccleſiam ſuam coactus fuiſſet reverti, S. Dominicus, ut felicius, atque efficacius operi huic incumbere poſſet, aliquot tunc Presbyteros ſeculares ſocios, & coadjutores ſibi adſcivit, quibus tandem circa annum MCCXV. ab Epiſcopo Tolnſano conceſſa fuit Eccleſia Sancti Romani in Civitate Toloſana cum omnibus proventibus, & juribus, ad quam Dominicus cum Sociis illis Presbyteris migravit, primaque ſui Ordinis, qui dicitur Prædicatorum, fundamenta jecit, quique anoo ſequenti ab Honorio III. confirmatus fuit.

CLXVII. Ergo S. Dominicus, ejuſque Socii, ac Fratres tanquam Fidei Inquiſitores quaquaverſum per Provincias diſcurrentes Prædicatione, miraculis, exercituque Cruceſignatorum adverſus hæreticos inſurrexere, eo felici ſucceſſu, ac zelo, ut Gregorius IX. qui alias in Toloſano Concilio per ejus Legatum, Romanum Sancti Angeli Diaconum Cardinalem anno MCCXXIX. habito totam auctoritatem procedendi in hæreticos Epiſcopis commiſerat, anoo MCCXXXI. quod forte Epiſcopi in eo negotio negligenter ſe gererent, Inquiſitionis Officium ſolis Fratribus Dominicanis, qui ad id Officii obeundum præcipue erant inſtituti, attribuit, datis ad Priorem Fratrum Ordinis Prædicatorum in Lombardia Litteris, quæ extant Tomo XI. Conciliorum Col. 335. Hæc plane origo fuit Sacræ Inquiſitionis, de qua plura videri poſſunt apud Cardioalem de Luca in Relatione Curiæ Romanæ Diſcurſu XIV. & apud Vaneſpen Parte I. *Juris Eccleſiaſtici univerſi*, Titulo XXII. Capite III. Porro, ut inter alios notat Jacobus Cohellius in Notitia Cardinalatus, Cap. XV. ubi agit de Sacra Inquiſitione, ſive de Sancto Officio, *antequam hæc inſtituta eſſet Congregatio* (nempe a Paulo Papa III. *non defuit Dominorum Cardinalium cura, & vigilantia,*

Digitized by Google

*lantia, quæ Regiones, & loca hæreſibus, erroribus, ac ſuperſtitionibus, contra veram, & orthodoxam Fidem inquireret, & perſcrutaretur, Romanoque Pontifici pro tempore exiſtenti referret, ut ſalutarem adhiberet medicinam. Quod ex Concilio Lateranenſi Leone X. ſedente confirmato innoteſcit*, in Conſtitutione ſcilicet de Cardinalibus, quam nos explicamus.

CLXVIII. Longe vero ante hoc Leonis Papæ Decretum, munus Cardinalium fuit, pro bono communi excubare, omnemque curam ſuam impendere præſertim adverſus hæreſes, uti nos docet S.Bernardus in Epiſtola ſua CLXXXVIII. ad Epiſcopos, & Cardinales Curiæ Romanæ contra Petrum Abailardum: *Nulli dubium*, inquit, *quin ad vos ſpecialiter ſpectet tollere ſcandala de Regno Dei, ſurgentes ſuccidere ſpinas, ſedare querelas*. Tum infra: *Legite, ſi placet Librum Petri Abailardi, quem dicit Theologiæ, ad manum eſt enim; cum ſicut gloriatur, a pluribus lectitetur in Curia, & videte qualia ibi de Sancta Trinitate dicantur, de Genitura Filii, de Proceſſione Spiritus Sancti, & alia innumera catholicis auribus, & mentibus diſſueta*. Enarrat alios ejuſdem Auctoris peſtiferos Libros, tandemque ita ad rem noſtram concludit: *Si quidem judicatis, me juſte moveri, movemini & vos, ac ne fruſtra moveamini, agite pro loco, quem tenetis, pro dignitate, qua polletis, pro poteſtate, quam accepiſtis*. Quibus verbis aptiſſime indicat, hoc eſſe Cardinalium proprium, ut nempe pro communi Eccleſiæ bono excubent, ut in continua quadam vigilia ſint adverſus hæreſes, & adverſus omnia vitia, atque ob hanc cauſam datam eis eſſe dignitatem, & poteſtatem qua pollent; uti ſcitiſſime adnotat Platus, *De Cardinalis Dignitate & Officio*, Cap. VI.

CLXIX. Huc facit quod inter alios docet Cardinalis Alliacenſis, cujus verba hæc ſunt apud Triam Tyri Archiepiſcopum in Additionibus ad Platum Cap. VI. *Quemadmodum ipſi dum eliguntur, ex charitate ſe obligant, ut cum Capite ſuo Romano Pontifice certo Chriſti Vicario, cujus pars Corporis myſtici ſunt, cumque eo unum Corpus efficiunt, Collegium, ſeu Senatum Sacroſanctum ad amplificationem, atque cuſtodiam univerſæ Chriſtianæ Religionis, ut Chriſti Fidem, & Chriſtianos omnes communiter, privatimque totis, ut ajunt, viribus defendant, ſanguinem meherculе, ſi opus ſit, pro illis effundant, neceſſe eſt, atque in hac ſententia conſtantiſſima permanere debent. Cujus rei ſignum omnibus maniſeſtiſſimum, quod ſoli Cardinales cum Pontifice Summo purpureis Galeris utantur propter Cardinalatus præſtantiam, & virtutis gradus efficacia in Sancta Romana Eccleſia Matre omnium Chriſtifidelium, propter dignitatem, ad quam aſſumuntur a Romano Pontifice, cum Cardinales creantur*: Hactenus ille.

*De reformatione Cardinalium Legatorum a Latere.*

CLXX. Præterea cum frequenti, ac prope quotiana experientia, ut inquit idem Leo Papa, notum eſſet, Provinciis, ac Civitatibus propter ſuorum Legatorum de Latere abſentiam, multa ſæpius contingere mala, variaque non ſine Apoſtolicæ Sedis præjudicio oriri, ſtatuit, ordinavitque Pontifex, primo, *ut illis Cardinalibus Provincias, ac Civitates Legationis titulo obtinentibus, eas per Locumtenentes, aut Officiales quoſcumque adminiſtrare liceat, ſed perſonaliter ipſi pro majori parte temporis adeſſe, atque eas omni vigilantia regere, & gubernare tenerentur*. Agit hic Pontifex de Legationibus Cardinalium, quæ pro locorum, & Provinciarum regimine a Papa decernuntur; etſi enim præcipuum Cardinalium munus ſit Pontifici aſſiſtere, uti alias oſtenſum fuit, tamen, cum ita res, uſuſque exigit, alio etiam allegari poſſunt; idque ſæpe numero magnam attulit Eccleſiæ utilitatem; ut cum Eugenius IV. Ludovicum Scarampum Marchiæ Anconitanæ Legatum inſtituit, quam ille quidem magna ex parte a variis occupatam, armis, & vi recepit. Quicquid fuerit retroactis temporibus, nunc, ut notat eruditiſſimus Tria in laudatis ſuis ad Platum Additionibus, Cap. XXXIII. §. III. *Sequentes ſunt hujuſmodi Legationes, quæ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus cum facultate Legati de Latere committuntur, nempe Urbinas, Bononienſis, Ferrarienſis, Ravennas. Avenione hoc munus exercetur per Prælatum cum nomine, & poteſtate Prolegati*. Porro cur Legati a Leone X. Pontifice jubeantur, ut ipſi pro majori parte temporis in locis ſuæ Legationis reſidere teneantur, rationem affert paulo inferius idem Leo Papa ſic inquiens: *Quæ quidem propter hoc antiquitus ordinata, & inſtituta fuerunt, ut opportuna Legatorum præſentia populis eſſet ſalutaris, non ut ipſi laborum, & curarum expertes, lucro tantum ſub Legationis titulo inhiarent*.

CLXXI. Jubet deinde Pontifex ea Conſtitutione, ut *qui nunc titulum Legationis obtinent, aut pro tempore obtinebunt, ſi in Italia, intra tres menſes; ſi extra Italiam, quinque a die præſentis publicationis, ad ſuas Provincias ire, ac majorem temporis partem ibi reſidere teneantur, niſi de noſtro, & Succeſſorum noſtrorum mandato, pro aliquibus gravioribus negotiis, in Romana Curia teneantur, vel ad alia loca, prout neceſſitas poſtulat, mittantur*. Antiquiſſimus profecto eſt Apoſtolicæ Sedis mos mittendi, vel in longinquas Regiones pro negotio Religionis Legatos. Teſtatur id quidem inter alios Joannes Papa VIII. qui Eccleſiæ præfuit ab anno Chriſti DCCCLXXII. uſque ad annum DCCCLXXXII. in Epiſtola I. & XXVI. ex iis quas eruditus Sirmondus edidit, ita inquiens: *Romana Eccleſia hanc conſuetudinem habuit ab ipſis ſuæ fundationis primordiis, ut ad omnes partes, quæ Chriſtianæ Religionis titulo prænotantur, ſuos Legatos mitteret, quatenus ea, quæ Gubernator, & Rector ejuſdem Romanæ Eccleſiæ per ſuam præſentiam expedire non prævalet, vice ſua Legatis conceſſa, monita ſalutis, ac morum honeſtatem per eos cunctis per Orbem Terrarum conſtitutis Eccleſiis nunciaret, eaſque Apoſtolica doctrina in omnibus, quæ ſacræ Religioni conveniunt, diligenter inſtrueret*. Hoc ipſum teſtantur & alii Romani Pontifices Maximi, S.Gregorius VII. Paſchalis II. Joannes XXII. laudati a doctiſſimo Tria in memorato Opere, Cap. XXXII. §. I.

CLXXII. Illud autem potiſſimum prædictis Legatis præcipit Leo Pontifex, ut in ſuæ Legationis *Provinciis, ac Civitatibus Vice-Legatos, Auditores, & Locumtenentes, ceteroſque conſuetos Officiales cum debitis proviſionibus, ac ſalariis habeant*. Res hæc eſt quidem magni momenti; ob defectum ſiquidem ſalarii, quod minime præſtatur Officialibus ſubalternis, ac præſertim improbis ſatellitibus, quos birruarios vocant,

cant, explicari ſatis nequit, quantum detrimenti Reſpublica patiatur, & Chriſtiana Religio ob eorum extorſiones, concuſſioneſque. Quid quod in magnis quibuſdam Urbibus ſatellites ipſi occaſione arrepta, quod ſine ſalario inſerviunt, impune adoleſcentulas vagantes, ac ipſas etiam ſub patria poteſtate degentes corrumpunt, eaſque in lupanaribus ponunt ſub una ipſorum protectione, ut, omnibus ad eaſdem ſecuro patente aditu, mercedem iniquitatis, quam infelices illæ ex copia ſui corporis male acquirunt, totam illi abſumant, & in utilitatem ſuam derivent, paucis obolis eiſdem aſſignatis quibus in dies vitam turpiſſimam ſuſtentare poſſent. Puto equidem, tantam impietatem, quæ alicubi in Chriſtianorum locis graſſatur, vix in Turcarum regionibus, & in ipſis, quæ Chriſtianam Religionem ignorant, & quæ Deum tantorum ſcelerum vindicem neſciunt, inveniri. Cura debet Antiſtitum eſſe hujuſmodi exceſſibus providere: *Debemus illi providere*, inquit Chryſoſtomus, ſeu alius ſub ejus nomine, Homilia 1. Operis imperfecti, *debemus illis providere, qui in populo ardentis libidinis febribus valde laborant. Quemadmodum enim Paterfamilias ſtudioſus ſcit in domo ſua, quid unuſquiſque neceſſarium habeat, ita & Sacerdos*, ideſt Epiſcopus, *ſingulorum mores, & actus, & converſationem debet diſcere, ut quale quibuſque medicamentum neceſſarium fuerit, ſubminiſtret*. Laudandus zelus Romanorum Pontificum, qui Sanctionibus ſuis iterum, atque iterum contra eum abuſum turpiſſimum editis, prava ſatellitum conſilia, avaritiam, impietatemque confodere, & ab alma Urbe eliminare penitus ſtuduere.

CLXXIII. Viget nihilominus alicubi alius hodieque abuſus, qui anſam ipſis ſatellitibus præbet furandi, variiſque malis artibus pecuniam extorquendi, quia ſcilicet non modo illis nullum ſalarium præbetur, ſed, quod horrendum eſt dictu, tenentur potius ipſi certis anni temporibus Magiſtratibus, eorumque Miniſtris ſubalternis dona elargiri, & quidem non parvi momenti. Unde non mirum, ſi connivente Magiſtratu ſatellites ipſi vi pecuniam rapiant, calumniaſque machinentur adverſus inſontes. Notum plane eſt, Alexandrum S. R. E. Cardinalem Falconerium, juſtitiæ cultorem, & criminum vindicem, dum in Urbe Gubernatoris officio fungeretur, ſatellitem improbum ob calumniam innocenti homini impactam damnaſſe ad triremes. Novi ego & alium ſatellitem ejuſdem farinæ, qui arma vetita in proborum hominum domos, falſaque pondera in Mercatorum tabernas immittebat, ut eoſdem reos faciens, partem ipſe pecuniariæ pœnæ ſtatutæ a Lege conſequeretur. Quid quod alii complures, ſumma prius ſibi pacta mercede, furta, ſtupra, adulteria fovent, data rei, honeſtatiſque alienæ raptoribus ſecuritate? Quid ergo mirum, ſi Civitates Lupanaria evadant, & ſpeluncæ latronum, ſi nuptarum, innuptarumque caſtitas perit, ſi corrumpuntur pueri, ſi innumeri pene Sacri Religioſique homines vitam turpiſſimam ducunt, ſi furtum, rapina, adulterium inundavarunt?

CLXXIV. Ergo ad evitandos exceſſus, quos memoravimus, alioſque multos, quos ſilemus, merito cautum eſt a Leone Papa X. ut Legati Apoſtolicæ Sedis in Provinciis, & Civitatibus, in quibus Legationem exercent, *Vice-Legatos Auditores, & Locumtenentes, ceteroſque conſuetos Officiales cum debitis proviſionibus, ac ſalariis habeant*; pœna etiam eiſdem conſtituta, ut *qui præmiſſa omnia, & ſingula non ſervaverit, emolumentis quibuſcumque Legationis careat*. Sane fateri cogimur, exceſſiſſe aliquando Legatos ipſos, inſciis quidem invitiſque Summis Pontificibus, in avaritia, violentia, rapacitate, ut teſtatur non uno in loco S. Bernardus, qui etiam Lib. IV. *De Conſideratione*, ad Eugenium III. monet eligi debere in Legatos, *qui miſſi poſt aurum non eant, ſed Chriſtum ſequantur, qui quæſtum Legationem non æſtiment, nec requirant datum, ſed fructum .... qui marſupia non exhauriant, ſed corda reficiant, & crimina corrigant &c.* Teſte Thomaſſino Parte 1. *Diſciplinæ*, Libro II. Cap. CXIX. Legatorum quorundam avaritia, violentia, cupido, quarum adhuc exempla ab eodem referuntur, & quæ in Anglia præſertim ſe ſe exeruere, præſtiterunt, ut tandem Anglorum Reges, aliique etiam Principes id obtinuerint privilegii a Sede ipſa Apoſtolica, ut nullus iis deinceps Legatus, niſi ipſo Rege petente, mitteretur: *Si eum tenuiſſent modum Legati, quem Apoſtolica Sedes præfixerat, non tam crebro, non tam fervide Reges intercesſiſſent Legationibus: non denique hanc Regnis ſuis vindicaſſent libertatem, ut niſi ipſorum aſſenſu explorato, Legati ne mitterentur*. Notat hæc Thomaſſinus citato loco, Num. IV. additque tum infra ex Matthæo Weſtmonaſterienſi in Anglicana Hiſtoria, anno MCCXLVII. miſſum a Pontifice in Angliam Franciſcanum, qui iiſdem exactionibus, quibus ſolebant Legati, Angliam fatigavit; idque ea arte factum, ut Regi privilegio illuderetur de non mittendis injuſſu ejus Legatis in Angliam: *Qui Dominus Rex privilegium dignoſcitur habere, ut non veniat Legatus in Angliam, niſi vocatus, miſſi ſunt jam tales Legati ſophiſtice transformati*. Ita Weſtmonaſterienſis, qui ſi verum narrat, mirum videri poſſit, Franciſcanum hominem ſtrictiſſimæ paupertati addictum, naſcente ſuo Seraphico Ordine, ſub obſcuro Legationis titulo lucra non modo captaſſe, ſed exactionibus etiam fatigare Angliæ Regnum voluiſſe.

CLXXV. Quamquam Legati non ſemel ſua ad extorquendam pecuniam auctoritate abuterentur, laudat nihilominus S. Bernardus citato Lib. IV. *De Conſideratione*, continentiam integritatemque quorundam Legatorum ſui ævi; inter alios autem merito commendat Gauſridum Carnotenſem, *qui Legationem in partibus Aquitaniæ propriis ſumtibus ſtrenue adminiſtravit. Eram cum eo in Terra illa*, inquit, *cum a quodam Presbytero præſentatus illi eſt piſcis, quem vulgo vocant ſturgionem. Percontatus Legatus quanti venierit, non accipio, inquit, niſi receperit pretium, & reſignavit ſolidos quinque invito & verecunds*. Refert mox aliud exemplum egregiæ continentiæ ejuſdem Legati, cujus & ipſemet teſtis oculatus fuit: *Item cum eſſemus in quodam Oppido, domina illius Oppidi obtulit ei pro devotione cum manutergio duas vel tres paropſides pulchras, ligneas tamen: quas aliquando intuens homo ſcrupuloſæ conſcientiæ, laudavit eas, ſed non acquievit accipere*. Subdit ſtatim Bernardus: *Quando argenteas recepiſſet, qui ligneas reſutavit?* Atque hoc exemplum imitandum proponit in ſuo Tractatu, *De Cardinalis Di-*

*Dignitate*, *& Officio*, Eruditus Platus, Capite XXXII. quod etiam in ſuis Additionibus, ac Notis Doctiſſimus Tria Tyri Archiepiſcopis variis exemplis recentiorum Cardinalium ſumma ea in re integritate, & continentia præſtantium illuſtrat.

*De reſidentia Cardinalium.*

CLXXVI. Rurſus ob ipſam cauſam jam iterum atque iterum explicatam, quod nempe Cardinalis officium in primis verſetur in frequenti Romani Pontificis aſſiſtentia, propterea ſtatuit etiam Leo Pontifex, *ut omnes Cardinales in Romana Curia reſideant*, *& qui ſunt abſentes, ſi in Italia, intra ſex menſes, ſi extra Italiam, intra annum a die publicationis præſentis Conſtitutionis revertantur: alioquin fructus Beneficiorum, & omnium officiorum ſuorum emolumenta amittant, omnibus privilegiis generaliter, & ſpecialiter conceſſis, quandiu abſuerint, omnino careant: exceptis tamen illis, quos ratione officii, ab Apoſtolica Sede injuncti, vel de Romani Pontificis mandato, aut licentia, vel juſto metu, aut quavis alia legitima cauſa impediente, vel ægrotationis, abeſſe contigat*. Teſte Gomeſio in Regulas Cancellariæ, Cardinales in Romana Curia commorantes propter aſſiſtentiam Papæ in adminiſtratione univerſalis Eccleſiæ a ſuorum Beneficiorum reſidentia excuſabantur. Falſum autem plane eſt illud, quod in eaſdem Regulas ſcripſit Mandoſius, Cardinalem ſcilicet impetrare poſſe quemcumque Epiſcopatum, & nihilominus non in Eccleſia ſibi commiſſa, ſed in Urbe reſidere teneri. Falſa eſt, inquam, hæc doctrina, ſecus enim in ſacroſancta Synodo Tridentina ſancitum legimus Seſſione XXIII. *De reformatione*, Cap. I. Cardinales ſcilicet ad Epiſcopales Eccleſias regendas electos, in ipſis Eccleſiis reſidere debere, neque illinc abeſſe poſſe, niſi cauſæ ab ipſa Synodo exceptæ concurrant. Atque ob hanc potiſſimum rationem dixere etiam Auctores aliqui recentiores, non eſſe Epiſcopos ad Cardinalatum promovendos, neque Cardinalibus Epiſcopales Eccleſias conferendas. Nam ſi ratione Cardinalatus in Romana Curia reſidere debent, ut Summo Pontifici in Eccleſiæ regimine aſſiſtant; ratione autem Epiſcopatus, in Eccleſiis ſibi commiſſis perſonaliter reſidere teneantur, manifeſta reſultat repugnantia, atque impoſſibilitas utrumque munus adimplendi, ut inter alios notavit Caranza in Tractatu, *De reſidentia Epiſcoporum*, Cap. VIII.

*De Funere Cardinalium.*

CLXXVIII. Statuit quoque Leo Pontifex, *ut expenſæ funebres Cardinalium, computatis omnibus, mille quingentorum florenorum ſummam excedere non debeant, niſi executorum providentia, juſtis allegatis cauſis, & rationibus plus expendendum eſſe duxerit. Exequiæ, & caſtrum doloris prima & nona die fiant: infra octavam vero Miſſæ de more celebrentur*. De exequiis Cardinalium, ac variis earum ritibus, atque impenſis fuſe agit in ſuo Romanæ Eccleſiæ Cæremoniali Auguſtinus Patricius, Lib. I. Sectione XV. Cap. I. Impenſis ipſis modum imponere videtur Pontifex, ubi mandat, ut funebres ipſæ impenſæ, *computatis omnibus, mille quingentorum florenorum ſummam excedere non debeant*. Majori enim ſumma opus erat ex laudato Cæremoniali; dum inter alia diſtribuere debebant Executores *pannum nigrum familiæ, Prælatis quinque cannas, Capellanis quatuor, Scutiferis tres, Stabulariis duas cum dimidia*; &, ut idem Cæremoniale mox ſubjicit, *conſueverunt eſſe ad ſex, vel octo millia librarum ceræ*. Neque id mirum videri debet, in Miſſa enim, *cum fuerit dicta prima Collecta, Clerici Cæremoniarum incipiunt diſtribuere ceram Dominis Cardinalibus primum, tum Oratoribus, & Prælatis, inde familiæ defuncti, deinde Officialibus Curiæ, demum ceteris præſentibus, tam mulieribus, quam viris*. Notanda quæ & deinde ſequuntur: *Quæ profecto diſpenſatio ceræ, ſive potius diſſipatio, eſt valde importuna, & tumultuoſa, & meo judicio valde inconveniens; nam ob ſtrepitum, & clamorem petentium, & rapientium candelas, Divinum Officium, & Funebris Oratio admodum conturbatur*.

CLXXIX. Vigebat is tunc abuſus, cujus præter laudatum Patricium meminit etiam in ſuo Teſtamento Jacobus Cardinalis Papienſis, ubi de impenſa ſui funeris loquens, ſic inter alia inquit: *Cereorum quotidiana, & promiſcua diſperſio magis quam diſpenſatio multum auget impenſam, nec fructum qui proponitur habet: avaritiæ in his ſtuderi videtur, non orationi. Ad eos rapiendos concurritur undique ex tota Eccleſia, pugnatur, clamatur, Sacra omnia perturbantur, quodque indignius Eccleſia eſt, ad eos compeſcendos tumultus publici plerumque vindices adhibentur, haſtis gladiiſque in Domo Domini perſtrepentes*. Quantum ad impendia funeris ita idem Papienſis in ipſo Teſtamento, quod legitur in fine ejus operum, & apud Ciaconium in illius Vita, diſponit: *Impendia funeris, quæ adhiberi ad ſolamen ſuperſtitum magis quam defunctorum levamen ſolent, ſummam mille ducatorum aureorum veto excedere; in qua includatur etiam veſtitus familiæ; quanto hæc exhibebuntur parcius, tanto eris plenius, unde & illi benefiat, & meæ animæ conſulatur. Supervacua nec placent Deo, nec laudes inter homines habent: tranſit brevi memoria funeris, diu permanent damna. Tempora in hoc Patrum noſtrorum magis ſunt attendenda, quam noſtra, qui gloria benefactorum, non luminum multitudine illuſtrari volebant ſepulcra. Quicquid amplius ſumetur, quicquid plus erogabitur, piaculum Executoris ſit, non peccatum ſobria ſtatuentis*. Sed omiſſo hoc Teſtamento, ait Auctor ejus Vitæ apud memoratum Ciaconium Tomo II. Vitarum Pontificum, & Cardinalium, ad funus illius de more celebrandum, fuiſſe prædiola, & domum vendita. Erant plane ſicut hodieque ſummæ impenſæ, quas tamen in hoc V. Lateranenſi Concilio Leo X. correctas voluit.

CLXXX. Durabant ipſæ exequiæ per novem dies, & in prima, & nona die, quæ erat ultima, eædem ceremoniæ peragebantur, excepto ſermone, qui in ultima die non habebatur. Conſueverunt tunc etiam dici in Eccleſia, ubi fiebant Exequiæ, centum quinquaginta Miſſæ privatæ, & dabatur *pro eleemoſyna cuique celebranti unus groſſus papalis, & duæ parvæ candelæ*. Narrat hæc idem Patricius, & addit: *Aliis ſeptem diebus intra Novenam dicuntur centum Miſſæ quolibet die, & hora competenti cantatur Miſſa pro defunctis per aliquem Epiſcopum, & familia defuncti adeſt ſedens in loco ſuo*. Tum paulo poſt: *Cardinales non veniunt, diſtribuitur cera Celebranti, & Miniſtris, Clericis, ſive Religioſis illius Eccleſiæ, familiæ defuncti, & aliis, qui*



Digitized by Google

*adſunt: apud ſepulcrum vero, ubi jacet corpus, quotidie ponuntur duo intorticia, quæ ardent, dum Divina celebrantur.* Tandem uti ex ipſo Patricii Cæremoniali addiſcimus, *in nona die fit omnino, ut in prima, niſi quod non fit ſermo. Cantatur Miſſa per Cardinalem, & per Cardinales fit Abſolutio apud Caſtrum doloris. A die vero, quo eſt ſepultum corpus, uſquequo incipiantur Exequiæ, conſueverunt in ea Eccleſia celebrari aliquot Miſſæ pro defunctis, non tamen per Prælatos, & fiunt ad partem ibi aliquot eleemoſynæ propter hoc. Familia vero defuncti ſolet per quadraginta dies ſuſtentari in ejus domo, & tandem unicuique redditur aliquod præmium, vel ſecundum taxationem a Domino factam, vel, ut Executores conſueverunt, habita ratione ſervitii, temporis, & qualitatis.* Hæc & alia Patricius in memorato Romanæ Eccleſiæ Cæremoniali, quod nos Deo dante quantocius Commentariis conabimur illuſtrare. Ex dictis autem hactenus liquet, ingentes fuiſſe impenſas in funere Cardinalium, eiſque modum impoſuiſſe in hac IX. Seſſione Leonem X. Papam.

*De ſententia a Cardinalibus in Conſiſtorio dicenda.*

CLXXXI. Pro reverentia autem Sedis Apoſtolicæ, utilitateque, & honore communi Summi Pontificis, & ipſorum Cardinalium, *ut ſcandalorum, quæ naſci poſſent, occaſio tollatur, majorque in ſacro Senatu libertas votorum fiat, liceatque, ut par eſt, Cardinali cuique ſecundum Deum, & conſcientiam ſuam, libere, & impune quodcumque ſentiat, dicere*; ſtatuit denique Leo Pontifex in citata Conſtitutione, *nequis Cardinalium vota in Conſiſtorio data, & quæcumque ibi geſta, aut dicta, quæ in odium, aut præjudicium, aut ſcandalum alicujus redundare poſſint, ſcripto, aut verbo, vel quovis alio modo revelet ſub pœna perjurii, aut inobedientiæ.* Sane ſi veterem Romanæ Eccleſiæ diſciplinam inſpiciamus, per annos circiter CM. mos Pontificum fuit, ut ad graviora negotia conſultanda cogerent Concilia, quæ vocabant Nationalia, ideſt, Epiſcoporum Italiæ, quibus tamen Conciliis etiam Preſbyteri Cardinales intererant, ut apparet in Romana Synodo Sancti Gregorii Magni Papæ I., quæ inter ejus Epiſtolas legitur. In ea enim poſt Epiſcoporum nomina, nomina etiam Urbanorum Preſbyterorum leguntur. Teſte Thomaſſino Parte I. *Diſciplinæ*, Lib. III. Cap. VIII. una cum Preſbyteris, Diaconiſque Eccleſiæ Romanæ conſuevit jam olim Papa non ſolum de rebus ad Diœceſim, vel Metropolim, ſed & ad Eccleſiam univerſam ſpectantibus tractare, ad eumque congreſſum ſoliti etiam erant Epiſcopi acciri, qui tum Romæ variis de cauſis diverſabantur.

CLXXXII. Affert mox laudatus Auctor in eam rem varia exempla, aitque inter alia Num. XII. Romani Cleri vigorem, conſtantiam, auctoritatemque tum ſplendidiſſime effulſiſſe, cum ſubveriti ſunt Romani, ne Eugenius I. Papa remolleſceret, aut remitteret aliquid de invicta illa Majorum ſuorum Pontificum Romanorum fortitudine adverſus Monothelitas Patriarchas. Tum enim obſecundante plebe Romanus Clerus Pontifici, ut credere æquum eſt, non illibenti vim quodammodo attulit, ut ne ſuſciperet quidem Epiſtolam Synodalem Petri Patriarchæ Conſtantinopolitani; & nec Myſteria ante paſſus eſt celebrare, quam ſponderet eam Epiſtolam ſe abjecturum. Sic enim eam rem narrat Anaſtaſius Bibliothecarius in memorati Eugenii Papæ I. Vita: *Et accenſus Populus, & Clerus eo quod talem Synodicam direxiſſet, minime eſt ſuſcepta, ſed cum majore ſtrepitu eſt a Sancta Dei Eccleſia projecta, ut etiam nec eundem Papam dimitteret Populus, & Clerus Miſſas celebrare in Baſilica S. Mariæ ad Præſepe, niſi promiſiſſet Pontifex, minime eam aliquando ſuſcipere.*

CLXXXIII. Cum vero auctis Eccleſiæ negotiis, & acceſſione temporalis Principatus cœpiſſet Pontifex in ſingulos dies egere Conſiliariis, & Adjutoribus, nec poſſent tam ſæpe evocari Epiſcopi, ut primitus factum fuit, Concilia illa, quibus Epiſcopi, qui Romæ diverſabantur, intererant, paulatim omiſſa ſunt, reſque tota ad Senatum Cardinalium fuit redacta; uti notat, probatque Platus in Tractatu, *De Cardinalis Dignitate & officio*, Cap. VI. Primum enim hi magis in promptu, & ad manum; deinde etiam, ut neceſſe eſt, cum in his negotiis aſſidue verſentur, magis eorum ſtatum norunt, quod ad conſilium dandum magnopere confert; poſtremo illa Epiſcoporum evocatio non fieri poterat ſine magno, & crebro ſuarum Diœceſum detrimento. Hæ igitur, ut ſubdit Platus, ſunt partes Cardinalium, hoc officium, ut, quoniam unius hominis mens, & conſilium nullo modo tantæ moli ſuſtinendæ par eſſe poteſt, addantur aliqui, qui in tanto, tamque laborioſo, & difficili opere Pontificem adjuvent, & ſublevent. Id plane affirmat inter alios Nicolaus Papa III. Cap. *Fundamenta*, *De electione*, in VI. ubi etiam Cardinales appellat principales Aſſeſſores, Conſiliarios, & *ſibi in executione officii Sacerdotalis Coadjutores*. Quod etiam voluit S. Bernardus, cum eoſdem Lib. IV. *De Conſideratione*, Pontificis Collaterales, & Coadjutores vocavit.

CLXXXIV. Sed audiamus locum citati Capitis, *Fundamenta*, quo magis magiſque illuſtretur Decretum Leonis Papæ X. Sic enim eo Capite, §. *Decet*, inquit Nicolaus Papa III. *Decet namque ipſi Romano Pontifici per Fratres ſuos Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, qui ſibi in executione officii Sacerdotalis Coadjutores aſſiſtunt, libera provenire conſilia. Decet ipſius nullo modo vacillare judicia, ut Fratres ipſos nullus ſæcularis poteſtatis metus exterreat, nullus temporalis favor abſorbeat, nullus eis terror immineat, nihil eos a veri conſilii ſoliditate removeat: quin cum per ipſum Romanum Pontificem in quibuſcumque negotiis contingeret eorum peti conſilia, in conſulendo per omnia liberi, eidem Romano Pontifici in omnibus, quæ pro tempore imminent, libere conſulant, & aſſiſtant.* Obiter nota, quod docet Gloſſa Canonici Juris, Papam ſcilicet, ubi permixtim de Cardinalibus loquitur, vocare eos Fratres, uti in recitato hoc Cap. *Fundamenta*; ſicut etiam cum loquitur de Epiſcopis Cardinalibus, quos etiam Fratres appellat, reliquos autem Filios nuncupat.

CLXXXV. Hoc obiter dicto, ut quod noſtrum eſt explicemus, recte edicit Leo Papa, ut *in ſacro Senatu libertas votorum fiat, liceatque, ut par eſt, Cardinali cuique ſecundum Deum, & conſcientiam ſuam, libere, & impune, quodcumque ſentiat, dicere.* Puto equidem, quod & notavit Platus in citato toties Tractatu, *De Cardinalis Dignitate & Officio*, Cap. XXVIII.

non

non eſſe quemquam, qui ſi rem ipſam per ſe perpendat, non eam & juſtam, & neceſſario etiam a Cardinali debitam fateatur. Illud impedit, & perturbat, frangitque animum, quod libertas hæc non ſolum odioſa, ſed etiam pernicioſa videatur, quia videlicet veritas odium parit, res autem eſt cum Pontifice, aliiſque Principibus, qui multum prodeſſe poſſunt, vel obeſſe. Hic nimirum eſt ſcopulus, hæc, ut dici ſolet, petra ſcandali, in quam non impingere, & quam omnino evadere, magnum eſt negotium. Hinc eſt quod & de quibuſdam ſui ævi Cardinalibus Alvarus Pelagius, qui claruit ſeculo XIV. Lib. I. *De Planctu Eccleſiæ*, Cap. XVI. ubi eorum vitia recenſet, ita inquit: *Nunc favore Papæ, nunc timore, nunc ſpe aliquid proſequendi, non dant ſibi conſilia vera, & libera, ſed propter prædicta, conſilia fraudulenta, & periculoſa eis, & Mundo, & contra conſcientiam dant.*

CLXXXVI. Non deſunt tamen exempla Cardinalium invicti animi, qui tametſi Pontifici reſtiterint, & in dicenda ſententia ſua, Deum ſolum præ oculis habentes, Chriſtiana libertate uſi fuerint, adeo gratos ſe Pontifici reddidere, ceteriſque gratiores, ut non ſemel ab illo novis honoribus donarentur. Teſte Plato, Antonius Pallavicinus Genuenſis, quem Innocentius VIII. Papa ad Cardinalatum evexit, de Julio II. non dubitavit dicere coram multis Cardinalibus, arma data eſſe furioſo. Quod Pontifex audiens, etſi nonnihil commotus, ſemper tamen eum in honore habuit, quin etiam Legatum miſit ad Ludovicum XII. Galliæ Regem, qui in Italiam pervenerat. Quam etiam libertatem tenuit adverſus Alexandrum VI. qui cum ejus ſententiam rogaſſet de re, quam apud ſe jam decreverat, reſpondit aperte, non poſſe ſe dicere, quoniam non ad liberum conſilium, ſed ad Decretum factum vocatus erat. Fliſcus etiam Cardinalis, cum Alexander VI. a quo cooptatus in Sacrum Collegium fuerat, immerito Caſtellanum Epiſcopum vellet deponere, ipſe ſemper obſtitit, neque hominis illius iram formidavit, quæ erat omnibus terrori; &, quod mirabilius eſt, id facere non dubitavit in ipſo primo Conſiſtorio, cui Cardinalis interfuit, ſcilicet beneficio tam recenti. Hic idem Fliſcus cui Nicolaus nomen, cum ſe Julio II. tum in ejus electione, tum deinde in ipſo Pontificatu, ut res ipſa poſcebat, oppoſuiſſet, & quidem acerrime; tamen tantum abeſt, ut damnum ullum acceperit, ut inſuper ab eo ipſo ditatus ſit reditu ſeptem millium aureorum; quin etiam tanto in pretio habitus, ut ſcriptum ſit conſequutam eſſe communem hominum opinionem, non poſſe bonum Cardinalem non amari a Pontifice etiam non bono.

CLXXXVII. Hæc, aliaque exempla egregia occurrunt paſſim apud Ciaconium in Cardinalium Vitis cum additionibus variorum. Ex quibus etiam addiſcimus, ſæpe hanc ipſam Cardinalium dicendi libertatem ad ipſum Pontificatum eiſdem non mediocriter ſuffragatam eſſe, ut notat ibidem Platus, poſtquam dixit, *multos in ea libertate impediri* ob metum illum, *ne ſibi aditum obſtruant ad Pontificatum*. Eſt, inquit, *ea quidem turpis, & damnanda ambitio*. Quod autem ea libertas dicendi minime impediat Pontificatum, comprobari pluribus exemplis poteſt. Certe Paulus IV. Clericorum, quos Theatinos vocant, Fundator, dum Cardinalis fuit, mirabilem ſemper conſtantiam præſtitit, & quod ſemel dixerat, aut ſenſerat, rectum eſſe, ab eo ſe nullis vel precibus, vel minis deduci patiebatur: quod ſiquid a duobus Pontificibus, ſub quibus eam Dignitatem geſſit, referretur, quod non judicaret e re Sedis Apoſtolicæ, cujus ſe acerrimum propugnatorem profitebatur, vel aperte diſſentiebat, vel certe non veniebat in Conſiſtorium. Marcellus etiam II. cum a Paulo III. Nuncii, Epiſcopi, ac denique Cardinalis honorem conſequutus eſſet, adeo tamen liber in dicendo apud eum ipſum fuit, ut teſte Panvinio, & noviſſime Clariſſimo Viro Petro Pollidoro in ejus Vita, Num. XXXIV. ſæpe ab illo fuerit Pontifex a conſiliis ſibi non probatis deterritus, & periculoſa, quamquam prima ſpecie decora tentans, ſalutaribus rationibus prudenter revocatus. Eo vero mortuo, quum Julii III. qui ſucceſſerat, Acta multa non probaret, accedente præſertim febricula, Eugubium ſe ad ſuum Epiſcopatum recepit; id ſane hoc ſuo ſeceſſu haud diſſimulanter præſeferens, quod in pectore gerebat. Quare paulo poſt rediens, extincto Julio, Conclave ingreſſus eſt, omnium jam judicio, & approbatione Pontifex deſignatus, tantam ei auctoritatem, & amorem illa libertas conciliarat.

CLXXXVIII. Ut alia exempla omittam, S. Pius V. talem ſe Cardinalem erga Pontifices exhibuit, quales S. Bernardus Lib. IV. *De Conſideratione*, requirit, cum ad Eugenium III. Papam ſcribens, eum inducit videre cupientem Eccleſiam Dei talibus innixam columnis, eoque ſacrorum Senatorum munitam conſilio, ut ſi Pontifex Summus vellet aliquatenus deviare, illi non ſinerent, frænarent præcipitem, dormitantem excitarent. Quique pro ſua reverentia, & libertate extollentem reprimerent, excedentem corrigerent, conſtantia vero, & fortitudine nutantem firmarent, erigerent diffidentem. Qui denique pro ſua fide, & ſanctitate ad quæque ſancta, ad quæque honeſta eum, & alios provocarent. Hæc igitur præclariſſima Sanctiſſimi Viri de Cardinalis officio documenta, atque alia ejuſmodi probi Senatoris munera fortiter, & opportune exequi non omiſit Cardinalis Alexandrinus, qui fuit poſtea Pius V. Pontifex Maximus, atque ut de multis pauca colligamus, quæ recenſet in ejus Vita Gabutius Lib. I. Cap. VII. quod inſcriptum eſt, *De ſenatoria ipſius in dicenda ſententia libertate*, VIII. Idus Januarii anni MDLXIII. cum Ferdinandum Medicem Coſmi Florentinorum Ducis filium teneræ fere puerum ætatis, & Federicum Gonzagam filium Federici Mantuæ Ducis adoleſcentem Pius IV. Pontifex, id quod mox fecit, Sacrum in Senatum legendos propoſuiſſet, ſtatim a prandio, quod in Anniverſario Pontificiæ Coronationis die Cardinalibus, Principumque Oratoribus de more dari conſueverat, Cardinalibus ipſis convocatis, cum illiſque communicato conſilio, ea de re ſingillatim omnium ſententiam rogavit, quæ cum ex ordine dicenda eſſet Alexandrino, is mirifica libertate reſpondit.

CLXXXIX. Hæc fere fuiſſe ejus verba notavit mox idem Gabutius: *Cum habeatur hoc tempore, Beatiſſime Pater, Sacroſancta Tridentina Synodus, in qua præter accuratam Religionis Dogmatum tractationem, in Eccleſiaſticam Diſciplinam, ac mores ſanctos reſtituendos ſummis laboribus incumbunt tot tantique Antiſtites,*

*ii ſane hujuſmodi creatione valde offenſos ſe arbitrarentur, ſi de hujus habenda ratione Dignitatis Decreto vix dum abſoluto, ſtatim derogaretur. Quare non poſſum equidem non ire in alia omnia; neque huic ego ſententiæ unquam plane ſubſcribam. Præterea quorſum evaſura ſit ætas adoleſcens, cum omnino ſit incertum; cumque in his Dignitatibus conferendis expectanda ſit ætas legitima, eam potiſſimum expectare debent ii, quibus, meritis ita ferentibus, Sacræ Purpuræ Dignitas deeſſe nunquam poterit. Huc accedit, hic non eſſe, aut locum, aut tempus legendorum Cardinalium; locum quidem, quia ex more in eorum publico conſeſſu legi conſueverunt; tempus vero, quoniam, cum illico ſit a prandio*, quod ſane plurimum exaggeravit, *id maximos hominibus ſermones dabit*. Ceterum S.R.E. Cardinalis S. Angeli, qui præter alios audierat hæc omnia, ſummam Viri libertatem, ardenſque ſacræ Diſciplinæ ſtudium admiratus, dicebat poſtea, quemcumque, vel pretioſiſſimum theſaurum, quem unquam habere potuiſſet, ſe libenter impoſiturum, ſi ejuſmodi, quæ nemo alius dicere auſus fuerat, ipſe ad Pontificem verba facere valuiſſet. Nec ita multo poſt Florentiæ Ducis Orator cum illius nomine pro more veniſſet ad agendas gratias cum aliis Cardinalibus, tum vero etiam ipſi Alexandrino, protinus is, *Non eſt*, inquit, *quod mihi gratias agas; quippe qui huic electioni non modo non faverim, ſed valde ſim etiam adverſatus; non quod Mediceam Gentem oderim, ſed quod ita mihi conſcientiæ ratio præſcriberet*. Ac recte quidem id nulla ſe invidia adductum fuiſſe dixit, nam ut ex ejus Geſtis in Pnotificatu liquet, eam ipſe Domum, & dilexit plurimum, & non mediocriter exornavit.

CXC. Sed illud quoque in hoc genere memorabile quod ibidem narrat memoratus Gabutius. Sub finem Pontificatus ejuſdem Pii IV. Maximilianus Cæſar eo nomine II. & alii plerique Germaniæ Principes, gravioribus ſceleribus, perniciofisque exemplis hac via cautum iri prætendentes, per Litteras, ac Nuncios Pontificem urgebant, ut Germanis Sacerdotibus, Græcorum exemplo, uxores ducendi faceret poteſtatem. Quod etſi Chriſtianis moribus, Apoſtolicis præceptis, ſacris Legibus, atque omni Eccleſiaſticæ Diſciplinæ omnino repugnare conſtat, Pontifex tamen, ut quid dicto, factoque opus eſſet, gravius decerneret, tantorumque Principum petitionem haud prorſus contemnere videretur, rem nonnullis Cardinalibus a ſe ad id ſelectis expendendam, ac definiendam detulit. In iis ergo cum eſſet Alexandrinus, ſacras Leges, Deique honorem, omnium Principum gratiæ, cunctiſque rebus humanis præferendum ratus, ſingulari conſtantia, atque animi libertate ita ſe ſe oppoſuit, ut ejuſmodi poſtulata nemo, aut ardentius oppugnarit, aut acrius rejicienda eſſe contenderit; potiſſimuſque ipſe Auctor fuiſſe dicitur, ut Pontifex id nullo pacto faciendum eſſe reſponderet; non enim fas eſſe, mala facere, ut eveniant bona; neque cujuſvis rei gratia contra Leges omnes proſtituendum eſſe, atque adeo profanandum Sacroſanctum Sacerdotium, quod ſine ſancta caſtitate, aut rite conſtare, aut Deo placere non poſſe, Catholica, & Apoſtolica ſemper docuit Eccleſia. Hæc igitur, & ejuſmodi alia graviſſima illius Reſponſa præter ceteros admirans Annibal Bozzutus Cardinalis non minore prudentia, quam dignitate, generiſqe ſplendore inſignis, dicere conſueverat, *Cardinalis Alexandrini ſententiam in ampliſſimo Collegio plus ponderis habere, quam ceterorum omnium alioqui ſapientiſſimorum Patrum ſimul juncta ſuffragia*.

CXCI. Obſtitit præterea vehementer eidem Pontifici, Avenionenſis Legationis munus Alexandro Farneſio Cardinali abrogare, Caroloque Borbonio ejus collegæ mandare cupienti; quod ea res, & gravi Catholicæ Religioni periculo, & Sacroſanctæ Sedi parum honorifica fore videretur; nam inde futurum, ut hæretici magis inſoleſcerent, cum illius ſe imperio traditos vidiſſent; cujus alioqui probe Catholici ſtudia in Gentem ſuam hæretica fraude ex parte deceptam propenſiora fore ſperarent; cum nemo neſciat, dominandi libidinem, & cognationis vinculum ad hominum præcipue Principum animos immutandos valere quamplurimum. Addebat, non admodum eſſe Galliæ Regis promiſſis nitendum, Avenione hæreticos haud victuros pollicentis; tum quoniam is fere puer eſſet, aliorumque regeretur arbitrio; tum quia ſi domi ſuæ id velle præſtare nequiſſet, eo minus ſperandum, in aliena Ditione hoc ab eo præſtitum iri. Quare partim ex his, partim ex aliis, quæ nunc omittuntur, contentionibus, contrariiſque ſententiis ad Sacrum Inquiſitionis Magiſtratum pertinentibus fuere, qui dicerent, fore, ut a Pontifice in Adriana Molis Arcem includeretur. Quibus tamen ipſe, *Mihi*, inquit, *locus nunquam deerit in Ordinem meum* (erat Cardinalis Alexandrinus, poſtea Pius V. Ordinis Prædicatorum) *redeundi, quoties ob teſtificationem veritatis in hoc Collegio permanere non potero*. His ergo atque aliis ejuſmodi rebus forte motus Pius IV. noluit, ut amplius ille Palatinas Ædes incoleret, ſupremique Inquiſitoris auctoritatem ei nonnihil etiam imminuit.

CXCII. Conſtat jam ex dictis, eam dicendi, & agendi fiduciam ita quidem Cardinalem exornare, ut non ſolum ſemper ſpiritualia, ſed etiam ſæpiſſime temporalia lucra, & honorum, & facultatum acceſſionem afferat, ipſumque Summum Pontificatum. Quod ſi nihil ejuſmodi afferat, ſemper tamen dignitatem, & exiſtimationem, ac gloriam, & certe admirabilitatem quandam inter homines parit, quæ etiam & in hoc ipſo genere temporalium præmiorum pluris eſt, quam illa omnia, quoniam, ut ait Sapiens Eccleſiaſtici Capite VII. *Melius eſt bonum nomen, quam divitiæ multæ*. Multa ſane in hanc rem videri apud Platum poſſunt, in ipſo inſigni Tractatu, *De Cardinalis Dignitate & Officio*, Cap. XXVIII. quod inſcriptum eſt, *De ſententia in Conſiſtorio dicenda*, & in Additionibus eruditiſſimi Tyri Archiepiſcopi Joannis-Andreæ Triæ omnigena eruditione refertis, in quibus ſummopere admiratus ſum tanti Præſulis pietatem, zelum, ſinceritatem, ac robur denique invicti animi in refellendis abuſibus. Porro certum eſt, quod paſſim Scriptores ſanioris mentis docent, quicumque Cardinalis recta conſilia Pontifici non dederit, non modo reum eſſe lethalis peccati, ſed etiam teneri ad omnis damni reſtitutionem, quod ex ejus conſilio exiſtat; quicumque etiam tacuerit, diſſimularitve, & hunc obnoxium eſſe peccato, quia ſcilicet in eo delinquit, quod maxime ab ipſo exigitur. Atque huc ſpectat quod eſt a S. Gregorio I. Papa dictum Lib. II.

Pa-

Digitized by Google

Paſtoralis, Cap. IV. *Sæpe Rectores improvidi humanam amittere gratiam formidantes, loqui libere recta pertimeſcunt, & juxta Veritatis vocem,* Joannis Cap. X. *nequaquam jam gregis cuſtodiæ Paſtorum ſtudio, ſed mercenariorum vice deſerviunt; quia veniente Lupo fugiunt, dum ſe ſub ſilentio abſcondunt*. Unum hic addiderim, quod & Cardinalis Jacobus Papienſis in Epiſtola ſua CCLXXX. ad S. R. E. Cardinalem Gonzagam Mantuanum de Officio Papæ, & Cardinalium ſcribit circa vota in Conſiſtorio proferenda: *Illud autem in omni actione noſtra meminerimus, Pontifici noſtro Conſultores nos eſſe, non Magiſtros, dicique a nobis vota, non voluntates: ideoque nec agendum vehementer, nec indigne habendum, ſi non accipiuntur noſtra conſilia. Votorum nomen indictum eſt noſtris ſententiis, ut videlicet optare videremur, non velle, & ſervire, non impetrare*. Tum vero ſubjicit: *Itaque cum placide, quod eſt noſtri judicii, ſemel dixerimus, eo contenti feremus modice quod decernetur, laudandumque, & adjuvandum putabimus*. Legenda integra Epiſtola præſertim a S. R. E. Cardinalibus recens creatis.

*Dicta in Conſiſtorio, ſecrete a Cardinalibus tenenda.*

CXCIII. Illud vero ſapientiſſime a Leone X. in ipſa Conſtitutione cautum fuit, *nequis Cardinalium vota in Conſiſtorio data, & quæcumque ibi geſta, aut dicta, quæ in odium, aut præjudicium, aut ſcandalum alicujus redundare poſſint, ſcripto, aut verbo, vel quovis alio modo revelet ſub pœna perjurii, & inobedientiæ*. Nihil propalandum ex iis, quæ decreta, vel diſceptata ſunt a Cardinalibus in Conſiſtorio, merito admonuit idem Cardinalis Jacobus Papienſis in memorata Epiſtola CCLXXX. ubi inter alia ita inquit: *Præſtanda etiam iis, quæ decreta, & diſceptata ſunt taciturnitas. Nil propalandum, quod quemquam gravet. Laboramus hac intemperantia ſæpe, dum ſoli eorum ſtudioſi videri volumus, quos adjuvandos ſuſcipimus; ideoque reverſi domum, ſeriem ſæpe totam conſilii pandimus. Crimen omne vel rejectæ petitionis, vel parum adjutæ, in hos, vel in illos rejicientes. Qua in re, & ſancta Societas Collegii violatur, & gravium odiorum cauſæ præſtantur. Minuitur etiam mirum in modum Sacroſancti loci auctoritas, perfidiamque ipſi noſtram cum levitate oſtendimus*. Servandum a Conſiliariis, Miniſtriſque Principum ſilentium earum rerum, quæ dictæ, auditæque ſunt in Conſeſſu, Politici omnes norunt. Sane ſcribit Ammianus Marcellinus Lib. XXI. apud Perſas neminem fuiſſe Conſiliorum conſcium, præter optimates taciturnos & fidos, apud quos ſilentii quoque Deus colebatur. Valerius etiam Maximus Lib. II. Cap. II. teſtatur, apud Romanos Curiam in tanto numero Senatorum ſilentio ſic undique clauſam, ut neminem audiſſe crederes, quod tam multorum auribus fuerat commiſſum. Livius denique Lib. XLII. de Eumene Rege commemorat, cum Romam veniſſet, & Regem Perſen in Senatu accuſaſſet, deque toto Bello cum Patribus deliberaſſet, nihil ſcire potuiſſe, niſi Regem in Curia fuiſſe; perfecto autem Bello prius emanaſſe quid a Rege dictum, ac a Senatu reſponſum fuiſſet. Sed ut profana omittam, celebre eſt quod ait præ ceteris ſapientiſſimus Salomon Cap. XI. Proverbiorum: *Qui ambulat fraudulenter, revelat arcana*.

CXCIV. Quod Cardinales ſpectat, multo fortius hi ſervare ſilentium debent ſi ſuper aliqua re particulari expreſſe indictum ſit eis a Papa ſilentium. Tunc enim ſiquis Cardinalium arcana contra Pontificis præceptum promulgaverit, nedum præmiſſas perjurii, & inobedientiæ pœnas incurreret, verum etiam in excommunicationem latæ ſententiæ Summo Romano Pontifici reſervatam incideret: *Quotieſcumque a nobis*, inquit Leo Papa X. *& Romano Pontifice pro tempore exiſtente ſpecialiter & expreſſe ultra præmiſſa indictum fuerit ſuper aliqua re ſilentium, ſiquis contra fecerit, ultra pœnas, excommunicationem latæ ſententiæ incurrat, a qua non poſſit abſolvi, niſi a nobis, vel a præfato Pontifice Romano, & & cum expreſſione cauſæ, præterquam in mortis articulo*. Imo & læſæ Majeſtatis crimen incurrerere Cardinales ſecreta Sedis Apoſtolicæ promulgantes, teſtatur Gigas, *De crimine læſæ Majeſtatis*, Quæſtione V. Num. XXII. & ex hoc capite abſolutum fuiſſe Franciſcum Mariam Urbini Ducem ab homicidio in perſonam Franciſci Alidoſii Cardinalis Papienſis commiſſo, notat Cohellius in ſua Notitia Cardinalatus Cap. XIV. in fine. Hic enim Cardinalis Bononiæ, atque Eccleſiaſtici Exercitus Legatus Ducibus Gallis contra Romanam Eccleſiam hoſtilia arma moventibus, Summi Pontificis, & Sacri Collegii ſecreta nunciabat; ex quo Majeſtatis reus effectus, licere ſibi Franciſcus Maria Dux Urbini putavit diſtricto enſe in illum irruere, ut Carolus Ruinus Lib. V. Concilio IV. de hac re conſultus reſpondit.

CXCV. Ceterum cum ſint Cardinales Conſiliarii, Coadjutores, & membra ejus, qui caput eſt Eccleſiæ univerſæ, atque adeo cum debeant pro univerſæ Eccleſiæ ſalute, & gloria excubias agere, & indefeſſam exhibere ſolicitudinem, viſum eſt non immerito, inquit Thomaſſinus Parte I. *Diſciplinæ*, Lib. II. Cap. CXIV. nullo præcipuo nexu, vel authoramento debere eos ullis terrenis Principibus adhæreſcere, & mancipari. Hinc ſimulac ad Apoſtolicæ Sedis faſtigium provectus eſt Urbanus VI. anno Chriſti MCCCLXXVIII. expreſſiſſime prohibuit, ne ullis penſionibus Cardinales, vel Regi, vel Reipublicæ ulli conſtringerentur, quod illud hinc ſemper naſcatur, ut utilitas publica privatis poſthabeatur rationibus; *quia propter illa lucra, negotia Eccleſiæ male procedebant, & procederent*. Quam quidem Urbani Sanctionem, uti notat doctiſſimus Tria in Additionibus ad Platum, Cap. VI. inter alios recte ſervavit Marcellus Cardinalis Cervinus poſtea Summus Pontifex ſub nomine Marcelli II. qui miſſus in Germaniam ad Carolum V. Imperatorem Legatus de latere, in Italiam rediturus adduci non potuit, ut acciperet annuam penſionem decem millium aureorum a Cæſare ſibi amoris, & exiſtimationis ergo; ſed debitis liberali Principi actis gratiis, modeſte reſpondit, *ſe liberum fuiſſe hactenus Miniſtrum Summi Pontificis, liberèque inpoſterum cupere Apoſtolicæ Sedis negotia tractare, nullo nomine adſtrictus Principibus aliis*.

CXCVI. Plura in hanc rem plane addiſcimus ex celebri Epiſtola CCCXCIV. Jacobi Cardinalis Papienſis, ſive ex ejus Oratione contra Joannem Cardinalem Atrebatenſem præſentibus Cardinalibus nonnullis, dimiſſo tamen Senatu, habita, in qua poſtquam dixit, debere Cardinalem *liberam gerere, & mentem, & linguam, ut nu lli*

*ale-*

Digitized by Google

*alieno aſſectui, nulli ſua cupiditati inſerviens, ſimpliciter loquatur quod ſentit*; in ipſum Atrebatenſem Cardinalem invehitur: *Hic vero, Revereadiſſimi Patres, cum vos odio gratuito odiat, & ſtudiis ſit omnibus veſtris contrarius, nihil meditari, & loqui poteſt, quod vobis ſuturum ſit utile: doloſæ omnes cogitationes cordis ejus, doloſa conſilia, quibus etium ſi recta eſſent, habere ſidem non poſſumus; creſcere non ſperat, niſi ex noſtris ruinis, & noſtram omnem gloriam ſuam ducit conſuſionem. Minatus eſt multu frequenter Eccleſiæ Romanæ, multa nobis, niſi ſaciamus ea, quæ Regi ſuo poſſint placere; mallet, ut video, cum everſione omnium noſtrum verus videri, quam cum ſalute mendax, & ſalſus. Ad hoc eſt tantum intentus dies, & noctes, & hue intendit omnis ratio, & ſumma rerum ſuarum, ut ſtatus omnis Orbis Chriſtiuni ex una Regis ſui voluntate dependeat. Bonum quippe nullam putut, niſi quod venit ab illo, ſalutem nullam, niſi quæ offertur ab illo: ceteros Reges, & Principes minimum æſtimat, inania ducens, quæ de Potentatibus, & rebus publicis referuntur: adeoque in colendo hoc Deo ſuo eſt cæcus, at nec videre oculis quippiam ſanum, nec mente poſſit diſcernere.* Ita ille, cujus verba licet ſupra attulerim, operæ pretium nihilominus cenſui hoc loco repetere, quod argumentum ſpectent, quod verſamus.

CXCVII. Pergit idem zelantiſſimus Papienſis, aliaque ſubjicit, quæ rem noſtram mirifice illuſtrant: *Accedit*, inquit, *quod mercenarius eſt, & lingua conducta ſibi, non Eccleſiæ loquitur. Audiſtis aliquando illum fatentem, duo millia aureorum annua ſibi pendi a Rege in mercedem ſui laboris. Audiſtis in hoc verbo ſe gloriantem, quod Procurator ſit Regius, quodque declaratum nobis per litteras, ſibi uni de negotiis Regiis præſtari ſidem debere. Quomodo ergo qui Procuratorem ſe conſitetur, dignitate loci hujus eſt dignus? Quomodo ſalutariter poteſt conſulere? Quomodo credi ſententiis ejus alieno ſtipendio, non noſtro conductis? Si perſeverandum eſt ei inter nos, advocandi etiam ſunt ceteri, qui in Curia noſtra procurant, & admiſcendi nobiſcum. Non eſt irrogauda hæc injuria tot Regibus, Ducibus, Principibus, & Rebuſpublicis, ut eorum Procuratores ſegregentur a nobis. Sciant & illi ſecreta noſtra, ut hic ſcit. Revelent ea ſuis, ut iſte revelat. Jam nihil ſit quod his oſtiis teneatur concluſum; inter cubiculum, & ſorum nullum habeatur deſcrimen. Dicam tandem quod ſentio, Reverendiſſimi Domini, ſine iracundia quidem, non tamen ſine dolore. Exeat conſilia noſtra qui nobis infeſtus eſt: non participet nobiſcum qui nihil utile, nihil honeſtum afferre poteſt, vel ſuadere; & qui ſecularibus ſervit, & linguam pecunia vendit, & ſecretum non tenet, quippe mendaciſſimus eſt, & in dicto ſidem non habet. Profectus Orator Apoſtolicæ Sedis ad Regem ſuum, reverſus eſt hoſtis cauſæ cui ante ſavebat. Nunc eſt omni contentione contrarius, Cum autem mutationis hujus amice admonetur, ſolam ſui Principis mutationem excuſat*: Cum, *inquit*, ſibi placebat, placebat & mihi: huic diſplicens, diſplicet mihi. *Indigna vox Cardinalis, ut ex perſonis, non ex honeſtate, cauſæ Cameræ Apoſtolicæ ponderentur.*

CXCVIII. Aurea eſt Epiſtola, & doctrina mirabili, atque illuſtribus exemplis referta, ideoque vix mihi tempero, quin alia ſubjiciam quæ ad ipſam rem noſtram quammaxime faciunt: *Cum reprehenditur, Cardinalis Atrebatenſis, quod primo Legationem pro Ludovico Rege Francorum ad Pontificem ſuſcepiſſet, deinde quod Procuratorem rerum ſuarum in Curia exerceret, alterum exemplis, alterum ex Jure eſt reprobatum. Guillelmum Cardinalem Rotomagenſem, Oſtienſem Epiſcopum ex Gallis ad Caliſtum redeuntem*, Caliſtus hic III. eſt, *qui in Pontificem nuper erat electus, rogavit Carolus Rex Ludovici Pater, ut Legatus una cum ceteris, quos ad præſtandam obedientiam mittebat, ire non gravaretur. Prudentiſſimus Vir, cui notum erat officium ſuum, onus quamquam a Magno Rege impoſitum recuſavit, malens dignitati propriæ, quam alterius gratiæ inſervire. Noverat enim, nec debere, nec ſolitum eſſe Cardinalem, niſi pro Romano Pontifice, Legationem accipere. Et certe modeſtiſſimus Rex indigne non tulit, ſed mittens alios, quos elegerat Oratores, inter cetera mandata quæ dedit, hoc eſſe voluit primum, ut quicquid acturi, quicquid dicturi eſſent, ad Cardinalem referrent, ejuſque conſilio, & ſuffragio in omnibus uterentur.* Subjicit aliud illuſtre exemplum, quod eſt hujuſmodi: *Fridericus quoque Romanorum Imperator petens a Nicolao Cardinale S. Petri ad Vincula in Germania tunc agente, ut Legatus ſuus Conventui Ratiſponenſi intereſſet ob cauſam Fidei, in dicto exanditus non eſt. Reſpondit Cardinalis*, id ſi non concederet Pontifex, nullo modo licere; *neque antea Imperatori aſſenſit, quam ſcriptum eſt Nicolao V. & conceſſio impetrata. De procuratione autem ita eſt dictum*: Si Cardinali, ſi illuſtri, & ſuperilluſtri ex Jure eſt interdictum, ut non procuret negotium proprium; quanto magis cenſendum eſt, interdictum eſſe alienum? Nil vilius eſt procurationis officio, nihil contemtibilius. Nihil etiam Cardinali indignius, qui ideo ad eam dignitatem aſſumitur, ut in Senatu Apoſtolico ſedens, non quid alii petant, quid ſupplicent, quid contendant, quid litigent, anxio labore procuret: ſed quid univerſali Eccleſiæ conveniens, atque utile ſit, libere conſulat. Conſiſtorii enim locus Conſilii eſt, non contentionis locus.

CXCIX. Narrat hæc & quidem ad Cardinalium inſtructionem unus ex eorundem Collegio Jacobus Cardinalis Papienſis, eaque nos hoc loco deſcribere operæ pretium cenſuimus, ne ſi paria diceremus, eorum fieri Magiſtri videremur, a quibus inſtruendi judicandique ſunt omnes, uti ſuperius probatum fuit. Unum hoc hactenus dictis addendum cenſemus, non ſemel viſum fuiſſe, longe majus obſequium præſtitiſſe Romano Pontifici, atque Sedi Apoſtolicæ laicos Principum Oratores, quam homines Eccleſiaſticos, ipſoſque S. R. E. Cardinales. Pluribus probari id poſſet exemplis, ſed dicta huc uſque ſufficiant.

*Reformationes Curiæ, & aliorum.*

CC. Statuit quoque in eadem Nona hujus Concilii Seſſione Leo X. Pontifex, *ut quilibet habens Beneficium cum cura, vel ſine cura, ſi poſt ſex menſes ab obtento Beneficio Divinum Officium non dixerit, legitimo impedimento ceſſante, Beneficiorum ſuorum fructus ſuos non faciat pro rata omiſſionis recitationis Officii, & temporis, ſed eos tanquam injuſte perceptos in fabricas hujuſmodi Beneficiorum, vel pauperum eleemoſynas erogare teneatur. Si vero ultra dictum tem-*

*tempus in ſimili negligentia contumaciter permanſerit, legitima monitione præcedente, Beneficio ipſo privetur, cum propter Officium detur Beneficium*. Cui Sanctioni adjungenda eſt illa S. Pii Papæ V. Conſtitutio, qua primo edixit, eum, qui tempore priorum ſex menſium Officium non recitaverit ab adepta Beneficii poſſeſſione, tametſi oneri reſtitutionis non ſit obnoxius, læthalis tamen culpæ renm factum, quoties Officium prætermiſit: qui vero deinceps aliquo die unam aliquam, aut omnes Officii Horas omiſerit, ſi omnes quidem Horas, teneri omnes Beneficii fructus huic diei reſpondentes reſtituere, partitis videlicet omnibus anni fructibus in totidem æquales partes, quot ſunt in anno dies: qui Matutinum ſolum omiſerit, teneri ad dimidium fructuum ejus diei reſtituendum: qui harum Horarum unam, teneri ſextam fructuum partem reſtituere. Addit deinde laudatus Pontifex S. Pius V. ac declarat, Beneficiarium Choro addictum, ſi Choro quidem interfuerit, nec tamen recitaverit, quamvis ſtatuta loci, vel fundatio, vel conſuetudo id indulgeret, ſolamque requireret corporis præſentiam, læthalis culpæ fieri reum, & obligationi adſtrictum fructus diſtribntioneſque reſtituendi. Decernit poſtremo, quemcumque Penſiones, aut alia Eccleſiaſtica emolumenta titulo Clerici percipientem, obligari ſimiliter ad recitandnm Deiparæ Virginis Officium, & ſi non recitet, obnoxium eſſe Penſionis, ac ejuſmodi fructnum reſtitutioni.

CCI. Notanda nunc illa recitatæ ſuperius Sanctionis verba, qua Leo Papa X. recitationem Divini Officii Beneficiariis imponens, ea ratione utitur, quod nempe *propter Officium detur Beneficium*. Officinm qnippe Eccleſiaſticum licet proprie non ſit Beneficium, fundamentum eſt tamen, & cauſa Beneficii, nti inter alios loquitur eruditus Andreas Vallenſis ad Titulum, *De Præbendis*, §. I. Num. IV. eoque ſenſu Tridentina Synodns Seſſione XXI. *De reformatione*, Cap. III. ait, *Beneficia ad Divinum cultum, atque Eccleſiaſtica munia obeunda eſſe conſtituta*; &, ut alios omittam, Innocentius Papa III. Lib. I. Epiſtola LXXXII. ad Auxitanum Archiepiſcopum ſcribit, *Dignitates, & cetera Beneficia Eccleſiaſtica, pia Fidelium devotione conſtituta fuiſſe, certis aſſignanda perſonis, ut per ipſas perſonas in Eccleſiis devotum ſervitium jugiter impendatur*. Atque hinc patet, quod licet ſenſim circa proventuum Eccleſiaſticornm diſpenſationem diſciplina invaluerit diverſa a priſtina; Eccleſia tamen eodem ſemper ſpiritu procedens, Beneficia Eccleſiaſtica, ſeu jus percipiendi proventus ex bonis Eccleſiæ, non alium in finem Clericis aſſignata voluerit, quam quo ab initio eis per ſuos Epiſcopos ſtipendia, vel ſportulas, aut annonas, ſive alimenta ſuppeditari voluit, nempe, ut qni Altari ſervit, de Altari vivat. Unde nec ullum Beneficium ſine Officio eſſe poteſt, quia, ut inter alia inquit Concilium Colonienſe anno Chriſti MDXLIX. Tit. IX. Capite III. uti *Divini Juris eſt, ut qui ſervit Altari, de Altari vivat, ita nec bono jure is, qui non ſervit Altari, de Altari vivat; ſicut ſtipendium non debetur, niſi militanti*.

CCII. Ea itaque eſt intentio Eccleſiæ, ut nullum Beneficium, quantumvis ſimplex, ſit ſine Officio, eamque intentionem ſequuta noſtra hæc Synodus V. Lateranenſis Beneficiarios omnes, qui ſex menſibus poſtquam ſuis fuerint Beneficiis inſtructi, Canonicas Horas non perſolverint, fructns reſtituere jnbet. Longum eſſet hoc loco Canones recenſere, qui Divini Officii ſaltem privatim perſolvendi a Beneficiariis vel aſtruunt, vel aſtructam confirmant; videri profecto ii poſſunt apud Thomaſſinum Parte I. *Diſciplinæ*, Lib. II. Cap. LXXXV. Sane Decreto Concilii hujus Lateranenſis adhæſit Cardinalis per Germaniam Legatus Campegius, nbi inter alia reformationis Capita, Prælatis juſſit, ut per Archidiaconos, & Decanos Rurales explorarent, an eſſent aliqui Beneficiarii, qui Canonicas Horas non recitarent, eoſque ad ſacrorum proventnum reſtitutionem adigerent, quin & privarent Beneficiis, niſi ab ignavia hac ſua, & Divinorum incuria reſipiſcerent. Ratio ſtatim illa ſubjicitur: *Cum Beneficia propter Officia juxta Patrum Sanctiones dari conſueverint*. Cum itaque Beneficia dari propter Officium debeant, injuſtumqne apparet, ut proventus Eccleſiaſticos percipiat, non modo, qui Divinnm Officium non recitat, ſed & qui officium, ſeu ſervitium Eccleſiæ non præſtat; neqne eorum, qui Beneficia fundarunt animus fuiſſe videtur, in Clericos otioſos, reditus ſuos profundere; viderenturque hujuſmodi Beneficia otioſis Clericis, & Sacerdotibus alendis, multiplicandiſque unice deſervire: hinc eſt, quod inter articulos pro reformatione Eccleſiæ nomine Caroli IX. Galliarum Regis Patribus Tridentini Concilii oblatos hic fuit articulus vigeſimus quartus: *Cumque plura ſint Beneficia, in quibus contra Beneficiorum omnium inſtitutionem invaluit depravata conſuetudo, ut qui ea poſſident, nullo teneantur concionandi, Sacramenta adminiſtrandi, aut alio onere Eccleſiaſtico, Epiſcopus cum conſilio Capituli his Beneficiis curam aliquam ſpiritualem imponat, aut, ſi utilius videatur, ea Beneficia vicinioribus Parochialibus Eccleſiis uniat. Beneficium enim ſine officio eſſe neque debet, neque poteſt*.

CCIII. Officium ergo, propter quod dari Beneficium debet, jam non videtur in ſola Horarum Canonicarum recitatione conſiſtere, verum etiam in ſervitio aliquo Eccleſiæ, iniquumque videretur, ut ſola illa recitatione, ad quam alias omnes Sacris Ordinibus initiati, qui nullis unquam donati ſunt Beneficiis, tenentur, Beneficiarii pingues, & qui pluribus incubant Beneficiis ſatis intentioni Eccleſiæ faciant. Quocirca cum dubitari nequeat, quin Eccleſiæ, atque Fundatorum intentio ſit, ut Beneficia Eccleſiaſtica iis conferantur, qni ſe tanquam Miniſtros Eccleſiæ exhibeant, nec proventus Eccleſiaſticos otiando conſumant: omnem certe ſuam diligentiam adhibere debent Patroni, Collatoreſque Beneficiorum etiam, quæ vocant ſimplicia, ut ipſa Clericis conferantur, de quibus veriſimilis ſaltem ſpes apparet, quod operam ſuam utiliter Eccleſiæ impendent, & digni erunt, qui de proventibus Eccleſiæ vivant, uti notat Vanespen Parte II. *Juris Eccleſiaſtici*, Titulo XVIII. Cap. IV. Num. XXXIII. Neqne addubitari poteſt, quin alias ipſi Patroni, & Collatores Beneficiorum Eccleſiaſticorum lætalis culpæ rei ſint; *Omnia Jura clamant, ut meliores, & ſanctiores eligantur, & ideo peccant contra juſtitiam diſtributivam, qui omiſſo digniore eligunt dignum, ut notant omnes, in Cap. Conſtituit, De appellatio-*

*tionibus*. Ita Fagnanus in Cap. *Cum dilectus*, *De conſuetudine*. Quamobrem graviſſimo læthali peccato obnoxii ſunt Beneficiorum Collatores, qui pro ſuo arbitrio, nulla meritorum habita ratione, Beneficia indignis conferunt, quos ſciunt, videntque vitam turpiſſimam ducere, proventuſque Eccleſiaſticos perdere.

CCIV. Quantum ad legem Divini Officii perſolvendi, qua teneri Beneficiarios Theologi omnes teſtantur, obſervandum eſt hoc loco, quod poſt Fagnanum adnotat Thomaſſinus Parte I. *Diſciplinæ*, Lib. II. Cap. LXXXV. Num. V. Sacros Canones nihil diſcriminis interponere Clericis Beneficiariis, ſeu pingues, ſeu tenues ſint Beneficiorum reditus. Ita etiam conſentiunt doctiſſimi quique Canoniſtæ, idque illi colligunt ex Capite, *Conquerente*, VI. *De Clericis non reſidentibus &c.* cujus Auctor Alexander Papa III. Clericos promiſcue omnes, quantulicumque ſint proventus Beneficiorum, reſidere jubet in Eccleſiis propriis. Hinc porro ita argumentatur Fagnanus, ubi citatum Caput enarrat: *Ex hoc notabiliter infero, ut tenuitas Beneficii non excuſet Beneficiatum a recitatione Divini Officii; quia ſicut non excuſatur a reſidentia ex eo, quod ex Beneficio vitæ neceſſaria non percipiat, ut hic patet, ita non excuſatur ab Horis dicendis. Nam ut formaliter inquit Cardinalis in Clementinam* I. *Num.* IX. De Celebratione Miſſarum, *imputet ſibi, ſi Beneficium non ſit competens, quia nihilominus tenebitur ad Horas, ex quo fecit ſe ad hoc intitulari*. Citat mox in hanc ſententiam alios Canoniſtas, Theologoſque, inter quos Silveſter in ſua Summa, verbo, *Hora*, ita inquit: *Nec poſſunt ſe excuſare ratione exiguitatis &c.* Ceterum notandum & illud a Beneficiariis eſt, nec levinſculas ægritudines, nec itinera ipſa ejuſmodi eſſe cauſas, quæ Beneficiarium relaxent a religioſo Officio. Pluribus id probat Thomaſſinus, eſtque hæc communis ſaniorum Scriptorum opinio, tametſi non deſint Theologi molles, qui vel ex levibus cauſis omitti eam recitationem Horarum Canonicarum poſſe, docere non erubeſcunt. Sed tenenda vera Doctorum ſententia, imitandumque potius exemplum Clericorum religioſiorum, & ut alios omittam, Ludovici Cardinalis SS. Petri & Marcellini, qui ut ſcribit Jacobus Cardinalis Papienſis in Epiſtola CXXXVI. ad Cardinalem Senenſem, ea decumbens ægritudine, qua tandem extinctus eſt, non ante deſtitit a recitandis Horis Canonicis, quam exhalaret animam: *Horas Canonicas non ante dimiſit, quam a voce eſt ipſe dimiſſus*.

CCV. Afferri poſſent multa alia id genus exempla, ſed referendum hic potius, quod in Concilio Provinciali Mediolanenſi IV. S. Caroli anno MDLXXVI. declaratum eſt Conſtitutionum Parte III. ubi de vita, & honeſtate Clericorum agitur, leviuſculas ægritudines, febriculaſve non juſtas eſſe poſſe cauſas, ut quis ceſſaret ab Horarum Canonicarum recitatione, vel a reſtitutione fructuum: *Sacerdos, Clericuſve Sacris initiatus, aut Eccleſiaſticum Beneficium obtinens, Horarum Canonicarum Officio eum adſtrictus ſit; meminerit, ſe febri, morbove aliquo, vel adverſa valetudine leviter aliquando laborantem, non juſtam propterea excuſationem habere, quamobrem illud intermittat, omittatve*. Tum mox ſubdit: *Itaque ſiquando corporis infirmitate affectus eſt, ipſe pro ſua conſcientia recte videat, quid præſtare poſſit, ne ne omittendo graviter peccet, & Beneficii, ſiquod habet, fructus ſuos non faciat*. In eodem ipſo Concilio IV. Mediolanenſi Parte I. Conſtitutionum, in eo Capite, quod inſcriptum eſt, *De religioſis peregrinationibus*, declaratum & illud fuit, ne qui ad Horas Canonicas tenetur, *itineris cauſa Canonicas Horarias Divini Officii preces omittat*. Idipſum confirmat Sanctus Carolus in Synodo Diœceſana IV. Decreto XXIII. aliique Epiſcopi zeluſiores in ſuis Conciliis, quæ non opus eſt hic recenſere. Notata enim ſufficere poſſunt ad confutandos molles Theologus aliter ſentientes.

CCVI. Redeo nunc ad Conſtitutionem Leonis Papæ X. qui poſtquam dixit, Beneficiarium, qui ſex menſibus poſtquam ſuis fuerit Beneficio inſtructus, Canonicas Horas non perſolverit, teneri fructus reſtituere, & ſi ultra dictum tempus in ſimili negligentia contumaciter permanſerit, legitima monitione præcedente, privandum eſſe Beneficio ipſo, ita deinde ſubjicit: *Intelligetur autem Officium omittere quoad hoc, ut Beneficio privari poſſit, qui per quindecim dies illud bis ſaltem non dixerit, Deo tamen ultra præmiſſa de dicta ratione redditurus rationem*. Additque mox etiam, ut hæc *pœna in habentibus plura Beneficia reiterabilis toties ſit, quoties contrafacere convincentur*. Hoc Decretum confirmavit, innovavitque idem S. Carolus Mediolanenſium Antiſtes in Provinciali I. Concilio, anni MDLXV. Conſtitutionum Parte II. Capite inſcripto, *De Canonicis Horis non intermittendis*, ita inquiens: *Malitiæ, ac negligentiæ Clericorum, qui quas debent Canonicas Horas dicere omittunt, occurrere cupientes, ex Decreto Leonis X. in Lateranenſi Concilio, mandamus, ut Clericus quicumque Curatum, vel ſine Cura Eccleſiaſticum obtinent Beneficium, ſi poſt ſex menſes ab eo die, quo illud obtinuerit, ſine juſti impedimenti cauſa Divinum Officium non dixerit, Beneficiorum fructus ſuos non faciat, ſed eos tanquam injuſte perceptos, in ejus Eccleſiæ fabricam, vel pauperum eleemoſynas erogare debeat. Si vero Canonice admonitus, in eadem negligentia, ac malitia perſtiterit, Beneficio privetur. Quæ pœna ab iis, qui plura obtinent Beneficia, toties repetenda eſt, quoties hujus delicti convicti fuerint: quamquam illud gravius eſt, quod eos omiſſi officii rationem Deo reddere oportet*. Mandat tum inſuper S. Carolus in hoc eodem Decreto in fine, ut *qui Sacris initiati Beneficium Eccleſiaſticum non habent, ſi Divinum prætermiſerint Officium, præter grave peccatum, quod committunt, graviter etiam ab Epiſcopis in eos animadvertatur*.

CCVII. Pleraſque innovavit ex iis pœnis, quas Concilia S. Caroli Mediolanenſia decreverant, Burdigalenſe Provinciale Concilium anni MDLXXXIII. potiſſimum vero adverſus eos, qui intra quindecim dies bis præteriſſent Horas Canonicas, adeoque Beneficiis expoliandi eſſent; itemque adverſus eos, qui Penſionibus ditati, Horas Beatæ Mariæ Deiparæ Virginis non recitarent. Avenionenſe anni MDXCIV. Clericis Penſione quapiam gaudentibus injunxit, ut juxta Bullam S. Pii V. Officium laudatæ Virginis quotidie perſolverent. Idipſum voluit Aquileenſe Concilium anni MDXCVI. ex cujus Decreto, qui Penſionibus fruuntur, nec Officio Beatæ Mariæ defunguntur, ii & læthali crimine conſcientiam ſuam commaculant, & fructus reſtituere tenentur:

tur : *Præter peccatum mortale, quod committunt, ſi omiſerint, reſtitutionis onere obſtrictos declaramus*. Idem Concilium jam antea edixerat, ut graviter ab Epiſcopo animadvertatur in Sacratos Clericos, quamquam nihil Beneficii conſecutos, ſi Horas Canonicas recitare negligant: *Omnino intelligunt, omittendo Horas Canonicas ſe mortaliter peccare, nec prætextu Beneficii non adepti excuſare poſſe*.

CCVIII. Poſt hæc indemnitati Eccleſiarum, Monaſteriorumque, atque aliorum quorumcunque Beneficiorum Eccleſiaſticorum conſulens Leo ſtatuit, ordinavitque, ut fructus, reditus, & proventus Eccleſiarum, Monaſteriorum, ac Beneficiorum, per ſeculares ullos Principes, Reſpublicaſve, aut per eorum Officiales, ſeu Judices etiam Eccleſiaſticos, vel quaſcumque alias perſonas publicas, vel privatas, de eorundem Principum, aut Rerumpublicarum mandato nullatenus ſequeſtrari, occuparive, aut detineri poſſint, ſequeſtrati vero, occupative, aut detenti, integre, libereque, atque ſine exceptione, vel mora Prælatis, ad quos de jure, legitimeque ſpectant, reſtituantur: de quibus etiam, ſi diſſipati uſquam reperiri poſſint, eorum juſta æſtimatione facta, dictis Prælatis ſatisfieri memoratus Pontifex jubet per eos, qui dictas ſequeſtrationes, applicationeſque etiam ad uſum pium, ac diſſipationes fecerint, aut fieri mandaverint, *ſub pœna excommunicationis, aut Interdicti Eccleſiaſtici talium Principum Terris, & Dominio eo ipſo incurrendis; & ut eorum, ac eiſdem ſubjectorum bona ubicumque reperta, ſi moniti parere noluerint, capi, & retineri poſſint*. Tum etiam, quod eo ævo laici Principes, eorumque Miniſtri, Eccleſiarum, ac Monaſteriorum bona paſſim uſurparent, ut execrandam eorundem cupiditatem, licentiamque cohiberet Leo Pontifex, ita deinde ſubjicit: *Ipſi vero contrafacientes tam ſupradictis pœnis, quam privationis Feudorum, & Privilegiorum, quæ a Nobis, & Romana, vel aliis Eccleſiis, nunc, & pro tempore obtinuerint, & aliis contra violatores, & oppreſſores libertatis Eccleſiaſticæ, etiam per Extravagantes, & alias Conſtitutiones, etiam incognitas, & forſitan in uſu non exiſtentes, impoſitis, quarum omnium tenores pro expreſſis, & inſertis habentes, innovamus, ac perpetuam firmitatis robur habere decernimus, & declaramus, ac ſecundum eas per quoſcumque Judices etiam S. R. E. Cardinales, ſublata, & ademta eis aliter judicandi, declarandique poteſtate, ſententiari, judicari, & interpretari debere volumus, atque mandamus*.

*De offendentibus S. R. E. Cardinales, vel Epiſcopo*.

CCIX. De his jam alias egimus, non modo Tomo III. Conciliorum verum etiam hoc IV. Tomo, in noſtris ad præcedentes Synodos Commentariis. Explicabimus itaque illa, quæ in eadem Conſtitutione edicit idem Leo Papa X. *Cum a Jure*, inquit, *tam Divino, quam humano Laicis poteſtas nulla in Eccleſiaſticas Perſonas attributa ſit, innovamus omnes, & ſingulas Conſtitutiones felicis recordationis Bonifacii Papæ Octavi, quæ incipit*: Felicis; *& Clementis Quinti, quæ incipit*: Siquis ſuadente; *necnon quaſcumque alias Apoſtolicas Sanctiones in favorem libertatis Eccleſiaſticæ, & contra ejus violatores, quomodolibet editas, & pœnis etiam contra talia præſumentes in Bulla, quæ legitur in Cœna Domini contentis in ſuo robore permanſuris*. Conſtitutio a Bonifacio Papa VIII. contra offendentes S. R. E. Cardinales edita, quam hic innovat Leo X. extat in Cap. V. *De pœnis*, in VI. Porro dum interim Bonifacius ipſe VIII. lege ageret in Cardinales Columnenſes, ne forte inde ceterorum invidiam in ſe concitaret, vel occaſionem Principibus, aliiſve male eos habendi, ſeveriſſimam circa annum MCCXCVIII. Conſtitutionem edidit in eos, qui aliquem Cardinalem lædere ſacrilego auſu attentarent.

CCX. Ante Bonifacium, & nempe anno MCCXXV. Conſtitutionem edidit quidem Honorius Papa III. contra eos, qui S. R. E. Cardinales atrociter lædere non verebantur, in quos etiam graviſſimas pœnas ſtatuit: *Siquis*, inquit, *in hoc ſacrilegii genus irrepſerit, quod S. R. E. Cardinalem fuerit hoſtiliter inſecutus, vel percuſſerit, aut ceperit, vel ſocius fuerit facientis, aut fieri mandaverit, vel factum ratum habuerit, aut conſilium dederit, vel favorem, aut poſtea receptaverit, vel defenſaverit ſcienter eundem, fiat reus læſæ Majeſtatis, perpetuo ſit infamis, diffidatus nihilominus, & banditus, ſit inteſtabilis, ut nec teſtamenti liberam habeat factionem, nec ad alicujus bona ex teſtamento, vel ab inteſtato vocetur, quatenus ab omni ſucceſſione repulſus, publicaque repulſa confuſus, minus inveniat ſuæ malitiæ ſucceſſorem*. Statuit præterea Honorius, ut nullus ei debita reddere, nullus reſpondere in Judicio teneatur: ut quicquid in bonis invenietur ipſius, Fiſci, vel Reipublicæ dominio applicetur: ſiqua vero Feuda, locationes, Officium, vel Beneficium ſpirituale, vel temporale ab aliquibus Eccleſiis obtinet, ſit eis ipſo jure privatus. Eaſdem fere pœnas in poſteros derivavit, ac deinde decernit, pœnitentiam ipſis injungendam, qui reſipuerint, ut ſcilicet per omnes illius loci Eccleſias principales, viciniorumque locorum, diebus Dominicis, & ſolemnibus incedant nudi coram populo ſemoralia tantum habentes, & virgas ferentes in manibus, cum quibus per eaſdem Eccleſias publice fuſtigentur, ituri poſtmodum ultra mare, & ibidem acturi pœnitentiam per tres annos ad minus, nec exinde poſtmodum reverſuri abſque Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali. Siquis vero vel per ſe, vel per alium occiderit Cardinalem, vel evidentem dederit cauſam mortis, ultra quam præmiſſa contineant, *ſic in eum poteſtas juriſdictionis exurgat, ſic rigor ultionis inſiliat, quod contra vitæ ſubſidium, mortis ſolatium invocet, vivens pœnæ non culpæ, vindictæ ſpeculum non offenſæ*. Integra Conſtitutio refertur a Rainaldo ad annum MCCXXV. Num. I. & ſeq. diciturque data *Reate duodecimo Kalendas Decembris, Pontificatus anno X*.

CCXI. Honorii III. Conſtitutionem, *quibuſdam additis, & detractis*, innovavit poſtea memoratus Bonifacius Papa VIII. novoque robore munivit in citato Capite, *Felicis*, *De pœnis*, In VI. cujus Sanctionem confirmavit poſtea ampliavitque S. Pius V. uti inter alios notat Cohellius in Notitia Cardinalatus Cap. XV. Privilegio XXIII. Et ne de illius inobſervantia, & non uſu, quoque tempore opponi poſſit, quolibet anno Romæ die Cœnæ Domini innovatur, & præſente Pontifice, ac toto Eccleſiaſtico cœtu, univerſaque plebe Dei, ab uno ex ejuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali Diacono legitur juxta anti-



Digitized by Google

antiqoum ritum, quem deſcribit in ſuo Cæremoniali Auguſtinus Patricius Lib. II. Cap. XLV. Plora in memoratam Booiſacii VIII. Sanctionem legi poſſunt apud Silveſtrum in Summa, verbo, *Excommunicatio* VII. Num. XXII. apud Paſſeriuum, & Canoniſtas paſſim in citato Capite, *Felicis*, ac demum apud Duardom, alioſque Scriptores in Bullam Cœnæ Domini. Porro ad eam Bonifacii VIII. ſeu Honorii III. Sanctionem alludere videtur Eugeuius Papa IV. ex eaque etiam argumentom ducit ad aſtroendam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalinm Dignitatem cæteris Eccleſiaſticis Dignitatibus præſtantiorem. Sic enim inter alia inquit in Litteris, quas de ea re ſcripſit ad Henricum Archiepiſcopum Caotuarienſem: *Sine ulla dubitatione oſtenditur, poſt Caput Eccleſiæ, quod eſt Papa, contigua ſui corporis membra, qui ſunt Fratres ejus Cardinales, præ ceteris Eccleſiæ membris, uc partibus bonorari debere; adeout quidem Saeris Canonibus ſaueitum ſit, eos qui in Cardinalem manus injecerint violentas, aut ſugarint, aut inſecuti fuerint, ſeu ad boc dederint conſilium, vel ſavorem, criminis læſæ Majeſtatis reos, maximis, & multiplicibus pœnis eſſe plectendos: quod in ipſos, qui Patriarchas, Archiepiſcopos, vel Epiſcopos offenderint, ſtatutum minime reperitur; ut evidenter binc liqueat, tanto ampliorem cenſeri Dignitatem, quanto plures, ſeverioreſque illam offendentibus infliguntur pœnæ.*

CCXII. Sane temperantur pœnæ adverſus perſequentes S. R. E. Cardinalem ſtatutæ, ſi Cardinalis efficeretur Apoſtolicæ Sedis rebellis, eamque ob cauſam ab aliqoo offeoderetur. Auctorem habemos hujus ſeotentiæ Carolum Ruinum Lib. V. Cooſilio IV. per totum, ubi ex hoc potiſſimum capite deſendere nititur Franciſcom-Mariam Urbini Dncem ab homicidio per eum commiſſo in perſonam Fraucisei Alidoſii Cardinalis Papienſis nuncupati; cum eoim hic eſſet in Civitate Bononiæ Apoſtolicæ Sedis Legatus, patefeciſſe dicebatur Officialibus Gallici Exereitus ſecreta Julii II. Pontificis, ex eo quod Sedis Apoſtolicæ rebellis erat, ideoque impune offendi poterat, & memoratus Urbini Dux abſolvendus, prout ab eodem Julio abſolotus ſuit, præſentibus S.R. E. Cardinalibus in ſorma Conſiſtorii coogregatis, teſte Guicciardino in Hiſtoria Italiæ Lib. I. & confirmat Gigas in Tractatu, *De crimine læſæ Majeſtatis*, Quæſtione V. Nom. XXIV. Quamvis huic abſolutioni, quæ, ut idem Guicciardinus ait, oon ſecundum Juris diſpoſitlooem, ſed ex gratia proceſſerat, non acquieviſſet poſtea Leo X. qui ex hac, & aliis cauſis animum ſuum moventibus, prædictum Franciſcum-Mariam Ducem Urbini Ducatu privavit, uti poſt Jnvium, & alios tradit Cohelhus in Notitia Cardioalatus loco citato.

CCXIII. De lædentibus Epiſcopos ut nunc agamus, celebris eſt adverſus ipſos Clementis Papæ V. Conſtitutio in Generali Concilio Viennenſi edita, quæ incipit, *Siquis ſuadente*, legiturque in Clementina I. *De pœnis*, Lib. V. Titulo VIII. Ei edendæ Conſtitutioni, qua percutiens Epiſcopum, capiens, & bannieos, vel hoc mandans, aut ratum habens, itemque conſiliarios, ſaotor, & deſenſor cum ſuis poſteris, ac præterea Civitas in hoc delinquens, ejuſque Officiales pœnis variis puniuntur, occaſionem profecto dedit ejus præſertim ævi improbitas, quo Clemens Papa V. claruit, ut idem in ipſa Conſtitutioue teſtatur, ohi poſt pœnas impoſitas prædictis offenſoribus Epiſcoporum, ita ſubdit: *Nec ſuper bæc quiſquam miretur, quod præmiſſa perpetrantibus pœnas non inſerimus graviores: licet enim (quod dicere pudet) bæc, prob dolor, frequenter occurrant, multiſque graſſantibus opus eſſet exemplo, & ex dignitate offenſi pœnam metiri deceat offendentis &c.* Ergo in citata Clementioa I. excommunicatur quilibet, qui, ſuadente diabolo injurioſe, vel temere, percoſſerit, ceperit, aut bannierit quemvis Pootificem, vel qui prædicta mandaverit, aut facta ab aliis rata haboerit, vel ſocius ſuerit in his ſaciendis, aut conſilinm, vel favorem dederit, vel ſcieoter defenſaverit eundem; nec abſolvi poteſt, oiſi per Summum Pootificem, præterquam in mortis articulo, atque tunc data cautione, quod parebit pœnæ impooendæ, & pœnitentiam Domioo aoxiliante perficiet. Excommunicantur etiam omnes Officiales quocumque nomine cenſeantur, qui in aliquo prædictorum ſuerint culpabiles, nec valeut abſolvi, niſi, ut prædictum eſt. Civitas aotem, quæ præmiſſa, vel eorum aliquid in Epiſcopum ſuum commiſerit, Eccleſiaſtico Interdicto, donec ſatisfecerit, ſubjacet. Legenda integra Conſtitutio iu dicta Clementina I. quam exponit Gloſſa ibidem, aliique Interpretes Canooici Juris, & Silveſter in Summa, verbo, *Excommunicatio* VII. Num. XLIII.

SESSIO X.

*De reformatione Montium Pietatis.*

CCXIV. Seſſio decima, qoæ ob alia urgeotia oegotia iterum ſuerat dilata, celebrata eſt taodem die IV. Maji anni MDXV. io eaque poſt Solemnia conſueta, Oratores Ducis Sabaudiæ ſe ſe cum ejus mandato obtuleront ad interveniendum Concilio. En lecto, & accepto, excluſis omnibus, qui adeſſe non poſſent, per Epiſcopum Abienſem lectom eſt ex Ambone Leonis Papæ X. qui Concilio præerat, Diploma, quod incipit, *Inter multiplices*, quo declaravit, & definivit, ſacro approbante Concilio, Montes Pietatis per Reſpnblicas inſtitutos, & auctoritate Sedis Apoſtolicæ per ejus Romanos Pontifices Maximos, Paulum II. Sixtum IV. Innocentium VIII. Alexandrom VI. & Jnlium II. hactenus probatos & confirmatos, in quibus, *pro eorum impenſis, & indemnitate aliquid moderatum, ad ſolas Miniſtrorum impenſas, & aliurum rerum, ad illorum conſervationem, ut præſertur, pertinentium, pro eorum indemnitate duntaxat, ultra ſortem, abſque lucro eorundem Montium aceipitur, neque ſpeciem mali præſerre, nec peccaudi incentivum præſtare, neque ullo pacto improbari, quinimo meritorinm eſſe, ac laudari, & probari debere tale mutuum, & minime uſurarium putari, liceretque illorum pietatem, & miſericordiam populis prædieare etiam cum indulgentiis a Sancta Sede Apoſtolica eam ob cauſam conceſſis.* Addit Pontifex, alios etiam deinceps ſimiles Montes cum Apoſtolicæ Sedis approbatione erigi poſſe; multo tamen perſectius, multoque ſanctius ſore, ſi omnino tales Montes gratuito conſtituerentur; hoc eſt, ſi illos erigentes, aliquos cenſus aſſignarent, quibus ſi non omni, ſaltem vel media parte hujuſmodi Montium Miniſtrorum ſolvantur impenſæ, ut ad leviorem æris ſolvendi portionem medio hoc panperes gravari contiogat; ad quos etiam cum hujuſmodi cenſus aſſignatio-

oe

ne pro impenſarum ſupportatione erigendos, Chriſtifideles majoribus Indulgentiis invitandos eſſe decernit. Eos vero, qui contra hoc de Montibus Pietatis Decretum verbo, vel ſcriptis diſputare auſi fuerint, excommunicationis latæ ſententiæ pœna percellit.

CCXV. Saluberrima Decreta de ipſis Montibus Pietatis edidit inter alios zelantiſſimos Eccleſiæ Præſules S. Carolus Mediolanenſis Antiſtes in Provinciali ſuo I. Concilio, Conſtitutionum Parte III. ubi edixit, ut *Epiſcopi omnem curam & operam ſuam conſerant ad erigenda & inſtituenda ex auctoritate Summi Pontificis loca pia, quæ Montes Pietatis appellantur, in ſingulis Civitatibus, & inſignioribus Oppidis, unde mutuas pecunias pauperes poſſint accipere, eaque, & quæ jam conſtituta ſunt, ſtudioſe, & fideliter adminiſtranda curent*. Tum poſtquam Seculares Principes, & Magiſtratus obſecravit, ut ea in re Epiſcoporum ſtudium, & diligentiam omni ope adjuvent, expreſſe mandat, *ne in eis quidpiam præter ſortem, niſi pro Miniſtris, & aliis neceſſariis ſumtibus, idque ex Summi Pontificis auctoritate, accipiatur*. Ceterum, ut ipſi Pietatis Montes, ſicut & alia pia Loca, quæ Sacrum Tridentinum Concilium Epiſcoporum curæ, ac ſtudio maxime commendavit, fideliter, diligenterque adminiſtrentur, juſſit S. Carolus, ut eorum Adminiſtratores tum Eccleſiaſtici, tum Laici, *qui nunc ſunt, intra tres menſes, qui deinceps deligentur, antequam ad adminiſtrationem accedant, jurent, ſe fideliter, & accurate munus ſuum executuros*.

CCXVI. Doctiſſime de hiſce Montibus diſſerit in celeberrimo Opere, *De Synodo Diœceſana*, Lib. VII. Cap. XLVII. Sanctiſſimus Dominus Noſter BENEDICTUS XIV. ubi eam Quæſtionem verſat, an uſurarii eſſent Montes Pietatis, quos ait Peruſiæ anno MCDL. primum erectos, in quibus, recepto pignore, pecunia, aut frumentum mutuo datur pauperibus ea lege, ut ſi præfixo tempore debitum non ſolvant, vendantur pignora, & ex eorum pretio Mons Pietatis ſortem creditam, & modicum quid ultra ſortem recipiat, reſiduum vero reddatur debitori. At vero nulli dubium eſſe, quin ipſi Montes liciti ſint, atque ab omni uſuræ labe immunes, conſtat ex recitato ſuperius Decreto Leonis Papæ X. approbante Sacro hoc Concilio V. Lateranenſi edito, cui egregie ſuffragati ſunt Theologi inſignes, & inter alios doctiſſimus Sylvius in Secundam Secundæ S. Thomæ, Quæſtione LXXVIII. Articulo IV. Quæſtione I. ubi plurima adducit argumenta ad vindicandam juſtitiam Montium Pietatis. Et quidem, quod ultra ſortem a mutuatariis exigitur, non cauſa mutui, ſed alio nomine exigitur, præcipue, ut ſine Montis detrimento congrua merces aſſignetur Miniſtris, qui non ſine magno labore, pignora cuſtodiunt, excutiunt, expendunt, & alia ejuſdem generis multa præſtant in gratiam mutuatariorum. Sicut enim ſi amicus, inquit Silvius, quem ibidem BENEDICTUS XIV. laudat, unius diei intervallo a me diſtans, mutuum a me petat, quod ad eum mittere cogar, per hominem a me conductum, & mutuum, & mercedem, quam dedi homini, per quem mutuum miſi, jure repetere poſſum: ita Montis Præfecti aliquid ultra ſortem creditam exigere valent erogandam in Montis Miniſtrorum ſalarium.

CCXVII. Quoniam vero periculum eſt, ne quod a Montis Præfectis ultra mutuatam pecuniæ ſummam exigitur, expenſas ſuperet in Miniſtrorum ſalarium erogandas; ideo Sacra Congregatio Concilii Tridentini Interpretum, ut omnis uſuræ ſuſpicio quamlonge abeſſet a Montibus Pietatis, quos Tridentinum ipſum Concilium Seſſione XXII. *De reformatione* Cap. VIII. inter Loca pia enumeravit, & Epiſcoporum Viſitationi ſubjecit, teſte eodem laudatiſſimo Auctore BENEDICTO XIV. die VII. Februarii anni MDCXXXVII. reſcribens ad Archiepiſcopum Neapolitanum, nihil ultra ſortem exigendum ſtatuit: *Loca pia*, inquit Reſcriptum, *& ſacras Ædes, quæ Depoſita retinent, dum mutuant indigentibus pecunias, accepto pignore, non poſſe quidquam a mutuatariis, niſi ex Sedis Apoſtolicæ diſpenſatione, accipere*. Idemque Reſponſum datum ait ad Epiſcopum Adrienſem die XIV. Martii ejuſdem anni. Multo magis ſubdit abſque Apoſtolicæ Sedis placito erit plus exigendum, quam antea conſueverit etiamſi Mons Pietatis eo auctario indigeat ad ſolvenda debita, quæ in mutuatariorum commodum contraxit. Hæc & alia notatu digna docet citato Capite Summus Pontifex BENEDICTUS XIV. Ceterum definitur Mons Pietatis, ſumma quædam pecuniæ vel alterius rei mutabilis deputatæ ad ſubveniendum neceſſitatibus pauperum per mutuum ſub pignore cum tribus conditionibus notatis a Ludovico Bail in ſuis adnotationibus ad hoc Concilium V. Lateranenſe. Prima, ut pecunia data indigentibus, ſit in determinata quantitate, & ad certum tempus. Secunda, ut ſi non reddatur ſuo tempore, pignora vendantur. Tertia, ut mutuatarius aliquid det in ſingulos menſes, vel annos pro ipſis Montis Pietatis expenſis.

*De Canonicorum, & aliorum Clericorum Secularium exemtorum delinquentium punitione.*

CCXVIII. Lectum eſt in hac eadem X. Seſſione Concilii V. Lateranenſis per Tarviſinum Epiſcopum aliud de Canonicorum, & aliorum Clericorum Secularium exemptorum delinquentium punitione Decretum, & de Prælatorum juriſdictione in ſubditos, quoad conſervandam libertatem Eccleſiaſticam, & removenda ſcandala, ad ponendam concordiam, & nutriendam quietem inter Eccleſiarum Prælatos, & eorum ſubditos, Indulta pariter & Privilegia eiſdem ſubditis in ipſorum Prælatorum diſpendium ab Apoſtolica Sede conceſſa ita moderatur Leo Papa X. *ne exinde ſcandala procedant, neve ex eis alii detur materia malignandi, & Perſonæ Eccleſiaſticæ a bono obedientiæ, necnon divini perſeverantia ſervitii nullatenus retrahantur*. De exemptionibus Capitulorum Cathedralium, earumque origine copioſe pro more & docte agit eruditiſſimus Thomaſſinus Parte I. *Diſciplinæ*, Lib. III. Cap. XXXIII. & XLI. ubi inter alia, Numero IV. docet, exemtiones ipſas Capitulorum excreviſſe jam in immenſum fere anno MCCLXXVII. quando Epiſcopi Provinciæ Remenſis in unum quodammodo confœderati ſunt Corpus, & in unam cauſæ ſocietatem, ut munimenti ſibi aliquid adverſus Capitula ſua compararent; ſed multo magis excreviſſe ipſas temporibus Generalis Concilii Vienpenſis, cum deliberatum in eo ſit de iis revocandis prorſus, ſicut & de Regularium Privilegiis, uti in ejuſdem Concilii Hiſtoria videre eſt, quam nos ſupra ſuo loco enarravimus hoc

hoc Tomo IV. Conciliorum. Sed tandem eo maxime Schiſmatis tempore, quo fœdiſſime dilaniata eſt Eccleſia poſt obitum Gregorii Papæ XI. Eo, inquam, maxime tempore libertates iſtæ exemtioneſque Capitulorum latiſſime propagatæ ſunt, ideoque Concilium Coostantienſe Seſſione XLIII. omnes illas reſcidit, revocavitque, quæ exinde conceſſæ fuerant ſine conſenſu Epiſcoporum, & ore Martioi Papæ V. ſpopondit, nullas amplius indultum iri, niſi vocatis, quorum intereſt, & cauſa diligentiſſime excuſſa: *Inſuper non intendimus*, inquit, *exemtiones de cetero facere, niſi cognita cauſa, & vocatis, quorum intereſt.*

CCXIX. Ergo occaſione diuturni Schiſmatis multiplicatis hiſce exemtionibus, dici nequit, quantum adverſus Epiſcopos Canonici inſoleſcerent, ac ſuperbirent. Teſtatur id quidem idem Leo Papa ita inquiens: *Sane nuper ad noſtrum relatio fide digna perduxit auditum, quod Canonici Patriarchalium, Metropolitanarum, & Cathedralium, & Collegiatarum Eccleſiarum, & alii Clerici Seculares plura præſumunt, quæ ipſis infamiam non parvam pariunt, & aliis inferunt læſionem prætextu exemtionis & libertatis a dicta Sede*, nempe Apoſtolica, *obtentæ, Ordinariorum correctiones, & ordinationes ſubterfugiunt, ac eorum Forum, ſive Judicium declinant. Nonnulli etiam impunitatem ſuorum exceſſuum per privilegium exemtionis obtinere ſperantes, exceſſus ipſos committere non verentur, quos niſi per exemtionem, qua gaudent, crederent ſe defendi, nullatenus fuiſſent commiſſuri. Hinc itaque accidit, ut propter eorum audaciam, qui prætextu privilegii exemtionis impunitatem exceſſuum obtinere confidentes, nonnulla multoties committant enormia, per quæ plurimum diffamatur Eccleſia, & ſcandala gravia generantur, potiſſime autem cum talia per eos, ad quos horum ſpectat correctio, incorrecta remaneant; ſeu illi, ad quos ſpectat, illa punire negligunt.* Probari hi exceſſus poſſent variis ejus ævi exemplis, Scriptorumque complurium teſtimoniis, ſed longe omnium luculentiſſimum eſt, omnique exceptione majus recitatum hucuſque Leonis X. Papæ teſtimonium de Canonicis, qui Privilegiis Apoſtolicæ Sedis abuſi, impune ſcelera perpetrabant, ſuorumque Epiſcoporum auctoritatem, juriſdictionemque jam non ſine Chriſtiani Populi ſcandalo contemnebant.

CCXX. Huic porro malo, turpique abuſui providere coactus eſt Leo Papa, ubi *ſacro approbante Concilio*, ſtatuit, *ut illi, quibus exemtorum correctio, & punitio a dicta Sede demandata eſt, circa illam vigilanter intendant, & diligenter officii ſibi commiſſi debitum exequantur, & quamprimum eis exemtos ipſos deliquiſſe, legitime conſliterit, ita eoſdem exemtos delinquentes puniant, quod iidem exemti metu pœnæ a ſuis arceantur inſolentiis, & alii eorum exemplo perterriti, proſilire ad ſimilia merito perhorreſcant.* Addit tum alia Pontifex, quæ tamen hoc loco deſcribere omitto, cum ex recentioribus Concilii Tridentini Decretis, quæ fuſe explicant Viri egregii, Fagnanus in Cap. *Irrefragabili*, §. *Exceſſus*, *De Officio Ordinarii*, atque Thomaſſinus Parte I. *Diſciplinæ*, Lib. III. Capite XLI. Capitula ipſa exemta viſitationi, & correctioni Epiſcoporum ſubjecta ſint. Legendum inter alia Tridentini ipſius Concilii Decretum Seſſione XXV. *De reformatione*, Cap. VI. ac præſertim quod eadem Synodus ſtatuit Seſſione VI. *De reformatione*, Cap. IV. ita inquiens: *Capitula Cathedralium, & aliarum majorum Eccleſiarum, illorumque perſonæ, nullis exemtionibus conſuetudinibus, ſententiis, juramentis, concordiis, quæ tantum ſuos obligent Auctores, non etiam ſucceſſores, tueri ſe poſſint, quo minus a ſuis Epiſcopis, & aliis majoribus Prælatis, per ſeipſos ſolos, vel illis, quibus ſibi videbitur, adjunctis, juxta Canonicas Sanctiones toties, quoties opus fuerit, viſitari, corrigi, & emendari, etiam auctoritate Apoſtolica, poſſint, & valeant.*

*De impreſſione Librorum.*

CCXXI. Altera præterea in prædicta Seſſione decima per Epiſcopum Namoatenſem lecta eſt approbante Coocilio Leoois Papæ X. Conſtitutio, qua ſtatuit, *quod de cetero perpetuis futuris temporibus nullus librum aliquem, ſeu aliam quamcunque Scripturam, tam in Urbe noſtra, quam aliis quibuſvis Civitatibus, & Diœceſibus imprimere, ſeu imprimi facere præſumat, niſi prius in Urbe per Vicarium noſtrum, & Sacri Palatii Magiſtrum, in aliis vero Civitatibus, & Diœceſibus per Epiſcopum, vel alium habentem peritiam ſcientiæ libri, ſeu ſcripturæ hujuſmodi imprimendæ ab eodem Epiſcopo ad id deputandum, ac Inquiſitorem hæreticæ pravitatis, ſive Diœceſis, in quibus librorum impreſſio hujuſmodi fieret, diligenter examinentur, & per eorum manu propria ſubſcriptionem, ſub excommunicationis ſententia gratis, & ſine dilatione imponendam, approbentur: qui autem ſecus præſumſerit, ultra librorum impreſſorum amiſſionem, & illorum publicam combuſtionem, ac centum ducatorum Fabricæ Principis Apoſtolorum de Urbe ſine ſpe remiſſionis ſolutionem, ac anni continui exercitii impreſſionis ſuſpenſionem, excommunicationis ſententia innodatus exiſtat, ac demum, ingraveſcente contumacia, taliter per Epiſcopum ſuum, vel Vicarium noſtrum, reſpective, per omnia Juris remedia caſtigetur, quod alii ejus exemplo ſimilia minime attentare præſumant.* Hactenus Leonis X. Conſtitutio lecta in hac X. Seſſione, incipitque: *Inter ſollicitudines.*

*De Magiſtro Sacri Palatii.*

CCXXII. Quod Magiſtrum Sacri Palatii ſpectat, cujus in hac Conſtitutione fit mentio, teſte Auguſtino Patricio Sacrarum Cæremoniarum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſub variis Pontificibus Maximis Præfecto, Lib. III. Cap. XXIII. *Magiſter Sacri Sacri Palatii conſuevit eſſe ex Ordine Prædicatorum, & ordinarie quando fit Conſiſtorium, legit in Palatio publice aliquid in Theologia. Ad hunc ſpectat ordinare, qui debeat facere ſermones in Capella Apoſtolica, curareque, ut nihil dicatur puritati Fidei, & gravitati illius loci contrarium; & ſedet, vel ſtat ſemper poſt primum Auditorem*, quem ſcilicet Rotæ appellant, *qui adeſt.* Inſigni Munere Magiſtri Sacri Palatii tum primum ad Sacras Scripturas in Aula Pontificia Familiaribus Cardinalium exponendas, dum ipſi Cardinales Eccleſiæ negotia cum ipſo Summo Pontifice tractabant, ab Honorio Papa III. auctus eſt S. Dominicus Ordinis Prædicatorum Inſtitutor, & S. Pauli Epiſtolas publice, dum Romæ degebat, interpretatus eſt, uti ejus Vitæ Scriptores tradunt; qui etiam notant, Munus ipſum Magiſtri Sacri Palatii ab eo tempore conſueviſſe Fratribus prædicti Ordinis Prædicatorum conferri.

CCXXII. Er-

CCXXIII. Ergo, ut inter alios teſtatur Cardinalis de Luca in Relatione Romanæ Curiæ, Diſcurſu VIII. in Apoſtolico Palatio reſidet, atque inter Papæ aulicos Familiares recenſetur unus Religioſus Ordinis S.Dominici Sacræ Theologiæ eximius Profeſſor cum Socio pariter ejuſdem facultatis Profeſſore, qui ſpeciem ejus Vicarii, ſeu Adjutoris in munere, præſeferre videtur, præter Converſos, qui pro eorum ſervitio ſunt neceſſarii. Iſte autem gerendo munus Theologi Papæ, ſive ſit tanquam Papæ, ſeu magis proprie tanquam Epiſcopi Urbis, nuncupatur Magiſter Sacri Palatii, in ſua origine probabiliter aſſumtus ad effectum, ut in rebus, quæ ad Fidem pertinent, Papam informet tamquam Conſultor, eo modo, quo, data proportione tenent Theologum plures Archiepiſcopi, & Epiſcopi, ac etiam Cardinales, præſertim temporibus antiquioribus, antequam ſcilicet erigeretur ſub Paulo Papa III. Congregatio Sacræ Inquiſitionis, ſeu Sancti Officii, quæ hodie in iis, quæ pertinent ad Eccleſiam univerſalem, & Papam uti Papam, iſtas gerit partes, ut in citata Romanæ Curiæ Relatione, Diſcurſu XIV. docet idem Cardinalis de Luca, aliique Scriptores qui de Magiſtro Sacri Palatii tractarunt.

CCXXIV. Iſtud autem Officium Sacri Palatii Magiſtri, publicum potius, & Curiale, quam Aulicum in Ordine Hierarchico Curiæ, ejuſque Magiſtratuum eſſe, laudatus Cardinalis de Luca affirmat in prædicto Diſcurſu VIII. ideoque tam ratione antiquitatis, quam ratione dicti Muneris, quod ante erectionem memoratæ Congregationis exercebat, valde conſiderabilis erat ejus auctoritas, illudque præſertim exercuit Sanctus Raymundus de Pennaſort Dominicanæ Familiæ alumnus, & decus eximium, qui juſſu Gregorii Papæ IX. fuit Compilator quinque Librorum Decretalium; ac propterea non Theologiæ tantum, ſed etiam Juris Canonici antiquitus eximius Profeſſor erat, & per conſequens etiam peritus in Jure Civili, dum vix dari poteſt bonus Canoniſta ſine hac peritia. Unde propterea commendabilis videbatur uſus antiquus, quod aliqui Religioſi, ut huic Muneri ſe aptos redderent, non ſolum Theologiæ, ſed & Canonum ſtudiis æque principaliter vacarent, ut docent nos Opera præſertim Cardinalis Turrecrematæ, & Silveſtri Prieratis, qui fuerunt Dominicanæ Familiæ alumni, & Sacri Palatii Magiſtri. Hinc, ut notat idem Cardinalis de Luca, nimium probabile eſt, quod ipſe Magiſter Sacri Palatii eas partes gereret, quas hodie gerit domeſticus Auditor Papæ, dum antiquum Cæremoniale, ſeu Praxis Pontificiæ Capellæ, cujus locum ſupra attulimus, ante ejus reformationem ſub Alexandro Papa VII. docet, quod reputabatur veluti unus ex Auditoribus Rotæ; imo omnium major ac dignior præter Decanum, ſub quo, & ſupra alios quamvis antiquiores ſedebat. Porro a tempore prædictæ reformationis ſequutæ ſub laudato Alexandro VII. per quam Rotæ Auditores Subdiaconi creati fuerunt cum prærogativa Rocchetti, forſan ratione ejus Habitus, nunc ſedet quidem Magiſter Sacri Palatii cum Auditoribus Rotæ, ſed poſt eorum ultimum.

CCXXV. Hodiernum Munus hujus Magiſtri, ut vel ex Decreto a Leone Papa X. in hac Seſſione X. promulgato liquet, principaliter conſiſtere videtur in reviſione Operum, ſeu Librorum in Urbe, ac ejus diſtrictu imprimendorum, cum impreſſio eorum prohibita ſit ſine prævia licentia Vicarii Urbis, ſeu ejus Viceſgerentis, quæ concedi ſolet ſub conditione reviſionis, & approbationis hujus Magiſtri, qui quandoque per ſeipſum, vel per ejus Socium hanc reviſionem facit, & quandoque, ac frequentius reviſionem alicui docto ac probato Viro committit, ad cujus relationem ipſe poſtea licentiam impertitur, ut docet Praxis adeo frequens Librorum, qui in Urbe imprimuntur. Quinimo neque iſta licentia ſufficit, ſed poſtquam Liber eſt impreſſus, deſideratur altera ejus licentia ſuper publicatione, cujus occaſione per Impreſſorem, quatuor ei tradi ſolent ejuſdem Libri copiæ impreſſæ, una ſcilicet pro ſeipſo, altera pro Socio, tertia pro Viceſgerente, & quarta pro Bibliotheca Vaticana. Ceterum inter alias prærogativas, quibus Sacri Palatii Magiſtrum Romani Pontifices auxerunt, retinet & hic quoque facultatem, quam forte olim ſolus exercebat ante erectionem prædictæ Congregationis Sacræ Inquiſitionis, & alterius, quæ dicitur Indicis Librorum prohibitorum, revidendi ſcilicet, ubi velit, Libros alibi impreſſos, qui in Urbe, ejuſque diſtrictu vendantur, ſeu legantur; atque etiam concedendi licentias perſonis non ſuſpectis, ut nempe legere poſſint Libros prohibitos, ad aliquem ſcilicet bonum finem; *ideoque ex iſta etiam cauſa ante dictarum Congregationum erectionem, longe majorem faciebat figuram*; ut notat Cardinalis de Luca ibidem.

CCXXVI. Adhuc tamen in Hierarchia Regulari eſt Officium magnæ exiſtimationis, tum ob narratam Juriſdictionem, & ob annexum munus fixi Conſultoris memoratæ Congregationis, ſeu Tribunalis Sacræ Inquiſitionis; tum etiam quia cum ad præſcriptum Apoſtolicarum Conſtitutionum ad decorandum Clerum Regularem, congruat aliquos Religioſos Cardinalium Collegio cooptare, Magiſter quidem Sacri Palatii reputari ſolet gradus valde proximus huic dignitati, ut Praxis pluries probavit, præſertim quum qui ad Sacri Palatii Magiſtri gradum aſſumuntur, ex præcipuis Ordinis Prædicatorum Theologis, ac Viris eximiæ prudentiæ eligi ſoleant. Certe, ut alios omittam, talis eſt Vir doctiſſimus Fr. Joſephus Auguſtinus Orſi ex Secretario Indicis ad eam Magiſtri Sacri Palatii dignitatem a Sanctiſſimo Domino noſtro BENEDICTO XIV. juſto meritorum æſtimatore evectus; ob mortem ſcilicet Religioſiſſimi, ac præſtantiſſimi Viri Fr. Nicolai Ridolfi, de cujus laudibus egregie diſſeruit in ejus funebri Oratione recitata præſente cadavere Romæ in Templo S. Mariæ ſuper Minervam Vir clariſſimus Pater Bernardus Guillelminus Ordinis Clericorum Scholarum piarum.

CCVII. Ut finem tandem decimæ huic Seſſioni faciam, lectum & in eadem fuit per Epiſcopum Caſtellimaris Diploma de ultimo, ac peremtorio termino Prælatis Gallis ad reſpondendum de Pragmatica Sanctione præfixo ad Kalendas Octobris ejuſdem anni MDXV. coram Sacro Concilio, & Romano Pontifice; alioquin ſubſequenti Seſſione XI. quæ indicta eſt ad diem XIV. Decembris proceſſum iri contra illorum contumaciam. Sane die XXI. Junii, Concilii Procurator petiit referri in ejus Acta quoddam publicum Inſtrumentum Aquis in Provincia per Notarios retentum, ſubmiſſionis per Conſiliarios Parlamen-

Digitized by Google

lamenti Provinciæ factæ Decreto in octava Seſſione contra ipſos promulgato, quo quæcumque ab ipſis facta eſſent contra Immunitatem Eccleſiaſticam deteſtantes, petierunt abſolvi a Cenſuris, in quas propterea incurriſſent. Quod cum Ludovicus Solerii Orator Regis Francorum, Procurator ad hoc ab eis conſtitutus obtuliſſet, eorumque nomine ſatisfeciſſet, Pontifex petitam abſolutionem conceſſit, cum reincidentia tamen, niſi iidem intra quatuor menſes confirmarent, quæ illorum nomine Ludovicus feciſſet: quod ipſi confeſtim præſtiterunt, ut conſtat ex eiſdem Actis, quæ inter cetera Concili Acta habentur.

## S E S S I O XI.

*De modo prædicandi*

CCXXVIII. Indicta jam fuerat hæc Seſſio undecima in Seſſione decima, habita, uti dictum ſuperius fuit, die IV. Maji anni MDXV. ſed ob alias Papæ occupationes dilata eſt ad finem anni conſequentis, nempe anni MDXVI. Die itaque XV. Decembris hujus anni facta fuit Romæ Congregatio Generalis in Palatio Apoſtolico pro diſcutiendis, & examinandis Decretis in Seſſione undecima hujus V. Lateranenſis Concilii proponendis; iiſque diſcuſſis, & conſtitutis, die Veneris decima nona ejuſdem menſis, & anni, celebrata eſt Seſſio XI. cui Leo X. Pontifex præfuit: in qua poſt conſueta Solemnia, tres Oratores Petri Patriarchæ Maronitarum Montis Libani obedientiam ipſius nomine Pontifici præſtiterunt; Litteraſque lingua Chaldæa, ſeu Arabica obtulerunt, quæ in Latinam verſæ, iiſdem Actis continentur; quibus Patriarcha gratias agens de miſſione Fr. Joannis Franciſci de Potentia Ordinis Minorum a Pontifice ad ipſum pro inſtructione nonnullorum Dogmatum Fidei, ac Sacrorum Rituum, quos enumerat, in quibus Maronitæ deviabant a recto, egregiam in hoc navatam ab eo operam teſtatur; mittereque ſe una cum eo ait quoſdam e ſuis, qui Patrum iſtituta, ac S. R. E. dogmata addiſcerent, & ipſius, ac totius Cleri, Populique Maronitarum nomine obedientiam præſtarent, & fidelitatem jurarent, alia reſervans Joanni Franciſco ſignificanda de infeliciſſimo ipſorum ſtatu ſub tyrannide Infidelium.

CCXXIX. Lecta eſt deinde Conſtitutio Leonis Papæ X. quæ incipit, *Supernæ Majeſtatis*, Concionatores ſpectans, in qua ſtatuitur, *ut nullus tam Clericus ſecularis, quam cujuſcumque etiam Mendicantium Ordinis Regularis, aut quivis alius .....ad hujuſmodi Officium exercendum admittatur, niſi prius per Superiorem ſuum reſpective diligenter examinatus, ac morum, honeſtate ætate, doctrina, probitate, prudentia, & vitæ exemplaritate ad illud aptus, & idoneus reperiatur, & hic quocumque poſtea prædicaturus acceſſerit, de hujuſmodi examine, & idoneitate ſua per Litteras authenticat, ſeu alias ſui Examinatoris, approbatoriſque, Epiſcopis, & aliis Locorum Ordinariis fidem legitime faciat.* Iiſdem Concionatoribus jubetur, ut Evangelicam veritatem, & Sanctam Scripturam juxta declarationem, interpretationem, & ampliationem Doctorum, quos Eccleſia, vel uſus diuturnus approbavit, legendoſque hactenus recepit, & in poſterum recipiet, prædicent, & explanent, nec quidquam ejus proprio ſenſui contrarium, aut diſſonum adjiciant, ſed illis ſemper inſiſtant, quæ ab ipſius Sacræ Scripturæ verbis, & præfatorum Doctorum interpretationibus rite & ſane intellectis non diſcordant. Sed de hac re jam nos luculentius, fuſiuſque diſſeruimus in noſtris Commentariis ad præcedentes Synodos.

CCXXX. Huic edendæ Conſtitutioni occaſionem dediſſe ait idem Leo Pontifex abuſum ejus ævi, quo ſcilicet nonnulli Prædicatores multa & varia contra inſtitutiones, & doctrinas Patrum, & quandoque etiam ſcandaloſa populis prædicare auderent; officiique ſui immemores, in ſuis ſermonibus non ad utilitatem audientium, ſed ad ſuam potius oſtentationem laborantes, vanis quorundam auribus blandirentur, ad hoc jam deveniſſe viſi, ut verificetur dictum Apoſtoli in Epiſtola ſua II. ad Timotheum, Cap. IV. ita ſcribentis: *Erit enim tempus, cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi Magiſtros prurientes auribus, & a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.* Quanta eſſet illorum Concionatorum temeritas, pluribus exponit in citata Conſtitutione Leo Pontifex, ſic inter alia inquiens: *Prædicantes ipſi non modo in rectam, veramque viam reducere minime ſtudent*, hominum ſcilicet animas, *ſed illas majoribus etiam erroribus implicant: dum ſine ulla Canonum atteſtatione, vel reverentia, imo contra ipſas Canonicas Sanctiones, Sacræ Scripturæ ſenſum multifariam pervertentes, temereque ac perperam plerumque interpretantes, contra veritatem prædicare, terroreſque, ac minas, multaque mala propediem affutura, jamque ingruentia, nulla prorſus legitima ratione muniti, ſed ſuo dumtaxat ſenſui obſequentes, comminantur, repræſentant, adeſſeque aſſeverant: plerumque etiam vana quædam & inania, & alia hujuſmodi populis ingerere, & quod enormius eſt, ab æternitatis lumine, & Sancti Spiritus admonitione, aut infuſione illa ſe habere, aſſerere audent.*

CCXXXI. Enormi huic cohibendo abuſui provida hac ſua Conſtitutione, Sacro approbante Concilio, Leo X. Pontifex ipſis Concionatoribus mandat, *ne tempus præfixum futurorum malorum, vel Antichriſti adventum, aut certum diem Judicii prædicare, vel aſſerere præſumant, cum Veritas dicat, non eſſe noſtrum noſſe tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate, ipſoſque, qui hactenus ſimilia aſſerere auſi ſunt, mentitos; ac eorum cauſa, reliquorum etiam auctoritati non modicum detractum fuiſſe conſtet.* Tum etiam eiſdem Concionatoribus inhibet, cujuſcumque ſtatus, gradus, & ordinis exiſtant, *ne de cetero in ſermonibus ſuis publicis, alia quæque futura ex Litteris ſacris conſtanter prædicere, nec illa a Spiritu Sancto, vel Divina revelatione ſe habuiſſe, affirmare, & alienas, inaneſque divinationes aſſeverando, aut alio quocumque modo tractando aſſumant, ſed ex Divinæ vocis præcepto Evangelium omni creaturæ cum vitiorum deteſtatione, & virtutum commendatione enucleent, & declarent, & pacem, ac dilectionem mutuam a Redemtore noſtro tantopere commendatam ubique foventes, non ſcindant veſtem conſutilem Chriſti, ſed ab Epiſcoporum, & Prælatorum, ac aliorum Superiorum, eorumque ſtatus ſcandaloſa detractione, quos coram vulgo, & & laicis non modo incaute, ſed etiam intemperanter reprehendunt, & mordent; & ab eis male geſtorum, expreſſis quandoque nominibus, aperta, & manifeſta redargutione abſtineant.*

CCXXXII. Cæterum ait Leo Pontifex, ſi qui-

quibuſdam Concionatoribus Dominus jam futura quædam in Dei Eccleſia inſpiratione quapiam revelaverit, ut per Amos Prophetam ipſe promittit, & Paulus Apoſtolus Prædicatorum Princeps, *Spiritum*, inquit, *nolite extinguere: Prophetias nolite ſpernere*: nolle ſe hos aliorum fabuloſorum, & mendacium gregi connumerari, vel aliter impediri, quia ſcilicet, teſte S. Ambroſio, exſtinguitur ipſius gratia Spiritus, ſi incipientibus loqui fervor contradictione ſopitur, & tum Spiritui Sancto injuria fieri dicitur. Verum, quoniam res magni momenti eſt, eo quod non facile credendum ſit omni ſpiritui, ſed ſint probandi ſpiritus, eodem teſte Apoſtolo, an ex Deo proveniant, ſubdit mox Pontifex, *ut lege ordinaria tales aſſertæ inſpirationes, ante quam publicentur, aut populo prædicentur, ex nunc Apoſtolicæ Sedis examini reſervatæ intelligantur; quod ſi ſine moræ periculo id fieri non valeret, aut urgens neceſſitas aliud ſuaderet, tunc eodem ordine ſervato, Ordinario loci, ut ille adhibitis ſecum tribus, aut quatuor doctis, & gravibus Viris, hujuſmodi negotio cum eis diligenter examinato, quando id expedire videbunt, ſuper quo eorum conſcientias oneramus, licentiam concedere poſſint*. Ita ille.

CCXXXIII. Quod certum extremi Judicii diem, & præfixum Antichriſti adventum, quem Concionatores quidam ad incutiendum fortaſſe peccatoribus terrorem prædicare perperam populis ſolent contra Lateranenſis hujus v. Concilii Decretum, imo contra Chriſti Oraculum, quo uſum eſt Concilium ad contundendam magis magiſque ipſorum Concionatorum temeritatem, jam ipſa S. Pauli ætate impoſtores fuerunt, qui ad Fidelium terrorem diem Domini jam jam adventuram prædicabant, uti notat doctiſſimus Auguſtinus Calmet in Diſſertatione, *De Antichriſto*, Articulo IV. & in Commentario ad Epiſtolam II. S. Pauli ad Theſſolonicenſes, Capite II. *Rogamus vos*, ait ibidem Apoſtolus, *per adventum Domini noſtri, & noſtræ Congregationis in ipſum, ut non cito moveamini a veſtro ſenſu, neque terreamini, neque per ſpiritum, neque per ſermonem, neque per epiſtolam, tanquam per nos miſſam, quaſi inſtet dies Domini. Nequis vos ſeducat ullo modo, quoniam niſi venerit diſceſſio primum, & revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui adverſatur, & extollitur ſupra omne, quod dicitur Deus &c.* De eadem re ſcripſit ad Diſcipulos ſuos S. Joannes, in Epiſtola ſua I. Cap. II. ſic inquiens: *Filioli noviſſima hora eſt, &, ſicut audiſtis, quia Antichriſtus venit, & nunc Antichriſti multi facti ſunt; unde ſcimus, quia noviſſima hora eſt*. Subditque Cap. IV. *Omnis Spiritus, qui ſolvit Jeſum, ex Deo non eſt, & hic eſt Antichriſtus, de quo audiſtis, quoniam venit, & nunc jam in Mundo eſt*. Hinc videre eſt, quomodo priores Eccleſiæ Fideles, & Chriſti, & Antichriſti adventum proxime opperirentur.

CCXXXIV. Quod ſpectat recitatum locum Pauli Apoſtoli ex ſecunda ejus Epiſtola ad Theſſalonicenſes, obſervandum, quod Sacri Interpretes docent, quod nempe nebulones quidam ex priori S. Pauli ad eoſdem Theſſalonicenſes Epiſtola occaſionem arripuiſſent, dicendi extremi Judicii diem impendere, ideo Apoſtolum, in Epiſtola ſecunda probare voluiſſe quod ante dixerat, Judicii diem certo venturum ſed venturum clanculum, ac veluti furem in nocte. Nihil porro ait de tempore, quo hoc futurum ſit, ſed illorum duntaxat ſententiam evertit, qui illum quamprimum venturum eſſe affirmabant. Ergo in ipſa ſecunda Epiſtola Theſſalonicenſes Apoſtolus obteſtatur, ut non cito moveantur, ne ſtatim ſcilicet deſererent Fidem, quam eiſdem prædicaverat, neque eam doctrinam abjicerent, quam in ſuperiori Epiſtola de noviſſimo Judicio illis tradiderat: ne aures præberent vel tenebrionibus, qui illos in errorem ſtuderent impellere, vel pſeudoapoſtolis, qui hunc diem imminere contendebant. Ne moverentur obſecrat, *neque per ſpiritum*, inanis ſcilicet prophetiæ; *neque per ſermonem, neque per Epiſtolam tanquam per nos miſſam*; quia ſcilicet, ut illi falſi impoſtores Theſſalonicenſibus timorem incuterent, fallaces Prophetias ferebant, Propheticoque ſpiritu afflatos ſe eſſe aſſerentes, noviſſimum Judicii diem imminere affirmabant. Dicebant alii, ſe hoc ex eodem Apoſtolo in publicis privatiſque ſermonibus didiciſſe; quidam vero Epiſtolas illius ſe habere ſimulabant, in quibus ea diceret, quorum fidem populo conabantur adſtruere.

CCXXXV. Notant hæc Cornelius a Lapide, & Auguſtinus Calmet in ipſam II. ad Theſſalonicenſes Pauli Epiſtolam Cap. II. quorum alter ſcite obſervat, nebulones ipſos ideo noviſſimum eum diem imminere affirmaſſe, ut Fideles vel impatientia corriperentur, videntes hunc diem nimium differri; vel de reliquis ad Fidem ſpectantibus dubitarent, ubi illum nunquam adventare cognoſcerent; vel, ut illis relinquentibus, & deſerentibus temporalia bona, quippequi vere Judicem noviſſimum inſtare arbitrarentur, hæc ipſi invadere poſſent. Apoſtolus vero hunc diem nondum imminere contendens, minime cupiebat eorum ardorem retundere, quo adventum Filii Dei deſiderabant; neque illis negligentiam, & ſecuritatem immittere, ſed metuebat, ne illorum Fides labeſceret, & crederent ita & de reliquis eſſe, omnemque ſpem ſuam eſſe vacuam, & inanem, ſi quod de ea re ipſis promiſſum fuerat, fallax reperiretur: *Non ergo ille diligit adventum Domini*, inquit S. Auguſtinus in Epiſtola olim LXXX. nunc CXCIX. Num. XV. *qui eum aſſerit propinquare, aut ille qui aſſerit non propinquare; ſed ille potius, qui eum, ſive prope ſit, ſive longe ſit, ſinceritate Fidei, firmitate Spei, ardore Charitatis expectat*. In hoc ſtatu cupiebat S. Paulus Theſſalonicenſes permanere, & in hoc omnes verſari debent Chriſtiani, quoniam voluit Deus, ut terribilem illius extremi Judicii diem ignoraremus.

CCXXXVI. Fateri autem cogimur, Scriptorum plane inſignium fuiſſe opinionem, qui vicinum diem illum ultimum, & Antichriſti adventum ſtatuerunt. Patrum agmen, qui quovis Eccleſiæ ſeculo non longe eſſe Mundi interitum aſſeruere, affert in Diſſertatione, *De Antichriſto* Articulo IV. Auguſtinus Calmet. Præ ceteris id pluribus in locis aſſeruit S. Gregorius Magnus, præſertim Homilia I. in Evangelia, & Lib. IV. Epiſtola XXXIV. & Epiſtola XXXVIII. Omnia nobis, ajebat, peſtes, bella, terræmotus, Nationum ſeditiones, Populorum calamitates extremam diem jam prope adventuram portendunt. Quamvis vero Mundus a nobis diſcedat, diſcedenti præ viribus inhæremus, ac ſi vel ille, vel nos perenniter maneremus. Veterum Chriſtianorum traditio de Mundi fine poſt Millenarium a

Chri-

Digitized by Google

Chriſtl Domini Nativitate ſuturo circa decimum Ecclcſiæ ſeculum, ad Loca pia, & Monaſteria erigenda plurimos compulit, ut facultatibus ante diem ultimam dimiſſis, rebus hiſce ſoluti coram Supremo Judice ſiſterentur; teſtiſque ejus rei eſt inter alios idem Calmet Monachus Ordinis S. Benedicti in memorata Diſſertatione, *De Antichriſto*, Articulo IV. Naſcente ſeculo Chriſti XII. Fluentius Epiſcopus Florentinus, natum jam eſſe Antichriſtum prædicabat, deditque occaſionem Paſchali II. ut eam ob rem Florentiæ Concilium celebraret, teſte Pandulpho in ejus Vita, ubi hæc habet: *Apud Florentiam Concilium celebravit, in quo cum Epiſcopo Loci de Antichriſto, quia eum natum dicebat, ſatis diſputatum eſt; ſed ob frequentiam Populi, qui ob rei novitatem audiendam hinc inde confeſtim, tumultuatimque confluxerat, nec Concilium finem, nec diſputatio deliberationem habuit.* Loquitur & de hoc Concilio Sabellicus Libro IV. ubi relatis quibuſdam prodigiis, quæ tune acciderunt, ſubdit: *His fortaſſe prodigiis motus affirmare non dubitavit Fluentinus* (legendum, Florentinus, ut notat Pagius in Vita Paſchalis Papæ II. Numero XXXVIII.) *Antiſtes, eſſe Antichriſtum natum, qua prædicatione Paſchalis motus in Hetruriam profectus, Conventuque ſuper ea re Florentiæ habito, cum appareret, hominem nulla alia ratione ſubnixum, quam ut alicujus magnæ rei auctor videretur, ejuſmodi prædicatione uſum tantum admonuit, ut temerario incæpto deſiſteret.*

CCXXXVII. Teſte Pagio citato loco, celebratum eſt Concilium ipſum Florentinum anno MCVI. poſt quod tamen non defuerunt tum Seculo ipſo XII. tum ſequioribus, qui præfixum extremi judicii tempus aſſererent. S. Bernardus, qui eodem XII. Seculo claruit, Sermone VI. in Pſalmum XC. ex tot, quæ ingruerant, flagitiis Mundi exitum in limine eſſe colligebat. B. Joachim Abbas Seculi XII. Auctor Antichriſtum, & Mundi finem poſt annos LX. venturum credidit. Arnaldus de Villanova venturum ſtatuit Antichriſtum anno MCCCXXVI. Franciſcus Meletius anno MDXXX. ſeu MDXL. Nonnulli Germaniæ fanatici venturum Antichriſtum ſcripſere anno MDXXXIII. Joannes Pariſienſis anno MDLX. Cardinalis Cuſanus anno MDCC. ſeu MDCCXXXIV. Petrus Cardinalis Alliacenſis, & Epiſcopus Cameracenſis ex ſuis aſtronomicis ſpeculationibus anno Domini MDCCLXXXIX. Antichriſtum proditurum determinavit. Hieronymus Cardanus anno MDCCC. S. Vincentius Ferrerius Seculo XV. in Epiſtola data anno MCDXII. die XXVII. Julii, quam ſcripſit ad Benedictum XIII. quem genuinum Pontificem tunc temporis habebat, Antichriſtum in limine eſſe affirmat, ejuſque ortum jam inde a novem annis ſe a pio quodam Heremita didiciſſe aſſerit; idque plurimorum, qui idem per auditum acceperant, & plurium dæmonum, qui inter energumenorum exorciſmos idem fateri coacti fuerant, teſtimonio confirmat; de eoque ſit Breviarium Romanum in ejus Officio die V. Aprilis, quod *electus a Deo, ut monita ſalutis in omnes Gentes, Tribus, & Linguas diffunderet, & extremi tremendique Judicii diem appropinquare oſtenderet, omnium auditorum animos terrore concuſſos, atque a terrenis affectibus avulſos ad Dei amorem excitabat.*

CCXXXVIII. Sunt & alii complures, qui perituri Mundi, adventuſque Antichriſti certum diem determinarunt, quorum tamen omnes prædictiones, divinationeſque falſas fuiſſe ex eventu deprehendimus: ceteras vero nullo ſolidiori innixas fundamento merito judicamus; præſertim, quod Leo Papa X. approbante Generali hoc Concilio V. Lateranenſi, uti notatum ſuperius fuit, Concionatoribus omnibus, ne Antichriſti adventus, Mundique finis certum diem inpoſterum præfigerent, diſtricte interdixit; quod utique præſtari ab iiſdem non poſſet, quin & in temeritatis notam inciderent, & Chriſti Domini Oraculo adverſarentur, qui in Apoſtolorum Actis, Cap. I. dixit: *Non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate.* Hinc S. Carolus in Concilio Provinciali I. Mediolanenſi, Capite inſcripto, *De Prædicatione Verbi Dei*, inter alia quæ a Concionatoribus ſervanda eſſe inculcat, ſtatuit, *ne certum tempus Antichriſti adventus, & extremi Judicii diem prædicent, cum illud Chriſti Domini ore teſtatum ſit:* Non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta. *Neve quidquam præterea futurum ex Sacris Litteris divinare, eique eventui certam diem præfinire audeant. Neque temere id ſibi divinitus revelatum eſſe affirment.* Rurſus in Inſtructionibus Prædicationis Verbi Dei ex Concilii Provincialis III. Mediolanenſis Decreto editis idem Sanctus Antiſtes ita Concionatorem admonet: *De extremo Judicii die, & Antichriſti adventu ita ad Populum verba faciat, ut ea expectatione peccatores terreantur. De tempore autem, quo illud futurum ſit, nihil pro certo affirmare audeat.*

CCXXXIX. Similia Decreta legere eſt paſſim in aliis Synodis poſt Generalem V. Lateranenſem variis temporibus celebratis, quia ſcilicet Concionatores quidam ignari, & qui alias, ut phraſi Apoſtoli utar, zelum Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam, temere aſſerere non verentur, vicinum eſſe interituri mundi diem, & Antichriſti adventum, ad terrendos ſcilicet peccatores, cum alias ad pœnitentiam urgeri ipſi, & terreri rectius, ac fructuoſius poſſent vicinæ mortis nuncio, & particularis Judicii. Quis enim vel adoleſcens vegeto corpore brevi ſe mori, vel etiam uno oculi ictu vitam finire ſe poſſe non fateatur, eodemque momento ante Chriſti Tribunal manifeſtari, & ob vitam male actam æternum damnari? Ceterum non abnuo, neque reprehendo, quod Sacri Oratores, Miſſionariique diem extremi, atque univerſalis Judicii populis prædicent, ſed eorum temeritatem improbo, & ſummopere damno, qui contra ſanctiones Canonicas, & Decreta Summorum Pontificum, imo & contra Jeſu Chriſti Oraculum, qui dixit, non eſſe noſtrum noſſe tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate, ſumma nonniſi audacia, atque impudentia tempus illud determinant. Horum numero a doctis Viris noſtro hoc ſeculo jam habitus eſt Philippus Meda Epiſcopus Caperſani, qui Librum de ea re ſcripſit, in quo, irrito plane conatu probare nititur vicinum illum univerſalis Judicii diem. Certum profecto illud eſt, quod licet Scriptura diei extremi Judicii, & Antichriſti prænuncia nobis præferat, quo tamen tempore adventurus ſit, id ab omnibus penitus ignorari, ideoque non modo ejus adventus annum, ſed neque ſeculum determinare Concionator præſertim debet, niſi, ut aliis accidit, velit & ipſe mentiri, anſamque populis præbeat detrahendi *reliquorum etiam recte prædican-*

*dieautium auctoritati*, ut iu citata Conſtitutione nos docet Leo X. Pontifex Maximua. Videſis Malvendam in Tractatu, *De Autiebriſto*, & Auguſtinum Calmet in memorats ejuſdem argumenti Diſſertatione, ubi Sacræ Scripturæ, & Patrum loca de vicino Antichriſti adventu enarrat.

CCXL. Unum eſt, quod hactenus dictis addam, quod nempe ad annum MDXXXIV. refert Surius in ſuo Commentario brevi rerum in Orbe geſtarum: *Hoc quoque auuo*, inquit, *Lutberaui, ut Propbetieæ gratiæ opiulonem ſibi eoueiliarent, multa ſpargebaut in vulgus, uou ſolum de jam jamque impendente Judicio extremo, ſed etiam de certu ejus die, cum tamen Chriſtus ipſe dicat*, De die autem illa, & hora, nemo ſcit, neque Angeli Cælorum, niſi Pater ſolus; *ut neque plerique cives ædifieare, neque agrieolæ rus eolere vellent, Nobiles vero multi tanquam certo eodemque ſupremo mundi die morituri acciperent. At ea pſeudopropbetarum vaua perſuaſio in riſum, & ludibrium abiit; reſque ipſa doeuit, quam ſint ipſi præclari Propbetæ.* Addit, accidiſſe hoc Wittembergæ, & in aliis nounullis Oppidis; ejuſmodique terriculamentis etiam Anabaptiſtas ſolitos fuiſſe imperitis imponere; cautiorem longe fuiſſe Manetem vetuſtum hæreſiarcham, *qui, ue in ſuis vaticiniis coargueretur mendacii, ſi de futuris prædiceret, de præteritis prodigioſa figmenta eoutexuit.* Varia impoſtorum tam hæreticorum, quam fanaticorum id genus exempla occurrunt paſſim apud Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Scriptores.

*De Revelatiouibus.*

CCXLI. Illud præterea ſtatuit in eadem ipſa Conſtitutione, quæ incipit, *Supernæ*, edita in Seſſione XI. hujus Concilii V. Lateranenſis idem Leo X. Pontifex, ut *ſi quibuſdam Dominus futura quædam in Dei Eccleſia iuſpiratioue quapiam revelaverit &c. Lege ordiuaria tales aſſertæ inſpirationes, autequam publiceutur, aut populo prædiceutur, ex nunc Apoſtolieæ Sedis euamiui reſervatæ intelligautur. Quod ſi ſine moræ perieulo id fieri uou valeret, aut urgens neceſſitas aliud ſuaderet, tune eodem ordine ſervato, Ordinario Loci uotificentur, ut ille adbibitis ſecum tribus, aut quatuor doctis, & gravibus Viris, bujuſmodi uegotio cum eis diligeuter examiuato, quaudo id expedire videbuut, ſuper quo eorum eouſcientias oueramus, lieentiam eoncedere poſſiut.* Additque mox etiam, ut *ſiqui eoutra præmiſſorum aliquod eommittere quidquam auſi fuerint, ultra pœnas eontra tales a Jure ſtatutas, exeommunieationis etiam ſeutentiam, a qua uonniſi a Romano Poutifice, præterquam iu mortis artieulo eouſtituti, abſolvi poſſiut*, incurrant; *& ut eorum exemplo alii atteutare ſimilia miuime audeaut, eis Prædicationis etiam Offieium interdictum eſſe perpetuo*, decernit.

CCXLIII. Quod Revelationes ſpectat, tenenda eſt primum celebris illa Angelici Doctoris S. Thomæ Aquinatis doctrina, qui Parte I. Quæſtione I. Articulo VIII. ad II. ita habet: *Iuuititur Fides noſtra Revelationi Apoſtolis, & Propbetis factæ, qui Canonieos Libros ſeripſerunt, nou autem Revelationi, ſi qua fuit, aliis Doctoribus factæ.* Non negat tamen ceſſaſſe in Eccleſia Revelationum, ſeu Prophetiæ donum, ſed id potins fatetur, probatque in ſua Secunda Secundæ, Quæſtione CLXXIV. Articulo VI. ad III. auctoritate Sanctorum Hieronymi, & Auguſtini, quorum prior iu ea Matthæi verba, Cap. XI. *Omnes euim Propbetæ, & Lex uſque ad Joaunem*, ita ſubdit: *Nou boc dieitur, ut poſt Joannem excludat Propbetas; legimus euim iu Actibus Apoſtolorum, & Agabum propbetaſſe, & quatuor Virgines filias Pbilippi.* Poſt recitatum hunc Sancti Hieronymi lucum pergit S. Thomas, aitque: *Joaunes etiam Librum Propbetieum eonſeripſit de fiue Eccleſiæ; & ſingulis temporibus non defueruut aliqui ſpiritum Propbetiæ babeutes, non quidem ad novam doctrinam Fidei depromeudam, ſed ad bumanorum actuum directionem. Sieut Auguſtinus refert Lib. v.* De Civitate Dei, *Capite uuvi. quod Tbeodoſius Auguſtus ad Joaunem in Ægypti Eremo eouſtitutum, quem propbetandi ſpiritu præditum, fama erebreſceute didicerat, miſit, & ab eo nuntium victoriæ certiſſimum accepit.* Confirmari poſſet hæc doctrina & aliorum Patrum teſtimoniis, inter quos Sanctus Irenæus, qui claruit Seculo II. Eccleſiæ, Lib. I. Cap. VI. docet, ævo ſuo Fideles non defuiſſe, quibus aperiebat Deus quicquid in cordibus hominum magis latebat.

CCXLIV. Hanc doctrinam ſequutus profecto eſt & ipſe Leo X. Pontifex iu Conſtitutione, quam nos hoc loco explicamus; dum ait, minime velle ſe, aliorum fabuloſorum, & mendacium *gregi connumerari, vel aliter impediri eos, quibus eorum Dominus futura quædam in Dei Eccleſia iuſpiratione quapiam revelaverit, ut per Amos Propbetam ipſe promittit, & Paulus Apoſtolus Prædicatorum Princeps*, Spiritum, *inquit*, nolite extinguere, Prophetias nolite ſpernere. Ait id quidem Apoſtolus in Epiſtola I. ad Theſſalonicenſes, Cap. V. in eumque locum Græci Patres, uti ibidem notat Eruditus Calmet, credunt, tunc in Theſſalonicenſi Eccleſia non defuiſſe pſeudoprophetas, æque ac Prophetas veros, quod erat in cauſa, ut quidam, quin alios ab aliis ſecernerent, æque ſimul utroſque rejicerent, atque contemnerent. Hunc abuſum corrigit S. Paulus, Theſſalonicenſes admonens, ut ſpiritus dignoſcant, bonos a malis diſtinguant; caveantque, ne ſub ſpecie pſeudoprophetas abjiciendi, illos quoque aſperuentur, qui vere Dei ſpiritu afflati ſunt; id enim præbere ait occaſionem, ut penitua iu eiſdem Prophetiæ donum, ac vera inſpiratio extingueretur. Prophetia ſane, quæ eo loci ſignificat futura portendere, cordium penitiora ſcrutari, abdita quælibet revelare, ſignum eſt, atque prodigium ad infideles, fideleſque peccatores convertendos idoneum, uti perperſpicue idem Apoſtolus oſtendit in Epiſtola I. ad Corinthios, Cap. XIV. ubi hæc habet: *Si autem omnes propbetent, intret autem quis infidelis, aut idiota, eouvincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus*, Prophetiæ ſeilicet ſpiritu afflatis, qui illius errorem, atque infidelitatem revelant, eique detegunt, quicquid abditiſſimum putat, eumque rubore ſuffundunt, ea illi aperientes ſcelera, quæ æternæ oblivionis caligine ſepulta arbitratur. Atque tunc quidem, ut ſtatim ſubdit Apoſtolus, *oeculta cordis ejus manifeſta fiunt, & ita eadens in faciem adorabit Deum, pronuncians, quod vere Deus iu vobis ſit.*

CCXLV. At vero ſicut vere prophetico ſpiritu afflati ſancti homines, ac præſertim Verbi Dei Concionatores, utilitatis plurimum Eccleſiæ attulere, ita ex adverſo plurimum detrimenti attulere Eccleſiæ non pauci ſacri homines, qui ſe

Prophetas jactabant, & divinis viſionibus, ac revelationibus illuſtratos incautis populis, plebibuſque ſe venditabant. Hos plane inſectatur Leo Pontifex X. in ſua citata Conſtitutione, quia ſcilicet proximis ſuis temporibus nonnulli erant, *in Prædicationibus non viam amplius Domini in virtute docentes; non Evangelium, ut deberent, explanantes; ſed conficta miracula, & nova, ac falſa vaticinia, aliaque levia, & ab anilibus fabulis parum diſtantia, magnumque ſcandalum parientia, nulla devotionis, & auctoritatis, ejuſque improbantis, ac repellentis hæc debita ratione, vaſtis clamoribus imprimere, ac ſuadere ubique conantes*. Huc facit, quod tradit Joannes Gerſon in Tractatu, *De diſtinctione verarum viſionum a falſis*, ubi ita inquit: *Sicut vera Religio per ſophiſticas, & fallaces hæreticorum argumentationes impugnatur, ſic per mendaces Angelos miraculorum verorum, ſanctarumque revelationum auctoritas factis quibuſdam ſophiſticis quæritur infringi, quatenus per hoc homines abducantur a ſpiritualis veritatis cognitione, quæ per miraculorum, aut revelationum media tradita eſt, quando per falſitatem ſimilia videntur introduci*. Addit, de multis jam audiſſe, quod quilibet revelatum ſibi eſſe pro certo haberet, quod eſſet futurus Papa. Eodem teſte Auctore Litteratus quidam perſuaſum ſibi eſſe ajebat, *quod foret Papa, dehinc Antichriſtus, ſaltem præcurſor Antichriſti: noviſſime ut ſeipſum perimeret, inſtigatus eſt vehementer, ne videretur afferre tantum damnum populo Chriſtiano. Tandem Deo miſerante ad ſaniora converſus, iſta de ſe ſcripſit ad eruditionem, & cautelam aliorum*.

CCXLVI. Varias regulas circa Revelationes, viſiones, apparitioneſque, ex Scriptura, Conciliis, Sanctis Patribus, aliiſque optimis Auctoribus collegit, & in optimum ſyſtema congeſſit Clariſſimus Euſebius Amort Canonicus Regularis Lateranenſis Pollingæ, peculiari Opere, quod de ea re ſcripſit, ediditque in lucem Auguſtæ Vindelicorum anno MCCXLIV. Porro tametſi tum Virorum piorum Vitæ, tum præſertim religioſarum mulierum viſionibus, & revelationibus ſuperabundent, certum profecto illud eſt, ſiquis eis fidem minime adhibeat, non eſſe illum temeritatis arguendum juxta S. Auguſtini doctrinam, quam laudatus Auctor pluribus ejuſdem S. Doctoris teſtimoniis confirmat. Sed nec dubito, quin valde leves ſint, qui omnibus ejuſmodi revelationibus a quibuſcumque aſſerantur, illico fidem adhibent. Audiendus S. Bonaventura, qui Lib. II. *De profectu Religioſorum*, Capite I. hanc doctrinam tradit: *Revelationes ſecretorum, & viſiones ſunt ejuſmodi naturæ, quod exinde quidam aliquando de veritate erudiuntur. His autem tanto minus immorandum eſt, quanto frequentius eis immorantes decipiant; & minor profectus eſt in talibus, ſi vera ſunt; licet a rudibus, & ſpiritualium rerum ignaris magnæ ſanctitatis, & ſapientiæ virtus in hujuſmodi conſiſtere exiſtimetur; & horum quidam ſunt, qui ſunt illuſi; plurimi ſunt, qui illudunt eas fingendo, vel componendo, vel veras exiſtimando*. Tales profecto erant, quos potiſſimum Leo Papa X. recitato ſuo Decreto damnat.

*Concionatorum audacia in Prælatorum perſonas, ac ſtatum invehentium reprimitur.*

CCXLVII. Inter alios Concionatorum abuſus, quos recenſet, ac damnat Leo X. in ſua Conſtitutione, fuit ſane & ipſe, quod *ne Pontificali quidem Dignitate fulgentibus, & aliis Eccleſiæ Prælatis parcentes, quibus potius honorem, ac reverentiam exhibere deberent, in eorum perſonas, ac ſtatum audaciter, ac temere invehi conſueviſſent*. Hunc abuſum, quod adhuc poſt Leonis X. & Concilii V. Lateranenſis Decretum vigeret, damnavit non modo Concilium Senonenſe anni MDXXVIII. Parte II. Capite XXXVI. ſed deinde etiam Concilium Colonienſe I. anni MDXXXVI. Parte VI. Cap. XVI. ubi ita ait: *Vitanda quoque manifeſta reprehenſio utriuſque poteſtatis tam Eccleſiaſticæ, quam civilis; neque invehendum in Ordinem aliquem, aut aliquid ab Eccleſia receptum vivendi genus*: Omnis enim poteſtas a Deo eſt; *& propterea eatenus honoranda, non inceſſenda. Sequenda Præcurſoris Dominici doctrina, & exemplum, qui ne milites quidem a ſe repulit, aut ulla contumelia affecit, ſed magis viam recte vivendi oſtendit. Per hujuſcemodi enim incautam reprehenſionem Plebs ad ſeditionem magis, ac rebellionem incitatur. Hanc murmur, odium, impatientia, contumacia, protervia, & detractionis libido comitantur: quin potius docendus eſt populus, obedire Magiſtratibus, parere Præpoſitis ſuis etiam dyſcolis: ac interim admonendus eſt, ut, ſi ſint Magiſtratus interdum vitioſi, id evenire, quod Dominus regnare facit malos, & hypocritas propter peccata populi. Omnem animam Poteſtatibus ſublimioribus ſubditam eſſe: quodque omnis poteſtas a Deo ſit, quod denique qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtat: niſi tamen poteſtas expreſſim præcipiat, quod eſt contra mandatum Dei; tum enim oportet plus obedire Deo, quam hominibus*. Huc uſque celebris Synodus Colonienſis, cujus Decretum auctoritate præſertim Apoſtoli Pauli innitur, qui eam doctrinam in Epiſtolis ſuis tradidit, ac in ea potiſſimum, quam ad Romanos ſcripſit, Cap. XIII. Alias Synodos, Patrumque Oracula afferre hac in re ſupervacaneum eſt.

CCXLVIII. Plura ſunt, quæ adnotari poſſent in recitatum hactenus laudatæ Synodi Colonienſis Decretum, ſed lubet hoc loco & eam ad Concionatores ipſos admonitionem recenſere, quam eadem Synodus Capite XVII. ſubjungit; vult quippe, ut in corripiendis Magiſtratibus, correctioni fraternæ ſit locus, *quemadmodum Joannes reprehendit Herodem. Sic enim legimus*: Dicebat enim Joannes Hærodi, *non populo*: Non licet tibi habere uxorem fratris tui. *Quæ ſi nihil promoveas*, verba ſunt memoratæ Synodi, *poſtulanda, & expectanda proviſio Prælatorum, ac majorum Magiſtratuum eſt: qui ſi diſſimulent, etiam conſultum magis, ut ultio remittatur ad Deum, quam ut tantum ſcandalum inde deterius ſubſequatur*. Ita plane docent & aliæ Synodi a Spiritu Sancto edoctæ, quarum tamen oracula fanatici, indocti, indiſcreti, & aliquando etiam improbi, ſeditioſique Concionatores contemnentes, mordacibus ſuis Concionibus Plebem commovent adverſus Prælatos, Magiſtratuſque, dum eorum vitia populo exponunt. Abuſum hunc potiſſimum damnat Leo X. & Lateranenſis V. Generalis Synodus in ipſa Conſtitutione, quæ incipit, *Supernæ*, Concionatoribus diſtricte inter alia præcipiens, ut *pacem, ac dilectionem mutuam a Redemtore noſtro tantopere commendatam ubique foveantes, non ſcindant veſtem inconſutilem Chriſti; ſed ab Epiſcoporum, & Præ-*

Digitized by Google

*& Prælatorum, ac aliorum Superiorum, eorumque ſtatus ſcandaloſa detractione, quos coram vulgo, & laicis, non modo incaute, ſed etiam intemperanter reprehendunt, & mordent, & ab eis male geſtorum expreſſis quandoque nominibus aperta, & manifeſta redargutione abſtineant.* Porro vel noſtris hiſce temporibus Concionatorum quorundam imprudentia effecit, ut Magiſtratus eorum dicteriis irritati, eoſdem a ſuis Regionibus abſque ullo temporis ſpatio expulerint.

CCLIX. Haud tamen inficior, quin Concionator in reprehendendis criminibus debeat eſſe vehemens, & acer. Conſtitutus eſt enim, ut annunciet Populo ſcelera eorum: ſic tamen, ut in ſuggeſtu vitia tantum reprehendat, non perſonas etiam infimæ plebis nominatim perſtringat: *Argue*, inquit Apoſtolus in Epiſtola II. ad Timotheum Cap. I. *increpa, obſecra in omni patientia, & doctrina*. Ubi perſona arguenda, denunciatione Evangelica utendum eſt: *Si peccaverit in te frater tuus*, ait Chriſtus, Matthæi XVIII. *vade & corripe eum inter te, & ipſum ſolum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum, vel trium teſtium ſtet omne verbum. Quod ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ. Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus, & publicanus.* Sic Paulus Corinthium reſipiſcere nolentem excommunicavit, uti videre eſt in Epiſtola I. ad Corinthios, Cap. V. ſed de his alias.

*De Concionatoribus plebem ad riſum concitantibus.*

CCLX. Vetuit & eum quidem abuſum Leo Pontifex X. levia quæque ſcilicet, *& ab anilibus fabulis parum diſtantia, magnumque ſcandalum parientia*, concionandi. Verum quod ſaluberrimum hocce Decretum negligeretur, coacta eſt Senonenſis Synodus anni MDXXVIII. Cap. XXXV. in fine Concionatoribus præcipere, ut *a ridiculis etiam, hiſtrionicisque ſermonibus abſtineant.* Eandem ob cauſam celebris Synodus I. Colonienſis anni MDXXXVI. Parte VI. ubi de prædicatione Verbi Dei agitur, Cap. IX. juſſit, ut Concionator devitet *ineptas, & aniles fabulas, qualia nuper erant, quæ ex nullis probatis Auctoribus, ſed potius ſuſpectiſſimis obſcurorum hominum commentis afferebantur exempla.* Sane vitandæ ſummopere ſunt ſcurriles Conciones, quæ populum, mulierculaſque ad eas confluentes in riſum excitant; optandumque eſſet, ut hujuſmodi Concionatores, ac præſertim qui in expoſitione Scripturæ, perridicula, ac fabuloſa facta enarrant, a miniſterio Verbi Dei omnino ſuſpenderentur; dedecet enim quammaxime modus ille concionandi, ideoque laudata Synodus Senonenſis citata Parte II. Cap. XXXVI. expreſſe jubet, Concionatores, *ſi populum more ſcurrarum viliſſimorum, dum ridiculas, & aniles fabulas recitant, ad riſus, cachinnationeſque excitaverint.... ab officio prædicationis ſuſpendi, & a ſuis Superioribus pro modo & menſura exceſſus acriter puniri.*

*Qui modus in concionando, & in explicatione Sacræ Scripturæ tenendus.*

CCLXI. Illud præterea mandat idem Leo Papa X. *omnibus, qui hoc onus*, concionandi ſcilicet, *ſuſtinent, quique in futurum ſuſtinebunt, ut Evangelicam veritatem, & Sanctam Scripturam juxta declarationem, interpretationem, & ampliationem Doctorum, quos Eccleſia, vel uſus diuturnus approbavit, legendoſque hactenus recepit, & inpoſterum recipiet, prædicent, & explanent; nec quidquam ejus proprio ſenſui contrarium, aut diſſonum adjiciant, ſed illis ſemper inſiſtant, quæ ab ipſius Sacræ Scripturæ verbis, & præfatorum Doctorum interpretationibus rite & ſane intellectis non diſcordent.* Tametſi hæc decreverint tum laudatus Pontifex Leo, tum Synodus V. Lateranenſis, cui ille præfuit, quorundam temeritas, qui Decreta ipſa contemtui habebant, occaſionem præbuit Œcumenicæ Synodo Tridentinæ, ut *ad coercenda petulantia ingenia*, iterum decerneret Seſſione IV. in Decreto, *De Canonicis Scripturis*, nempe, *ut nemo ſuæ prudentiæ innixus, in rebus Fidei, & morum ad ædificationem doctrinæ Chriſtianæ pertinentium, Sacram Scripturam ad ſuos ſenſus contorquens contra eum ſenſum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu, & interpretatione Scripturarum ſanctarum, aut etiam contra unanimem conſenſum Patrum ipſam Scripturam Sacram interpretari audeat, etiamſi hujuſmodi interpretationes nullo unquam tempore in lucem edendæ forent.* Vide quæ circa hoc Decretum diximus nos in Commentario ad Canonem XIX. Concilii Trullani noſtro II. Tomo Conciliorum.

CCLXII. Quamquam vero, ut & ipſa Fidei Profeſſio a Pio Papa IV. edita præſcribit, & Sacræ Synodi paſſim, Sacræ Scripturæ ſecundum Eccleſiaſticam interpretationem Sanctorum Patrum, ac Doctorum, & recitari, & prædicari debeant; id tamen potiſſimum obſervandum in Allegoriis, ac ſenſibus reconditioribus ejuſdem Scripturæ explicandis; deſumenda enim tunc erit omnino ea explicatio *ex receptis Eccleſiæ Doctoribus, veluti Ambroſio, Hieronymo, Auguſtino, Chryſoſtomo, ac ſimilibus comprobatis Auctoribus*, uti docet laudata Synodus I. Colonienſis Parte VI. Cap. XXIV. Quamobrem gravi reprehenſione digni ſunt non pauci Concionatores, qui non ſemel Divina Scripturæ Oracula, quæ expreſſe de Chriſto loquuntur, Sanctis perperam applicant. Certe ridiculum ſe Viris doctis exhibuit Jacobus Laderchius, qui Vitam S. Petri Damiani ex variis Scripturæ particulis conſarcinavit perpetua Verbi Dei contorſione, uti oſtendit Auctor Libri, qui inſcribitur, *Sejani, & Ruffini Dialogus*, Colloquio III. Sed hoc obiter dicto, conſentanee ad memoratas Generales Synodos Lateranenſem V. & Tridentinam, ac alias peculiares, S. Carolus Concionatoribus mandat in ſuo I. Provinciali Concilio Mediolanenſi, *ut Sacram Scripturam interpretentur eo ſenſu, quem Catholica Eccleſia, & conſentiens Sanctorum Patrum auctoritas comprobavit, neque quidquam ab Eccleſia, aut Doctoribus ab Eccleſia probatis alienum proferant.* Statimque addit: *Ut ſi quando ad Auditorum utilitatem utendum erit allegoriis, eas ex receptis ab Eccleſiæ ſcriptis ſeligant.*

CCLXIII. Rurſus cautum eſt ex toties laudata Leonis IX. Conſtitutione, ut Concionatores *ex Divinæ vocis præcepto Evangelium omni Creaturæ cum vitiorum deteſtatione, & virtutum commendatione enucleent, & declarent.* Plura in hanc rem videri poſſunt in aureis inſtructionibus Prædicationis Verbi Dei ex Concilii III. Provincialis Mediolanenſis Decreto, S. Caroli

roli juſſu editis, extantque Parte IV. Actorum S. Mediolanenſis Eccleſiæ. Sed audiamus Decretum Concilii Senonenſis anni MDXXVIII. Parte II. Cap. XXXVI. ubi inter alia mandat, ut *ſint etiam Prædicatorum ſermones caſti, & examinati, ad amorem Dei populum trahentes*; ſubditque mox: *Deteſtentur vitia Concionatores Verbi Dei, alliciantque Auditores ad amplexus virtutum. Habeant præ oculis pro ſcopo honorem Dei: nihil ad gloriam, & oſtentationem faciant.* Atque hoc loco quidem mirari ſatis non poſſum, quod & alias notavit eruditiſſimus Bernardinus Ferrarius Lib. II. *De Ritu ſacrarum Eccleſiæ veteris Concionum*, Cap. XVIII. in fine, eos noſtri temporis Concionatores, qui neque ſacrorum Myſteriorum majeſtatem, neque ullam habentes rudium, ac imperitorum audientium ſimplicitatis rationem, nunquam ſatis concionandi munus ſe expleviſſe arbitrantur, niſi altiores quaſque, ac difficiliores ex univerſa Theologia depromtas diſputationes in ſuas congeſſerint Conciones. Et tunc ſe pulchros, ac beatos putant, cum vel ad doctrinæ pompam, vel ad oſtentationem memoriæ, alia aliis Patrum teſtimonia acervatim, ac continuato ſpiritu ingerunt: inculcant Latina, Græca, Hebraica, nonnunquam etiam Arabica, & Syriaca, Theodotionis, Aquilæ, Symmachi verſiones commemorant. Chaldaicam Paraphraſim adducunt, proferunt multa ex mſs. Codicibus, quos nondum publici Juris factos in hac vel illa Bibliotheca aſſervari dicunt, ac prædicant.

CCLXIV. His non contenti, agitant inutiles ſæpe quæſtiones, ligno ne, & qua ligni ſpecie fuerit Abel interfectus; item ex qua arbore avulſa miraculorum effectrix Moſis virga: rurſus, factumne, & ſignatum aurum, an in maſſa obtulerint Magi: ſimiliter, an S. Joſeph, & Beata Virgo bovem, & aſinum in Bethlemitica peregrinatione ſecum duxerint: & cum in Evangelio agitur de ſignis in Sole & Luna, de terræmotu &c. tunc meteororum rationes ex Philoſophia explicant: quid ſint cincinnatæ Stellæ, ſeu Cometæ, quidve de iis priſci Philoſophi judicarint, afferunt: addunt etiam, qui maximus terræ mortalium memoria extiterit motus; ab eoque adfirmant concuſſa tecta interdum, interdum ædes conquaſſatas, Urbes etiam aliquando proſtratas, necnon cum eo factas nonnunquam aquarum inundationes. Ad ſummum, ut aliquod doctrinæ choragium ingerant, promunt ex hiſtoria naturali quidquid eſt abditum, & incredibile, vagantur per omnia terrarum Imperia, locos percenſent, enumerant Reges, & vel minima data occaſione, mirabiles de re quacunque faciunt excurſiones, disjuncta quæque conjungunt, & cum præſentibus futura copulant. Quæ quidem omnia, ſicuti delibata prudenter, ubi res nimirum videtur ita expoſtulare, habent aliquid gratiæ, & auditorum aures delectant, ita putide, & inepte inculcata, ſatietatem afferunt, ac faſtidium, & concionantum produnt inſantiam.

CCLXV. Notat hæc laudatus Ferrarius, iiſque & alii addi poſſent abuſus, quos paſſim noſtræ hujus tempeſtatis Synodi damnant. Non deſunt tamen vel noſtro hoc ævo vere Apoſtolici Concionatores, qui viam Domini in veritate docent, & qui Evangelium Chriſti ſincere populo annunciant ac prædicant. Præ ceteris memorandus hoc loco eſt zelantiſſimus Prædicator verbi Dei, & Miſſionarius Apoſtolicus F. Leonardus a Portu Mauritio Strictioris obſervantiæ Ordinis Minorum S. Franciſci, cujus eximium zelum, laboreſque Apoſtolicos admirata fere tota Italia eſt, præſertim vero Urbs Roma, cum in præteritis ejus Miſſionibus, tum maxime in iis, quas in peramplo Agonali Foro per quindecim dies, totidemque in Platea S. Mariæ trans Tyberim, quo plurima hominum millia confluebant, & inter ipſos non modo Viri Principes, Præſuleſque Romanæ Aulæ, & S. R. E. Cardinales, ſed & iterum atque iterum ipſe Romanus Pontifex Maximus BENEDICTUS XIV. ingenti cum animarum fructu peregit, adeo ut in hac populoſa Urbe vix pauci inveniantur, qui generalem, ut ajunt, ante actæ Vitæ peccatorum confeſſionem terrore prædicationis ejus concuſſi rite non fecerint; ut omittam meretrices ad bonam frugem redactas, reſtitutiones male ablatorum factas, aliaque bona, quæ occaſione ipſarum Miſſionum menſibus Julii, & Auguſti hujus anni MDCCXLIX. habitarum in Urbem totam manarunt.

CCLXVI. Quamquam vero doctrina, ac dignitate præſtantes Viri Sacris hujus Concionatoris Miſſionibus interfuerint, is nihilominus, totum ſe ſe ad populi captum, atque intelligentiam ſemper accomodavit, Patrum Græcorum, atque Latinorum exempla imitatus, qui, ut citato loco oſtendit Ferrarius, eum in concionibus ſuis modum tenuere. Ut alios omittam, ita plane S. Auguſtinus Sermone LXVIII. *De Tempore*, ſe prædicaſſe teſtatur: *Si expoſitionem*, inquit, *Sanctarum Scripturarum eo ordine, & illo eloquio, quo a Sanctis Patribus ſunt expoſitæ, Caritatis veſtræ auribus voluerimus intimare, non niſi ad paucos Scholaſticos cibus doctrinæ poterit pervenire, reliqua vero Populi multitudo jejuna remanebit: Et ideo rogo humiliter, ut contentæ ſint eruditæ aures verba ruſtica æquanimiter ſuſtinere, dummodo totus Grex Domini ſimplici, &, ut ita dixerim, pedeſtri ſermone pabulum ſpirituale poſſit accipere. Et quia imperiti, & ſimplices ad Scholaſticorum altitudinem non poſſunt aſcendere eruditi ſe dignentur ad illorum ignorantiam inclinare; quia quod ſimplicibus dictum fuerit, Scholaſtici intelligere poſſunt: quod autem eruditis fuerit prædicatum, ſimplices omnino capere non valebunt*. Ceterum mirum illud videri debet, tota fere ad pœnitentiam converſa Urbe, inventos fuiſſe perditos homines, qui, vel ipſa Miſſione fervente, ſub mediam noctem prope Cœnobium Sanctiſſimæ Trinitatis in Monte Pincio cum mulierculis adoleſcentibus impudice veſtitis choreas longas duxerint, non ſine magno animi piorum hominum ſenſu, atque ipſius Concionatoris, qui in variis Concionibus ſuis eam temeritatem inſaniamque nullo hominum reſpectu habito vehementiſſime objurgavit.

CCLXVII. Porro ipſum F. Leonardum ejuſque Collegas in tranſtyberina Miſſione applicatos hoſpitio excepit in Cœnobio S. Calliſti inclytæ Congregationis Caſinenſis Religioſiſſimus Monaſterii S. Pauli extra muros Abbas P. D. Juſtinus Capicius Neapolitanus, tantaque eoſdem humanitate, & charitate, juxta innatam illam Benedictinorum hoſpitalitatem, quam veteres æque ac recentiores Scriptores commendant, proſequutus eſt, ut BENEDICTUS XIV. Pontifex Maximus, qui una cum multis S. R. E. Cardinalibus e feneſtris ejuſdem Cœnobii Miſſiona-

rium

rium ipſum in Plates concionantem totius Urbis ædificatione iterum iterumque audivit, memorato Abbati, ejuſque Monachis, qui & ipſi ſinceræ pietatis instinctu Apoſtolicam Miſsionem coluere, repetitas gratias egerit, & in grati animi ſui indicium Planetam ſummi valoris, Pontificia munificentia dono dederit. Piam illuſtremque Benedictinorum hoſpitalitatem æmulatus univerſi Ordinis Prædicatorum Magiſter F. Antoninus Bremond, ſancto ejuſdem Pontificis deſiderio obſequutus, atque ingenti utilitati Urbis unice intentus Leonardum ipſum, ejuſque ſocios in Minervitanam Domum peramanter excepit, & in illorum hoſpitalitatem exuberantia charitatis, atque munificentiæ diligentiſſime incubuit, tum præſertim quod Ordo Minorum peculiari mutui amoris nexu a prima ſua origine uſque ad hodiernam diem cum ipſo Prædicatorum Ordine conjunctus eſt, & Leonardus ipſe Miſſionum ſuarum Patronum fecerit præſtantiſſimum dicti Ordinis Prædicatorum decus, Miſſionariorum Apoſtolicorum omnium Principem S. Vincentium Ferrerium. Gratias autem maximas egit Summo Pontifici idem Prædicatorum Ordinis Præſul, quod in tota Urbe Eccleſiam S. Mariæ ſupra Minervam optarit, ut ibidem Catecheſibus, quæ a prandio haberentur ab ipſo Miſſionario ad populum, intereſſet. Dominicanorum obſequium, pietatemque ſummopere Pontifex commendavit, eiſque ſe obligatum dixit, quod eos videret majorem ſemper Dei gloriam quærere, & quæ Chriſti ſunt, non quæ ſua, perquirere. Sane Miſſiones ipſas omnes, Catecheſeſque impenſe coluit Pontifex, in quibus etiam non ſemel Pontificiam ſuam Benedictionem non modo manu ſola, verum etiam cum Sanctiſſimo Sacramento, quod tunc ſolemni ritu exponi ſolitum fuit, populo largitus eſt.

*De qualitatibus Evangelici Prædicatoris.*

CCLXVIII. Inſuper, ſacro ipſo approbante Concilio v. Lateranenſi, idem Leo Pontifex X. ſtatuit, ordinavitque, *ut nullus tam Clericus ſecularis, quam cujuſcumque mendicantium Ordinis Regularis, aut quivis alius, ad quem facultas prædicandi, tam de jure, quam de conſuetudine, vel privilegio, aut alias pertinet, ad hujuſmodi officium exercendum admittatur, niſi prius per Superiorem ſuum reſpective diligenter examinatus* (in qua re conſcientiam ipſius Superioris onerat) *ac morum honeſtate, ætate, doctrina, probitate, prudentia, & vitæ exemplaritate, ad illud aptus, & idoneus reperiatur: & hic quocumque poſtea prædicaturus acceſſerit, de hujuſmodi examine, & idoneitate ſua per Litteras authenticas, ſeu alias ſui Examinatoris, aprobatoriſque, Epiſcopis, & aliis Locorum Ordinariis fidem legitime faciat.* Qualitates Prædicatoris Evangelici in hoc Decreto contentas egregie enarrat S. Carolus tum in Conciliis, tum in laudatis ſuperius Inſtructionibus Prædicationis Verbi Dei juſſu ejuſdem Sanctiſſimi Archiepiſcopi, & Cardinalis editis, quæ exſtant in aureis Actis celeberrimæ Eccleſiæ Mediolanenſis. Sed de qualitatibus optimi Prædicatoris, ſicut & de aliis multis ad Prædicationis officium pertinentibus videri præ ceteris poteſt inſignis Tractatus Humberti de Romanis, *De modo prompte cudendi ſermones &c.* quem a mendis, quibus in prioribus editionibus ſcatebat, purgatum, & Notis quibuſdam a nobis illuſtratum non ita pridem publici juris fecimus.

*De Concordato Gallico.*

CCLXIX. Lecta ſunt deinde in eadem undecima Seſſione Concordata inter Leonem X. Papam, & Franciſcum I. Regem Francorum Bononiæ inita in abolitionem Pragmaticæ Sanctionis a Francis ſolicite & acriter defenſæ adverſus continuas Romanorum Pontificum apud Reges pro ipſius abrogatione, utpote auctoritati Apoſtolicæ Sedis contrariæ, contentiones; adeout nec ejus abrogatio, quam Ludovicus XI. Francorum Rex Pio II. Pontifici conceſſerat, nec Litteræ Apoſtolicæ Sixti IV. ſuper Concordatis cum Oratoribus ejuſdem Ludovici confectæ, apud Prælatos, & Eccleſiaſticos Regni ullum locum habere potuiſſent. Quibus quidem Concordatis Bononienſibus quæ cum Rogerio Parme Regio Advocato, & Oratore, ac Procuratore ad hoc ſpecialiter conſtituto, tranſacta fuere, in compenſationem abrogationis Pragmaticæ Sanctionis a Rege, inſtante maxime Leone Papa, conceſſæ, indultum eſt Francorum Regibus, ut in omnibus Eccleſiis Metropolitanis, Cathedralibus, & Conventualibus, Electionibus antiquis, ob multa ſcandala, quæ frequenter in iis contingere dicebantur, pariter abrogatis, facultatem haberent nominandi Sedi Apoſtolicæ Viros idoneos; ad Metropolitanas quidem, & Cathedrales, Magiſtros, ſeu Licentiatos in Theologia, vel in utroque, aut altero Jure, ætatis XXVII. minimum annorum; ad Conventuales vero Religioſos ætatis annorum XXIII. & ut non darentur amplius ullæ gratiæ expectativæ, aut reſervationes ad Beneficia vacatura.

CCLXX. Conſtant hujuſmodi Concordata variis Capitibus, conſtitutumque inter alia fuit de conſtituenda, & conferenda ab Ordinariis in ſingulis Eccleſiis Præbenda Theologali: de omnis generis Beneficiis, certis menſibus, Graduatis ſimplicibus, & per Univerſitates nominatis, qui Litteras ſuas ſingulis annis in Quadrageſima, per ſe, vel per Procuratorem inſinuaverint; deque Parochialibus Eccleſiis in Civitatibus, aut Villis muratis, nonniſi Graduatis, aut qui per tres annos Theologiæ, vel Juri operam dederint, vel Magiſtris in artibus conferendis: de cauſis omnibus, exceptis Majoribus in Regno terminandis; de Clericis concubinariis a Beneficiis repellendis, de interdictis, & excommunicatis, niſi qui publice, ac nominatim denunciati, aut adeo notorie in excommunicationem inciderint, quod nulla poſſit tergiverſatione celari, aut ullo Juris ſuffragio excuſari, non vitandis: cum multis circumſtantiis, ad prædicta omnia Capita pertinentibus, quæ in Litteris ipſius Concordati legi poſſunt, quod quidem integrum extat in Actis Seſſionis XI. Concilii hujus v. Lateranenſis apud Labbæum, Harduinum, atque alios Scriptores. Ubi etiam additur abrogatio & damnatio memoratæ Pragmaticæ Sanctionis, ac ſingulorum ejus Capitulorum juridice a Papa & ab ipſo Concilio facta, ne ſcilicet ex ſimplici Regis voluntate videatur illa extincta, uti notat Spondanus ad annum MDXVI. Num. XIII.

CCLXXI. Quod autem in Concordatis ipſis additum fuiſſet, debere illa intra ſex menſes a promulgatione, & confirmatione eorum in Concilio facta, rata a Rege haberi, & tam a Prælatis, & aliis Eccleſiaſticis, quam etiam a Parlamentis recipi, & in Acta referri, ac ſubinde ob difficultates ſuper ejus publicatione intervenientes, conceſſa fuiſſet prorogatio unius & alteris

anni

Digitized by Google

anni: demum Rex, uti promiſerat, decimo Kalendas Aprilis anni proximi in Senatu, ſeu Parlamento Pariſienſi legi, atque approbari fecit: ægerrime tamen, nec niſi poſt plurimas juſsiones aſſentientibus Senatoribus: quinimo & conteſtantibus, atque in Acta referentibus, non niſi vi & metu adactos id agere; deque Pragmaticæ antiquatione in Concilio facta provocare ad Papam melius conſultum, & futurum Concilium Generale legitime congregandum. Quemadmodum & Univerſitas ſuam etiam promulgavit appellationem, ſeu provocationem: quæ ambæ hodieque extant poſt editionem Pragmaticæ Sanctionis anno MDCXXI. & in Collectione negotiorum Cleri Gallicani anno MDCXXXVI. ut notat Spondanus ad annum MDXVI. Num. XIV. Denique cum juſsiſſet Rex, eadem Concordata tota Urbe Lutetia publicari, quamplurimi tam ex Senatoribus, quam ex Clero, & Univerſitate vim intentarunt, ne id fieret: qui Regiis præſidiis repulſi, quod unicum reliquum fuit, poſt provocationem, irarum levamen, famoſos libellos adverſus potentiores Aulicos, ac præcipuos Conſilii Regis Miniſtros, potiſsimumque in Antonium Pratum Cancellarium, quo Auctore id factum ferebatur, ediderunt, ac locis publicis affixerunt, uti poſt alios Scriptores Gallos rem narrat idem Spondanus loco citato, & Sauſſaius Epiſcopus Tullenſis in ſua Panoplia Epiſcopali Lib. II.

CCLXXII. Jam non modicas turbas excitavit in Gallia Concordatum iſtud, quod quidem multi aperte improbabant, editique tunc fuere verſiculi illi maledici contra Auctores illius:

*Prata vorat mulier, frendens Leo rodit utrũque;*
*Prata, Leo, Mulier ſulphuris antra petunt.*
*Prata, Leo conſorte carent, Mulierque marito,*
*Connubio hos jungas, Cerberus alter erunt.*

Quia ſcilicet, ut ſcribit Genebrardus Libro IV. Chronologiæ, *Leo Pontifex, Regina Mater, & Cancellarius a Prato hujus facinoris habebantur Auctores.* Conquerebantur autem Capitula, & Monaſteria de ablato jure Electionum, dum magis placebat Scholaſticis Pragmatica Sanctio, qua ex tribus Beneficiis vacantibus unum jure ſuo conſequebantur. Præterea cum Parlamenta nollent Concordatum ipſum admittere, ad obtinendum eorum conſenſum, jus indultorum quod vocant, ſingulis Conſiliariis conceſſum, quo etiam ipſi placentæ portionem haberent: ac ſic quodammodo Chriſti Tunica in varias partes diviſa eſt. Atque has controverſias luculenter ſatis exhibet laudatus Sauſſaius citato loco, & ex eo, atque ex Duareno Ludovicus Bail in ſua Conciliorum Summa Tomo I. poſt Concilium Lateranenſe V. Capite inſcripto, *De Conſtitutione Concordati Gallici*; ubi inter alia refert, fuiſſe multos ex Doctoribus Galliæ, qui acerbiſsime Concordatum ipſum ferrent, dicerentque, eo Concordato a Pontifice Jus Electionis tanta antiquitate, tantaque auctoritate ſtabilitum, Eccleſiis cum Canonica libertate adimi, atque in Regem transferri, ſibi vero, Sanctæque Sedi Papam ingens ingeneraſſe diſpendium, cum tam infauſta permutatione, ut temporali quodam Jure reſervato, ſpirituale abdicaverit. Jugum etiam grave Eccleſiis plerique ſic fuiſſe impoſitum querebantur, quod Pontifex cum Rege convenerit, ut Annatæ non ex veteri cenſu, ſed ex novo ſolvendæ impoſterum eſſent. Vox inſuper communis erat, Papam, Regemque, ſibi, ſuiſque viciſsim, dum majora commoda quærerent, graviora Eccleſiæ, & Regno incommoda accerſiſſe.

CCLXXIII. Præter alios Gallos Scriptores exiſtimavit certe Genebrardus Chronologiæ Lib. IV. ſub Leone X. Gallicanæ Eccleſiæ perniciem ortam eſſe, ipſumque Concordatum fuiſſe ſeminarium omnis generis hæreſeon, ſimoniarum, fiduciarum, exterminationem ſcientiæ, virtutis, pietatis, Regni Galliæ denique peſtem. Thuanus cenſuit, id rebus Franciſci I. Galliæ Regis, & ejus generi exitium attuliſſe. Plerique alii abuſos dictitabant Regem, & Papam poteſtate ſua, imo de re non ſua utrumque diſpoſitionem vendicaſſe, quod neque ad Papam pertineret ſe immiſcere Prælatorum particularium Eccleſiarum deſignationi, & inſtitutioni; ſatiſque fuiſſe, ſi Majorum exempla ſequutus, univerſalis Eccleſiæ Gubernationi, tam circa Fidem, quam generalem morum diſciplinam, providentiæ ſuæ curam impenderet; relicta vero, ut Jus ferebat antiquum, particularibus Eccleſiis libera ſuorum Præſulum Electione, & Metropolitanis Suffraganeorum Ordinatione, ipſis Metropolitis Pallium impertiret, cujus nexu ſibi tanquam ſummo Capiti omnes teneret adſtrictos. Juris vero Regii non eſſe addebant, Paſtores animarum deligere, ac deſignare Epiſcopos, quos, uti legitur Capite XX. Actuum Apoſtolorum, *poſuit Spiritus Sanctus regere Eccleſiam Dei*. Magiſtratus quidem a Rege inſtituendos Divina Oracula decernere: Sacerdotes autem, & Pontifices creari a Deo per miniſterium Eccleſiæ, ut ſint Divinorum Myſteriorum, non Regiorum munerum diſpenſatores. Hæc, & alia plura habent, qui ipſi Concordato adverſantur, quod tamen alii etiam Galli Auctores quammaxime commendant pro temporum ratione, quia ſcilicet Electiones ipſæ vitiis ſcatebant. Sed de his videri poteſt in ſua Diſciplina eruditiſsimus Thomaſsinus.

CCLXXIV. Ante Thomaſſinum jam inter alios Scriptores Gallos ſcripſit pro defenſione Concordati Tullenſis Epiſcopus, *attento ſtatu corrupto rerum Eccleſiaſticarum in pleriſque*, uti obſervat Ludovicus Bail Sacræ Theologiæ Doctor, & Pœnitentiarius Pariſienſis Tomo I. Summæ Conciliorum in Adnotationibus ad Concilium Lateranenſe V. Capite inſcripto, *De Conſtitutione Concordati Gallici*, ubi & Concordatum ipſum probat, & Adverſariorum objectiones refellit. Sane qui tam acerbe contra Concordata Leonis X. Pontificis, ac Franciſci I. Galliarum Regis invehuntur, æquius certe de iis poterant, ſi accuratius cuncta libraſſent conſideranda, judicare. Quæ ipſi opponunt, de electionibus Clero ſublatis, tanti momenti nõn ſunt, ut ideo omnia in deterius verſa, per Concordatorum illorum tranſactionem oporteat conclamari. Imo utilitatem non modicam per ipſa Eccleſiæ, & Regno Galliæ acceſſiſſe, ingenue fatetur citato loco Bail, quia ſcilicet, tametſi Electiones, cum Canonice agebantur, multum Eccleſiæ, ſolatii, decoris, atque utilitatis afferrent: quia tamen utplurimum fiebant non ex Canonum præſcripto, ſed ex motu, & ambitu privato Clericorum ad ſacras Dignitates anhelantium; quibus populi in varias plerumque distracti partes impetus potius quam legitimus aſſenſus interveniebat, hinc quia tumultus paſſim, & ſchiſmata naſcebantur, prævalebatque potentior, quam beneme-

nemeritus: proinde per Concordatorum viam his incnmmodis, ac ſcandalis a Pontifice Maximo, atque a Rege Chriſtianiſſimo occurſum eſt, quorum maxime intererat Reipublicæ labantis meliori ſtatui proſpicere.

CCLXXV. Neque vero juſta querela eſt, quod Capitulis eligendi libertas his Concordatis ſublata ſit. Quam exili enim libertatis umbra ante Concordata inita fruerentur, teſtantur paſſim vel ipſi Galli Scriptores. Reſervabat paſſim Summus Pontifex ſuæ diſpoſitioni ſummos Eccleſiarum Magiſtratus. Quod ſi earum Sacerdotalis Senatus deligere fortaſsis ex adverſo præſumeret, mox formidabilibus cenſuris compellebantur Canonici Acta ſua retractare, Electus vero jure ſuo quantocius cedere, ne & ipſe Pontificia cenſura afficeretur. Intercedebat præterea Rex vindex ſui juris, quo ut Patronus, & Fundator illarum Eccleſiarum tutelam ad ſe titulo ipſo Diadematis pertinere contendebat, ſuaque intereſſe, ut iis, Regnoque utiles, ſibique grati, & accepti Antiſtites præficerentur. Quo igitur res ad intentionem perduceret, Capitulis quidem jus electionis integrum ex antiquis Canonibus dicebat competere; adeoque ut his legitimum contra Pontificias Præventiones, ſeu Reſervationes ſtrenue defendebat: at commodi ſui, decorique, non Capituli plerumque intuitu, cujus eligendi facultatem in magnas anguſtias coercebat. Celebrari enim ſacra ad obeundas Electiones Comitia aſſerebat non licere, niſi ex ſuo arbitratu. Quam conveniendi delectus cauſa licentiam non ſolebat pro inſtanti eorum efflagitatione ſtatim concedere, ſed tempus a ſuo volebat nutu pendere. Deinde conceſſa demum conveniendi venia, eo ſuum deſtinabat Miſſum, qui toti actioni vice ſua ſuperintenderet. Hujus miniſterio Rex utplurimum ſic utebatur, ut non quem affectabat Clerus, Antiſtitem is conſequeretur, ſed ipſe deligeretur, quem Rex ipſe voluiſſet. Hunc pro more in Comitiorum ingreſſu per Nuncium ſuum Capitulo commendabat, datis etiam interdum benevolis, & honnrificis ad ſacrum Cœtum Litteris, quibus ſi annueret Canonicum Collegium, rata mox erat electio, adeo ut vere dixiſſes, Reges per Capitulum deſignaſſe, at vero Capitulum non tam elegiſſe inaugurandum Pontificem, quam a Rege electum approbaſſe, ejus utpote voluntatem, non ſuam propenſionem ea in re ſequutum.

CCLXXVI. Ceterum ſi Capitulum voluntati Regis aliquando reniteretur, aliumque eligeret, quam a Rege deſignatum, jam id incaſſum tentabat. Rex enim, ut pluribus exemplis oſtendi poſſet, fere nunquam acceptabat Electum hoc modo Præſulem, ſed Regalia retinebat, juramentum fidelitatis præſtari ſolitum admittere recuſabat, nec a cœptis deſiſtebat, donec in irritum ducta Capituli poſtulatione potius quam electione, ille quem elegiſſe ſignificaverat, a Capitulo ſi non eligeretur, ſaltem haberetur pro Electo: miſſumque ad Provinciæ Archipræſulem jubebat Rex conſecrari; qui ſi renuebat, & a Senatu interpellabatur, ac ſi recuſare pergeret, temporalium cnmprehenſione, & obſignatione cogebatur Regis juſsui obtemperare. Quæ omnia non paucorum peccatorum anſam præbebant, & bonis luctum, & malis gaudium afferebant. Atque hæc mala, & ſcandala, quæ enarrant antiquiores Scriptores Galli, ſuſtulit quidem Concordati Conſtitutio, cujus beneficio factum eſt, ut doctiores, ſanctioreſque Epiſcopi Eccleſiis præficiantur, & ſimonia, quæ Electiones plerumque contaminabat, eliminata penitus ſit.

CCLXXVII. Sed ut alias Adverſariorum objectiones omittam, quas egregie refellit memoratus Tullenſis Epiſcopus, & ex eo eruditus Bail, jam non niſi abſurde dici poteſt, non ſpectare ad Pontificem, neque ad Regem, ſe ſe Epiſcoporum delectui immiſcere; atque hunc abſque ullo Jure ſibi eorum arrogaſſe Nominationem, illum vero Confirmationem, Proviſionemque ſibi reſervaſſe, quia ſcilicet promotio ipſa, ut ajunt, ad Metropolitanum, Electio vero ad plebem, vel potius ad Clerum, ſeu ad Capitulum jure Eccleſiaſtico jam olim condito, ac ſervato pertinebat. Paucis enim ut reſpondeam, dico, quod & laudati Auctores docent, ſi non ad Papam, & Regem ſpectat providere, ut Eccleſiis digni Epiſcopi præficiantur, multo minus ad populum & Clerum hoc pertinere, cum membra ſint Clerus & populus Eccleſiæ, & Regni, Papa vero & Rex Capita, & hic quidem ſui Regni, ille vero Catholicæ Eccleſiæ. Electioni quidem populum præbuiſſe ſolum aſſenſum, Clero autem delatam Electionem potius ex uſu Eccleſiæ, & permiſſu, quam ulla inſtitutione Divina; unde Jus iſtud, qualecumque fuerit, poſitivum tandem erat, ideoque variari poterat, quinimo propter abuſum qui paſſim irrepſerat, potuit, ac debuit ſubmoveri. *Expedit enim Reipublicæ, ne ſua re quis male utatur*, ut verbis utar celebris Textus relati in §. II. Tituli VIII. Libro I. Inſtitutionum Juris Civilis.

CCLXXVIII. His adde, jamdudum Imperatores nonnullos, ac Reges privilegia a Sede Apoſtolica obtinuiſſe, ut, illorum Nominatione interpoſita, Epiſcopi crearentur, uti ex variis exemplis, & quidem antiquis conſtat, longo agmine allatis a doctiſſimo Thomaſſino in ſua Veteri, ac Nova Eccleſiæ Diſciplina. Sed nec Catholice dici poteſt, quod Auctores quidam Galli Concordato adverſi ajebant, Romani Pontificis non intereſſe, de Epiſcoporum delectu curam habere, cum ipſe Pontifex mandatum a Chriſto Domino in Beato Petro Apoſtolorum Principe, cujus Sedem, & Fidem tenet, acceperit, *confirmandi Fratres ſuos*, hoc eſt Epiſcopos omnes, quotquot in Orbe ſunt, in ſalutis miniſterio ſtatuendi, ipſiſque, ut ſuo quique munere ſtrenue defungantur, omnem curam, & opem impertiendi. Ad eum enim ſpectat univerſalis Eccleſiæ ſolicitudo, & gubernatio, nec modo agnorum, ſed & ovium procuranda ſalus ipſi ex Officio Divinitus demandato incumbit. Quamobrem, vel a priſcis Patribus, atque Conciliis, uti alias oſtenſum fuit, non modn Fidelium omnium Pater, ac Paſtor appellabatur, ſed & Pontifex Maximus, Patrum Pater, Epiſcopnrum Epiſcopus, ipſorumque Patriarcharum Princeps. Quos quidem, alioſque titulos recenſet inter alios præſtantiſſimus S. R. E. Cardinalis Bellarminus in Libris, *De Summo Pontifice*.

*De Privilegiis Religioſorum.*

CCLXXIX. Lecta demum in eadem hac Seſsione XI. in Ambone per Joannem Baptiſtam Epiſcopum Cavallicenſem ſchedula abrogatinnis Pragmaticæ Sanctionis *ſeu corruptelæ*, ut ajunt Acta hujus Concilii apud Labbeum, Harduinum, alioſque Conciliorum Collectores, *Joannes Epiſcopus Sibinicenſis aſcendit Ambonem, & legit*

*ſche-*

*ſchedulam diſponentem circa Religioſos, & eorum privilegia*, quæ incipit: *Dum intra mentis arcana*. De regularium privilegiis quid actum fuerit in hac Seſſione XI. Concilii V. Lateranenſis, jam fuſe explicuimus ſupra in Hiſtoria Generalis Concilii Viennenſis in eo Capite, quod inſcriptum eſt, *De Privilegiis, & exceſſibus Privilegiatorum*, Num LXXIV. uſque ad numerum LXXVIII. Pag. 156. & ſequenti. Unum hoc loco adnotabimus, quod nempe docet Sanctiſſimus Dominus noſter BENEDICTUS XIV. in ſuo celebri Tractatu, *De Synodo Diœceſana*, lib. VII. Cap. XLI. nihil in particularibus Epiſcoporum Synodis conſtituendum, quod Regularium privilegia lædat, ſed eſſe tamen quamplurima, in quibus Regulares ipſi quantacumque fruantur exemtione, Epiſcopo ſubſunt, tanquam Apoſtolicæ Sedis Delegato. Quænam illa ſint, perſpicue enarrat, explicatque idem laudatus Pontifex loco citato.

CCLXXX. Inter alia Regularium privilegia, quæ enarrat Leo Pontifex X. in citata Conſtitutione, *Dum intra mentis arcana*, poſtquam ſtatuit, ut *Fratres, & Sorores Tertii Ordinis, necnon Mantellati, Corrigiati, Pizochatæ, Chordellati, & alii quocumque nomine nuncupantur in propriis domibus habitantes*, ſicuti ceteri laici propriis Parochis ſubjecti reputentur, *& ad onera quæ laicis incumbunt, perferenda teneantur, ac in Foro ſeculari coram Judicibus ſecularibus conveniri poſſint &c.* deinde mandat, ut *Collegialiter viventes, ſeu cum Clauſtralibus habitantes, ac Mulieres Virginalem, ſeu cœlibem, aut caſtam vidualem, expreſſo voto, & ſub dicto habitu, vitam ducentes, privilegiis quibus Fratres Ordinis, cujus tertiæ Regulæ habitum geſtant, gaudere debeant &c.* Tertii Ordinis Alumni, de quibus Concilium in citata Conſtitutione edita in Seſſione XI. loquitur, dicuntur illi, qui Religioſam vivendi rationem ſequuntur, inductam a Viris ſanctitate fulgentibus, qui alios Religioſos Ordines inſtituerunt, ab Apoſtolica Sede probatos, cujuſmodi ſunt *Mantellati, Corrigiati, Bizochatæ, Chordellati, & alii quocumque nomine nuncupati*, quorum voces fuſe explicat in ſuo Gloſſario eruditus Dufreſne, ſive qui de Tertio S. Dominici, vel S. Franciſci Ordine, ſive etiam de aliis Ordinibus a veſtium forma nuncupantur.

CCLXXXI. Sed ut quædam de ipſo Tertio S. Dominici Ordine dicamus, quæ ad alios etiam referri Ordines poſſunt, ſciendum eſt ex Beato Raymundo Capuano Ordinis Prædicatorum, Parte I. Chronici S. Catharinæ Senenſis, Cap. VIII. memoratum Tertium Ordinem initio *De Chriſti militia* vocatum fuiſſe, quum nimirum Albigenſium hæreſi longe lateque graſſante Sanctus Dominicus Prædicatorum Ordinis Parens Milites quoſdam Religioſos invexit, quorum munus in redimendis tuendiſque Eccleſiaſticis bonis verſaretur; poſtmodum vero, ut nonnulli ajunt, *De Pœnitentia* dictum eſſe, quod videlicet Eccleſiæ hoſtibus jam profligatis, qui remanſerant, ſive viri, ſive eorumdem Viduæ mulieres, coercendis præſertim carnis cupiditatibus diligentiam omnem ſuam impenderent. Ex hujuſmodi cœtu prodierunt inter Viros Ven. Simon Comes Monfortius, & qui noviſſime Eccleſiæ Faſtis adſcriptus eſt Beatus Albertus Villæonenſis Agricola Tertii Ordinis S. Dominici, cujus Vitam ſcripſit ediditque ſemel ac iterum in lucem doctiſſimus F. Thomas Richinius nunc a ſecretis Congregationis Indicis. Inter mulieres vero emicuere S. Catharina Senenſis, S. Catharina de Ricciis, S. Roſa Limana, utraque B. Margarita de Caſtello, & de Sabaudia, B. Stephana Soncinas, B. Lucia Narnienſis, B. Oſanna Mantuana, B. Columba Reatina, aliæque plures virtutibus, & miraculis claræ.

CCLXXXII. Hinc mirari non ſubeſt, ſi Romani Pontifices piam hanc vivendi inſtitutionem non adprobarint modo, ſed mirifice commendarint, ac Privilegiis inſuper hujuſmodi homines ditaverint, exemtionibus nimirum, atque aliis inſignibus beneficiis. Hos inter recenſendi ſunt ante hoc Lateranenſe Concilium Sixtus IV. in Bulla, quæ incipit, *Sacri Prædicatorum*, edita anno MCDLXXIX. & Alexander VI. in Brevi, quod incipit, *Conſiderantes uberes fructus*, edito anno MCDXCV. In hoc autem præſenti Concilio Leo X. citata ſua Conſtitutione, *Dum intra mentis arcana*, edita anno MDXVI. & deinde alia Conſtitutione, quæ incipit, *Nuper in Sacro Lateranenſi Concilio*, edita anno MDXVIII. qua votum caſtitatis a mulieribus Tertii Ordinis nuncupandum ſimplex dumtaxat eſſe declaravit; & demum S. Pius V. in Bulla, *Etſi Mendicantium Ordines*, edita anno MDLXVII. & Urbanus VIII. in ea, quæ incipit, *In plenitudinem*, edita anno MDCXXV. ut ceteros omittam cum antiquiores, tum recentiores, quorum catalogus texitur ab Eruditiſſimo, & Religioſiſſimo F. Antonino Bremond nunc Ordinis Prædicatorum Magiſtro Tomo VIII. Bullarii ejuſdem Ordinis, in Tractatu, *De conſenſu Bullarum*, Titulo XIV.

CCLXXXIII. Ut igitur ad Privilegia, quæ hac Leonis X. & Lateranenſis Concilii Conſtitutione continentur, orationem convertamus, liquido conſtat, hujus Tertii Ordinis Fratres, & Sorores Laicorum oneribus modo ſubjectos eſſe, ſi Viri ſoli per ſe ſe in propriis domibus degant; Mulieres vero nullo caſtitatis, aut continentiæ voto adſtrictæ ſint, ſive demum in Congregatione, ſive ſejunctim in ſuis Ædibus vitam traducant: *Manere* ſiquidem *poſſunt in domibus propriis, & habere proprium, ac etiam Collegialiter, & in communi vivere, ſi volunt propria ſponte, & non ex vi Regulæ*; ut ait S. Antoninus Parte III. *Summæ*, Titulo XXIII. Cap. V. §. V. Ceterum ſi Viri collegialiter, ſeu cum clauſtralibus morentur; Mulieres vero ſimplex dumtaxat Virginalis, ſeu cœlibes, aut caſtæ vidualis vitæ votum expreſſe emittant, atque Inſignia Ordinis ſui deferant, album videlicet Tunicam, & nigrum Pallium, ſi Dominicanorum Inſtitutum amplexæ ſunt, ſive hæ Collegialiter, ſive ſejunctim *in conſanguineorum, & affinium ſuorum, aut propriis domibus ſeorſim habitent*, omni prorſus exemtione eas frui autumo, qua Fratres Prædicatores, exemtione ſcilicet ab Ordinarii juriſdictione, ut Sacra Congregatio Concilii Tridentini Interpretum edito hac de re Decreto anno MDCVIII. cenſuit, uti videre eſt Tomo VII. Bullarii Dominicani Pag. 551. & quidem non ab ea tantum, quæ Forum reſpicit, ſed etiam a receptione Sacramentorum, ita ut *tam in die Paſchæ, ſeu Feſti Reſurrectionis Domini noſtri Jeſu Chriſti, & infra ejuſdem Feſti Octavam, quam etiam aliis diebus, etiam in mortis articulo, Euchariſtiæ, & alia Sacramenta hujuſmodi a Fratribus Ordinis Prædicatorum recipere libere, &*

*lici-*

Digitized by Google

*licite valeant, cujuſvis licentia ſuper hoc minime obtenta, ſeu etiam petita*, quemadmodum Alexander VI. jampridem ſanxerat loco citato, & doctiſſimus Fagnanus ex communi Doctorum. ſententia explicat in Cap. *Nullus*, II. *De Foro competenti*, Num LXVIII. & ſequenti.

CCLXXXIV. Jam non deſunt qui aliter ſentiunt, ajentes, Tertiarias collegialiter viventes ita a S. Pii V. Conſtitutione, quæ incipit, *Circa Paſtoralis Officii*, adigi, ſive ad clauſuram ſervandam, quoties tria ſolemnia vota emiſerint; ſive ad ſolemniter profitendum, & clauſuram ſuſcipiendam, quoties in Congregatione degere velint; ut, quandiu hæc non impleant, Ordinariorum Juriſdictioni ſubjiciantur; & irritæ, nullæque ſint quælibet illarum profeſſiones, & receptiones. Verum labi hos Auctores puto, in iiſque Matthæuccium in Libro quem inſcripſit, *Officialis Curiæ Eccleſiaſticæ*, Cap. III. Num. VI. alioſque hunc Forenſem Scriptorem ſequutos. Illud enim, quod ait S. Pius V. nequaquam eſſe intelligendum de iis Mulieribus, quæ tertio Sancti Dominici Ordini nomen dederunt, vel ex eo evincitur, quod idemmet Sanctus Pontifex laudata Conſtitutione, Concilii hujus Lateranenſis v. Decretis, ſeu Conſtitutioni Leonis Papæ X. cujus nullam facit mentionem, minime derogaverit, & ſequenti anno MDLXVII. alteram Conſtitutionem ediderit, quæ incipit, *Etſi Mendicantium Ordines*, ab Urbano VIII. ut ſupra, in gratiam Fratrum Prædicatorum confirmatam, & innovatam, in qua Tertiariis Mulieribus *in Congregatione viventibus* a S. Pio ea conceduntur, quæ pridem laudatus Leo Papa X. largitus fuerat. Hinc eſt, quod ab ejuſdem S. Pii V. uſque temporibus pleraque Collegia Tertiariarum Sancti Dominici reperiebantur, quæ etiamnum florent ſine clauſuræ præcepto, & ſolemnis profeſſionis vinculo, ad pietatem compoſita, & præclaris undique Sanctimoniæ exemplis referta, ut merito de illis dici poſſit, quod Cardinalis de Luca Tomo XIV. Operum Diſcurſu XXXVII. Numero XXI. aliquando ſcripſerat de Romanarum Oblatarum Cœtu, eas ſcilicet *collegialiter ſub pio, vel Eccleſiaſtico Inſtituto vivere, Clauſuræ non ſubjectas, quamvis Inſtitutum ſtrictiſſimum ſit, & quidem magnæ exemplaritatis*.

CCLXXXV. Auctores complures in hac materia ſolide, ac fuſe diſſerentes, noſtræque ſententiæ ſuffragantes affert nuperus Auctor Anonymus Italicæ Opellæ, cui Titulus Latinitate donatus, eſt, *De privilegiis Tertiariarum Dominicanarum ſpectantibus ad exemptionem ab Ordinario & Parocho*, Venetiis cuſæ apud Simonem Occhium anno MDCCXLVII. Eſtque Auctor Sacræ Theologiæ Magiſter Scriptor doctiſſimus F. Joſeph-Thomas Tavella Ordinis Prædicatorum, qui inter alia ad magis magiſque ſententiam ipſam comprobandam, explicandamque hac in re memoratam Lateranenſis v. Concilii Conſtitutionem recenſet, laudatque Judicium Viri omnium doctiſſimi, atque in Eccleſiaſticis rebus controverſiiſque ſummopere verſati, BENEDICTI XIV. Pontificis Maximi. Is quippe cum anno MDCCXLIV. die XV. Aprilis Regulas præſcripſiſſet, quibus in viſitandis Bononienſibus Tertiariis Ordinarii uterentur, Mulieres, quæ de Tertio S. Dominici Ordine vocantur, & ſine clauſuræ lege ab anno dumtaxat MDCXX. in Congregatione integerrime vivere cœperunt, neque Ordinarii viſitationi, neque Parœciarum ullimodæ juriſdictioni obnoxias eſſe voluit, quod nimirum earum Privilegia etiamnum vigere noverit: Privilegia, inquam, non quoad alias privativa, his enim carent, ſed cæteris ejuſdem Ordinis Tertiariis communia, ut idemmet Summus Pontifex ſequentibus verbis ſatis oſtendit in Epiſtola a Clariſſimo Præſule Apoſtolicæ Sedis Datario Jacobo Millo exarata eodem anno die XXVII. Maji, & ad Franciſcum Cottignium Vicarium Generalem Bononiam miſſa, cujus verba Latine reddita hæc ſunt: *Secundo præcipit, jubetque Sanctitas Sua; quod Tertiariæ S. Dominici, quæ antiquum habent Privilegium, a Sanctitate Sua in actuali viſitatione recognitum, nulla moleſtia afficiantur, neque vero quoad illas quidpiam innovetur*. Quæ verba in Libro Bononienſis Archiepiſcopalis Curiæ, *De viſitatione*, folio tertio leguntur, ut idem Tavella teſtatur. At de his hactenus. Cæterum plura alia, quæ in laudata Conſtitutione, *Dum intra menſis arcana*, continentur, jam alias a nobis in Commentariis ad præcedentes Synodos explicata fuere.

CCLXXXVI. Unum eſt, quod his addam, Tertiarios, Tertiariaſque, dici viros, muliereſque, qui e Tertio aliquo Religioſo Ordine ſunt. Tertius autem Ordo, ut tradit poſt alios Duſreſne, dici ſolet, quod omnes, qui alicujus Sancti, Ordinis Religioſi Fundatoris Vitæ inſtituta ſequuntur, in tres dividantur claſſes. Prima Virorum eſt, quos proprie Religioſos dicimus. Secunda feminarum, ſeu ſanctimonialium, quæ eandem Regulam, quam Viri Religioſi, profitentur. Tertia Laicorum utriuſque ſexus, qui ſecularem quidem vitam vivunt, ſed directam ad religioſioris vitæ præcepta, qua tantum accedant ad vitæ Monaſticæ normam, quantum licet hominibus in ſeculo degentibus. Votis quibuſdam, ſed ſimplicibus tantum obſtringuntur, ſi nonnullos excipias, qui majoris virtutis ſtudio accenſi Vota adjecerunt ſolemnia, ſicque vere facti ſunt Religioſi, retentu tamen Tertiariorum nomine, quo diſtinguantur a Viris, feminiſque primævæ inſtitutionis, ſeu primæ, vel ſecundæ claſſis. Vulgo etiam dicuntur Tertiarii, qui induti habitum Religioſum, & in Ordine Religioſo degentibus nondum Vota ſolemnia emiſerunt. De Tertiariis paſſim agunt variorum Ordinum Scriptores, inter quos videri poſſunt Leaana in Summa Quæſtionum Regularium, Donatus, ac præſertim eruditus Helyot in Hiſtoria Ordinum Monaſticorum.

## SESSIO XII.

CCLXXXVI. Seſſio duodecima, eademque ultima hujus v. Concilii Lateranenſis celebrata eſt die XVI. Martii anni MDXVII. præſidente Leone Papa X. & præſentibus XVIII. Cardinalibus, III. Patriarchis, Antiocheno, Alexandrino, utique Latinis, & Aquilejenſi, LXXXVI. Archiepiſcopis, & Epiſcopis, duobus Abbatibus, S. Sebaſtiani, & S. Gregorii, quatuor Generalibus Ordinum, Vallis Umbroſæ, Ordinis Prædicatorum, Minorum, & Carmelitarum, aliiſque Viris illuſtribus. Poſt conſueta celebrata ſolemnia primum omnium lectæ ſunt a Secretario Concilii quædam Litteræ Imperatoris Maximiliani ad Pontificem ſcriptæ, quibus reſpondens aliis a Pontifice ad ipſum datis poſt victoriam anno ſuperiori a Selimo Turcarum Imperatore de Sultano Ægypti partam, excitatoriis ad ar-

ma cootra Turcas aſſumeoda: magnificis verbis ſuum ad hæc deſiderium extollens, Pontificem hortabatur, ut ipſe ſe una cum Cardinalibos ad hujuſmodi expeditiooem accingeret, ſeque ipſos comitaturum, & opes, ac vires ſuas collaturum. Porro decreta quidem ſuit contra Turcas ipſa expeditio, pro qua etiam Decimæ ad triennium impoſitæ ſuot fructibus Eccleſiarum, Monaſteriorum, & Beneficiorum toto Orbe conſiſtentiom; ſed hanc tamen expeditionem, qui ſubiode prodieront Lutheraoi hæretici, de quibus dicemus in Hiſtoria Generalis Concilii Tridentioi, non ſiverunt proſperom exitum naociſci.

CCLXXXVIII. Promulgata eſt præterea in hac duodecima Seſſione ex Ambone per Epiſcopum Melitenſem Conſtitutio Leonis Papæ X. qua Sacro approbante Concilio, renovat, & confirmat Honorii III. & Boniſacii VIII. Summorum Pontificum Cooſtitutiones contra inſectatores Cardinalium, & qui eorom domos diripiunt, & bona iovadunt. De primis jam ſupra diximus. Quod alios ſpectat, tradit Cohellius in Notiti a Cardinalatus Cap. XVI. Privilegio XXXIX. *Familiares Cardinalium, præſertim vilioribus ſervitiis addictos, parapbreaarios, coquos, ſtabali magiſtros, & alios bujuſcemodi, & ita vulgariter nuncupatos, tanqaam vultures, ad rapiaam iabiaates, itaut adagiam illud*, Si vultur es, expecta cadaver, *ia bis potiſſimum verificetar, ſequuta morte Cardiaalis, cujas familiares, & inſervieates eraat, in illias non modicum dignitatis, & memoriæ detrimeatum nſſertæ conſactudini, & privilegiis inbærentes, bona ſab coram cuſlodia, & ia eorum miniſteriis teaeri ſolita, invitis bæredibus retinere, vel potius uſurpare conſuevïſſe*. Mirum plane eſt, viguiſſe hunc abuſum non modo ante Lateranenſe hoc v. Concilium, ſed etiam longe poſt, oti patet ex Cooſtitutione XV. S. Pii V. qui ut abuſui illi occurreret, qui graſſabatur vel medio Seculo XVI. quo ipſe claruit, modum, & ordinem procedendi in bonis Cardinalis defuncti præſcripſit, diſtricte ſamillaribus Cardinalium vetans, bona apud eos in illorum miuiſteriis retineri ſolita occupare, & præterea mandaus, ot illa ſtatim Cardinaliom hæredibus conſignare teneantur; conſnetodinibus, & privilegiis quibuſcumqoe in contrarium minime obſtantibos.

CCLXXXIX. Deinde, ut habent Lateranenſis v. hujus Coocilii Acta, in ipſa Seſſione XII. *Mariaus Patriarcba Aquileenſis aſcendit ambonem, & legit ſchedulam impoſitionis Decimarum & abſolutionis Concilii*. Sequitur ipſa Conſtitutio, ſeu Diploma de Decimarum impoſitione pro expeditiooe contra infideles, in quo etiam, *Saero approbaate Concilio, omnia & ſingula ia dictis uadecim Seſſionibas geſta, & facta, ac Litteras deſuper editas, cum omnibus in eis contentis clauſulis &c. Apoſtolica auctoritate approbavit*. Demum vero, nt eadem Acta referont, *Reverendiſſimus in Chriſto Pater Dominus Alexander Sancti Euſtacbii, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconus Cardinalis, alta, & intelligibili voce cantavit*: Domini ite in pace; *& Cantores Capellæ Domiai noſtri in codem tono reſponderaat*: Deo gratias. *Et conſequenter inceperunt Canticum*, Te Deum laodamns. *Quo finito, Sanctiſſimus Dominus noſter*, Leo ſcilicet Papa X. *equitavit, comitantibus Reverendiſſimis Dominis Cardinalibus, Patriarcbis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, & quamplaribus aliis illaſtribus Domiais, & rediit ad Palatium Apoſtolicum*.

*De aliis ia boc Concilio conſtitutis, ac præſertim de mutatione Capparum ſolemai die Paſchatis peragenda.*

CCXC. Præter hactenos dicta, jam molta alia in hoc v. Lateranenſi Generali Concilio ſtatuta fuere, ac præſertim illud quod ſpectat ritum variandi Chorale iodumentum, de quo cnpioſe, ac docte diſſerit Vir ſummæ doctrinæ, atque eruditionis Petrus Morettus inſignis Baſilicæ S. Mariæ trans Tyberim Caoooicus in Epiſtolari ſua Diſceptatione, quam inſcripſit, *De rita variandi Chorale indamentum ia ſolemuitate Paſcbali apad Cleram Baſilicarum Vrbis uſitato*, ubi inter alia recenſet locum Cæremonialis Sanctæ Romaoæ Eccleſiæ Lib. II. Sectione II. Capite XI: quod inſcriptum eſt, *De vigilia Peatecoſtes, & mutatione Capparum*, ubi Auctor ejus Cæremonialis, poſtquam dixit, io Vigilia Pentecoſtes Cardinales, ac Prælatos Romanæ Curiæ depoſitis Cappis, & Capuciis pellibus ſubduplicatis accipere alias cum ſerico rubro, ſive carmeſino, in quibus veoiunt ad Veſperas ſolemoes ita deinde ſubjicit: *Hæc mutatio Capparam fit bodie in die Feſto Reſarrectioais Domiaicæ Decreto Leoais Papæ Decimi ia Concilio Lateraneuſi, qaia ita fiebat antiquitus*. Decretum hoc editum fuiſſe in Congregatiooe quadam præſynodali memorati Lateraneoſis v. Concilii, decernente Leone X. qui & rem confirmavit *conſiſtorialiter*, ut ajunt, notavit jam idem præſtantiſſimus Auctor Petros Morettos in Additionibus ad ipſam Diſceptationem, quæ extant in calce alterius inſignis Operis laodati Auctoris, quod inſcribitur, *Ritas daadi Presbyterium &c.* Pagioa 8. io fine.

*De Poteſtate Summi Pontificis ſuper Concilia*

CCXCI. Denique ut alia omittam, quæ io hoc v. Lateranenſi Concilio acta fueruot, notat Bellarminus, Lib. II. *De Conciliorum auctoritate*, Cap. XVII. Lateranenſe ipſum Concilium ſub Leone X. diſerte, & ex profeſſo docuiſſe, Romanum Pontificem Maximom eſſe ſopra omnia Concilia, & reprobaſſe contrarium Decretum editum in Coocilio Baſileenſi: *Solum*, inquit, *Romanum Poatificem ſuper omaia Coacilia auctoritatem babeatem, Coaciliorum indiceadorum, transfereadorum, ac diſſolvendorum plenum jus, ac poteſtatem babere, acdum ex ſacræ Seripturæ teſtimonio, dictis Saactoram Patrum, ac alioram Romanorum Pontificum, ſed propria etiam eoraadem Coacilioram coafeſſione maaifeſte conſtat*. Additque mox idem præſtantiſſimus Auctor, nihil ad hunc locum reſponderi poſſe, qoia ſcilicet definita ea res eſt a Concilio Generali & Œcumenico ab Eccleſia recepto. De Œcumenica auctoritate Lateranenſis hnjos v. Concilii, jam a nobis dictum ſuperius ſuit. Ceterum quod hoc Concilium eam rem non definierit proprie ut Decretum Fide Catholica tenendum, dubium eſſe ait memoratus doctiſſimus Bellarminus; *& ideo aoa ſaat proprie bæretici, qui coatrariam ſentiunt, ſed a temeritate magaa excuſari non poſſant*. Dicet forte quiſpiam, Concilium hoc v. Lateranenſe non fuiſſe ab omnibus receptum. Verum reſpondet memoratus Bellarminus, parum hoc reſerre, Decreta ſiquidem Conciliorum non egent approbatione populi, cum ab eo noo accipiant auctoritatem.

HI-

Digitized by Google

# HISTORIA
## CONCILII TRIDENTINI
## OECUMENICI XVIII.

I. PRomulgaverat jam Leo X. Pontifex Maximus in Seſſione XII. Concilii Œcumenici V. Lateranenſis habita die XVI. Martii anni MDXVII. Conſtitutionem impoſitionis, & exactionis Decimarum ex omnibus, ac ſingulis totius Catholici Orbis quibuſcumque Beneficiis Eccleſiaſticis in Expeditione adverſus Turcas, uti ibidem dictum a nobis jam fuit. Sed jam vel initio ſui Pontificatus non ſolum ad bellicos Italiæ labores, & arma in ipſos Chriſtiani Nominis hoſtes convertenda direxerat animum, verum etiam ad ædificium ſumtuoſius proſequendum Templi maximi Vaticani in honorem Principis Apoſtolorum. At vero diutinis bellis exhauſto Pontificio Ærario ſub ejus Prædeceſſore Julio II. Papa, viſum eſt ſibi pro more jamdudum in Eccleſia recepto uti eleemoſynis quas ob Indulgentias ex Pontificia largitate ſub Cruciatæ nomine Fideles erogare ſoliti erant; ſtatuitque iccirco, ut quicumque aliquid in eos uſus erogaret, veniam peccatorum ampliſſimam conſequeretur.

II. Huic negotio in Germania, ut docent Surius, Spondanus, Rainaldus, aliique Annaliſtæ ad annum MDXVII. præfecit Leo Pontifex Albertum Archiepiſcopum Moguntinum, qui ad prædicandum ipſas Indulgentias Joannem Tetzellium delegit Fratrem Ordinis Prædicatorum, qui nuper ſimili occaſione prædicationibus ſuis magnam pecuniam acquiſierat Militibus Teutonicis adverſus Muſcovitas, & alios hoſtes. Id autem ægre admodum tulerunt quidam Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini, qui longo jam tempore id muneris obire conſueverant, in primis vero Joannes Staupitius ejuſdem Ordinis Generalis per Germaniam Vicarius, Vir nobilis, ac facundus, & Martinus Lutherus Lector Ordinarius Wittembergæ, occaſione ſumta complurium abuſuum, qui in iis Indulgentiis promulgandis, & pecuniis colligendis per imprudentiam, & avaritiam committi ſoliti erant; in ejuſmodi abuſus invehi incipiantes pro concione populum admonuere, ne talium buccinatorum ſuaſionibus deludi ſineret; protegente eos, atque etiam hortante Friderico Electore Saxonico, pio quidem illo, & Catholico tunc Principe, ſed deinde hæretico, atque hæreticorum fautore.

III. Luthero favente ipſo Joanne Auguſtinianorum in Germania Vicario Generali, cœpit mox ille contra Indulgentias acriter declamare, ac debacchari, ſcripta primum Epiſtola ad prædictum Albertum Archiepiſcopum Moguntinum, qua conquerebatur de Indulgentiis Pontificiis ſub ejus nomine promulgatis. Concionatores quos non audierat, minime ſe reprehendere ajebat, ſed per vulgus ſerpere audacem fiduciam ſuadentem, quicumque eleemoſynam quæſitam conferret, æternæ gloriæ certum eſſe, nec alia ſatisfactione indigere, ut culpa ſimul, & pœna ſolvatur: nihil cogitari poſſe Scripturæ Sacræ repugnantius ea perſuaſione, cum S. Petrus doceat, vix juſtum eſſe ſalvum; & apud Amos, & Zachariam Prophetas æquiparentur electi torribus e medio incendio ſubtractis: vim aliam Indulgentiis non ineſſe, niſi a pœnis Canonicis liberandi, quas imponit Eccleſia: denique opera pietatis, & charitatis eſſe in infinitum Indulgentiis meliora. His inter alia addebat, ipſius Archiepiſcopi nomine circumferri Libellum, in quo affirmabatur, unam principalium gratiarum eſſe donum illud Dei inæſtimabile, quo reconcilietur homo Deo, & omnes Purgatorii pœnæ deleantur: item non eſſe neceſſariam contritionem, ſive ad Indulgentias impertiendas defunctis, ſive ad abſolutionem obtinendam ab eo quem ſibi ex Privilegio delegiſſent ad peccatorum ſuorum Confeſſionem excipiendam; ideoque ſuppliciter ſe poſtulare, ut hujuſmodi Libellum prohiberet, aliamque formam Indulgentiarum Prædicatoribus præſcriberet, ne forte aliquis Libellum ipſum confutaret ad ſummum Celſitudinis ipſius vituperium.

IV. Scripta eſt hæc Epiſtola in Vigilia omnium Sanctorum anno MDXVII. ad ejuſque calcem adjecit XCV. concluſiones, quas non expectato reſponſo eodem die propoſuit Wittembergæ in Templo Magnifico omnium Sanctorum, typiſque mandatas per omnem Germaniam diſpergendas curavit; utque non ſolum Studioſos, verum etiam apud plebem Indulgentiarum Religionem elevaret, ſolemnem ſuper eodem argumento Concionem in eodem Templo habuit, ac typis mandavit. Porro perverſis propoſitionibus ſuis Lutherus jam non modo Prædicatorum, & Collectorum abuſus, & collectarum pecuniarum, quæ immenſæ erant, in alios omnino uſus, quam quorum nomine exigebantur, & aliquando, ut prædicabatur, infames, deſtinationem carpebat; verum etiam communem, atque receptum ab Eccleſia Indulgentiarum uſum impugnabat, Romanorumque Pontificum in iis concedendis auctoritatem in dubium revocabat, & quæ ad Sacramentum Pœnitentiæ, atque Purgatorium ſpectant, vellicabat. Contra vero Tetzellius Francfurti, ubi Quæſitorem Fidei agebat, CVI. Propoſitiones Lutheranis oppoſitas edidit, quibus ſcilicet Novatoris fallacias detexit, & Romanum Pontificem, Concionatoreſque a calumnia vindicavit. Addit Melancthon Lutheri diſcipulus in illius Vita, & ex eo Natalis Alexander in Hiſtoriam Eccleſiaſticam Seculi XV. & XVI. Cap. II. Articulo X. §. I. Theſes Lutheri a Tetzellio igni traditas fuiſſe uti hæreticas; paremque contumeliam Wittembergæ octingentis exemplaribus Theſium Tetzellii illatam fuiſſe. Quod etſi in Foro publice peractum fuerit, Duce tamen, Magiſtratibus, ac ſe inſcio, imo ægreferente patratum fuiſſe ſcribit Lutherus ipſe in Epiſtolis ſuis XLII. & XLVII. Teſte Spondano ad annum MDXVII. Wittembergæ Scholaſtici quidam inſolentiores Theſes Tetzellianas, invitatis omnibus ad ignem earum funus combuſſerunt.

V. Ex his ſcintillis, ut notat Surius in ſuo Commentario Hiſtorico ad annum MDXVII. eruperunt ingentes flammæ, quibus magna Orbis pars poſtmodum conflagravit; *quæque potuiſſent fortaſſis, aut revocatione ejuſmodi pecuniarum exactionis (quæ nihil propter hæc ceſſavit, ſed potius crevit) vel modica aquæ aſperſione reſtingui, niſi acriori ſuccenſorum concurſu vehementiores vires accepiſſent*, uti ad eundem annum MDXVII. obſervat Spondanus. Quod & agnovit, faſſuſque dolens eſt inſignis prudentiæ, pietatis, & doctrinæ Jacobus Cardinalis Sadoletus in egregia ſua ad Georgium Saxoniæ Ducem Catholicum ſcripta poſtmodum Epiſtola, eſtque prima Libri XI. ubi ita inquit: *Augebat dolorem meum, quod multa quoque ab hac parte fieri videbam parum accommodata temporibus illis. Nam neque ea, quæ huic malo apta poterant afferri remedia, ulla afferebantur; nec vox audiebatur bene monentium, & ſuadentium, ut quæ manſuetudine, & a quibuſdam rebus abſtinentia, temperantiaque poterant vulnera ſanari, ea ne ferro, & aſperioribus quaſi medicamentis incrudeſcere cogerentur*. Sed ut ait Apoſtolus in Epiſtola I. ad Corinthios, Cap. XI. *oportet hæreſes eſſe, ut hi qui probati ſunt, manifeſti fiant*.

VI. Fruebatur interim Lutherus ampliſſimi Principis Saxoniæ Friderici patrocinio, cujus, uti ejus ævi Scriptores referunt, tunc erat inter cæteros Germaniæ Proceres præcipua fere auctoritas, potentia, liberalitas; ideoque facile, ut narrat Surius in Commentario Hiſtorico ad annum ipſum MDXVII. contemnebat minas, & pericula omnia, atque indiſcriminatim in quoslibet tum Eccleſiaſticos, tum Civiles Magiſtratus petulantiſſime invehebatur, probraque, & convicia procaciſſime jactabat, ubique fere in id unum præcipue intentus, populo, ut placerent quas feciſſet fabulæ, populique gratiam, & applanſum captaret. Quum autem multa eſſent in Clero vitia, quem ille apud Laicos in odium & invidiam adducere modis omnibus conabatur, ea ſumma animi acerbitate omnibus propalare, mireque exaggerare, & impudenter multa fingendo in vulgus ſpargere ſtuduit. Brevi multis id effecit in locis, ut Clerus omnis non alio, quam luporum loco apud Laicos paſſim habitus ſit; adeo ut paſſim in ſuis Domibus Pontifices, Sacerdotes, Monachos, luporum forma, & ſpecie depingi curarint, & incredibili odio, atque contemtu proſequuti ſint. Addit tum etiam Surius, veriſſimum id quidem fuiſſe, *Clerum multis abominandis ſcatere vitiis, quæ cum nulla Prælatorum ſeveritate caſtigarentur, permiſit præpotens Deus hujus importuni, & improbi Apoſtatæ*, ideſt Lutheri, *conatus non inanes habere ſucceſſus, Clerumque in ſummum venire contemtum, ut vel ſic tandem reſipiſcerent*.

VII. Neque omittenda hoc loco quæ mox idem eam in rem Auctor ſubdit: *Dolenda certo res*, inquit, *pleroſque adeo in Clero obcæcatos, ut propemodum ſtupidi, & ab omni ſenſu alieni ipſas ſuas ſupremas calamitates nec animadvertere quidem videantur, & in ſummis animæ & corporis periculis haud aliter, atque in certiſſima ſecuritate verſentur*. Hanc unam fere & præcipuam rationem ait fuiſſe, cur Lutheri, & ejus diſcipulorum nefanda Dogmata, & impii conatus uſque adeo felices habuerint progreſſus multis annis, *quod nulla apud Catholicos etiam in ipſo Clero ſequuta eſt vitæ in melius commutatio, ut jam merito pudere nos debeat ſecordiæ & impudentiæ noſtræ, qui videmus, nos undique Dei juſto judicio propter peccata noſtra tot malis obrui, nec tamen operam damus, ut moribus rectius componendis, & corrigendis iram præpotentis Dei a noſtris cervicibus avertamus*. Concludit tandem, aureamque ſententiam docet, nempe nihil prorſus virium eſſe in iſtis impiis, & blaſphemis hæreſum fabricatoribus, niſi quantum vitæ noſtræ corruptione illis ſubminiſtratur, atque fovetur. Porro ab hoc anno MDXVII. ut ad eum annum notat Spondanus, incipiunt Joannis Sleidani Germani a Patria Sleida Ubiorum oppido id cognominis adepti Commentarii, *De Statu Religionis, & Reipublicæ*; in quibus ita tuetur Lutheri, ac Diſcipulorum ejus cauſam, ut blanda & mellita oratione Religionis negotium cum aliis pleriſque rebus geſtis commiſceat; adeo ut miro artificio, dum Lectorem detinet Hiſtoriæ varietate, & orationis elegantia, ſimul incautis, & imperitis animis identidem inſigniter mentiendo, damnatorum jam olim dogmatum virus exitiale inſtillet.

VIII. Quum vero interim Lutherus non parvos in ſua faceret impietate progreſſus, fuere nonnulli Doctores Theologi, qui ut ad annum MDXVIII. Surius, Spondanus, Rainaldus, aliique narrant, confeſtim fortiter ei ſe ſe oppoſuerunt; ac præcipue in Germania Joannes Eckius Svevus, qui ſub id tempus Theologiam in Academia Ingolſtadienſi docebat, & cum Luthero apud Auguſtam ſermonem habuerat: in Italia Sylveſter Prieras Pedemontanus Ordinis Prædicatorum, Romæ Sacri Palatii Magiſter, Auctor Summæ Caſuum Conſcientiæ, quæ ab eo Sylveſtrina dicitur, pluriumque aliorum Scriptorum compoſitor. Contra vero extitere alii, qui Lutheri propoſitiones propugnandas ſuſciperent, inter quos præcipuus fuit Andreas Bondenſteinius, Carloſtadius a Patria agnominatus Oppido Carolſtat Franciæ Orientalis, a quo lauream Doctoratus Lutherus acceperat. Ipſe vero Lutherus Reſolutiones, ut vocavit Diſputationum de Indulgentiarum virtute Latine ſcribens, in Præfatione ad Leonem X. tantam prætetulit animi demiſſionem, ut nihil a ſe, niſi ſummam obedientiam deinceps expectandam inſinuaret; quippe Theſes non aſſerendi, ſed tantum diſputandi animo in publicum emiſiſſe, jamque earundem declarationem adverſariorum calumniis compulſum edere; offerreque ſe ſe pedibus ejus, vivificaret, occideret, vocaret, revocaret, approbaret, ut ipſi videretur; vocem ejus vocem Chriſti in ipſo præſidentis & loquentis ſe agniturum; ſi mortem meruiſſet, mori non recuſare. In ſumma mirabiliter in ejus Libri Præfatione ſe ſubmittit Romano Pontifici, ut nempe ſibi gratiam apud omnes, adverſariis odium conflaret; ut ait Surius ad ipſum annum MDXVIII.

IX. Itaque hac ſimulatione jam non paucis etiam gravibus Viris vafer ille primum impoſuit, aliquotque ex eis, qui carmine, & proſa valebant, ſibi Lutherum defendendum ſuſceperunt multis conjectis in Prælatos & Theologos adverſarios Lutheri conviciis; ſicque is ſenſim apud Vulgus crevit, & adverſarii in contemtum venere. Maximilianus autem Imperator res nihilominus cernens maxime turbari, ex Comitiis Auguſtanis hoc anno MDXVIII. celebratis, die V. Au-

Auguſti ad Leonem Pontificem ſcribens monuit ut naſcenti malo opem ferret, priuſquam longius ſerperet; quicquid decerneret, curaturum ſe, ut exequutioni mandaretur. Leo antequam has Maximiliani Litteras accepiſſet, jam per alios e Germania de Lutheri fraude & malitia certior factus, diem ei dici ad ſiſtendum ſe Romæ, cauſamque dicturum juſsit: exaratis de ea re Litteris die VII. Auguſti prædicti anni MDXVIII. Ille vero timens Romam venire, interceſsione Univerſitatis Wittembergenſis, & Friderici Saxoniæ Ducis obtinuit, ut cauſa hæc primum in Germania cognoſceretur, datumque eſt a Pontifice Mandatum Cardinali Cajetano, qui tunc temporis Auguſtæ morabatur, ut Lutherum ad ſe vocatum audiret, & ſi ſanabilis eſſet, extra Judicii ſtrepitum in viam reduceret.

X. Ergo Cajetanus Luthero ad ſe vocato, venientique ad ipſum die XII. Octobris, Pontificis nomine tria hæc propoſuit: ut reſipiſceret; & caneret errorum ſuorum palinodiam: ut inpoſterum fidem daret ſe ad illos minime redituram: ut miſſa faceret ea omnia, quæ ad Eccleſiæ perturbationem ſpectare viderentur. Ille vero primum ſe erraſſe fateri noluit, ad extremum tamen petiit, obtinuitque ſpatium deliberandi. Poſtero die reverſus ad Cardinalem, quum apud eum quatuor Proceres inveniſſet, qui erant Cæſari a Conſiliis, verſutus homo, ut omnem a ſe hæreſeos ſuſpicionem apud illos amoliretur, coram Cardinale hanc ex ſcheda proteſtationem recitavit: *Ego Frater Martinus Luther Auguſtinianus proteſtor, me colere, & ſequi Sanctam Romanam Eccleſiam in omnibus meis dictis, & factis, præſentibus, præteritis, & futuris. Quod ſiquid contra, vel aliter dictum fuit, vel fuerit, pro non dicto haberi, & habere volo.* Scribit Sleidanus, Cajetanum Cardinalem ita prædicaſſe Papæ dignitatem, ut eum omnibus Scripturis, atque Conciliis anteponeret. Sed hæc fœda calumnia eſt, & mendacium impudentiſſimum. Quis enim unquam credat, Virum doctiſſimum, ac Theologum præſtantiſſimum, in Catholica Religione inſigniter eruditum, auſum affirmare, Pontificem etiam divinis Scripturis eſſe præferendum, quum certum ſit, ea quæ divinitus in ſacris Litteris juſſa, vel prohibita ſunt, debere etiam Pontificem tum facere, tum cavere.

XI. Porro Cardinalis, proteſtatione Lutheri accepta, quod ſciret, illum multa & dixiſſe, & ſcripſiſſe quæ Romanæ Eccleſiæ doctrinæ minime concordarent, urgere perrexit, ut tria illa ſuperius dicta præſtaret, negantique illi ſe ullos errores ſcriptis ſuis inſeruiſſe, ac variis cavillationibus rem agenti pœnam minatus eſt. Qui ſibi ab eo metuens, appellationem ad Pontificem interjecit, & clam Auguſta ſe ſubducens, curavit eam affigi palam in locis publicis ad concitandam majorem in populo contra Pontificem, & Cardinalem invidiam. Cardinali tamen Litteras poſt hæc ſcribens blandiſſimas, gratias egit de exhibita in ſe clementia, & provocandi neceſſitatem excuſavit, culpam agnoſcens nimiæ ſuæ vehementiæ, & irreverentiæ in ipſum, & in Pontificem. Apud alios nihilominus, ut erat verſipellis, & verbis & ſcriptis fœde in eundem Cardinalem debacchatus, tyrannidis, ſuperbiæ, infidelitatis, ignorantiæ, atque aliorum id genus vitiorum complurium accuſavit. Atque ad Summum Pontificem ſcribens, omnem culpam in ipſius Cardinalis imprudentiam, & tyrannidem refudit, qua factum eſt, ut tranquillitas minime reſtitueretur, & cauſa quæ optimo loco erat, multo pejor fieret: adeo ut quicquid poſtmodum ſequutum eſſet, aut porro ſequeretur, ei imputandum foret. Qui demum audito, quod ex Litteris ejuſdem Cardinalis Cajetani futurum eſſet, ut Romæ continuaretur Proceſſus in ipſum; die XXVIII. Novembris Wittembergæ, quo Auguſta perrexerat, a Pontifice provocavit ad futurum Concilium, id ut faceret, extrema ſe neceſſitate compulſum aſſerens.

XII. Narrant hæc quidem ad memoratum annum MDXVIII. Surius, Spondanus, Rainaldus, aliique hiſtorici. Anno autem ſequenti MDXIX. Maximilianus Cæſar die XII. Januarii, ætatis ſuæ LXIII. mortuus eſt, cum intempeſtive pharmacum incertæ efficaciæ, contra morbum, quem ſibi imminere putarat, hauſiſſet: Vir ſane corporis atque animi dotibus inclytus; electuſque in ejus locum fuit Carolus Aſtriacus ejus nominis V. quum tunc annos undeviginti haberet. Lutherus autem Maximiliani obitu inſolentior factus, qui ab ejus Catholicæ Fidei zelo ſibi timebat, cum liberius in Sacerdotes, & Miniſtros Pontificios inveheretur, nihilominus tamen cum miſſus in Saxoniam a Leone Pontifice fuiſſet Carolus Miltitius ipſius Cubicularius nobilis Germanus, qui Roſam auream, quam ſingulis annis Romani Pontifices Maximi Dominica IV. Quadrageſimæ ſolemni ritu benedicere ſolent, in argumentum benevolentiæ, Friderico Electori Saxoni deferret, cum mandatis etiam, ut ad ſedandas turbas, quas de Religione Lutherus excitarat, omnem diligentiam adhiberet. Ita vero hic cum Luthero Altemburgi egit, ut fateretur Lutherus, omnia jampridem ſopiri potuiſſe, ſi negotium ea dexteritate a Cajetano, & aliis tractatum fuiſſet, & quamquam illum Miltitius ad errores agnoſcendos inducere nequiverit, duo tamen non parvi momenti ab eo obtinuit: primum ut Litteras ad Pontificem humiles & modeſtas Lutherus ſcriberet, qui ſe, cauſamque totam ei ſubjiceret; deinde, ut negotium alicui in Germania Epiſcopo committeretur.

XIII. Scribit igitur Lutherus ex Altemburgo menſe Martio ad Leonem X. Papam, conteſtans inter cetera, numquam ſe hactenus id ſerio egiſſe, ut poteſtatem Romanæ Eccleſiæ, Summique Pontificis labefactaret, quam ſciret ſuper omnia eminere, nec illi quicquam in Cælo, vel in Terra præferendum, niſi ſolum Chriſtum, promittenſque ſe rerum illarum, ex quibus nata eſſet hæc contentio, nunquam deinceps mentionem facturum, modo ſilentium etiam imponeretur. Sed cum a Miltitio rogaretur Confluentiam accedere Oppidum Trevirenſis Diœceſis ameno loco ſitum, ut ibi ex condicto cum Archiepiſcopo rem agerent, audito a Luthero affuturum quoque Cardinalem Cajetanum, qui tunc caſu apud Archiepiſcopum erat, excuſavit ſe, quod inſtaret tempus diſputationis publicæ, quæ Lipſiæ cum Joanne Eckio eſſet habenda, a qua ſalvo honore abeſſe nequiret; neque vero, ſi ad actionem veniendum foret, Cajetanum ſe ferre poſſe, qui cauſam hanc ad eundem modum Auguſtæ egiſſet, ut an Catholicus eſſet, ac Chriſtianus, ipſe quidem vehementer ambigeret. Sicque doloſus congreſſum illum, ſimulque expectationem de concordia conceptam eluſit.

XIV. Quod

XIV. Quod autem diſputationem Lipſicam attinet, quam fuſe enarrat Ulenbergius in Vita Lutheri, Cap. IV. egerat cum Luthero Eckius apud Auguſtam, ut ſimul congrederentur, amicabiliter diſputaturi de Dogmatibus, quæ Lutherus in controverſiam adduxerat: cumque ejus primas Theſes de Indulgentiis idem Eckius quibuſdam annotationibus, quas Obeliſcoa inſcripſerat, taxaſſet, eiſque Carlſtadius reſpondiſſet; hincque animis utrinque offenſis, ſtatuta demum diſputatio eſt inter eoſdem Lutherum, & Carlſtadium ex una parte, & Eckium ex altera: locuſque deſignatus Lipſiæ in Miſnia permiſſu, & ſumtibus Georgii Saxoniæ Ducis Friderici Electoris patruelis, Principis zelo Catholicæ Religionis, & multarum virtutum ornamentis inſignis, ad cujus ditionem Civitas illa pertinebat. Conſtituti ſunt ab utraque parte, qui quæ dicerentur, exciperent, & delecti ejus diſputationis Judices, ægerrime licet conſentiente Luthero, Theologi Pariſienſes, & Erphordienſes. Congreſſi primum Eckius, & Carlſtadius die XXVII. Junii, ſex congreſſibus de libero arbitrio, de Gratia, de bonis Operibus diſputarunt.

XV. Deinde vero defeſſo, & exhauſto Carlſtadio, ſucceſſit in certamen Lutherus die IV. Julii uſque ad diem XIV. actumque de Primatu Romani Pontificis, de Purgatorio, Indulgentiis, Pœnitentia, abſolvendi poteſtate, & caſuum reſervatione. In quibus etiamſi non catholice in omnibus Lutherus, longe tamen minus hæretice, quam poſt eam Diſputationem, vi veritatis, & argumentorum potentia coactus, ſe geſſit: Primatum Pontificis agnoſcens, licet non Divino, ſed humano jure: Boemorum Huſſitarum cauſam apertis verbis damnans: Purgatorium non ſolum ſe credere, verum etiam eſſe, ſcire ſe dicens: Indulgentias non ſimpliciter rejiciens, ſed abuſus, & opiniones vulgi minus ſanas improbans; cum nihilominus initio Conſiliariis Georgii Ducis monentibus, ut nihil per iram, ſed modeſte ageret, ne auditoribus ſcandalo eſſet, ira victus impiiſſime juxta, atque impudentiſſime reſpondiſſet: *Neque propter Deum hæc res cœpta eſt, neque propter Deum finietur*, uti rem narrat Surius ad prædictum annum MDXIX. Ceſſante porro Luthero die ipſa XIV. Julii, acceſſit denuo Carlſtadius, qui eadem die, ac ſubſequenti, tribus congreſſibus iterum de libero arbitrio diſputavit, parodoxum iſtud pro coronide adjungens, *Juſtum in omni bono opere peccare*; finemque demum diſputatio die XV. ſumſit, urgentibus eum maxime Luthero, & Carlſtadio, detrimentum cauſatis, quod Univerſitas Wittembergenſis propter diuturnam ipſorum abſentiam pateretur.

XVI. Ceterum eodem hoc anno MDXIX. apud Helvetios Titugurinos Huldricus, ſive Ulricus, aut Uldaricus (tot enim modis hoc nomen proprium a diverſis Auctoribus profertur) Zuinglius, natus in Pago Doggiorum, quem vocant *ad Fomum Silveſtrem*, in Helvetiis, prius Glaronenſis, poſtea Eremitanæ Eccleſiæ Paſtor, ad Urbis Tigurinæ Parochialem adminiſtrandam vocatus; poſtquam multos ibi privatis collocutionibus pervertiſſet, publice aggreſſus eſt prædicare contra veterem Religionem; ſed tamen eatenus, ut Eccleſiæ abuſus, quibus Indulgentias admiſcebat, criminaretur, & in Romanum Pontificem muſſitaret. Qui poſt hæc damnatum olim Berengarii dogma de Euchariſtia inſtauravit, & peculiari Sectæ a Lutherana diverſæ nomen a ſe fecit. Cum etiam gloriam Luthero inchoatæ hæreſis invidentes Zuingliani velint eum prædicare illam cœpiſſe Glaronæ anno MDXVI. cum Lutheri nomen iis partibus ne quidem auditum adhuc eſſet. In Annalibus vero Monaſterii ejuſdem Eremi Deiparæ in Helvetia Ordinis S. Benedicti narratur, eum Glarona pulſum ad Eremum conceſſiſſe, & Parochi munus obtinuiſſe, ibidemque ita vixiſſe, ut nullum luxuriæ, inſolentiæ, fœdæ libidinis, & petulantiæ exemplum prætermiſerit; cumque etiam ſuæ contra Eccleſiæ dogmata veſaniæ publicis concionibus, tecte licet, ac fraudulenter, & anguſta nimia ei Eremus videretur ad diffundendam mentis ſuæ inſaniam, amicorum opera Tiguri receptum eſſe, anno, ut ibi dicitur, MDXVIII. Teſte Surio, anno quidem MDXIX. ipſe Zuinglius apud Helvetios Tigurinos cœpit Indulgentiarum Prædicatorem eo miſſum a Pontifice oppugnare; damnatumque olim Berengarii errorem de Euchariſtia inſtauravit una cum Carlſtadio, & Oecolampadio Brigidiani Inſtituti deſertore.

XVII. Palam denique rem egit Lutherus, ubi anno MDXX. animadvertens parum ſe dolis ſuis, atque factionibus, quibus obedientiam Eccleſiæ profitebatur, proficere, Wittemberga, ubi minus ſecurum ſe eſſe exiſtimabat a perſecutionibus Legatorum Pontificiorum, & Epiſcoporum ſibi adverſantium, in Bohemiam ad Huſſitas fugere decrevit. Sed tum patrocinio Friderici Electoris Saxoniæ, tum adhortationibus nonnullorum ex præcipua nobilitate Franconiæ recreatus, eo depoſito timore, jam non amplius diſſimulandum ratus, aperta deinceps audacia, in Pontificem, & Catholicos agere ſtatuit; initio facto a Libello Germanico edito, ad reformationem, ut dicebat, Orbis Chriſtiani, ſi forte per Laicos Eccleſiam juvare vellet Deus, quandoquidem Eccleſiaſticus Ordo, ad quem potius ea res pertineret, curam hanc prorſus abjeciſſet: idque duabus potiſſimum machinis, quas inter alios recenſet ad ipſum annum MDXX. Spondanus, perficere contendit; nimirum Sacerdotium externum tollendo, aſſerens, nullum aliud eſſe in Novo Teſtamento, quam Baptiſmum, batizatoſque omnes ex æquo Sacerdotes eſſe; deinde Romanum Pontificem eſſe Antichriſtum; hocque ut perſuaderet, omnes Romanæ Curiæ nævus, abuſus, dedecora, pompas, & quicquid ibi reprehenſibile videbatur, ex Libello *Triadis Romanæ* per Huldricum Huttenum, Equitem Germanum e Franconia, Virum acerrimi, ac feſtivi Ingenii, carmine, & ſoluta oratione potentem (quo utroque genere multa edidit, quæ extant) compoſito diligenter congeſſit. Quippe hic Huttenus e præcipuis Lutheri fautoribus unus, etiam prinſquam Lutheri nomen innoteſceret, multa contra Penſiones, citationes, atque Judicia, quibus Romana Curia Germaniam gravare videbatur, ſcripſerat; deinde vero in Comitiis Auguſtanis Libellum vulgarat mire feſtivum, & inventionis ingenioſæ argumento Laicis admodum acceptum, titulo *Triadis Romanæ*, quo ſane effecerat, ut nihil æque inviſum eſſet Germanis quamplurimis, ac Nomen Romanæ Curiæ, & Curtiſanorum, ſive aulicorum Pontificis, & Cardinalium.

XVIII. His multos mox addidit Lutherus ama-

amarulentiæ, cnnvitinrum, & tragicarum vociſerationum clamores, dicens inter alia, Cæſaris gladio Papam, & Epiſcnpos ſnbjectos eſſe; Poteſtati Papali neqnaquam eſſe nbtemperandnm, ſed reſiſtendnm corpore, ſubſtantia, omnibuſque viribus: Jus Cannnicum funditus abolendum eſſe, qnod Papam nnn ſnlum ceteris nmnibus hominibus, ſed etiam Den ipſo ſuperiorem ſaciat: & alia ejuſmndi plurima ſpiritu ſanatico prolata, qnibus nmnem Eccleſiæ auctnritatem, & œconnmiam tnlleret, ac meram anarchiam intrnduceret. Huic vero peſtilentiſſimo Tractatui alium addidit eodem hoc annn mnxx. editum, cui Titulum fecit, *De Captivitate Babylonica Præludium*; in qnn de numern Sacramentornm diſputans, & plnra, aut paucinra agnnſcens, nmnia demum fere abrngavit: Sacrificium in Euchariſtia in dubium revocavit: Bohemns, & Græcns longe rectius ſentire, quam Rnmanos impios, & hæreticos, aſſeruit. Denique poſt alia qnamplurima impie hæreticeque aſſerta, in fine ait, rumnrem ad ſe delatum eſſe de Lennis X. Papæ Decreto in Germania brevi pnblicando, quo ipſe vel ad revncandos errores cngendus eſſet, vel hæreticus declarandus: quod ſi verum eſſet, velle ſe ait, ut memoratus Libellus veluti prima pars haberetur; alteram ſe prnpediem editurum, ac talem certe, qualem hactenus Romana Sedes nec vidiſſet unquam, nec audiſſet. Nec ſane feſellit, dum ab hnc tempnre deinceps novas quotidie hæreſes ex impnro pectore eructans, Orbem iis inſecit, horrendo Dei in Mortales judicin, ſemper tamen juſto.

XIX. Narrant hæc memorati Anctores, Surius, Ulenbergins, Spnndanus, Rainaldns, atqne alii Hiſtnrici ad prædictnm annum MDXX. ad quem etiam referunt Decretum ipſum Lennis Papæ X. de Lutheri damnatione Rnmæ facta die XIV. Junii, affixumqne fuiſſe ajunt fnribus Baſilicæ S. Petri: in qun ſcilicet Pnntifex errores Lutheri (quorum unnm, & quadraginta capita in exemplnm recenſet) ejuſdemque Librns ita damnavit, & per ignem aboleri juſſit, nt tamen Anctorem, ejnſque ſectatores, ac fautnres ad reſipiſcentiam invitaret, hnrtareturqne, ut Eccleſiæ pacem perturbare deſinerent, & ad viam veritatis reverterentur: reperturi apud ipſum paternæ charitatis affectum, & apertum manſuetudinis, & clementiæ fnntem: dato tamen ad eorum abjuratinnem in manibus dunrum Prælatnrum publice conſignandam ſexaginta dierum ſpatin, quo niſi ſatisfeciſſent, excnmmunicati eſſent, uti nntorii, & pertinaces hæretici, ab omnibus ſugiendi, & vitandi, ac per Principes, & Magiſtratus puniendi. Atque hnc Decretnm a Pontifice quidem edi cnravit Joannes Eckius, qui cum Luthernm in dies in pejus proficere videret, & inſolentiorem fieri, Romam profectus demonſtravit Pontifici, qnos in Germaniam progreſſns ſaceret Lntherus, quæque ab eo imminerent pericula, niſi ſerio, & tempeſtive ipſins machinationibus occnrreretur. Ceterum Pontifex ipſum Eckium, & Hiernnymum Aleandrnm Virum dnctiſſimum Commiſſarios fecit, eiſque mandavit, ut in Germania Decretum iſtnd exequerentnr.

XX. Ea damnatinne verſns in ſnrorem Lutherns, edito Libelln contra Bullam Antichriſti, nt ipſe loquitur, quem antibullam nominat, in Pontificem totam commnti ſtnmachi bilem evomit. Ad Concilinm denuo a Papa nti Antichriſto provncavit, Libroſque omnes Juris Canonici una cum ipſa Leonis Bulla die x. Decembris ejuſdcm anni MDXX. Wittembergæ publice incendit; hnc nempe modo, quem deſcribit Ulenbergins in Hiſtoria, *De Vita Lutberi*, ad ipſum annum MDXX. ſic dicens: *Decimo die Decembris ad foret auditorii ſcriptum quoddam affigi juſſit, quo convocati ſunt omnes ſtudioſi, qui tum Wittenbergæ morabantar, unaque ſignificatum, Jus Canonicum circu nonam matatinam abolendum incendio publico, & in cineres redigendum. Incendii locus extra portam Elſterianam non procul ab Oppido deſignatut fuit; ad quem bora conſtitutu ſtudioſi magno numero conflaxerunt. Ibi magiſter quidam primi nominis, congeſta lignorum ſtrae, pyram concinnat, eamque poſtea, ubi Lutherum viſam, udmota flamma ſuccendit. Acceſſit deinde Lutberus, qui carnificis munere fungi voluit, ſuiſque manibus Bullam Leonis Decimi, & Decretales Pontificum in ardentem rogam injecit, udditis bis verbit:* Quia tu Sanctum Domini cnnturbaſti, conturbet te viciſſim, & conſumat ſempiternus ignis. *Expedito boc negotio, domum rediit magno Doctorum, Magiſtrorum, ac ſtadioſorum agmine ſtipatus.*

XXI. Favebat interim Luthero Fridericus Saxoniæ Elector, tum maxime qnod quæſitus de negotio Lutherano Eraſmus Vir propter nnminis celebritatem magnæ apnd Principes auctnritatis, reſpnnderit, *eum Eccleſiæ ſtatum eſſe, qui reformationem omnino deſideret; & Lutherum quidem non injuria reprebendiſſe varios abuſut, qui negligentia Prælatorum irrepſerint, quorum emendationem boni omnes jam pridem deſiderarint: nec deeſſe qui probent ipſius inſtitutum ab bumanis inſtitutionibus, & argutiit ſcholaſticorum avocantis: interim in ſcriptis eum nimis acerbum, ferocem, & violentum videri; ideoque optandum, ut poſitu ferocitate manſuetius agat, ſibique temperet a maledicentia, & verboram aſperitate, qaa bonorum animi ſine dabio prorſus alienentur.* Hæc Eraſmus, cujus ſermonem en pertinere cenſuit Elector, qnaſi nihil in Luthern præter vehementiores animi motus, & nimiam ſtyli modarcitatem reprehenderet. Ergo Saxnnis patrocinin ſretus Lntherus non modo omnes Cannnici Juris Libros, & ipſam Pontificis Bullam Wittenbergæ, uti dictnm eſt, incendit, ſed & in hujus inſnlentiſſimi facinoris defenſinnem Libellum Apnlogeticnm edidit atrnciſſimis calumniis refertum; aliiſque inſnper ſcriptis Principes hortatus eſt, nt armis Pontifices, & Cardinales oppugnarent, & in eorum ſangnine manus ſuas lavarent.

XXII. In quoſdam autem alios ita invectus eſt, totque, ac tanta probra evomuit, antiquis etiam Patribus injurioſiſſimum ſe exhibens, ſeque Prophetam divinitus ad purgandam, & ad Chriſti normam reducendam Eccleſiam, electum venditans, ut nihil reliqui impudentiæ, proterviæ, temeritatis, ſcurrilitatis, & impietatis ſecerit, quin & dictis, & ſcriptis Latine, & Germanice prnmulgatis, figuriſque, atque picturis ridiculis, & turpibns, omni denique diabolicarnm inventionum genere ſnlicitiſſimo ſtndio expanderit, ac diſſeminaverit. Extant enim ipſius ſcripta hujnſmodi, & ejus Sectatorum hæc laudibus cnmulantium teſtimonia, præter illa, quæ de iis a noſtris Scriptoribus, ac præſertim a Surio

Digitized by Google

rio in Commentario Hiſtorico, Prateolo, *De hæreſibus*, Ulenbergio in Hiſtoria, *De Vita Lutheri*, & aliis memnriæ mandata ſunt, ex quibus & eetera conjectari liceat. Quis enim cunctas, qnas peſtifer apoſtata invexit ſordes, atque errores, & hæreſes, quas induxit, aut enarrare valeat, aut diuumerare? Certe fruſtra fuerit id conari, ut ſcite notat Spondanus ad annum Chriſti MDXX. Num. II. in fine; cum & innumerabiles ſint, & ſcriptis Catholicorum eas confutantium notiſſimæ, ut nihil amplius addi poſſe videatur; ac denique cunctæ pene in aliis hæreſibus viſæ ſint, cum nihil fere aliud Lutherus præſtiterit, quam quod antiquorum hæreticorum blaſphemias in unum conjunxit, uti videre præcipue eſt apud Prateolum, Sanderum, Gualterium, Natalem Alexandrum, Berninum, & alins complures, qui eas collegerunt.

XXIII. Elapſo tandem a multo jam tempore, dato Luthero ejuſque ſautoribus, atque Sectatoribus, a Leone Pontifice ad reſipiſcendum termino, cum is animadverteretur, & impietate, ac protervia creſcere, & turbam aſſeclarum ejus augeri; idem ipſe Len X. zelantiſſimus Pontifex Maximus uovam in eum Conſtitutionem, datam III. Nonas Januarii anni MDXX. edidit, qua recitatis, quæ in priori decreta fuiſſent, non ſolum ipſum hæreticum eſſe declaravit, verum etiam eos omnes cujuſcumque auctoritatis, dignitatis, vel conditionis, qui ei patrocinati eſſent, aut favorem, conſilium, auxilium, præbuiſſent, veluti & ipſos hæreticos, in pœnas, & Cenſuras a Sacris Canonibus in hæreticos inflictas, & alias quaſcumque in priori Conſtitutione contentas, incidiſſe declaravit; eoſque pro excommunicatis, anathematizatis, maledictis, interdictis, omni honore, dignitate, boniſque privatis, & ad illa inhabilibus, una cum ipſorum deſcendentibus, ubique denunciari, & ab omnibus vitari mandavit. Decretum condemnationis a Leone Pontifice in Lutherum editum, confirmavit mox auctoritate Cæſarea, & unanimi conſenſu, & volnntate Electorum Imperii, omniumque Ordinum Wormatiæ congregatorum Carolus V. Imperator, qui ibidem cum Luthero agens, quem ex Wittemberga evocaverat, data de ſecuritate fide, nihil ab eo exigere ullis ſuaſionibus potuit, quam obſtinatam in ſuis aſſertionibus ſententiam, & Conciliorum univerſalium, ac Decretorum Eccleſiæ abjectionem. Hinc Carolus Lutherum ipſum pro membro ab Eccleſia præciſo pernicioſi Schiſmatis auctore, manifeſto pertinaeeque hæretico, ab omnibus, & ſingulis habendum, & deteſtandum eſſe, una cum omnibus ejus fautoribus, ſanxit; elapſo termino ſalviconductus ei conceſſi, capi, & cuſtodia detineri, ſcripta ejuſdem omuia comburi juſſit, eademque legi, teneri, imprimi prohibens, gravibus pœnis his omibus impoſitis. Atque hnc ſuit primum Edictum Imperatoris adverſus Lutherum, ac Lutheranos editum.

XXIV. Id prævidens Fridericus Saxo præcipuus ejus ſautor, ut eum præſenti periculo ſubduceret, mira calliditate per quoſdam ſubornatos ſibi fidos, eum in via intercipi curavit, & in locum tutum quaſi per vim deduci, adeo nt ſparſa ſama, ut rem Surius narrat ad eundem annum MDXXI. eum contra datam fidem atrociſſime vinctum abductum ſuiſſe, nondum enim dies datæ fidei abierat, ingentes editi ſint clamores, atque etiam Wormatiæ pene ad ſeditionem deventum ſuerit. Ductus eſt autem Lutherus juſſu Friderici Alſtadium, quod Oppidum, ubi decem ſere menſes ſecreto, ſed laute habitus eſt, Patmos ab amicis ſuis, atque Eremus appellatum fuit. Ubi nequioribus in dies ſpiritibus agitatus, inter multa, quæ ibi ſcripſit peſſima, Liber fuit, *De abroganda Miſſa privata*, in gratiam Fratrum ſuorum Auguſtiuianenſium, qui primi omnium Wittembergæ Miſſam abrogaverant: quos hortatus eſt in eo incœpto, etiam contra conſcientiæ accuſationem perſiſtere, ſicut & ſe in quibuſdam ſeciſſe ait. Quem Librum ex colloqnio cum dæmone habito, quo edoctus eſt argumenta contra Miſſam, uatum eſſe, ſunt qui exiſtiment, atque pluribus argumentis probent; quemadmodum & alterum illum, qui *protocollum colloquii* cum dæmone, vel hiſtoriam rei geſtæ deſcriptam continet; quamvis non illam Lutherus niſi poſt plures annos, ideſt, anno Chriſti MDXXXIII. ut notat Spondanus, vulgaverit. Sed ſive res præceſſerit, ſive ſubſecuta ſit, magna certe Dei providentia ſactum eſt, ut memorabilem colloquii hujus hiſtoriam Lutherus ipſiſſimus conſcripſerit, & in publicum emiſerit, Libello, *De Miſſa angulari, & Sacerdotum conſecratione*, cui prolixe ſatis ipſius diaboli verba, tum rationes omnes, & argumenta quibus ad perſuadendam Miſſæ abrogationem uſus eſt, ordine digeſta inſeruit. Horrendum facinus! quo tam ſe, quam ſuos aſſeclas diaboli diſcipulos profitetur, & quidem cum gloriatione; ſicut & frequens ſuum cum eodem diabolo commercium, multumque ſalis cum eo comeſum ſæpius commemorare gaudet. Unde quis mirari poſſit, ſi tot, ac tantæ in ejus ſcriptis petulantiæ, convicia, maledicta, virulentiæ, calumniæ, ſpurcitiæ, blaſphemiæ in Deum, Sanctos, Scripturam, Doctores, Eccleſiam, Sacramenta, Pontifices, Reges, totumque Ordinem Eccleſiaſticum, & politicum, in ſcientiam Theologiæ, & Philoſophiæ, denique in omne quicquid ſuit in Cælo, terra, lociſque inferioris, reperiantur? Quid enim aliud diabolo plenus quam diabolica effutire potuit? Nam & quod nonnulla bona aliquando ſcripſit, annon & diabolo hoc in uſu eſt, ut incautos fallat?

XXV. Notant hæc Surius, Spondanus, aliique Auctores paſſim, qui & alia acta impia Lutheri enarrant. Cum magis magiſque in Eccleſiam debaccharetur, obiit labente prædicto anno MDXXI. Leo X. quarto nonas Decembris, brevique interjecto Adriani VI. tempore, qui abſens electus in Pontificem fuit, quinto Idus Januarii anno MDXXII. exceſſitque e vita decimo octavo Kalendas Octobris anno MDXXIII. ſucceſſit Clemens VII. creatus Pontifex decimo tertio Kalendas Decembris ejuſdem anni. Teſte Sadoleto Libro XI. Epiſtola I. ad Georgium Ducem Saxoniæ, *tunc agi cœptum eſt de convocandis Epiſcopis ex omni Regione Orbis Terrarum, quorum & doctrina emineret, & integritas, ut eorum quaſi opera, atque conſilio, Sacerdotum mores, qui vehementer videbantur eſſe labefactati, in veterem ſtatum redintegrarentur: tunc cœpta jaci fundamenta ſanctius colendæ, & ſervandæ Religionis, Sacerdotiique ex ſordibus, & maculis extrahendi. Res denique procedere cœperat, cum bonus, & mitis, & religioſus Pontifex, verum idem in ſuis conſiliis retinendis aliquan-*

Digitized by Google

*quantulum imbecillior, quorundam artificiis, qui nimio plus apud eum, quam Principi honeſtum ſit, poterant: in bella, & Principum inimicitias deſcendere, & a ſanctis ſuis cogitationibus deſciſcere eſt coactus*. Graviſſimis ſiquidem offenſionibus inter ipſum Clementem Papam VII. & Carolum V. Imperatorem ortis, Clemens cum Gallis fœdus pepigit; victoriaque deinde ad Ticinum ab Imperatore reportata, captoque Franciſco I. Galliæ Rege, Cæſarianorum Militum in ditionem Pontificiam incurſione, ac prædationibus, ad novum fœdus cum Carolo Imperatore ſanciendum anno MDXXV. compulſus eſt.

XXVI. Seqtienti anno nempe MDXXVI. cum Franciſcus I. Rex Galliæ duris, & iniquis conditionibus utpote per vim a Rege captivo extortis libertati reſtitutus eſſet, Pontifex ipſum a ſacramento pactionis exolvit. Mox adverſus Cæſarem die XVII. Maji fœdus ſanxit cum Regibus Galliæ, atque Angliæ, cum Venetis, cum Helvetiis, cum Florentinis ad Franciſcum Sfortiam Mediolanenſem Ducem liberandum redintegrandumque, a Cæſarianis in arce Mediolanenſi circumſeſſum, & perduellionis nomine a Cæſare Principatu exutum, necnon ad alia perficienda communi utilitati, atque indemnitati opportuna; aditu etiam ad ſocietatem fœderis Cæſari relicto, ſi eiſdem conditionibus ſubſcribere vellet, quarum una erat, *ut Regnum Neapolitanum Pontifici conſignaretur una cum Sicilia tanquam ſupremo Domino*, uti ex ejus ævi monumentis narrat Spondanus ad annum ipſum MDXXVI. quo etiam anno Clemens Litteras ad Carolum Cæſarem die XXIII. Junii ſcripſit, quibus ad fœdus illud excuſandum graviter expoſtulavit de multiplicibus injuriis, quas ab eo, ejuſque Miniſtris immerito accepiſſet, qui ſemper ſe ejus ſtudioſiſſimum demonſtraſſet: quarum cauſa fœdus cum nonnullis Italicæ quietis, & Reipublicæ utilitatis amatoribus inire coactus fuiſſet.

XXVII. Extat apud Goldaſtum Conſtit. Imper. Tomo I. valde prolixa ad Clementem Papam Cæſaris Reſponſio, data Granatæ die XVII. Septembris ejuſdem anni MDXXVI. qua ſingula in Clementis Litteris contenta explicantur; & principio ſignificatur, nihil aliud ess continuiſſe, quam juſtitiæ Pontificis laudem, Cæſaris vero, ejuſque Miniſtrorum cauſæ acerrimam damnationem; iiſque arma, bella, minas, cædes, pecuniæ, avaritiæ, & ambitionis ſtudium, regnandi, dominandique cupidinem ipſi impingi: quæ nec verum Paſtorem decerent, nec ipſius Cæſaris in Apoſtolicam Sedem, Clementemque Pontificem, ac illius dignitatem, devotioni, pietati, ac filiali obſervantiæ convenire viderentur. Deinde ſingillatim expendens, quæ Pontifex in ſui ipſius excuſationem, & Cæſaris accuſationem prodiderat, eorum inanitatem, ſuaque e contra in eum merita repræſentat; & quæ Pontifex in gratiam Regis Galliæ, aliorumque ſuorum hoſtium contra ſe graviſſima geſſiſſet, adeout & Regem ipſum minime petentem ſolviſſe diceretur a jurisjurandi vinculo, quo ſibi tenebatur, & bellum prius intuliſſet, quam Litteræ, quibus illud denunciabat, ſibi eſſent redditæ, objectat.

XXVIII. Hortatur denique Cæſar in ipſa ſua Reſponſione Pontificem, arma deponere, idque efficere, ut etiam ipſius fœderati præſtent, ſe eodem contextu idem facturum; ut quod præcipue inſpectandum erat, de hoſtibus Fidei a Chriſtianorum cervicibus propulſandis, de Lutheranorum, & aliorum hæreticorum ſectis, & erroribus comprimendis, deque exteris, quæ Romanæ Eccleſiæ, totiuſque Reipublicæ Chriſtianæ ſtatum, & ſalutem concernere poſſent, tractaretur; tumque demum de juſtis privatorum, ſeu ſœderatorum querelis conventurum. Quæ ſi Pontifex obaudire detrectaret, proteſtari ſe coram Deo, & hominibus, quod, ſiquid inde ſiniſtri Chriſtianæ Religioni eveniret, id nequaquam ſuæ culpæ adſcribi poſſe; cumque pacem recuſans Pontifex, non Patris, ſed partis, non Paſtoris, ſed invaſoris officium aſſumturus eſſet, nullo alio tunc ſuperſtite Superiore, ad quem pro ſuæ innocentiæ recurrere poſſet, ad Sacri Generalis Conciiii totius Chriſtianitatis cognitionem, & judicium, ſe, ac quæcumque cum ipſo Clemente habere poſſet, omnino ſubjicere: ſupplicans interim, ut ipſum Sacrum Generale Concilium in loco tuto, & congruo, cum debita termini præfixione indiceret. Ita Carolus, qui & inſuper ad Collegium Cardinalium ſcribens, & de contumelioſis Pontificis Litteris conquerens petiit, ut ſi Pontifex Concilii tam pro ſua juſtificatione, quam pro Chriſtianæ Religionis ſalute omnino neceſſarii indictionem aut negaret, aut plus æquo differret, ipſi debito ordine procedentes, id præſtarent: ſi vero nollent, tunc ſe pro dignitate ſua Imperiali, quibus liceret remediis, pro virili providere, curaturum. Cum vero ſequenti mox die ab ſcriptis illis acrioribus, alias quæ extant apud eundem Goldaſtum, Pontifex ad eundem Cæſarem nulla ſuperiorum facta mentione temperatiores exaraſſet Litteras, etiam bis Cæſar brevius, & benignius reſpondit.

XXIX. Interim Columnenſes Principes, Familia Romæ potens, Cæſari addictiſſimi, & Clementis Papæ VII. hoſtes, in ipſum conſpirantes, inſidiaſque eidem tendentes, coegerunt Pontificem, ut cum nonnullis ex iis, quibus magis fidebat, in Arcem S. Angeli ſe reciperet, Pontificio interim Palatio omni ſupellectile ſacra, & profana direpto, Baſilicaque Vaticana una cum maxima parte illius Suburbii vaſtata. Ceterum Clemens Pontifex Regum Galliæ, & Angliæ adhortationibus confortatus, cum & ejus fama fœde apud populum proſcinderetur, nec tantæ injuriæ contumeliam ſuſtinere poſſet, denique nullo jure ad pactionem, dolis hoſtium, ac violatione datæ fidei extortam, ſervandam ſe teneri aſſerens, Columnenſes omnes, ac præſertim Pompeum Cardinalem illius familiæ præcipuum conſpirationis auctorem hoſtes Eccleſiæ pronunciavit, illumque Dignitate, ademto Pilei rubri uſu, motum declaravit, additiſque diris, aqua & igne omnes interdixit, ac per Vitellium copiarum ſuarum Ducem, cuncta fere eorum Oppida diripuit, incenditque, ac diruit, Cardinale interim a ſententia in ipſum lata Neapoli ad futurum Concilium provocante. Ita enim omnino de his Guicciardinus. Qnibus Jovius in Vita ejuſdem Pompei Cardinalis addit, eum Concilii indicendi, cujus nomen Clementi maxime terribile fore videbatur, ex formula tabulas conſcripſiſſe, noctuque Romæ per clientes ſuos affigendas Templorum valvis, publiciſque in locis evulgandas curaſſe, per quas Pontifex ad Concilium citabatur, quod Cæſar ad Spiram Nemetum eſſet habiturus; ut facile intelligerent homines.

eum Balthaſaris Coſſæ, qui dictus fuit Joannes XXIII. ſummum dignitatis, & vitæ periculum, inimico Cæſare, & infeſtis Lutheranorum animis aditurum.

XXX. Narrant hæc poſt Guicciardinum, & Jovium, alioſque Spondanus, & Rainaldus, qui etiam ſequenti anno MDXXVII. qui calamitoſus, ſi ullus unquam alius Romanæ Eccleſiæ, ac Sedi Apoſtolicæ extitit, ob invaſionem illam, & cladem, direptionemque Urbis funeſtiſſimam a Cæſariano Exercitu illatam, quam ejus ævi Auctores æque, ac recentiores paſſim deſcribunt, neque enim poſſem ſine ſtomacho, & ſumma animi perturbatione eam hic cladem commemorare, quam Apoſtolicæ Sedi, Romano Pontifici, ipſique Chriſto Principes, ac Duces pſeudocriſtiani, & pſeudocatholici attulere, præſertim vero Borbonius Exercitus Dux, qui in ipſa Urbis invaſione ſclopeti glande percuſſus, miſere mortuus concidit, & Hugo Moncada Hiſpanus Neapolitani Regni Prorex, non multo poſt navali prælio cæſus, cui Janus Vitalis Poeta Panormitanus in odium deluſi, ac proditi Clementis VII. Papæ, & expilatæ Romæ tetrum hoc elogium his verſibus condidit.

*Diſce meo exemplo Mezenti, Rhullæ, Procuſtes,*
*Quæque alia immanis monſtra tyrannis habet:*
*Eſſe Deum ultorem; qui jam Moncada Triquetræ*
*Sordidior verre publica peſtis eram.*
*Diripui Mundi Reginam proditor Urbem:*
*Sed fuit haud votis par ea præda meis.*
*Denique qui fueram terrarum maxima clades,*
*Inveni meritis funera digna meis.*
*Ictu obii glandis calones inter, & inter*
*Laxas in pelago Parthenopæa tuo.*
*Si laudare licet ſe ſe, mea plurima laus eſt,*
*Quod potui invïſos ſemper habere Deos.*

Sic & ceteros omnes Duces, atque etiam milites omnes, qui direptioni Urbis interſuerunt, male periiſſe, a diverſis eſt de ſingulis obſervatum, & ex Hiſtoriis apprime intelligitur.

XXXI. Rebus compoſitis, & pace facta inter Clementem VII. Papam, & Carolum V. Imperatorem, quamquam hæretici Generale Concilium expeterent, Imperator nihilominus eo totus ſpectabat, quemadmodum Religionis diſſidia abſque Concilio pacaret; quandoquidem hoc eſſe Clementi Pontifici longe gratiſſimum ſciebat; cujus hic erat ſcopus, ut ſi leniter cauſa hæc ſopiri non poſſet, armis factioſi opprimerentur, ſicut aliis quoque temporibus factum fuiſſe memorabat; quamvis etiam Litteris ad Reges, & Principes ſcriptis ſpem Concilii indicendi faceret; ut inter alios teſtatur Pontanus Lib. III. *Rerum memorabilium*; extatque inter Litteras Principum Tomo II. Epiſtola Clementis Papæ VII. ad ipſum Carolum data ultimo Julii anni MDXXX. de convocatione Concilii, ad quam ſe quidem promtum eſſe ait, verum non eſſe hoc medium ſecurum ad extirpandas hæreſes, nec item conſentaneum, quod multi ſit momenti diſputare de rebus jam alias definitis, quaſi in dubium revocandæ eſſent: nec denique tempus adeo eſſe diſpoſitum, non ſolum ob turbas Chriſtianitatis, verum & præcipue ob bellum Turcicum, cujus occaſione hæretici molituri aliquid eſſent contra auctoritatem Sedis Apoſtolicæ, atque Concilii: acquieſcere nihilominus ſe deſiderio Imperatoris, ut promitteret Concilium Proteſtantibus, ſed ea conditione, ut redirent primum ad obedientiam Eccleſiæ, & depoſitis novitatibus antiquo ritu viverent, donec determinatio doctrinæ facta in Concilio fuiſſet, ejuſque determinationi omnino parere promitterent: commodius porro fore illud Romæ celebrari, quæ caput eſſet Chriſtianiſmi, neminique poſſet eſſe jure ſuſpecta: quæ tamen ſi non placeret, ſumeretur Bononia, Placentia, Mantua, quæ ſingulæ capaces eſſent.

XXXII. Scitiſſime autem animadvertit ad ipſum annum MDXXX. Spondanus, hæreticos Proteſtantes, quo minus Pontifex, & Imperator probare Concilium videbantur, eo magis illud urſiſſe, ac flagitaſſe, non quidem animo ei obtemperandi, quatenus fieret, a quo nihil aliud quam opinionum ſuarum damnationum expectare poterant, ſed cum ſcirent, illud vix unquam conceſſum iri, ſpecioſo hoc prætextu cauſam ſuam velandi, & ab omni ſe criminatione tuendi. Interim dum eſſet in Italia Cæſar Conventum Principum, & Ordinum omnium Imperii indixit apud Auguſtam Vindelicorum in diem VIII. Aprilis ob duas potiſſimum cauſas, diſſidium ſcilicet Religionis, & Bellum Turcicum. In eo Conventu cui ille aderat, obtulerunt Lutherani confeſſionem ſuam Cæſari, cujus Architectus fuit Philippus Melanchthon præcipuus Lutheri diſcipulus, homo adeo varius, & inconſtans, ambiguuſque, ut primo quidem velit eſſe duo tantum Sacramenta, deinde in alia editione tria ponat, in extrema vero quatuor numeret. Quamobrem mirum videri debet, ſcriptum ſcilicet de hac confeſſione, quam Auguſtanam vocant, fuiſſe a quibuſdam, ut notat Surius ad annum MDXXX. *eam tanto in precio fuiſſe apud quoſdam non infimos Lutheranos, ut dixerint, ſe malle de Pauli Apoſtoli, quam vel de Lutheri, vel Confeſſionis Auguſtanæ doctrina dubitare*. Ad eadem Comitia Auguſtana quidam etiam ex Sacramentariis acceſſerunt, qui cum diu fruſtra laboraſſent, ut cum Proteſtantibus ſe quodam ſocietatis vinculo conjungerent, ſuam & ipſi ſeparatim confeſſionem Imperatori obtulerunt per Legatos quatuor Civitatum Argentorati, Conſtantiæ, Memmingæ, & Lindaviæ, quæ Zuinglii dogmatibus adhærebant; quæ tamen, ſicut & illa Lutheranorum a Catholicis Doctoribus examinata fuit, & egregie confutata.

XXXIII. Cum autem in extremis Comitiis Auguſtanis decretum fuiſſet a Cæſare, Catholiciſque Imperii Ordinibus, firmiter in antiqua Religione perſeverandum, nec innovandum quicquam ante Concilii definitionem: Lutherus ubi id reſcivit, fretus eorum Proteſtantium viribus, qui die XXIX. Martii anni MDXXXI. Smalcaldiam convenerant acturi de defenſione ſui, ſiqua vis ab hoſtibus, nempe Catholis inferretur, duos hoc anno, ut idem Surius tradit, Libellos Theutonice edidit, nempe Gloſſam in putatitium Decretum Imperiale, & Præmonitionem ad Germanos ſibi chariſſimos. In iis autem Libellis cum plane ſuo more bellicum canat, & ſeditiones concitet, tamen nequiſſima ſimulatione proteſtatur, ſe nihil velle minus; nec ſatis habet petulanter incurriſſe in Pontificem, & Eccleſiaſticos Proceres omnes, ſed & Cæſarem ipſum, Principeſque omnes Catholicos non dubitat proditores appellare, ac ſceleſtos, vanoſque nebulones, aliiſque id genus nominibus. In Gloſſa autem perſuadere omnibus nititur, Decretum Auguſtanum commentitium,

titiuei, ac falſo Cæſaris nomen præferre, ſed eam importuni, inſanique hominis calumniam multa æque certiſſima argumenta refellebant. Nam præter alia, ut Scriptores paſſim referunt, & præſertim Surius, *tot ſigillis Principum, & Procerum utriuſque Ordinis Decretum illud obſignatum fuit, ut ſi Luthero ea in os congeſta fuiſſent, haud dubio teterrimum ille animum actutum exhalaſſet. Sed quid ille prodigioſus homo non auſus eſt ſcribere? Subſcripſerunt illi Decreto ſive per ſeipſos, ſive per Legatos Cæſar ipſe, & quinque Electores, Principes Eccleſiaſtici xxx. Seculares xxiij. Abbates xxij. Comites, & Barones xxxij. Civitates liberæ xxxix.* Perperam itaque Decretum illud exagitat, Catholicam Eccleſiam meretricem vocitans, & multa de communione ſub utraque ſpecie blaterans petulantiſſime.

XXXIV. Multa quoque deinde contumelioſe evomit in Miſſam, & Cæremonias Eccleſiaſticas; nec veritus eſt homo ſpurciſſimus Principes porcis comparare. Licet autem in ſua illa Auguſtana confeſſione fateantur Lutherani ſe Miſſam retinere, & uſitatas Cæremonias fere omnes, falſum id plane eſſe jam ſatis oſtendit in ipſo ſuo Libello Lutherus, ubi etiam Canonem Miſſæ, & Cæremonias impie irridet. Sed & ubi ad eum locum Decreti, ubi cavetur, *ne deinceps quiſquam doceat, ſolam Fidem abſque charitate, & bonis operibus juſtificare*; mire conviciatur, ac deinde in hæc prorumpit verba quibus haud ſcio, an vel Lucifer poſſet quicquam dicere arrogantius, atque inſolentius: *Dico ego Doctor Martinus Lutherus, Domini noſtri Jeſu Chriſti indignus Evangeliſta, quod hunc articulum,* Fides ſola abſque omni opere juſtificat coram Deo, *firmum, atque inconcuſſum permittere debet Romanus Imperator, Turcicus Imperator, Tartaricus Imperator, Perſarum Imperator, Papa, omnes Cardinales, Epiſcopi, Sacerdotes, Monachi, Moniales, Reges, Principes, Domini, totus Mundus ſimul cum ſuis dæmonibus, atque inſuper habebunt ignem tartareum in capita ſua, neque grates ullas. Hic eſto mens Doctoris Lutheri inſtinctus a Spiritu Sancto, verumque, ac ſanctum Evangelium.* In altero Libello, quem Præmonitionem inſcripſit, multo etiam eſt inſolentior, & contumelioſior, ſed reſponſum illi abunde a Catholicis fuit, & præſertim a Viro docto, pio, & de Catholica Fide optime merito Joanne Cochlæo.

XXXV. Fuit vero & illud Lutheri mendacium impudentiſſimum, quod in eadem Præmonitione ſæpe jactitat, Papiſtas probe ſcire, ac ultro fateri, Lutheri doctrinam verum, ac merum eſſe Evangelium. Quod quidem ille faciebat, ut Principes, & populus tanquam vera aſſerenti propenſioribus animis fidem commodarent. Contra & hoc ejus inſolens ſcriptum ſcripſit quidam Laicus Dreſdæ graviter, & valide; cui Lutherus ſuo more non Evangelico, ſed ſcurrili, ac ſatanico reſpondit conviciosiſſime Libello edito, cui Titulus, *Contra Sicarium Dreſdæ*. Ibi inter cetera homo petulantiſſimus ſic habet: *Nihil curo, quod queritur*, ſcilicet laicus ille, quem ſicarium vocat, *in Libro meo non fere niſi maledicta, & diabolos nominari. Hoc debet eſſe mea gloriatio, menſque honor. Sic & habere volo, ut deinceps dicatur de me, quod plenus ſim maledicentiæ, criminationiſque, & execrationis in Papiſtas. Volo & de cetero me adverſus nebulones iſtos exercitare execrationibus, ac maledictis uſque ad ſepulturam meam, nec ullum verbum bonum ex me amplius audient. Ego meis tonitruis, ac fulminationibus ſic eos ad ſepulturam compulſabo.* Ecquid in his verbis impudentiſſimi hominis non eſt plane barbarum, immane, & pluſquam diabolicum?

XXXVI. Augebatur profecto in dies Lutheri impietas, urgebatque iccirco Clementem VII. Pontificem Carolus V. Imperator, ut convocaret Concilium. Ille, ut ſatisfaceret aliquo modo petitioni Imperatoris de celebrando Concilio, anno MDXXXIII. Hugonem Rangonium Epiſcopum Rheginum una cum Oratore Imperatoris ad Joannem-Fridericum juniorem Electorem Saxonicum Proteſtantium Principem miſit, qui ejus animum de celebratione Concilii inquireret, ne fruſtra fieret illius indictio. Cum ad eum Vinariam acceſſiſſent, obtulit Rangonius quædam capita de ipſius Concilii celebrationis modo, loco, & tempore, de quibus primo conveniendum eſſet. I. ut eſſet liberum, atque commune. II. ut Decreta ejus ab omnibus obſervari deberent. III. ut qui per ſe adeſſe non poſſent, mitterent Legatos. IV. ut nihil interim innovaretur. V. ut loco idoneo & ſalubri celebraretur, puta, Bononiæ, Placentiæ, aut Mantuæ. VI. ut ſiqui forte Principes non venirent, aut mitterent, Pontifex nihilominus in actione progrederetur. VII. ſi Concilii Decretis non obediretur, Imperator, ac Principes ipſius defenſionem ſuſciperent. VIII. ut ſi ad hæc poſtulata Germaniæ Principes commode reſponderent, Pontifex re deliberata cum aliis etiam Regibus, Concilium intra ſex menſes indicturus eſſet, anno deinde poſt inchoandum, ut interim res neceſſariæ comportarentur, & omnes ſe ſe ad eam profectionem compararent.

XXXVII. Reſpondit ad hæc Saxo, rem ſecum ſociis communicaturum, quibus diem XXIV. Junii Smalcaldiam, ut convenirent condixiſſet. Ibi ad articulos I. II. V. & VII. multa excipientes, planum fecerunt, velle ſe, ac nolle Concilium, uti has illorum techuas detexit Joannes Cochlæus Libello ad Primatem Scotiæ S.Andreæ ſcripto: cum videlicet peterent, ut Concilium celebraretur in Germania, ubi nequaquam liberum foret Catholicis abſque tumultu ſtatuere aliquid contra Lutheranos: ut in eo Imperator præponeretur Pontifici: Principes, & Nobiles Cardinalibus, & Epiſcopis: curaretque Imperator rem ex Verbo Dei judicari: nec Papa, cum pars eſſet, etiam Judex fieret: de Fidei quæſtionibus æque decernerent Doctores laici: ut nulla eſſet obligatio parendi ejus Concilii Decretis, quoniam hoc eſſet contra Chriſtianam libertatem. Sicque his tergiverſationibus, inſaniſque reſponſis, quæ veteri Conciliorum diſciplinæ, ac praxi adverſabantur quammaxime, nihil tunc geri potuit; fuitque profecto mira Proteſtantium verſutia, & erga ſuos auctoritas, quod perſuadere illis potuerint, ſe nihil magis petere, quam Generale Concilium, & tamen cum offerretur, iterum perſuadere, non eſſe legitimum, uti poſt alios Scriptores notat Spondanus ad ipſum annum MDXXXIII.

XXXVIII. Obiit tandem VI. Kalendas Octobris anni MDXXXIV. Clemens VII. Papa anno ætatis LVI. menſe IV. Pontificatus X. menſe X. die VII.

ſuffectuſque in ejus locum fuit Alexander Cardinalis Farneſius, qui nomen accepit Pauli III. propterea quod ſedente Paulo II. natus fuiſſet. Is plane alacri animo Concilii cauſam amplexus, Nuncios ad Imperatorem, & ad Galliæ Regem, atque ad alios Principes miſit, qui exponerent, Concilii celebrationem eſſe decretam, licet de tempore, & loco non ſatis eſſet definitum, hortarenturque, ut pro imperio ſuo tuta omnia, & ſecura eſſe juberent. In his Nunciis fuit Petrus Paulus Vergerius Juriſconſultus, Juſtinopoli in Iſtria natus, qui olim a Clemente Papa VII. ad Ferdinandum Romanorum Regem miſſus, & a Paulo III. Clementis Succeſſore Romam vocatus, iterum in Germaniam miſſus eſt, ut cum Catholicis, & cum hæreticis de celebrando Concilio ageret. Ubi primum Vergerius Ferdinando, ac deinde Principibus Proteſtantibus ſua de Concilio Mantuæ, quæ Civitas quidem erat Italiæ, ſed ſpectans ad Feudatarium Imperii, in confinio Cæſareæ ditionis, & Venetorum poſita, mandata expoſuit, ad Lutherum quoque Wittembergam divertens, cum eo copioſe, atque humaniter egit, a quo tamen nonniſi ferociam, & Pontificis contemtum retulit; reſponſumque a Proteſtantibus Smalcaldiæ congregatis accepit, *ſe quidem velle Concilium, ſed in Germania, in quo omnes Chriſtianorum Ordines adeſſent, & votum ferrent etiam laici*. Vergerius poſtquam Germaniam peragravit, ac muneri ſuo ſatisfecit, Romam revertitur; quo audito Cæſar Neapoli Romam accedens, agit cum Pontifice de celebratione Concilii, quod tandem Pontifex Mantuæ futurum indicit.

XXXIX. Rurſus Cæſar Matthia Heldo Vicecancellario anno MDXXXVII. ad Proteſtantes miſſo, illos hortatus eſt, ut ad Concilium accederent, ſeque ibi adfuturum promiſit, niſi bellis impediretur. Addit, Mantuam Civitatem eſſe Romano Imperio ſubditam; ſiquid adverſus Pontificem haberent, cum modeſtia proponi poſſe, eorum non eſſe leges Concilio imponere; cum in Hiſpania, Italia, Germania, aliiſque Chriſtiani Orbis partibus ſint Theologi, qui de hac re idem ſentiant. Reſpondere his Proteſtantes, *ſe Mantuæ tutos non eſſe, Romanum Pontificem, qui eos damnaverat, Judicem in cauſa eſſe non debere; neque Epiſcopos, qui illi ſunt jurejurando adſtricti; aliarum Nationum Theologos, tales eſſe, ut nihil ratum putent, quod Romani Pontificis judicio non ſubmittatur*. Henricus vero VIII. Angliæ Rex in ſuo Schiſmate pertinaciter perſeverans adverſus indictionem Concilii a Paulo Papa III. Mantuæ factam Libellum edidit, quo ex obſoletis, & rancidis Schiſmaticorum argutiis, objecit primum, *non eſſe Pontificis Concilia convocare, ſed Cæſaris, & Regum*; deinde non debuiſſe indici eo tempore, quo bellum inter Cæſarem, & Galliæ Regem arderet; ac demum Mantuæ locum nec tutum eſſe, nec commodum.

XL. Cum vero idem Paulus Pontifex ob denegatum a Friderico Mantuæ Duce eum locum ad Concilii celebrationem, niſi adverſus periculum, quod ſibi a tanta multitudine, quæ eo acceſſura foret, imminere prætexebat, validum compararet præſidium, quod ſumtibus Pontificiis aleretur; aliis etiam ſuperadditis conditionibus, de quibus Pontifex graviter queſtus eſt in ſequentium Indictionum Litteris, præcipue quod hoc libertati Concilii præjudicatum foret, neque ſibi æquum videretur, ibi arma conſpici, ubi libera omnium ſuffragia eſſe deberent; primo Concilium, quod ad decimum Kalendas Junii indictum fuerat, produxiſſet, uſque ad Kalendas Novembris ejuſdem anni MDXXXVII. deinde Vincentiam, amplam, & copioſam Venetorum Civitatem, ſibi ab iis conceſſam tranſtuliſſet, inchoandum Kalendis Maji anni proxime ſequentis, nempe anni MDXXXVIII. legatis eo tribus S.R.E.Cardinalibus, Laurentio Capegio Epiſcopo Sabinenſi, Jacobo Simoneta Tituli S. Apollinaris, & Hieronymo Aleandro Tituli S. Chryſogoni Presbyteris, qui illud inchoarent, & advenientes exciperent, (quæ omnia conſtant ex Bullis hujuſmodi Indictionum factis duodecimo Kalendas Maji, & octavo Idus Octobris anni MDXXXVII.) rurſum & in prædictam Vincentinam Indictionem aliis cavillationibus invectus eſt idem Rex Angliæ Henricus VIII. *adeo ut, nihil jam fieri*, ſubdit ad ipſum annum Spondanus, *hujus naturæ hominum guſtui poſſe videretur, niſi ut vel Londini Concilium ageretur, ubi ſuppoſititium caput Eccleſiæ Anglicanæ ſuprema auctoritate præeſſet, vel Wittembergæ, quod nutu Proteſtantium Papæ Lutheri regeretur*.

XLI. Interim omnibus hæreticorum fraude turbatis, fruſtra Pontifex variis modis obnitebatur pro celebrando Concilio; creſcentibuſque memorati Henrici VIII. impietatibus, denuo illum excommunicavit Pontifex, ac Regno privavit; etenim non ſolum vera repudiata uxore aliam duxerat, & Anglicanæ Eccleſiæ caput appellari voluit, verum & præter hæc, & alia contra Catholicam Religionem facinora, Roffenſem Cardinalem illi adverſantem capite plecti juſſit; ac, quod horrendum eſt dictu, S. Thomam Cantuarienſem Epiſcopum, qui ſeculis elapſis ob Eccleſiaſticæ Immunitatis defenſionem ſub Henrico II. occiſus fuerat, Regiæ Majeſtatis læſæ conſtituit reum, & per carnificem publice corpus ejus comburi, ac cineres demergi in mare imperavit, reditibus Eccleſiarum ſub ejus nomine, Regio Fiſco applicatis. Plura de hoc impio Rege videri poſſunt apud Sanderum in ſuo Opuſculo, *De ſchiſmate Anglicano*, & apud Spondanum, Rainaldum, Natalem Alexandrum, alioſque paſſim Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Scriptores. Ceterum eodem hoc anno MDXXXVIII. ut inter alios tradit Natalis Alexander in Hiſtoriam Eccleſiaſticam Seculi XV. & XVI. Cap. I. Articulo XVI. ubi vitam Pauli III. enarrat, Num. III. ad morum emendationem, & reformationem Curiæ ipſe Paulus Pontifex Cœtum inſtituit quatuor Cardinalium, & quinque Præſulum inprimis præſtantium. Cardinales fuere Contarenus, Carafa, Sadoletus, Polus; Præſules vero Fredericus Fregoſius Archiepiſcopus Salernitanus, Hieronymus Alexander Archiepiſcopus Brunduſinus, Joannes-Matthæus Gibertus Epiſcopus Veronenſis, Gregorius Corteſius Abbas S. Georgii Venetiarum, & Frater Thomas Badia Sacri Palatii Magiſter Ordinis Prædicatorum. Hi Conſilium ſuum de re tanti momenti Summo Pontifici in ſcriptis exhibuerunt prædicto anno MDXXXVIII. quod ut eorum integritas, & Pauli III. ad reſtaurandam diſciplinam ſtudium innoteſcat, opere pretium inter alios duxit Natalis Alexander deſcribere, ſuæque Hiſtoriæ inſerere, tum quod varia ejuſdem Conſilii capita varii Auctores recen-

Digitized by Google

ceenſcant, & inter alios Thomaſſinus in ſua Diſciplina, tum vero potiſſimum, quod Tridentini Patres ad ea procul dubio capita reſpexere, ubi Decreta ad morum emendationem, & abuſuum reformationem ſua ediderunt.

XLII. His itaque omiſſis, quod Tridentini Concilii Hiſtoriæ filum ſpectat, eodem ipſo anno MDXXXVIII. ut tradit Surius, Carolus V. Imperator, & Franciſcus I. Rex Galliæ in mutuos venere complexus opera Pauli Papæ III. qui etiam multum pro ſuo munere egerat, ut apud Niceam, ſeu Niciam convenirent, ſed efficere non potuit, ut ipſo præſente in colloquium venirent; impetravit id tamen, ut in novem, vel decem annos inducias inter ſe paciſcerentur. Contenderat etiam Pontifex Niceæ ab utroque Puincipe, ut & ipſi Vicentiam ad Concilium a ſe indictum accederent, & Prælatos ſuos præſentes ducerent, abſenteſque acceſſerent, Verum iis utrumque excuſantibus, tum ob Regnorum ſuorum occupationes & neceſſitates, tum quod non poſſent Epiſcopi, qui cum ipſis erant, niſi communicato cum aliis conſilio, eo ſe conferre; eaque de cauſa hortantibus, ut tempus Concilii prorogaretur, cum etiam Cardinales Legati eo miſſi magnam ibi ſolitudinem eſſe, & vix unum, aut alterum ex externis nationibus Prælatum Vicentiam ſe contuliſſe, renunciaſſent; ſtatuit Pontifex rurſus Concilium uſque ad Sanctum Paſcha anni ſubſequentis MDXXXIX. producere, datis ea de re Litteris Genuæ in reditu e Nicea IV. Kalendas Julii anni MDXXXVIII. ut teſtis eſt idem Pontifex Paulus III. in Litteris Indictionis Tridentini Concilii.

XLIII. At vero quum ipſo anno MDXXXIX. cerneret Pontifex frequentibus ſuis Concilii Indictionibus nihil ſe, neque apud Catholicos, neque apud hæreticos proficere, aliis ex aliis quotidie ſuborientibus impedimentis; & Cæſarem, ac fratrem ejus Ferdinandum, alioſque Principes, rem, niſi pace inter Principes confecta apte ſuſcipi non poſſe, ſignificare; ac præterea neque ad tempus condictum alios Prælatos Vicentiam conveniſſe: idem Pontifex prorogationis jam nomen averſans, quod tam ſæpe fruſtra fuerat repetitum, ſatius duxit celebrationem Generalis Concilii ad ſuum, & Sedis Apoſtolicæ beneplacitum ſuſpendere, deque hujuſmodi ſuſpenſione Litteras ad eoſdem Principes decima die Junii memorati anni MDXXXIX. dedit, ut ipſemet narrat in memoratis toties Litteris Indictionis Concilii Tridentini; additque Panvinius in Vita Pauli III. & ex eo Spondanus ad eundem annum MDXXXIX. Num. IV. alias cauſas cur Vicentia dimiſſa ſit, nimirum quod ea Civitas a Schiſmaticorum Sedibus paulo longius abeſſet; & quod Veneti rem amplius non probarent, ne Turcorum Tyrannum irritarent, qui Chriſtianorum Conventum timebat. Interim vero Lutherus cum ſuo grege variis machinationibus, & ſcriptis Concilii a Paulo Pontifice indicti auctoritatem convellere nitebatur, ut rudem plebeculam arctius ſuis fraudibus implicatam tenerent; & cum tam frequens eſſet Concilii nomen & Eccleſiæ, Libellum vulgari idiomate de utroque edidit, hoc eſt, de Eccleſia, & Concilio, ubi multa de more, in Pontificem & Eccleſiam Romanam debacchatur.

XLIV. Varios per hæc tempora habitos in Germania Conventus, referunt Surius, Spondanus, Rainaldus, aliique Scriptores paſſim. Hagenoæ Conventus & Colloquium anno MDXL. celebratur, Ferdinando Rege Romanorum aſſiſtente, Catholicis, atque hæreticis hinc inde diſputantibus: Trevirenſi, atque Palatino Electoribus Bavaro Duce, & Argentinenſi Epiſcopo mediatoribus. Proteſtantes requiſiti de eorum Fide obtulerunt Auguſtanam Confeſſionem cum Apologia. Reſpondentibus jam illam Cæſaris Decreto fuiſſe damnatam, Proteſtantes urſerunt reſcindi Decretum; ſed volebant tamen etiam Catholici una ipſo Cæſaris Decreto reſcindenda omnia eorum Acta, unde & varia bona Eccleſiæ occupata ſuis dominis reſtituenda fuiſſent. His ſub initium male compoſitis, Ferdinandus ſtatuit, ut aliud Colloquium Wormatiæ fieret, in quo nihil de ante actis proponeretur. Cæſare igitur confirmante Decretum, eo mittitur Granuellanus, & filius ejus Atrebatenſis Epiſcopus, ac preterea tres Theologi ex Hiſpania. Pontifex quamvis Colloquium non probaret, tamen ad majora mala evitanda, eo etiam deſtinavit Nuncium Thomam Campegium Feltrienſem Epiſcopum, & cum eo Vergerium jam conſtitutum Juſtinopolitanum Epiſcopum, qui licet a Pontifice miſſus, ibi tamen Regis Galliæ partes agebat. Inſtituta jam fuerat quæſtio de originali peccato, pro Catholicis Eckio, & pro Lutheranis Melancthone loquentibus. Sed interim agente Apoſtolico Nuncio, Granuellanus miſſis ad Cæſarem Litteris, docuit eum de rerum difficultatibus; quibus cognitis Cæſar ad Ratisbonenſem Conventum negotium diſtulit.

XLV. Ergo ſequenti anno MDXLI. uti poſt alios tradit Scipio Henricus in Hiſtoria Concilii Tridentini, inſtat Cæſar pro Conventu, & Colloquio Ratisbonenſi, ut Pontifex mittat Legatum cum plenitudine poteſtatis circa res Fidei, *ſe ſperare*, aſſerens, *Colloquio hoc omnia de Relig one diſſidia fore ſedanda*. Miſſus eſt a Pontifice ad ipſum Colloquium Gaſpar Contarenus Cardinalis Legatus, qui primum Cæſari hanc prævlam excuſationem propoſuit, *non tam plenam circa res Fidei ſe poteſtatem habere*, ut Cæſar voluiſſet, quod ſcilicet illa pleniſſima & abſoluta poteſtas ita Pontificis propria eſſet, ut alteri communicari non poſſit. Monuit præterea Cæſarem, ut curaret, ne aliquod ex hoc Colloquio in alias Nationes Schiſma tranſiret, atque ut Leonis Papæ X. Bulla adverſus Lutherum illæſa perſiſteret. Differentes in Colloquio ex partium conſenſu pro Catholicis electi ſunt a Cæſare. Joannes Eckius, Julius Flugius, & Joannes Gropperus. Pro hæreticis vero Martinus Bucerus, Philippus Melancthon, & Joannes Piſtorius. Præſidentes erant Princeps, & Granuellanus, qui etiam Cæſaris nomine Libellum edidit, in quo omnia continebantur, de quibus erat controverſia. Hortatus eſt ſingulos, ut quiſque de Libello judicet, quid approbandum, quid reprobandum; in quo convenirent, in quo diſſentirent, & ſingula adnotarentur. Reſponſum eſt poſt aliquot dies facta conſultatione, *in aliquibus conſentire, in aliquibus nulla ratione concordare poſſe*. Re a Cæſare in Conventu propoſita, reſponderunt Eccleſiaſtici, *Libellum ipſum, atque omnia in eo Colloquio acta eſſe delenda*. At vero Principes laici dixerunt, *inſtandum Legato, ut aliquam concordiæ adaperiat viam*. Legatus, viſis Colloquii Actis, ſatis le-

niter

Digitized by Google

uiter, & per verba generalia reſpondens dixit, *in his, in quibus Proteſtantes cum Eccleſia non concordant, annuente Deo, non deſperandam eſſe concordiam, interim omnia ad Pontificem referenda*.

XLVI. Hoc Legati reſponſo accepto, ſtatuit Cæſar, ut articuli, in quibus facta eſt concordia, teneantur uſque ad futurum Coucilium, ſive ad aliud Decretum. Aſſeutientibus Proteſtantibus quoad articulos, & quoad Concilium dicentibus more eorum ſolito, *ſe Concilium velle, nulla habita relatione ad Pontificem*; Catholici poſtquam articulos illos abominati ſunt, ut incertæ interpretationis, ut ſuperfluos, ut pernicioſos, de Concilio dixerunt, ſe Coucilium velle legitimum a Romano Pontifice convocandum, in quo per ſuos Legatos ipſe præſideat. His auditis, Legatus queſtus eſt de prava ſui reſponſi interpretatione, nihil enim ille de actis approbaverat, ſed tantum dixerat, *omnia ad Pontificem referenda*. Poſtulaverunt Catholici Nationale Concilium, ſed Legatus variis rationibus id negavit, converſique idcirco ſunt ad Concilium Generale. Tandem Legatus Romam revertitur, qui etiam nonnihil male audiit, non ſolum quaſi mitiorem ſe erga Lutheranos exhibuiſſet, verum etiam quod de Juſtificatione, & Tranſubſtantiatione aliqua imprudenter conceſſiſſet adverſariis; quem propterea graviter accuſavit ſeveriſſimus Cardinalis Carafa, poſtea Paulus IV. Pontifex Maximus. Contarenus tamen Legatus defenſus non modo a Viris doctis, ac piis, ſed ab ipſo quoque Imperatore Carolo V. apud Summum Pontificem Paulum Tertium egregie purgatus eſt.

XLVII. Anno MDXLII. Spiræ habetur Conventus, eoque miſſus Joannes Moranus Mutinenſis Epiſcopus Apoſtolicæ Sedis Legatus, Pontificis mentem de Generali Concilio celebrando aperuit. Propoſitis Ferraria, Bononia, aut Tridento, quæ eſt Civitas in Germania, aſſentientibuſque Catholicis, Proteſtantes, qui verbo quidem Concilium urgebant, & re ipſa nihil magis refugiebant, neque Concilium a Pontifice indici, neque ullam in Decreto mentionem ejus fieri, nec denique locum ſe probare, dixerunt; magna ſe protervia, Concilii, totiuſque Religionis diſpenſatores, & dominos conſtituentes. Quamobrem factum eſt, ut in ipſo Conventu nihil ultra de Concilio ſit decretum. Contra Turcum vero expeditio decreta eſt. Hoc ferme tempore Lutherus Libellum edidit de precibus contra Turcas, ſive Concionem, Caſtrenſem, vel Militarem, plane contrariam aliis ſcriptis ſuis, quibus aliquando docuit, bellum Turcis inferre, nihil aliud eſſe, quam repugnare Deo. Habet Lutherus in eo Libello precationem contra Turcas, in qua Romanum Pontificem cum Diabolo, & Turca conjungit eodem prædicamento, non modo impie, ſed & ad rem inepte.

XLVIII. Interea Paulus III. Pontifex nihil omittens, quo rebus Fidei, & tranquillitati Principum conſulere poſſet, in primis poſt conſenſum Catholicorum in Conventu Spirenſi de electione Tridenti Urbis ad celebrationem Concilii Œcumenici, Bullam Indictionis ejus emiſit XI. Kalendas Junii. Qua commemoratis, quæ hactenus ea in re geſta fuiſſent, quæque nos ſupra retulimus, demum ſe decreviſſe ait, nulla amplius conſiderare impedimenta, nulliuſque Principis expectare conſenſum, ſed tantum Dei voluntatem, & Chriſtianæ Reipublicæ utilitatem attendere, ac propterea ad Kalendas Novembres ejuſdem prædicti anni MDXLII. omnes Prælatos, & alios, quibus jure, ac privilegio Conciliis intereſſe datum eſſet, Tridenti ſe ſiſtere præcepit; Imperatoremque, Regem Galliæ, ac cæteros Reges, & Principes rogavit, ut ipſimet ad Concilium accederent, aut ſaltem Legatos graves Viros cum plena auctoritate mitterent; idque ſedulo curarent, ut ex ſuis cujuſque Regnis & Provinciis Epiſcopi & Prælati ſine tergiverſatione & mora ad Concilium proficiſcerentur. Atque, ut Concilium inchoaretur, uti inter alios ad annum MDXLII. refert Spondanus, Joannem Thomaſium Cavenſem, & Joannem Matthæum Veronenſem Epiſcopos Tridentum miſit, ad ea præparanda, quæ pro Concilii celebratione neceſſaria forent. Nec multo poſt tres creavit Legatos a Latere, qui ei præſiderent, videlicet S.R.E. Cardinales Petrum Paulum Pariſium Conſentinum noſtræ ceterioris Calabriæ, Divini, ac humani Juris profeſſione inſignem, Joannem Moronum Mediolanenſem morum, atque doctrinæ fama per multos Germaniæ Conventus Legationis munere functum, & Reginaldum Polum Anglum, qui ſupra Regiæ ſtirpis decus, & perfectæ Latinæ facundiæ laudem, eximium Chriſtianæ virtutis ſpecimen præſeferebat, qui omnes Tridentum ſe contulerunt.

XLIX. Teſte eodem Spondano ad ipſum annum MDXLII. Indictionis Concilii Diplomate publicato, atque ad Principes miſſo, Carolus Imperator menſe Auguſto contra Regem Galliæ ad Pontificem ſcripſit, quaſi is impediret celebrationem Concilii. At vero poſtquam Rex Litteras Imperatoris ad Pontificem contra ſe ſcriptas accepit, ad eundem Pontificem ſuas Litteras dedit menſe Februarii anni MDXLIII quibus inter alia inquit, Tridentinum Concilium ab ſe minime impediri, vel retardari, obſecratque Pontificem, ne calumniis fidem haberet, & ita de ſe ſtatueret, nihil eſſe, quod non & Reipublicæ, & ipſius, & Eccleſiæ Romanæ cauſa vellet. Quicquid ſit, quieſcebat ob horum Principum ſimultates negotium Concilii, cujus nec nomen ferre Proteſtantes poterant, & ſatis habens Carolus Germanis indeſinenter illius celebrationi ſe paratiſſimum prædicare, niſi per Regem Galliæ impediretur, non admodum de illo ſolicitus erat, nec Pontifex ob duorum illorum Principum Bella, quibus tota fere Chriſtianitas diſtinebatur, illud promovere poterat, adeo ut ob paucitatem convenientium Prælatorum revocandi fuerint Cardinales Legati, quos illuc miſerat; ſuſpenſo denuo Concilio uſque ad commodius tempus poſtea declarandum, uti confectæ ſuper hæc Litteræ Pauli III. Papæ nos docent promulgatæ Bononiæ pridie Nonas Julii anni MDXLIII.

L. Poſt varios caſus & tot diſcrimina rerum ſancita eſt demum anno MDXLIV. pax inter Imperatorem Carolum V. & Galliæ Regem Franciſcum I. quam fuſe enarrant Spondanus, & Rainaldus ad ipſum annum MDXLIV. Pallavicinus in Hiſtoria Concilii Tridentini, & alii. Confectæ pacis nomen tum pleriſque Chriſtianis ingentem lætitiam attulit, tum vero maxime Paulo III. Summo Pontifici, qui velut optimus Pater ſuam operam omnem impendit, ut inter hos diſſidentes Principes concordiam componeret. Ergo Pontifex

Digitized by Google

ſex in gratiarum actionem per Urbem, & Chriſtianum Orbem Supplicationes per triduum integrum indixit; deinde ſpeciales Nuncios ad utrumque Principem gratulationis ergo miſit; demum Tridenti Concilium reſtauravit in ſequentis anni Idus Martias quæ futuræ erant Dominica *Lætare*, quarta Quadrageſimæ, tanquam die lætitiæ, edito Diplomate XIII. Kalendas Decembris, cujus pariter initio Eccleſiam univerſam hortatus eſt ad exultandum gaudio ob eam pacem, qua ſublatum eſſet Concilii impedimentum. Ad cujus inchoationem atque celebrationem delecti ſunt Februario ſequenti tres ampliſſimi S. R. E. Cardinales Joannes Maria de Monte Epiſcopus Præneſtinus, Vir admodum induſtrius animique aperti, Marcellus Cervinus Presbyter Tituli S. Crucis, ſpectata conſtantia, ac rerum cognitione præditus (qui poſt Paulum III. fuere poſtea alter ab altero Pontifices Maximi ſub nominibus Julii III. & Marcelli II.) & Reginaldus Polus Anglus Diaconus Tituli S. Mariæ in Coſmedin, qui præter generis Regii nobilitatem eximia doctrina, pietate, & morum probitate excellebat: data eiſdem facultate præſidendi loco Pontificis; Decreta, & ſtatuta ordinandi, proponendi, concludendi, & exequendi quicquid ad errores damnandus, & extirpandos neceſſarium videretur, cognoſcendi, ac decidendi in cauſis hæreſeos, & aliis quibuſcumque Fidem Catholicam ſpectantibus; ſtatum Eccleſiæ in omnibus ſuis membris tam Eccleſiaſticis, quam Secularibus reformandi, pacem inter Principes Chriſtianos ſtabiliendi; & alia omnia, quæ ad Dei gloriam, & Fidei Chriſtianæ incrementum tenderent, conſtituendi.

LI. Acceſſerunt Tridentum Cardinalis de Monte, & Cardinalis Cervinus die XIII. Maji anni MDXLV. a Cardinale Tridentino honorifice excepti. Primi vero omnium ex Epiſcopis adfuere Concilio Thomas Campegius Feltrienſis, Thomas a S. Felice Cavenſis, & Cornelius Muſſus Bitontinus Epiſcopi. Acceſſit deinde Didacus Mendoza Cæſareus Orator, qui etiam apud Venetos ejus nomine pari munere fungebatur, eumque ſequutus eſt Ferdinandi Regis Orator. Sed jam menſe Martio expirante, tempore ad inchoationem præfixo, Legati, quamvis Patres pauciſſimi numero erant, aliquid ex Pontifice, & Wormatiæ Conventus, qui prædicto anno agebatur, exitu expectandum decreverunt. Quæ autem Wormatiæ in Conventu acta ſunt, jam neque Pontifici, & Concilio, neque ipſis hæreticis placuerunt, cum Cæſar mediator inter illos poni videretur. Nam ſicut Pontifici videbatur indignum, quod ſibi Cæſar arrogabat in cauſa Concilii, ita hæretici fraudem a Cæſare timebant, Concilio a Pontifice indicto penitus adverſabantur. Porro mandatum a Pontifice Legati acceperunt, ut quandocumque audirent, in Conventu Wormatiæ de Religione agi, ſtatim Concilium aperirent. Legati quod cognoſcerent, ex Wormatiæ actis ad id ſe non teneri, imo ex pauciſſimo Epiſcoporum numero impediri, verentes tamen, ne Ferdinandus pro contributione adverſus Turcas obtinenda, Proteſtantibus favens, alium Conventum, ubi de Religione ageretur, jam antea promiſſum ſtatueret, excuſatione adhibita, quod ex Tridentinorum Patrum negligentia in Concilin aperiendo hoc evenerit, rem omnem cum ſuis circumſtantiis Pontifici ſignificarunt. Præterea Tridentinus Cardinalis, & Epiſcopus, ac Princeps illius Civitatis poſtulavit a Pontifice aliquem peditum numerum pro cuſtodienda Civitate non ſatis tuta inter advenarum, & præcipue Proteſtantium turbas, ſibique ad id ſumtus deeſſe cauſatus eſt.

LII. Pontiſex mature rebus expenſis, reſpondit Legatis, Concilium aperiendum ad diem feſtum Sanctæ Crucis; ad Tridentinum autem Cardinalem reſcripſit, armatorum præſentia libertatem Concilii ſuſpectam reddi; Concilium, ac Civitatem Tridenti ſibi curæ eſſe, ſeque eorum incolumitati conſulturum. Interim cum Prorex Neapolis indixiſſet illius Regni Epiſcopis, ut quatuor tantum ex his diligendi ad Concilium pergerent, qui ceterorum partes ſuſtinerent, idque moleſte ferrent Epiſcopi Concilium adire cupientes, & Pontifici obtemperare, ut jurejurando promiſerant; Pontifex edita Bulla ſub graviſſimis pœnis hoc prohibuit, & Legatos monuit, ut tales Epiſcoporum Procuratores minime admitterent. Cum vero die XVI. Maji Cæſar, & Cardinalis Farneſius Wormatiæ conveniſſent, propoſuit hic primum inchoationem Concilii; doluitque deinde de Neapolitani Proregis Decreto, de Epiſcopis ſcilicet ad Concilium non mittendis, & de alin Conventu Religionis cauſa indicto, maxime inſtante Concilio. Cæſar de Concilio aperiendo ſatis incerta, & quaſi per ambages reſpondit; de Proregis Decreto dixit, hoc factum ſe inſcio, illum hac de re percontaturum, de Conventu nihil. Ceterum augebatur Epiſcoporum numerus, ſed tamen omnia tabeſcebant otio; nam Cæſareus Orator ad ſuum munus redierat Venetias; incertum, an ſponte, an Cæſaris juſſu. Curatum eſt interim quoque, ut Proteſtantes ad Concilium irent, ſaltem ad dicendum cauſam, quare a Concilio exemti eſſe deberent. Proteſtantes vero Concilium reſpuebant, dicebantque, eorum cauſam a Leone X. jam fuiſſe judicatam, Epiſcopos idem ſemper judicaturos: ſe quidem Concilium velle, ſed tale, ut in eo, vel ipſi ſententiam ferrent, vel, ut ex una parte eſſet Pontifex cum ſuis, ex altera ipſi diſputantes invicem; Judices vero eſſent Cæſar, & alii Principes, qui juxta Sacras Litteras judicarent.

LIII. Ubi de non accipiendo Concilio deliberationem Proteſtantes Wormatia diſcedentes Libello publice edito declaraverunt, ſtatutus mox fuit alius Ratisbonæ Conventus, atque in eo de Religione Colloquium. Quod acerbe Romæ a Pontifice, ac Tridenti a Patribus auditum eſt: qui otioſe manentes, ac ſe neglectos putantes, atque hoſpitii incommoda moleſte ferentes, vel fictis, vel veris de cauſis, abſque Legatorum licentia magna ex parte diſceſſerunt. Sed apud Cæſarem ſuſpenſa omnia erant, qui & a Proteſtantibus pecuniam, & a Pontifice auxilia obtinere ſperabat; unde & Proteſtantibus Colloquia concedebat. & propter deſideratum Concilii exitum Pontifici annuebat. Pontiſex vero diverſimode angebatur, & libenter ab incœpto deſtitiſſet, ſi abſque ſcandalo hoc fieri concederetur; etenim aperte noverat, Concilium hoc pro Germanis convocatum, nihil Proteſtantibus omnino profuturum. Tandem Pontifex, ne Concilium Tridenti nec apertum, nec clauſum inutiliter videretur, miſſo ad Cæſarem Caſertano Epiſcopo, ab eo petiit, ut ſuam demum patefaceret

Digitized by Google

ceret mentem, an aperiendum, au ſuſpendendum, an transferendum Concilium eſſet. Sed Cæſar, qui ſibi ipſi non conſtabat, inſtante non ſemel Epiſcopo, reſpondit, *Concilium in menſe Octobri aperiendum, ut ibi non de Dogmatibus, ſed de Reformatione agatur*. Reſponſum hoc licet multas ob cauſas diſpliceret Pontifici, ille tamen reſcripſit Cæſari, ſe Concilium aperiendum mandaturum, in quo Patres ſuo jure uterentur. His univerſalibus verbis eſt uſus Pontifex, ut ſi Patres de rebus Fidei in Concilio agerent, Cæſari indignanti reſponderet, Patres aliorum Conciliorum uſum ſequutos, quem coarctare conſuetum non ſit. Verum Tridentinos Patres de Concilii initio gaudentes improviſus dolor invaſit, miſſis enim Epiſtolis, Galliæ Rex ſuæ gentis Epiſcopis indixit reditum. Rei novitate Patres incerti, tandem Legatis agentibus obtinuerunt, ut Rhemenſis Epiſcopus tantum ad Regem rediret, ut illius mentem percontaretur. Suſpicio enim erat, Regem ſuis Epiſcopis indixiſſe reditum, quia audierat eos otioſos, ac neglectos Tridenti morari. Inſtante apertionis die, Legati ſcripſerunt ad Pontificem, ut pro Sedis Apoſtolicæ decore aliam Bullam mitteret de Concilio aperiendo; quæ ſtatim a Pontifice miſſa eſt, & Tridenti in Congregatione lecta.

LIV. Antequam Tridentini Concilii Acta explicemus, notandi tres illius ſtatus ſunt. Cœptum enim eſt ſub Paulo III. die XIII. Decembris anno MDXLV. continuatum ſub Julio III. & abſolutum tandem ſub Pio IV. die IV. Decembris anno MDLXIII. Sub Paulo III. Seſſiones decem, non vero undecim, ut ſcribit Natalis Alexander celebratæ, octo Tridenti, duæ Bononiæ quo translatum fuit Concilium auctoritate Pontificis Legatis demandata, ob graſſantem Tridenti peſtem. Interveniente Pauli III. obitu, qui contigit die X. Novembris anno MDXLIX. interruptum Concilium Julius III. Pauli Succeſſor Tridentum reduxit Diplomate dato VIII. Kalendas Decembris anno MDL. quod incipit, *Cum ad tollenda*. Continuationis vocabulum in Pontificio Diplomate adhiberi Cæſar optaverat, ſed illud repudiatum eſt, quod translationi legitimæ præjudicare videretur, voxque *reſumere, & proſequi* uſurpata, ut ex illis verbis addiſcimus: *Ad ipſum Concilium in eo, in quo nunc reperitur, ſtatu reſumendum, & proſequendum &c.* Nihilominus ita verba temperavit, ut ejuſdem Concilii continuatio non novi indictio fieri intelligeretur, & Decretis antea tum in cauſa Fidei, tum Reformationis editis ſuum robur, & auctoritas conſtaret, veluti Synodi Generali Oraculis, & irretractabilibus Conſtitutis. Ait enim, ad tollenda Religionis noſtræ diſſidia opportunum videri, *ut Sacrum Oecumenicum Generale Concilium a Paulo III.* Deceſſore ſuo indictum, & ejus Legatis Præſidentibus *inceptum, ordinatum, & continuatum, in quo plures publicæ, & ſolemnes habitæ fuerunt Seſſiones, pluraque tam in Cauſa Fidei, quam Reformationis promulgata Decreta, multaque etiam ad utramque cauſam pertinentia examinata, & diſcuſſa, ad Civitatem Tridentinam reducatur*.

LV. Reſumta ſub Julio III. Tridenti Synodus eſt Kalendis Maji anni MDLI. ibique Præſidentibus S. R. E. Cardinali de Creſcentio, Sebaſtiano Pighion Archiepiſcopo Sipontino, atque Aloyſio Lippomano Veronenſi Epiſcopo, Sedis Apoſtolicæ Legatis, per ſex alias Seſſiones, non vero quinque, ut ſcribit Natalis Alexander, continuata eſt; quibus finitis, ereptoque e vivis Julio III. die XXIII. Martii anno MDLV. ceſſavit iterum Synodus per decem annos ob Principum Catholicorum diſcordias. Pius tandem IV. electus Pontifex Maximus die XXVI. Decembris anno MDLIX. Diplomate dato Kalendis Decembris ſequentis anni MDLX. quod incipit, *Ad Eccleſiæ regimen*, Tridentum ultimo Synodum revocavit; ibique præſidentibus Hercule de Mantua, Hieronymo Seripando, Stanislao Hoſio, & Ludovico Simoneta S. R. E. Cardinalibus, & Apoſtolicæ Sedis Legatis, celebratæ ſunt reliquæ novem Seſſiones Concilii, quod feliciter concluſum fuit anno MDLXIII. abſolutis XXV. Seſſionibus, decem primis ſub Paulo III. ſex ſub Julio itidem III. ac novem, uti dictum eſt, ſub Pio IV. celebratis. Porro Pontificii Legati prærogativa ſuffragii potiti, cuncta proponebant, quæ in deliberationem mittebantur. Poſt Epiſcopos jus ſuffragii Religioſorum Ordinum Præfecti Generales habuerunt. Id Privilegii ipſis ſervatum eſt, quibuſdam Epiſcopis repugnantibus. Religioſis favebat antiqua poſſeſſio in Lateranenſibus Conciliis, Lugdunenſibus, Conſtantienſi, Baſileenſi, Florentino, uſu firmata. Favebat & Septimæ Synodi Generalis exemplum, in cujus ſecunda Actione Monachi pariter ad ſuam ſententiam proferendam vocati ſunt; & in Actione quarta Archimandritæ, & Hegumeni una cum Epiſcopis ſua nomina Decretis Fidei ſubſcripſerunt. Ideo conſuetudo obtinuit, ut Abbates, cum inaugurantur, ſe ſe jurejurando obſtringant, ut Concilio interſint, ubi a Pontifice advocantur, uti diximus Tomo I. Romani Pontificalis in Commentario ad Titulum XV. Atque hinc eſt, quod Paulus Papa III. Diplomate ſuo quo Tridentinum Concilium indixit, convocavit *omnes ex omnibus locis tam Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & Abbates, quam alios quoſcumque, quibus Jure, aut Privilegio in Conciliis Generalibus reſidendi, & ſententias in eis dicendi permiſſa poteſtas eſt*. Synodo tamen Tridentinæ viſum eſt, ut trium Caſinenſium Abbatum concors ſententia unius dumtaxat ſuffragii vim haberet, veluti unius integri Ordinis perſonam gerentium, ut notat Natalis Alexander in Hiſtoriam Eccleſiaſticam Seculi XV. & XVI. Diſſertatione XII. Articulo I.

LVI. Sed & illud operæ pretium eſt ante enarrationem Seſſionum Tridentini hujus Generalis Concilii notare, Acta ejuſdem Concilii a quodam falſo homine, qui ſe Petrum Suavem Polanum indigitavit, Italice Londini in Anglia fuiſſe edita per infelicem illum Marcum Antonium de Dominis ex Archiepiſcopu Spalatenſi in Dalmatia factum Apoſtatam in Anglia, rurſumque ex ſimulato pœnitente, ac Romam reduce puſt palinodiam relapſum in hæreſim, & in perfidia mortuum, ac poſt mortem publice combuſtum, eademque ibidem Latinitate donata, atque typis excuſa. Ut ex his intelligas, quæ fides eiſdem Actis habenda ſit, quæ ab iſtiuſmodi hominibus in lucem prodierint. Cujus mendacia refellit ubertim Scriptor inſignis Societatis Jeſu, S. R. E. Cardinalis Sfortia Pallavicinus in ſua celeberrima Tridentinæ Synodi Hiſtoria. Porro, uti inter alios obſervat Spondanus ad annum MDXLV. Num. XIII. quæ toto primo Libro ſuo

Po-

Digitized by Google

Polanus habet de rebus ad celebrationem Concilii præparatoriis, itineribus, legationibus, conſiliis, ea de cauſa habitis, excepit is maxima ex parte ab hæretico Sleidano, quem in ſuo Commentario Hiſtorico egregie feliciterque confutavit Surius; atque eadem, qua Sleidanus mente, ſed longe rectiori, & ad pietatem præferendam cautiori, quemadmodum, & inſequentibus præſtitit, quoad Sleidanus ſuos Commentarios produxit. Deinceps vero uſus eſt idem Polanus notitiis Petri Pauli Vergerii, qui poſtquam a Fide apoſtatavit, ideſt, anno MDXLVIII. ut ad eum annum ſcribit laudatus Spondanus, ſingula Concili geſta aucupans, ea Concionum ſuarum ſubjectum faciebat, Epiſcoporum, & Theologorum inter ſe de rebus propoſitis contentiones diligenter colligens, ut erant plures Tridenti, qui in iis divulgandis delectabantur; eaſque ille, quantum poterat, non ſolum verbis, ſed etiam litteris ad alios Miniſtros Proteſtantes ſcripſit, libelliſque typis editis promulgabat, Actis Concilii omnibus detrahens, quamvis & alia quoque Polanus, quæ ab aliis, ſive typis excuſa, ſive calamo exarata monumenta emanaſſent in publicum, atque etiam ſchedas ſcriptorum a Prælatis, ac cæteris, qui Concilio interfuiſſent, necnon Epiſtolas inde exaratas ab iis, qui res ibi tractaſſent, diligenti ad hæc adipiſcenda adhibita opera, ſe vidiſſe jactet. Quicquid ſit, livore, & odio non vacat Hiſtoricus, præſertim in Romanum Pontificem, quamvis ſe omni paſſione liberum affirmare audeat. Sed ejuſdem mendacia, calumniaſque fuſiori calamo jam confutavit Pallavicinus in laudata Concilii Tridentini Hiſtoria, quam falſæ Polani Hiſtoriæ oppoſuit, & inter alios Scipio Henricus in Meſſanenſi Academia Doctor Theologus in *Cenſura Theologica, & Hiſtorica adverſus Petri Suave Polani de Concilio Tridentino pſeudo-hiſtoriam*.

S E S S I O I.

LVII. His expeditis, quod Acta, & Seſſiones hujus Concilii ſpectat, adveniente tandem Dominica illa *Gaudete*, Idibus Decembris anno MDXLV. Romæ Pontifex Paulus III. publicatis per totum Chriſtianum Orbem Supplicationibus, & Jubilæo univerſali cum pleniſſima remiſſione omnium peccatorum, cunctos hortatus eſt ad orandum pro Patribus congregatis Tridenti ad celebrationem Concilii, quod a ſe indictum eſſet ſanandis vulneribus, ab impiis infidelibus, reprobiſque hæreticis Eccleſiæ inflictis. Eodemque die, uti Spondanus, aliique Scriptores Catholici narrant, quorum opera in hac Hiſtoria, ſicut & in aliis, utimur, Legati primam Seſſionem acturi una cum XXVI. qui aderant Patribus, videlicet IV. Archiepiſcopis, & XXII. Epiſcopis Habitu Pontificali ornatis, Oratoribus Regis Romanorum, V. Generalibus Ordinum Mendicantium, Minorum Obſervantium, & Conventualium, Eremitarum S. Auguſtini, Carmelitarum, & Servorum, cum multis, tam ſecularibus, quam Regularibus Doctoribus, Clero, Nobilitate, & Populo, Supplicationem ſolemnem habuerunt ab Eccleſia Sanctiſſimæ Trinitatis ad Cathedralem Sancti Vigilii ejus Civitatis olim Epiſcopi, & Martyris, ubi Cardinalis de Monte primus Legatorum Miſſam de Spiritu Sancto celebravit, & Epiſcopus Bitontinus in noſtro Regno Neapolitano magna eloquentia Orationem habuit de neceſſitate Concilii, & laudibus Pontificis, qui illud favore Imperatoris, Regum Galliæ, Hiſpaniarum, & Luſitaniæ, aliorumque Principum Chriſtianorum ſubnixus indixiſſet; laudatiſque pariter Legatis Patres hortatus eſt ad vitæ emendationem, ac depoſitionem omnium affectuum, quo digne ab iis dici poſſet illud Actuum Apoſtolorum Cap. XV. *Viſum eſt Spiritui Sancto, & Nobis*. Deinde juſſu Legatorum lecta eſt admonitio ad Patres de cauſis hujus Concilii celebrandi, nempe ad extirpationem graſſantium hæreſum, reſtitutionem Eccleſiaſticæ diſciplinæ, & pacis recuperationem: de horum malorum origine, nempe a Prælatis, & Clericis, eo quod officium ſuum neglexerint in ſalutaris doctrinæ ſemine jaciendo, & enaſcente zizania eradicanda; corruptiſſimiſque moribus infecti fuerint, & alios infecerint; atque immiſſam a Deo tertiam plagam, foris belli Turcici, domi vero belli civilis; horum malorum ſingulos ſe reos agnoſcere debere, & ad emendationem accingere, alioquin fruſtra Concilium haberi, & Spiritus Sancti gratiam implorari.

LVIII. Poſt hæc lecta fuit Bulla Indictionis Concilii anni MDXLII. aliaque deſignationis Legatorum, ac tertia apertionis Concilii. Qua lectione abſoluta, Alphonſus Zirolla Cæſarei Oratoris abſentis Secretarius, Cæſaris litteras, quas ipſe Orator attulerat, & Legatis præſentatas, denuo induxit, & inſtitit, ut Cæſari reſcribatur, Oratorem ſuum excuſando, quod ibi ob valetudinem adeſſe non poſſet. Reſponderunt Legati ſe eam excuſationem accipere, litteraſque denuo inſpecturos, ut pro Cæſaris majeſtate matura fiat eiſdem reſponſio. Subjunctæ deinde ſunt preces, & alia in Conciliis fieri ſolita juxta Cæremoniale, & Pontificale Romanum. Submiſſa primum voce omnes genuflexi orarunt. Recitatæ ſunt poſtea Antiphonæ, & Litaniæ; eas Cardinale de Monte Legatorum primo incipiente, & reliquis reſpondentibus. Legit poſtea Diaconus Evangelium ſecundum Matthæum, Capite XVIII. *Si peccaverit in te frater tuus &c.* & dicto Hymno, *Veni Creator Spiritus*, omnibus propriis in locis ſedentibus, idem demum Cardinalis de Monte proprio ore percontatus eſt a Patribus, placeretne, ad laudem, & gloriam, ſanctæ, & individuæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ad incrementum, & exaltationem Fidei, & Religionis Chriſtianæ, ad extirpationem hæreſum, & ad pacem, & unionem Eccleſiæ, ad reformationem Cleri, & populi Chriſtiani, ad depreſſionem, & extinctionem hoſtium Chriſtiani Nominis, decernere, & declarare, Sacrum Tridentinum, & Generale Concilium incipere, & inceptum eſſe? Cumque omnes reſpondiſſent, placere, confeſtim ſubjunxit, num ob celebritatem Nativitatis Domini, & Feſtivitates labentis, & incipientis anni, placeret, proximam futuram Seſſionem habendam die VII. Januarii anni conſequentis; reſponderunt iidem, placere; dictoque Hymno, *Te Deum laudamus*, finem accepit prima Concilii Seſſio, cujus geſta a Notariis in Acta referri Hercules Severolus Promotor Concilii de more poſtulavit, ſubſcripſitque Angelus Maſſarellus Concilii Secretarius. His abſolutis, Patres Epiſcoporum inſignibus depoſitis, privata veſte, & prævia Cruce Legatos ad ſua deduxerunt; ſimiliſque fuit ordo ſervatus in aliis Seſſionibus, ſolemni illa Proceſſione excepta.

LIX. Teſte Surio in laudato Commentario Hiſtorico, Lutherus, qui Tridentino Concilio adverſabatur, hoc anno MDXLV. ſcriptum edidit, *Contra Pontificatum Romanum a Satana conſtitutum*; ea eſt enim impii Operis inſcriptio, eique Libro picturam præfixit hujuſmodi. Sedet in ſublimi Cathedra Pontifex junctis, & protenſis manibus, ornatu ſolemni, ſed auribus aſininis: circa eum plurimi ſunt dæmones variis figuris, quorum alii capiti ejus imponunt diadema triplex, oleto faſtigiatum: alii funibus eum demittunt in medium infernum horribili ſpecie ſubjectum; alii titiones, & ligna comportant: alii tanquam officioſi pedes ei ſublevant, ut recte, molliterque deſcendat. Sciti ſſime ſubdit mox Surius, hæc nulla confutatione indigere, *quia per ſe produnt pectus omni ſpurcitie, & turpitudine inquinatiſſimum*. Recenſet deinde & aliam ejuſdem perfidi hominis picturam, qua Romanum Pontificem expreſſit, recteque animadvertit, id quidem notatu dignum eſſe, *in Lutheri, & totius gregis ejus apoſtatarum pſeudomonachorum ſcriptis nihil fere crebrius malo dæmone, & ſtercore nominari, ut intelligat prudens lector, eos ſe ipſos cacodæmoni, & ſpurciſſimæ Veneri devoviſſe*. Porro meminit Sleidanus earum picturarum in ſuis Commentariis, eaſque non modo non reprehendit, licet id pleroſque feciſſe ſcribat, ſed etiam nititur nobis ex Luthero Prophetam efficere, ſequutus Manichæorum exemplum, qui impuriſſimum nebulonem illum Manetem auctorem ſectæ ipſorum, non alium volebant eſſe, quam ipſum Spiritum Sanctum.

LX. Sed his omiſſis, anno ſequenti MDXLVI. habita eſt Tridenti die v. Januarii Congregatio ad deliberandum de ordine in rebus in Concilio tractandis ſervando, deque iis, quæ in proxima Seſſione II. poſt biduum celebranda publicanda forent. Propoſuit Cardinalis de Monte Legatus, ſervandam videri formam Lateranenſis nuperi v. Concilii ſub Leone Papa X. habiti, cui ipſe Cardinalis tunc Archiepiſcopus Sipontinus interfuerat, in conſtituendis Congregationibus Antiſtitum de ſingulis capitibus in Concilio tractandis; ut ſingulis Congregationibus in ſingulorum capitum diſcuſſione occupatis, accuratius illa expenderentur; eademque poſtea ad Congregationem generalem delata, cunctorum judicio (non ut in Conſtantienſi, & Baſileenſi Conciliis factum fuiſſet, ut per Nationes ſuffragia colligerentur, quæ forma ſeditionibus obnoxia videbatur) emendanda, aut confirmanda ſubjicerentur; ſicque ſtabilita in futura Seſſione concordibus votis promulgarentur. In proxima vero Seſſione evulgandum eſſe Decretum de modo vivendi a Prælatis, ceteriſque Tridenti ſervando Concilii tempore. At quod in hoc Decreto hujuſmodi Titulus haberetur, *Sacroſancta Oecumenica Synodus in Spiritu Sancto legitime congregata, præſidentibus Legatis Sedis Apoſtolicæ*, fuere ex Patribus, qui vellent addi, *Eccleſiam univerſalem repræſentans*; alii qui nollent, Legatorum fieri mentionem; inter quos Joannes Salazar Hiſpanus, Lancianenſis Antiſtes antiquiſſima Concilia imitanda eſſe dicebat, in quibus nuda Decreta apponebantur. Verum quod illa additio, *Eccleſiam univerſalem repræſentans*, in Conciliis dumtaxat Conſtantienſi, & Baſileenſi appoſita noſceretur, quæ ob multa in iis perperam geſta nequaquam poterant in exemplum adduci; & alioqui illa eſſet ſuperflua, quandoquidem Synodi Oecumenicæ, & Generalis expreſſio ſatis univerſalitatem denotaret; denique poſſent Lutherani cavillari, etiam Laicis ſuffragium in Concilio permittendum, cum non ſatis Eccleſiaſticus Ordo Eccleſiam univerſalem, quæ ſecularibus etiam conſtat, repræſentaret: ab ea ſententia tunc ſuperſeſſum eſt; ſicut & ab alia de Legatis, eo quod licet a nullis antea Conciliis, excepto Conſtantienſi, uſurpata fuiſſet, nihilominus videretur modo neceſſaria ad declarandam Concilii cum ſuo Capite Romano Pontifice unionem: adverſus Lutheranorum temeritatem poſtulantium, ut Concilium non penderet ab ipſo Pontifice, quod nunquam antea præſumtum fuerat. Cum vero præterea ageretur de votis apud Deum pro Papa, Imperatore, & Regibus interponendis; Gallis Antiſtitibus inſtantibus, ut Regis ſui fieret expreſſa mentio, ſicut a Pontifice factum fuiſſet in Concilii Indictione, & hoc quoque Legati, ne id ceteris Regibus injurioſum eſſe videretur, amplioris deliberationis ſpecie venuſte eluſerunt, ut notat Spondanus ad annum MDXLVI. Num. 1. Ceterum in eadem hac Generali Congregatione exemtos fuiſſe a Decimis Epiſcopos in Concilio commorantes, & hoc per Litteras Apoſtolicas, notavit inter alios Scipio Henricus in Hiſtoria hujus Concilii. Plura acta fuiſſe in ipſa Congregatione habita, uti dictum eſt, die v. Januarii anni MDXLVI. docet in celeberrima ejuſdem Concilii Tridentini Hiſtoria Cardinalis Sfortia Pallavicinus.

## S E S S I O II.

LXI. His igitur ſic tractatis, facta eſt Seſſio II. prænunciata die Jovis VII. Januarii anni MDXLVI. ſolita forma Habitus Pontificalis, celebrationis Miſſæ, quam dixit Joannes Fonſeca Caſtronovienſis Archiepiſcopus, Sermonis per Coriolanum Martiranum Epiſcopum S. Marci habiti, recitationis Litaniarum, atque precum, quæ cuncta ſingulis Seſſionibus rite obſervata fuere. Ante Seſſionem, prævia Cruce, Patres communi veſte induti Legatos deduxerant de propria domo ad Eccleſiam, comitante eos, & Seſſionis locum tuente trecentorum armatorum cohorte, qui eorum præſidio, & cultu, ex Tridentinis agris collecti fuerant. Seſſioni interfuerunt præter Legatos, & Cardinalem Tridentinum quatuor Archiepiſcopi, viginti octo Epiſcopi, tres Abbates Caſinenſes, & quinque Ordinum Generales præter Oratores Regis Romanorum, & viginti Theologos in loco Conſeſſus ſtantes, Inter hos celebris fuit Oloaus Magnus Upſalenſis Archiepiſcopus In Gothia, ſeditque cum Oratoribus Procurator Cardinalis Auguſtenſis, indeque in eodem ordine decem Nobiles Cardinalis Tridentini. Ab eodem Epiſcopo, qui Miſſam celebravit, lectum eſt de ſuggeſtu Decretum, de modo vivendi in timore Domini, Orationibus pro pace Principum, & unitate Eccleſiæ, Sacramentorum frequentatione, Miſſæ quolibet ſaltem die Dominico per ſingulos Sacerdotes celebratione, jejunii quolibet Feria ſexta obſervatione, eleemoſynarum erogatione, aliiſque piis operibus in ipſo Decreto contentis, quod habetur in eadem Seſſione ſecunda. Lecta eſt pariter Bulla de non admittendis ad vota ferenda aliorum Epiſcoporum Procuratoribus; itemque ibidem ſtatutum, ut, ſi forte contingeret, aliquos debito loco non ſedere, aut ſententiam pro-

Digitized by Google

proferre, nulli propterea præjudicium generaretur, nullique novum jus acquireretur. Poſtremo indicta fuit futura Seſſio Tertia ad diem Jovis menſis Februarii proxime ſubſequentis.

LXII. Quod autem Polanus ex Sleidano obſervat, ex quatuor Archiepiſcopis, qui huic Seſſioni interfuerunt, duos fuiſſe portatiles, ut vocant, quibus Pontifex ſolius honoris cauſa Titulos Eccleſiarum, quas nunquam vidiſſent, contuliſſet: hoc quidem maligna mente, ut nebulones illos refellit Spondanus, ab iis improperii ergo appoſitum eſt, ut inſinuarent eos a Pontifice eo ſolo fine creatos fuiſſe, ut numero eſſent Legatis in Concilio; atque ut ſcommate hoc, eorum alterum, nempe Robertum Venantium Scotum Archiepiſcopum Armacanum in Hibernia impeterent, perperam ajunt, quod licet is oculorum vi admodum anguſta, & obtuſa eſſet, nemo tamen eo citerius veredis equis veheretur. Sed futilis eſt ea objectio, eum ſcilicet Titulo tenus fuiſſe Archiepiſcopum, ſi vetabatur ab impio Henrico VIII. Angliæ Rege Hiberniæ Domino, ſua in Eccleſia reſidere, quæ prima erat, ac Metropolis totius Hiberniæ. Futile quoque eſt illud, quod contra Olaum Magnum Upſalenſis primariæ in Svecia Eccleſiæ Archiepiſcopum opponitur, is enim pariter ab æque impio Guſtavo Sveciæ Tyranno patria ſua arcebatur, Eccleſiaque, cui legitime præfectus fuerat poſt obitum Joannis Magni ipſius fratris, Magnus & ipſe, ſicut cognomine, ita & meritis, & ſcriptis, de quibus ſumma cum laude Eccleſiaſtici Scriptores mentionem faciunt. Quod ſi propter hujuſmodi ejectionem indignos tantos Viros exiſtimaverint calumniatores iſti, qui ſuffragium ferrent in Conſeſſibus Tridentinis; quanto ipſimet indigniores ſunt, quibus per turpem ſeceſſionem, & apoſtaſiam a communione Eccleſiæ extorribus fides adhibeatur in iis, quæ contra eandem Eccleſiam perperam comminiſcuntur, & deblaterant?

LXIII. Poſt Seſſionem Secundam habita eſt die XIII. Januarii Patrum Congregatio, in eaque diſputatum eſt de rerum agendarum ordine; & quidem qui cum Cæſare ſentiebant, voluiſſent ut primo ageretur de Reformatione, ac deinde de Dogmatibus. Sed tandem determinatum eſt, ut in qualibet Seſſione de utroque ageretur. Hoc poſito, conſideratum eſt, a quibus rebus incipiendum, propoſitumque fuit, ut initium fieret ab hæreſi Lutherana, & præſertim a Confeſſione Auguſtana; & circa hoc diſputatum fuit, an etiam ſint determinanda ea, quæ in dicta confeſſione habentur, in quibus Catholici cum recentibus hæreticis conveniunt, & in quibus ſolo modo loquendi differunt. Hæc præcipue erant de Sanctiſſimæ Tritinatis, & Incarnationis myſteriis; quibus hæreticorum loquendi formulis aſſentiri periculoſum erat, ſed eas reprobare aliis vocibus utendo videbatur inutile. Cardinalis Polus, quem ceteri omnes ſequuti ſunt, pro his incommodis vitandis dixit, *in futura Seſſione ponendum Symbolum Nicenum, in quo hæc duo Myſteria recte, & modo in Eccleſia ſemper recepto explicantur, ut ſiqua eſt circa hoc in verbis hæreticorum a Catholica veritate diverſitas, antiquiſſimæ Synodi auctoritate damnetur*. Rurſus die XXII. Januarii habita fuit alia Congregatio, in qua, ut refert Cardinalis Pallavicinus, ſtatutum inter alia fuit, ut Concilii nomine gratiæ agerentur Summo Romano Pontifici pro ſua erga illud ſollicitudine, ac ſtudio.

## SESSIO III.

LXIV. Habita eſt Tertia Seſſio die Jovis IV. Februarii, in qua Miſſam cantavit Petrus Tagliavia Archiepiſcopus Panormitanus, concionemque habuit F. Ambroſius Catherinus Senenſis Ordinis Prædicatorum, qui diu noſtram hanc S. Hieronymi Charitatis Domum inhabitavit, rogatus a Societate Charitatis, ut præeſſet Presbyteris, aliquoſque ex iis Theologiam doceret. Porro Seſſioni ipſi interfuerunt præter quinque Cardinales, (tres videlicet Apoſtolicæ Sedis Legatos, & Tridentinum, ac Petrum Paciecum de Villena Hiſpanum Epiſcopum Giennenſem, qui menſe Decembri præterito fuerat in Cardinalium numerum cooptatus, una cum tribus aliis nobiliſſimis Viris, Georgio de Amboſia Gallo Archiepiſcopo Rotomagenſi, Henrico fratre Regis Luſitaniæ Archiepiſcopo Elborenſi, poſteaque Rege, & Rainutio Farneſio Papæ Nepote) Archiepiſcopi, ſeu Epiſcopi triginta, Abbates, & Generales iidem, qui in præcedenti. Recitatum eſt a Salvatore Alepo Archiepiſcopo Turitano in Sardinia Decretum de Symbolo Fidei, quo Romana Eccleſia utitur tanquam ſcuto contra omnes hæreſes; factaque eſt deinde indictio futuræ Seſſionis in diem Jovis poſt Dominicam, *Lætare*, quæ futura erat die VIII. Aprilis; tantæ dilationis allata cauſa, quod eſſent multi Prælati ex diverſis partibus accincti itineri, alii vero in via, quos conveniens eſſet expectare, ut res in Synodo cum majori exiſtimatione, & conſilio decerneretur; ac fieret nihilominus interea diſcuſſio, & examinatio eorum, quæ Synodo ipſi diſcutienda, & examinanda viderentur.

LXV. Poſt habitam Seſſionem Legati acceſſerunt ad proponendum de Scripturis, & circa hoc ex Lutheri ſcriptis quatuor eruerunt errores. I. adverſus Traditiones. II. adverſus aliquos Libros ex Veteri & Novo Teſtamento. III. adverſus eas Verſiones conſuetas in Eccleſia. IV. adverſus Gloſſas. Hæc omnia tradita ſunt Theologis perpendenda, quibus etiam commiſſum fuit, ut viderent de abuſibus circa verba Sacræ Scripturæ; & quatuor ſequentibus Congregationibus diſputatum eſt circa duos primos Articulos. Circa primum ſatis longa oratione dictum eſt pro Traditionibus, atque probatum fuit, *Chriſtianam Religionem partim ex Sacra Scriptura, partim ex Traditionibus pendere: imo & ipſam Sacram Scripturam ex ſola Traditione haberi*. Ita concluſum eſt omnium conſenſu, quamvis duo ex Theologis quandam diſtinctionem adjungerent, qui cum ſtomacho ab omnibus auditi ſunt. Circa ſecundum, dictum eſt, *illos Libros ut Canonicos accipiendos, qui ab aliis Conciliis recipiuntur, & quibus Romana Eccleſia utitur*. Tres tamen fuerunt loquendi modi, ſed tertius hic ut verus & certus receptus fuit. Quod tertium & quartum ſpectat, diſputatum jam & de iis in aliis Congregationibus fuit, atque determinatum, quod Eccleſiæ auctoritas, & ratio ipſa docebat. Porro ipſæ Congregationes bis ſingulis hebdomadibus, diebus ſcilicet Lunæ, & Veneris habebantur, præter extraordinarias, quæ juxta occurrentes neceſſitates convocabantur.

*Martini Lutheri obitus.*

LVI. Moritur tandem die XVIII. Februarii

anni MDXLVI. Martinus ille Lutherus, qui in oppugnanda Eccleſiæ Catholicæ doctrina, & ritibus, hæreticis omnibus, ſchiſmaticiſque poſteriorum horum ſeculorum viam aperuit, atque arma, quibus, & ſe ſe, & qui eis adhærerent, confoderent, ſubminiſtravit. Mortuus eſt autem Islebii in Patria ſua cum a Manſeldienſibus Comitibus, in quorum ditione id Oppidum erat, vocatus componendi cauſa cujuſdam diſſidii ad finem menſis Januarii eo acceſſiſſet. Læthalem ejus morbum fuſe enarrant in illius Vita Ulenbergius Cap. xxxiv. aliique Auctores Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ, & qui de hæreticis, hæreſibuſque ſcripſerunt. Sane cum ad diem xvii. Februarii perveniſſet, eoque die hilariter de more, atque opipare prandium, & nocte cœnam ſumſiſſet, doloribus preſſus inter ſecundam & tertiam horam poſt mediam noctem fœdum ſpiritum exhalavit anno ætatis ſuæ lxiii. De cujus obitu multi multa ſcripſere, & aliter ex vicinis locis Catholici, aliter Proteſtantes in ejus Orationibus funebribus, Philippus Melancthon, Joannes Pomeranus, & Juſtus Jonas, qui una cum Magiſtro ſuo Luthero in Librorum Wittembergenſium frontiſpicio, ut Cochlæus refert, quatuor primæ paginæ angulis veluti quatuor Evangeliſtæ novi apponi conſueverunt.

LXVII. Porro Jonas Cocus, qui ſe Juſtum Jonam vocat, ejus morti interfuit, ſed ita eam deſcribit, ut majori eum contumelia, quam laude affeciſſe videatur. Teſte Surio in Commentario Hiſtorico ad annum MDXLVI. inter alia ſcribit Jonas, Lutherum morientem ipſi Jonæ, & Cælio, aliiſque circumſtantibus dixiſſe: *Orate pro Domino noſtro Deo, & ejus Evangelio, ut ei bene ſuccedat, quia Concilium Tridenti, & abominabilis Papa graviter ei adverſantur.* Hæc fuit egregia morituri hominis pœnitentia. Sed quis unquam audivit, orandum eſſe pro Deo? Aut quid etiam timendum erat Deo, vel ejus Evangelio a Papa, ſi moriente Luthero mori debebat Papa & Papatus? An non enim Pomeranus hanc fatuam ejus refert ſententiam hoc verſiculo contentam?

*Peſtis eram vivens, moriens tua mors ero Papa.*

Quid vero dictura eſt poſteritas, cum hæc legerit? Sed audienda quoque ſuprema Lutheri precatio, quam poſt alios refert Surius loco citato: *Pater mi Cæleſtis, Deus, & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, Deus totius conſolationis, gratias tibi ago, quod mihi dilectum Filium tuum Chriſtum revelaſti, in quem credo; quem prædicavi, & confeſſus ſum; quem amavi, & laudavi; quem abominabilis Papa, & omnes impii vitaperant, perſequuntur, & blaſphemant*. Et ſic ille mortuus eſt, qui tamen a ſuis ſequacibus veluti magnus Propheta Germaniæ, ut Sanctus, & Divus prope divino cultu honoratus eſt, atque honoratur.

LXVIII. A Luthero dicti ſunt ejus Sectarii Lutherani. Erat autem Martinus Lutherus Natione Saxo, Patria Islebienſis, & profeſſione per x. annos Frater Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, ſed qui vitæ Religioſæ nauſeans regulam, exuto, & ad urticas pulſo Ordinis cucullo, anno MDXVII. lapſus in apoſtaſiam, & ex apoſtaſia in hæreſim, & ex hæreſi in magnum, & ſceleribus famoſum evaſit hæreſiarcham, & pſeudoevangeliſtam, hæreſum evangelizatione celebrem, qui Chriſti Evangelium depravans, corrumpens, & adulterans, ſicque corruptum, & adulteratum, ut purum, & novum Evangelium ventilans, tot ſibi Sectarios adſcivit, quos ideo Evangelicos dici voluit, & Evangelici illi tot in Sectas poſtea diviſi, ut tres in claſſes ſoleant hodie diſtingui, de quibus videri inter alios poſſunt Prateolus de hæreſibus, & inter alios Petrus Annatus in Apparatu ad Theologiam poſitivam Lib. vii. inſcripto, *De præcipuis in Eccleſia ſubortis hæreſibus*, in eo Capite, quod eſt, *De Lutheranis*. Præ ceteris videri poteſt Ulenbergius, *De Vita Lutheri &c.*

SESSIO IV.

LXIX. Rebus diligentiſſime examinatis, celebrata deinde fuit Seſſio Quarta, die Jovis octava Aprilis, cui interfuerunt iidem quinque Cardinales, novem Archiepiſcopi, Epiſcopi unus & quadraginta, Abbates, & Generales iidem qui præcedentibus. Poſt celebrationem Miſſæ de Spiritu Sancto per eundem Archiepiſcopum Turritanum, & Sermonem habitum per F. Auguſtinum Aretinum Generalem Ordinis Servorum, ab eodem Archiepiſcopo lectum eſt Decretum de Canonicis Scripturis, quo profeſſa eſt Synodus, ſe Orthodoxorum Patrum exemplo Libros tam Veteris, quam Novi Teſtamenti, nec non Traditiones tum ad Fidem, tum ad mores pertinentes tanquam vel oretenus a Chriſto, vel a Spiritu Sancto dictatas, & continua ſucceſſione in Eccleſia Catholica conſervatas pari pietatis affectu ac reverentia ſuſcipere, & venerari. Deinde Sacrorum Librorum Indice adtexto, Anathema in eum pronunciatum eſt, *qui Libros ipſos integros cum omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſia Catholica legi conſueverunt, & in veteri Vulgata Latina editione habentur, pro Sacris, & Canonicis non ſuſceperit; & Traditiones prædictas ſciens & prudens contemſerit*. Additumque, *ut ipſa Vetus, & Vulgata editio, quæ longo tot ſeculorum uſu in ipſa Eccleſia probata eſt, in publicis Lectionibus, Diſputationibus, Prædicationibus, & expoſitionibus pro authentica habeatur, & ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat, vel præſumat*. Præterea ad coercenda petulantia ingenia, in eodem Decreto ſtatuit Synodus, *ut nemo ſuæ prudentiæ innixus, in rebus Fidei, & morum ad ædificationem Doctrinæ Chriſtianæ pertinentium, Sacram Scripturam ad ſuos ſenſus contorquens, contra eum ſenſum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu, & interpretatione Scripturarum Sanctarum, aut etiam contra unanimem conſenſum Patrum, ipſam Scripturam Sacram interpretari audeat, etiamſi hujuſmodi interpretationes nullo unquam tempore in lucem edendæ forent*.

LXX. Rurſus ſtatuit, nullis licere *imprimere, vel imprimi facere quoſvis libros de rebus ſacris ſine nomine Auctoris, neque illos in futurum vendere, aut etiam apud ſe retinere, niſi primum examinati, probatique fuerint ab Ordinario, ſub pœna anathematis, & pecuniæ in Canone Concilii noviſſimi Lateranenſis appoſita*. Videri de hoc Canone, ſeu Decreto Lateranenſis v. Concilii poſſunt, quæ nos ſuo loco in ejuſdem Hiſtoria diximus in Adnotationibus ad Seſſionem xi. Num. ccxxi. Ceterum pergit in ſuo Decreto Synodus Tridentina, & jubet, ut *ſi Regulares fuerint, ultra examinationem, & probationem hujuſmodi, licentiam quoque a ſuis Superio-*

*perioribus impretrare teneantur*, *recognitis per eos Libris juxta formam ſuarum Ordinationum. Qui autem ſcripto eos communicant, vel evulgant, niſi antea examinati, probatique fuerint, eiſdem pœnis ſubjaceant, quibus impreſſores; & qui eos habuerint, vel legerint, niſi prodiderint Auctores, pro Auctoribus habeantur: ipſa vero hujuſmodi Librorum probatio in ſcriptis detur, atque ideo in fronte Libri, vel ſcripti, vel impreſſi authentice appareat; idque totum, hoc eſt, & probatio, & examen, gratis fiat, ut probanda probentur, & reprobentur improbanda.* Denique neſas eſſe ait, verba, & ſententias Sacræ Scripturæ ad ſcurrilia, ſabuloſa, & vana, adulationes, detractiones, ſuperſtitiones, impias, & diabolicas incantationes, divinationes, ſortes, libelloſque ſamoſos torquere; ac poſtremo ſtatuit, & decernit, *proximam, & futuram Seſſionem tenendam & celebrandam eſſe Feria quinta poſt ſacratiſſimum Feſtum proximum Pentecoſtes*, quæ ſutura erat die XVII. Junii.

LXXI. Celebrata Seſſione IV. de qua hactenus dictum eſt, quoniam ad Dogmata tranſeundum erat, Pontifex monuit Legatos, ut in Concilio nihil ſtatuerent, quod eſt controverſum inter Catholicos. Pro ſequenti Seſſione V. Hiſpani Patres inſtiterunt, ut ageretur de Reformatione, præſertim quoad Concionatores, & Lectores, occaſione arrepta, quod in Seſſione præcedenti actum eſſet de his, quæ pertinent ad ad Sacram Scripturam. Hoc ſicut Cæſaris voluntate fiebat, ita urgente Cæſaris Oratore Franciſco Toletano, qui ſubrogatus in locum Didaci Mendozæ jam Seſſioni IV. interſuerat, alios Cæſari adhærentes Epiſcopos invaſit. At vero, quod Legati in mandatis habuerant a Pontifice, quo res expeditius agerentur, ut Fidei, & Reformationis capita ſimul proponerentur, idque ipſum jam a Concilio ſancitum ſuiſſet, ipſorum Legatorum ſententia prævaluit, qui interim pro rerum gravitate varias Congregationes Theologorum, & Canoniſtarum ante Seſſionem V. inſtituerunt. Fiebant Congregationes coram Legatis, in quas tamen poterant accedere Epiſcopi non quidem ad vota ferenda, ſed ad audiendum. Deſerebantur deinde Theologorum ſententiæ traditæ in ſcriptis ad Epiſcoporum Congregationem, qui doctrinam reducentes ad capita, ad aliam Congregationem mittebant, in qua quicquid determinatum ſuerat, in Seſſione evulgandum curabatur. Pro tollendis abuſibus quoad Concionatores, & Lectores ſumma ſuit tunc diſficultas, & diſputatio præcipue propter Privilegia Regularium, opponentibus Epiſcopis, *quod per Privilegia Regularium ſublatam illis fuerit jus, quod ſemper ab initio Eccleſiæ habuerunt.* Contra vero Ordinum Generales aſſerebant, *creſcente Eccleſia, creſcere etiam laborum pondus, unde neceſſe fuerat, ut Regulares mitterentur in ſubſidium Epiſcoporum, qui aliis curis intenti, concionandi, & legendi munus obire non poterant.* Scriptum eſt de hac re ad Summum Pontificem, qui reſpondit, *ut cum utriſque mitius ageretur.*

LXXII. His abſolutis, ad Dogmata ventum eſt, quamvis magna cum difficultate. Etenim denuo Hiſpaniæ Epiſcopi, Duce Petro Paceco Giennenſi Epiſcopo, qui non multo ante ad Cardinalatum promotus ſuerat, inſtiterunt, ſed irrito conatu, ut de Reformatione tantum ageretur. Ergo ſuerunt quidam Articuli de peccato originali Theologis ad perpendendum propoſiti, pro quorum reſolutione, variæ habitæ ſunt Congregationes, in quibus ſuam ſententiam referentes dixerunt, *Adæ peccatum, ſimpliciter loquendo, fuiſſe inobedientiam, quamvis in particulari deſcendentes, alii dixerunt, ſuperbiam fuiſſe, alii gulam, alii infidelitatem, nam mors, concupiſcentia, Divina indignatio, & ſimilia non ſunt peccata, ſed pœna peccati.* Multumque circa hoc diſputatum eſt inter Thomiſtas, & Scotiſtas. Controverſum deinde eſt, quomodo Adæ peccatum transſuſum fuerit in poſteros, & tandem ſecundum Scholaſticorum ſententiam reſponſum eſt, fieri ex natura corrupta, ideſt, ex carne, quæ etiam afficit animam, quæ eſt forma corporis; ſicut vas male olens afficit etiam liquorem, qui illi infunditur. Ceterum tametſi Theologi in his explicandis diſcordes viderentur, ſuerunt tamen omnes concordes in damnandis variis hæreticorum præſertim recentiorum erroribus.

LXXIII. Itaque varii damnati ſunt errores, & primo error ille dicentium, *peccatum Adæ non fuiſſe transfuſum in poſteros, niſi quand pœnas, & in corpus tantum, ſicut in Concilia Palæſtino contra Pelagium definitum fuerat.* II. damnati ſunt dicentes, *peccatum Adæ tranſiſſe in poſteros non propagatione, ſed imitatione tantum.* III. illa hæreticorum propoſitio, *originale peccatum eſſe inſcitiam, contemtum Dei, timorem ſine amore Divino cum concupiſcentia, & ſimilibus malis deſideriis*, abſolute damnata ſuit, quia hæc non poſſunt cadere in pueros ante uſum rationis, neque ſemper in adultos. Quod addebatur, *peccatum originale eſſe corruptionem voluntatis in anima, & corpore*, dictum eſt, *ſi nomine corruptionis intelligitur privatio rectitudinis, eſſe hoc tolerabile, contra vero, ſi intelligatur aliquid poſitivum.* IV. adverſus dicentes, *in infantibus ex natura corrupta eſſe inclinationem ad malum, quæ, accedente uſu rationis, efficit averſionem a Divinis, & propenſionem ad terreſtria, & hoc eſſe peccatum originale*, dictum eſt, *hoc eſſe falſum, quia hoc non eſt peccatum, ſed pœna peccati.* V. damnata ſuit propoſitio dicentium, *infantes ex baptizatis parentibus natos, etiamſi in remiſſionem peccatorum baptizentur, nullum habuiſſe peccatum originale.* VI. ſimiliter damnati ſunt dicentes, *peccatum originale per Baptiſmum, tantum radi, non amputari, aut in hac vita ſolum imminui, & in æterna vita totaliter tolli.* VII. damnati ſunt aſſerentes, *hoc, quod remanet de peccato originali poſt Baptiſmum, impedimentum moliri homini quoad ingreſſum in Cælum.* VIII. damnati ſunt etiam ajentes, *concupiſcentiam, quæ fomes dicitur, & poſt Baptiſmum remanet, eſſe peccatum.* Facta relatione per Theologos de his articulis, deputati ſunt Patres in Theologia verſati, qui Decreta conderent, remanſitque dubium poſita hac doctrina, quid dicendum de immaculata Maria Virgine; conſultuſque Pontifex, reſpondit, ſicut antea monuerat, nihil definiendum circa id, quod cotroverſum ſit inter Catholicos.

## SESSIO V.

LXXIV. Die igitur Jovis XVII. Junii celebrata eſt Seſſio V. ultima anni MDXLVI. cui interſuerunt iidem quinque Cardinales, Archiepiſcopi IX. Epiſcopi XLIX. duo Procuratores abſentium

Digitized by Google

tium, duo Abbates, & tres Generales Ordinum; ac Miſſam celebravit Alexander Piccolomineus Senenſis, Epiſcopus Pientinus, & Sermonem habuit F. Marinus Laurens Calaber Ordinis Prædicatorum. Idem qui Miſſam celebravit, Decretum Fidei legit de peccato originali quinque anathematiſmis conſtans, ut ipſo Decreto Synodi Tridentinæ videre eſt; in cujus fine declaratur, *non eſſe ſuæ intentionis, comprehendere in hoc Decreto, ubi de peccato originali agitur, Beatam, & immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem; ſed obſervandas eſſe Conſtitutiones felicis recordationis Sixti Papæ IV. ſub pœnis in eis Conſtitutionibus contentis, quas innovat*. De Conceptione Deiparæ, & ejus Feſto actum jam eſt in Concilio Baſileenſi, Seſſione XXXVI. in quam nos jam quædam notavimus, mentionemque fecimus complurium Conſtitutionum, quas ea in re Summi Pontifices variis temporibus edidere.

LXXV. Decreto de peccato originali additum eſt aliud de reformatione, in duo Capita partitum, quorum primo, quod inſcribitur, *De inſtituenda Lectione Sacræ Scripturæ, & liberalium artium*, juſſi ſunt Theologi, & Scholarum Magiſtri, in ſingulis Eccleſiis tam Secularibus, quam Regularibus, pro qualitate locorum, & ratione proventuum, ad legendum Sacram Scripturam, & inſtruendos Clericos, alioſque Scholares, inſtitui. Capite II. quod inſcriptum eſt, *De Verbi Dei Concionatoribus, Quæſtoribus, & Eleemoſynariis*, ſtatuit primum Synodus, *omnes Epiſcopos, Archiepiſcopos, Primates, & omnes alios Eccleſiarum Prælatos teneri per ſeipſos, ſi legitime impediti non fuerint, ad prædicandum Sanctum Jeſu Chriſti Evangelium: ſi vero contigerit, Epiſcopos, & alios prædictos legitimo detineri impedimento, juxta formam Generalis Concilii* (nempe Lateranenſis IV. Can. X. quem nos ſupra Tomo III. explicuimus) *Viros idoneos ad hujuſmodi prædicationis officium ſalubriter exequendum*. Mandat II. & quidem ſub variis pœnis, ut *Archipresbyteri quoque, Plebani, & quicumque Parochiales, vel alias curam animarum habentes Eccleſias quocumque modo obtinent, per ſe, vel per alios idoneos, ſi legitime impediti fuerint, diebus ſaltem Dominicii, & Feſtis ſolemnibus plebes ſibi commiſſas pro ſua, & earum capacitate paſcant ſalutaribus verbis, docendo quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem &c.* Atque ad id præſtandum ab Epiſcopis cogantur. III. ut *Regulares cujuſcumque Ordinis niſi a ſuis Superioribus de vita, moribus, & ſcientia examinati, & approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Eccleſiis ſuorum Ordinum prædicare non poſſint: cum qua licentia perſonaliter ſe coram Epiſcopis præſentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant. In Eccleſiis vero, quæ ſuorum Ordinum non ſunt, ultra licentiam ſuorum Superiorum, etiam Epiſcopi licentiam habere teneantur, ſine qua in ipſis Eccleſiis non ſuorum Ordinum, nullo modo prædicare poſſint: ipſam autem licentiam gratis Epiſcopi concedant.* IV. ut ſiqui errores, vel ſcandala diſſeminaverint, Epiſcopi eis prædicationem interdicant; ſi hæreſes, contra eos de jure, aut conſuetudine procedant. V. ut quæſtuarii quicumque nec per ſe, nec per alium prædicare præſumant, & contrafacientes ab Epiſcopis, & Ordinariis locorum, Privilegiis quibuſcumque non obſtantibus, opportunis remediis penitus, & omnino arceantur.

LXXVI. Poſtremo ſtatuit Synodus, *primam futuram Seſſionem*, ſcilicet Sextam, *tenendam, & celebrandam eſſe die Jovis Feria V. poſt Feſtum Beati Jacobi Apoſtoli*. Sed prorogata fuit tamen deinde hæc Seſſio ad diem XIII. menſis Januarii anni MDXLVII. Porro his peractis lectæ fuere Litteræ Franciſci I. Galliæ Regis, quibus Petrum Daneſium ſuum ad Concilium Oratorem conſtituebat. Erat is Epiſcopus Vaurenſis ex primo Linguæ Græcæ Profeſſore in Academia Pariſienſi, Delphini Franciæ Præceptore, cujus extat Oratio in prædicta V. Seſſione habita copioſa, & facunda in laudem Regni, Regum & Eccleſiæ Gallicanæ. Narrat de hoc Daneſio Genebrardus in Oratione funebri, qua illum defunctum die XXVII. Aprilis anni MDLXXVII. laudavit, cum poſt hæc in ipſo Concilio Tridentino quidam ex Doctoribus Gallis, qui aderant, declamaret contra abuſus rerum Beneficialium, Rotæ Romanæ, atque officialatuum Epiſcoporum; aliuſque non nemo, cui forte id minus placebat, vel alia ratione, aſſidentibus diceret, *Gallus cantat*; reſpondiſſe continuo Daneſium: *Utinam illo gallicinio Petrus ad reſipiſcentiam, & fletum excitetur*; hocque ejus apophthegma celebratiſſimum deinde fuiſſe inter Patres ejuſdem Tridentini Concilii, uti etiam poſt alios notavit Spondanus ad annum MDXLVI. Num. VIII. in fine.

LXXVII. Indictam Seſſionem ſextam prorogatam deinceps fuiſſe uſque ad diem XIII. Januarii anni MDXLVII. ob turbas Germanicas, notarunt Spondanus, Rainaldus, Pallavicinus in Hiſtoria Concilii Tridentini, aliique Auctores. Non deſuerunt tamen interim Patres, atque Theologi in plurimis Congregationibus diſceptare tum de negotiis, quæ Fidem ſpectant, tum de iis quæ Reformationem. Diſceptatum eſt itaque de Juſtificatione, & Gratia, quæ recto ordine poſt damnatas hæreſes de peccato originali tractanda veniebat, quod ea ſit medicina peccati. Actum fuit deinde de reſidentia Prælatorum, & Paſtorum, quorum incuriæ, & abſentiæ omnium Eccleſiæ malorum cauſa tribuebatur. De quibus poſt longas, & diuturnas diſceptationes de Fide juſtificante, ac fiducia; de operibus, eorumque meritis; de Gratia, ejuſque certitudine, de Libero Arbitrio, ac ceteris quæſtionibus ad hæc pertinentibus; itemque utrum reſidentia Prælatorum, atque Paſtorum ſit de jure Divino, ſicut multi cenſebant; & de exemtionibus Capitulorum, Regularium, atque aliorum, quibus Epiſcopi conquerebantur, munus ſuum reddi inutile, & univerſam Eccleſiæ œconomiam ſubverti. Compoſita ſunt tandem Decreta, quæ in ſexta Seſſione poſtea promulgata fuere. In quibus formandis, & Patribus, ac Theologis in unum ſenſum poſt varias agitatas opiniones reducendis præcipue inſudaſſe dicitur Cardinalis S. Crucis unus e Legatis, ut docet Spondanus.

LXXVIII. Dum hæc Tridenti aguntur, Cæſar inito fœdere cum Pontifice, adverſus Saxonem, & Landgravium arma convertit, qui ex Proteſtantibus maxime omnium ejus auctoritatem ſpernebant. Cæſar vero timens, ne in tanto armorum tumultu Concilium diſſolveretur, per Litteras, & per ſuum Oratorem Pontificem monuit, *ſe pro Concilii ſecuritate ſumma diligentia curaturum*. Pontifex, ut Cæſari moram gere-

ret,

Digitized by Google

ret, ſcripſit ad Legatos, ne ad Seſſionem celebrandam accederent, niſi poſt ejus hac de re Litteras, neque unquam de Concilio diſſolvendo ageretur. His Litteris acceptis Legati, quoniam jam ſatis de Juſtificatione, & Gratia diſputatum fuerat, propoſuerunt Theologis interim examinandos articulos ſex, *De Libero hominis arbitrio*, quibus poſtea additi ſunt alii octo, *De Prædeſtinatione*. Sed de his, ſicut & de ceteris ad Concilium hoc Tridentinum ſpectantibus, jam non modo inter alios Rainaldus in ſuis Annalibus Eccleſiaſticis, ſed fuſe differit in ejuſdem Concilii Hiſtoris Cardinalis Sfortia Pallavicinus.

S E S S I O VI.

LXXIX. Devictis hoſtibus a Cæſare, & in deditionem acceptis, cum omnia quieſcerent, Pontifex reſcripſit ad Legatos, ut de jam determinatis Seſſio celebraretur. Quare die IV. Januarii anni MDXLVII. Congregatione habita, indicta eſt Seſſio Sexta ad diem XIII. ejuſdem menſis. In ea poſt Miſſam ab Andrea Cornaro Archiepiſcopo Spalatenſi celebratam, & Orationem habitam a Thoma Stella Epiſcopo Salpienſi, aliaque ſolemnia, promulgatum eſt Decretum de Juſtificatione hominis, XVI. capitibus complectens doctrinam de illa Catholicam, quam omnes tenere, & ſequi debeant, ejuſque ſolidam explicationem adverſus hæreticorum, aliorumque ſophiſmata. Et, ut omnes ſciant non ſolum quid tenere, aut ſequi, ſed etiam quid vitare, & fugere debeant, additi ſunt triginta tres Canones cum totidem anathematiſmis contra eos, qui aliter ſentirent. Quæ omnia cum ſingulis pateant utpote expreſſa in ipſo Concilio Tridentino Seſſione VI. ſupervacaneum fuerit ea hic recenſere, ſicut & cetera, quæ in ſequentibus Seſſionibus ſtatuta fuere. Adjectum eſt demum Decretum de Reformatione quinque capitibus conſtans, videlicet, de Reſidentia Prælatorum, ac pœnis eorum, qui per ſex menſes continuos abfuerint a ſuis Diœceſibus; de inferioribus ad Reſidentiam per Epiſcopos cogendis; de exceſſibus Clericorum ſecularium, atque etiam Regularium extra Monaſteria degentium ab Ordinariis Locorum puniendis, & corrigendis; de Capitulis Cathedralium, aliarumque Eccleſiarum, eorumque perſonis juxta Canonicas Sanctiones per Epiſcopos viſitandis, corrigendis, & emendandis; de Pontificalibus in aliis Diœceſibus non exercendis abſque earum Ordinariorum licentia ſub pœna Suſpenſionis ab executione Ordinum; hiſque peractis, indixit Synodus futuram VII. Seſſionem in diem Jovis tertiam menſis Martii.

LXXX. Antequam vero Septima ipſa Seſſio celebraretur, habitæ ſunt a Patribus ſolitæ Congregationes. In iis diſceptata eſt primum materia de Sacramentis veluti mediis ad conſequendam juſtificationem. Factæ ſunt autem longæ & magnæ inter Patres & Doctores diſceptationes tam generatim de numero Sacramentorum, deque eorum Inſtitutore, quod fuiſſent qui non ſingula ſeptem Sacramenta ab Eccleſia recepta a Chriſto inſtituta eſſe dicerent; itemque de eorundem neceſſitate, dignitate, valore, forma, deque Miniſtrorum intentione, quam nonnulli minime neceſſariam exiſtimabant: quam ſpeciſtim de veritate Baptiſmi ab hæreticis collati in materia, forma, & intentione Eccleſiæ, deque ritibus ab Eccleſia adhiberi ſolitis; atque item de Sacramenti Confirmationis Miniſtro, quod nonnulli non tantum Epiſcopis, verum etiam quibuſvis Sacerdotibus Papæ permiſſu tribuebant. Sed quod materiam Reformationis ſpectat, facta fuit vehemens diſputatio de Beneficiorum compatibilitate, & incompatibilitate, deque Pontificia in illis diſpenſandis auctoritate, necnon de Commendarum uſu, *quæ bene primum inſtitutæ*, inquit Spondanus ad annum MDXLVII. Num. 11. *cum ſcilicet bello, aut peſtilentia, aut alia ejuſmodi cauſa per Regionem aliquam graſſante, in Miniſtri Vita functi locum alius ſtatim eligi non poſſet, commendabatur ſic vacans Eccleſia cuidam probo Viro, qui præter Eccleſiæ ſuæ curam, vacantem etiam adminiſtraret, quoad de proprio Rectore ei proviſum eſſet, lapſu temporis fœdam corruptionem multiplicitatis Beneficiorum ad vitam degenerarunt*. Diſceptatum eſt denique in ipſis Congregationibus de unione Beneficiorum pariter ad vitam, quæ ad eandem pluralitatem tegendam introducta fuit: qui propterea abuſus tollendi cenſebantur.

S E S S I O VII.

LXXXI. Poſtquam de hactenus dictis, & aliis ad ea ſpectantibus factæ ſunt plurimæ collocutiones, & diſputationes, ſtabilita ſunt demum Decreta in Septima hac Seſſione promulganda, quæ habita eſt eodem die, in quem indicta fuerat, nempe Jovis tertio Martii. Celebrata Miſſa a Jacobo Coccæo, ſeu Caucho, Archiepiſcopo Corcyrenſi, juxta nonnullos concionatus eſt Epiſcopus S. Marci, quem tamen defuiſſe ſit Spondanus, *quia erat raucus*. Interfuerunt Seſſioni duo Legati Cardinales, & Pacecus, Tridentinus enim Romam abierat, Archiepiſcopi novem, Epiſcopi quinquaginta duo, duo Procuratores abſentium, duo Abbates, & Generales quinque; poſtque Solemnia rite peracta, recitata ſunt ipſa Decreta de ſeptem Sacramentis in genere tredecim Canonibus, totidemque anathematiſmis; de Baptiſmo in ſpecie quatuordecim, ac de Confirmatione tribus, ad doctrinæ Catholicæ confirmationem, & explicationem, atque errorum & hæreſum eliminationem.

LXXXII. Additumque eſt poſtea Decretum de Reformatione Capita quindecim complectens, videlicet, ut nemo ad Eccleſiam Cathedralem, niſi ex legitimo matrimonio natus, ætate maturus, gravitate morum, & litterarum ſcientia præditus, aſſumatur: nemo plures Eccleſias Cathedrales in Titulum, aut Commendam, aut alio quovis nomine ſimul retineat; inferiora Beneficia nonniſi dignis, & qui per ſe ipſos exercere valeant, ab Ordinariis conferantur; nec plura incompatibilia ſimul quocumque titulo retineri poſſint: uniones perpetuæ ab Ordinariis examinentur, & ſi neceſſe ſit, reſcindantur: validæ viſitentur, iiſque ab Ordinariis provideatur de Vicariis, reparationibus, aliiſque rebus neceſſariis: ad Majores Eccleſias promoti munus conſecrationis intra tempus a Jure conſtitutum ſuſcipiant: Capitula, Sede vacante, intra annum Litteras Dimiſſorias non concedant, niſi arctatis: facultates de promovendo a quocumque contineant expreſſam cauſam, ob quam ad alienum accedere debeant Epiſcopum; & quæ dantur de non promovendo, ad annum tantum ſuffragentur: præſentati a quibuſvis Eccleſiaſticis non inſtituantur, niſi prius ab Ordinariis examinati, & idonei reperti, exceptis præſentatis

ab

ab Univerſitatibus: Cauſæ civiles exemtorum, & Regularium extra Monaſteria degentium audiantur ab Ordinariis: curentque iidem, ut Hoſpitalia quæcumque etiam exempta a ſuis Adminiſtratoribus fideliter gubernentur. Demum futura Seſſio VIII. indicta eſt in diem Jovis XXI. menſis Aprilis.

SESSIO VIII. IX. X.

*De tranſlatione Concilii Bononiam ob peſtilentiam.*

LXXXIII. Verum cum interim ex aeris propter aſſiduos plurimorum dierum imbres intemperie multis in morbum incidentibus, non modo Tridentum, ſed & loca vicina rumor primum, deinde metus peſtilentiæ inceſſiſſet, ageretur que ubique de interdicendo cum ea Civitate commercio, facta Medicorum conſultatione, Legati, præhabita jam altero ante hæc anno a Paulo III. Pontifice, Octavo Kalendas Martii anni ipſius Pontificatus XI. facultate Concilium transferendi quacumque urgente neceſſitate ad quamcumque aliam Civitatem commodiorem, & tutiorem, minime expectato die XXI. Aprilis indictæ VIII. Seſſionis, eam die XI. Martii celebrare feſtinantes poſt conſuetas omnes peractas cæremonias, ac preces recitatas, prolataſque diligentes inveſtigationes, & examinationes publicas ſuper eadem infectione jam antea factas, necnon depoſitiones Medicorum Concilii Hieronymi Fracaſtorii Veronenſis, & Balduini de Balduinis de Barga (quæ omnia continentur in Actis Archiepiſcopi Aquenſis a Spondano paſſim laudatis) petierunt a Patribus, placeretne illis decernere, & declarare de hujuſmodi morbo ex præmiſſis, atque aliis allegatis, ita manifeſte, & notorie conſtare, ut Prælati in ea Civitate ſine vitæ diſcrimine commorari, & in eadem idcirco inviti minime retineri poſſint, & debeant: itemque attento receſſu multorum Prælatorum poſt proxime præteritam Seſſionem, & attentis proteſtationibus aliorum complurium Prælatorum in Congregationibus generalibus factis, inde omnino timore ipſius morbi abire volentium, qui juſte detineri non poſſunt, & ex quorum diſceſſu Concilium vel diſſolveretur, vel ex paucitate Prælatorum, bonus ejus progreſſus impediretur; & attento etiam imminenti periculo vitæ, & aliis cauſis per aliquos ex Patribus in ipſis Congregationibus allegatis, utpote notorie veris, & legitimis; placeretne illis ſimiliter decernere & declarare pro conſervatione, & proſecutione ipſius Concilii, ſecuritate vitæ ipſorum Prælatorum, Concilium ipſum ad Civitatem Bononiæ, veluti ad locum magis paratum, ſalubrem, & idoneum, pro tempore transferendum eſſe, & ex tunc transferri, & ibidem Seſſionem jam indictam, ſtatuta die XXI. Aprilis celebrandam eſſe, & celebrari, & ſucceſſive ad ulteriora procedendum, donec Summo Pontifici, & Sacro Concilio expedire videretur, ut ad hunc, ſeu alium locum, communicato etiam conſilio cum invictiſſimo Cæſare, Chriſtianiſſimo Rege, & aliis Regibus, ac Principibus Chriſtianis, ipſum Concilium reduci poſſit, & debeat? Reſponſumque a Patribus eſt, *Placet*.

LXXXIV. Hactenus Decretum translationis Concilii Bononiam, cui tamen Decreto non omnes, qui aderant, aſſenſum commndarunt, ſed cum eſſent Patres circiter LX. Cardinalis Pacecus Hiſpanus cum aliis quibuſdam Epiſcopis Cæſari addictis diſſenſit; tum quod pericula majora vero jactari, tum quod Pontificis, Imperatoris, Regis Galliæ, aliorumque Regum, ac Principum conſenſum expectari debere dicerent. Quare abeuntibus Legatis prævia Cruce cum ſolitis precibus, ac ritibus, Epiſcopis ſuæ opinionis comitatis, Cæſari addicti Epiſcopi ab Oratore ipſius prohibiti fuere diſcedere, antequam ille de his certior factus quid fieri vellet ſignificaret; qui translationem graviter, & iniquo animo ferens, ſuorumque factum laudans, mandavit, ne pedem Tridento moverent. At vero qui Bononiam ſeceſſerant, indictam Tridenti die Jovis XXI. Aprilis Seſſionem nonam celebrantes, præſidentibus iiſdem Cardinalibus de Monte, & Sanctæ Crucis, ac præſentibus ſex Archiepiſcopis, Epiſcopis triginta, Abbate uno, & Generalibus quatuor, in Eccleſia Collegiata inſigni S. Petronii, poſt Miſſam a Sebaſtiano Lequatula Archiepiſcopo Naxienſi cantatam, & Orationem ab Ambroſio Catherino Epiſcopo Minoricenſi habitam, preceſque a Cardinale de Monte primo Præſidente de more recitatas (quæ omnia minutim deſcribuntur in memoratis Actis Archiepiſcopi Aquenſis) Decretum promulgatum eſt ab eodem Archiepiſcopo Naxienſi, quo, ob id, quod nonnulli ex Patribus, qui Concilio intereſſe conſueverant, Majoris Hebdomadæ, & ſolemnitatis Paſchalis diebus in propriis Eccleſiis occupati, aliique aliis impedimentis detenti nondum Bononiam acceſſiſſent; ac propterea materiæ reliquorum Sacramentorum, & Reformationis, de quibus tractandum eſſe propoſitum fuerat, examinari, & diſcuti non potuiſſent, Seſſio ad diem Jovis infra Octavam Pentecoſtes ſecundam Junii prorogata eſt.

LXXXV. Statuta die, habita in eadem Sancti Petronii Eccleſia ſolitis ritibus, Olao Magno Archiepiſcopo Upſalenſi Miſſam celebrante, Seſſione Decima, prorogata eadem eſt ob eaſdem cauſas ad diem Jovis poſt Feſtum Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis decimam quintam Septembris; ita tamen ut hic terminus etiam in privata Congregatione abbreviari, & prorogari libere poſſet; ſicuti factum eſt die decimaquarta Septembris, cum in Congregatione generali habita in domo Cardinalis de Monte, cui interfuerunt cum duobus Legatis Archiepiſcopi quinque, Epiſcopi quadraginta ſeptem, tres Ordinum Generales, & Regis Galliæ Orator, prorogata eſt Seſſio futura ad Concilii beneplacitum; cum ob eandem cauſam abſentiæ multorum Prælatorum, qui in via eſſe dicebantur; tum ob turbas Status Eccleſiaſtici, & Civitatum ejus ex nece Petri Aloyſii Ducis Placentiæ ipſius Pauli III. Pontificis filii, cui Paulus ipſe Pater illius triennio ante Parmam, & Placentiam nobiles Æmiliæ Urbes Ditionis Romanæ Eccleſiæ contulerat permutatione Camerini, & Nepe non abſque aliquorum Cardinalium contradictione, & rem graviſſime ferente Carolo V. Imperatore, qui has Civitates ad Mediolanenſem Ducatum, quod ab ejus Ducibus aliquando poſſeſſæ fuiſſent, pertinere contenderet, ac propterea nunquam adduci potuiſſet, ut eam donationem, ſeu permutationem confirmaret: cum & præterea Petri Aloyſii fides ipſi Cæſari ſuſpecta eſſe cœpiſſet, quod conjurationis Joannis Aloyſii Fliſci Genuenſis particeps fuiſſe crederetur, & partibus Gallicis addictus, Henrici novi Gal-

Digitized by Google

Galliæ Regis amicitiam, ac patrocinium pertentaſſet; cum denique haud obſcure ſimultas inter ipſum Pontificem Paulum III. Petri Aloyſii Patrem, & Imperatorem Carolum V. intercederet. His omnibus audaciores redditi quidam ex nobilitate Petro Aloyſio jam ſubdita præcipui, privatis & ipſi injuriis ab eo irritati, & quod turpiſſimam, & contaminatiſſimam ejus vitam ferre non poſſent, conjuratione facta, eum in arce Placentina confoderunt die x. Septembris anni MDXLVII. corpore ad omne injuriæ, & contumeliæ genus publice expoſito, Urbemque Ferdinando Gonzagæ, qui fuerat ab Imperatore Inſubriæ præfectus tradiderunt, ægre Parma in poteſtate Pontificis relicta. Hujus conſpirationis conſcium fuiſſe Imperatorem, pro conſtanti habitum fuit, ſuiſque putant argumentis inducere, qui hanc tragœdiam enucleatius deſcribunt Thuanus, & alii, inter quos Ubertus Folieta; aliis tamen ex adverſo Scriptoribus Cæſarem optime tuentibus.

LXXXVI. Harum igitur turbarum, & mœroris Pontificis cauſa ceſſavit tunc Concilium, totoque reliquo Pontificatu Pauli III. quouſque poſt ejus obitum Cardinale de Monte primo Conciliii Præſide creato Pontifice, qui fuit Julius III. reſumtum eſt, & Tridentum reductum anno Domini MDLI. Cum nihilominus etiam ſcribat Panvinius in ejuſdem Pauli III. Vita, ipſum, quamvis publice ſigna lætitiæ de victoria Imperatoris de Germanis parta dediſſet, clam tamen non obſcure ei inſenſum fuiſſe, tum ob denegatam approbationem donationis Parmæ, & Placentiæ, & vereretur, ne parta ea victoria ad totius Italiæ Imperium aſpiraret; tum quod graves ei compedes Tridentini Concilii injeciſſet, cum Cæſarianæ partis Præſules Pontificiæ Dignitati graviter maligneque adverſus extitiſſe intellexiſſet; famaque vulgaſſet, Cæſerem, quo Germanos in officio contineret, privatique commodi gratia, non publicæ utilitatis, Concilium in longum protrahere conſtituiſſe. Hunc in modum Paulum Pontificem Cæſari non diſſimulanter iratum, de Concilii ſuſpenſione, translationeque cogitare cœpiſſe; & eo quidem propenſius, quod quibuſdam Sanctionibus odioſa diſputatione ad Decretum relatis, quorundam ſubornatorum Præſulum malignitate, Dignitatem Pontificiam ſuam perſtringi, & offendi cognoviſſet. Ita Panvinius de certioribus cauſis translationis Concilii, eique inter alios Scriptores adhæret memoratus toties Henricus Spondanus ad annum Chriſti MDXLVII.

LXXXVII. Sed Cæſar, qui fruſtra interim laborabat, ut Proteſtantes Concilio ſe ſubmitterent, & incommodam ad ſua vota judicabat eam Tridentini Concilii ad Civitatem Bononiæ translationem, Tridentinum Cardinalem ad Pontificem miſit, ut cum eo ageret de reſtituendo Concilio apud Tridentum. Proteſtantes enim victoris arma timentes, tandem quamvis ficte, & ambigue ſe ſe Concilio obtemperaturos dicebant. Pontiſex Cardinali Tridentino reſpondit, *De reſtitutione hac in Conſiſtorio agendum cum Cardinalibus*. Quare poſt aliquot dies idem Cardinalis Tridentinus in Conſiſtorio tria propoſuiſſe fertur, teſte inter alios Scipione Henrico in ſua Concilii Tridentini Hiſtoria. Primum, *de Concilio reſtituendo Tridentum*. Secundum, *ut Pontifex unum, vel plures Legatos cum plenitudine poteſtatis ad Cæſarem mittat, quo quies aliqua in Germania ſtatuatur uſque ad abſolutionem Concilii*. Tertium, *ut Pontifex quæſtionem determinet, an ſi caſus tulerit, ut manente Concilio, vacaret Apoſtolica Sedes, ad Cardinales potius, an ad Concilium pertineret novi Pontificis electio?* Hoc ultimum propoſuiſſe dicitur, ut Pontiſex de ſua decrepita admoneretur ætate. Pontifex maturo conſilio ſe reſponſurum dixit. Cardinalis autem Tridentinus, relicto apud Pontificem Didaco Mendoza, ipſe Auguſtam ad Cæſarem reverſus eſt. Sed Mendoza poſt aliquot dies in publico Conſiſtorio, cui omnibus intereſſe licebat, Pontificem alloquutus, idem petiit, addiditque, *ſi Pontifex in Concilio reſtituendo moram, aut excuſationem interponeret, ſe etiam proteſtationem interpoſiturum de illegitimo Concilio apud Bononiam*. Reſpondit Pontiſex, *ſe prius velle a Patribus Bononiæ commorantibus reſponſum accipere, ac jura perpendere, & rem omnem cum aliis Regibus, & Principibus Chriſtianis communicare*. Porro aderat ibi novus Cardinalis ex Guiſiana familia ſummæ nobilitatis apud Gallos, pro cujus Cardinalitiis inſulis conferendis publicus ille Cardinalium Conventus fuerat inſtitutus. Hic plane auditis Mendozæ verbis, Pontificiſque reſponſo (dubium eſt, an oblata, vel meditata occaſione) ſatis ingenue, atque audacter de ſui Regis Henrici, qui mortuo Franciſco patri in Regno ſucceſſerat, animo, & integra in Pontificem fide loquutus eſt, atque illi omnes ejus vires pollicitus, ut Apoſtolica Sedes, cujus auctoritatem eo tempore impii opprimere, & evertere nitebantur, in ſuo robore, & firmitate permaneat.

LXXXVIII. Monuit de his omnibus Pontiſex Cardinalem de Monte, eique mandavit, ut habita cum Patribus conſultatione reſpondeat, quid ſentiat de revertendo Tridentum. Cardinalis Præſes Concilii, convocatis Patribus, rem omnem exponit, atque omnium conſenſu Concilii nomine reſponſum hocce Pontifici eſt redditum: *Se cum decore Tridentum redire non poſſe, eo quod nonnulli ex Epiſcopis ſperantes ejus de Translatione Decretum, communi omnium ſcandalo remanſerint Tridenti, quaſi ipſi Concilium facere voluiſſent: Patres ergo illi prius Bononiam veniant, ac ſe Concilio congregent; & deinde agendum de repetendo Tridentum*. Addebatur præterea, *cum pro Germanis ſit Concilium hoc inſtitutum, par eſſe, ut Gens iſta Concilii Decretis factis, & faciendis ſe ſubmittat: periculum fore, ne ſi Concilium hiſce de cauſis revertatur Tridentum, contentioſum, & populare fiat, & juxta Proteſtantium voluntatem. Quare diligenter curandum, ut Concilium celebretur juxta ordinem, & ritum obſervatum ab Apoſtolorum temporibus uſque ad hunc diem: ut Patres libere convenire, & diſcedere valeant, & juxta ſuum placitum, Concilium, vel transferre, vel abſolvere poſſint*. His Litteris acceptis Pontiſex, & re cum Cardinalibus communicata, Mendozæ ad ſe vocato Concilii ſenſum aperuit, addens, hoc etiam reſpondere Cæſaris, & Ferdinandi petitionibus; ipſi enim reverſionem hanc pro Nationum commoditate, atque Eccleſiæ libertate faciendam volunt. Mendoza, his auditis, licet iratus, proteſtationem tamen, quam paratam habebat, non propoſuit, aliquibus Cardinalibus hortantibus, ut prius

hac de re ſcriberetur ad Cæſarem ; iſque de omnibus certior fieret, uti rem uarrant Spondanus, Rainaldus, Pallavicinus, aliique Scriptores Tridentini Concilii Hiſtoriæ.

LXXXIX. Cæſar his litteris acceptis, Franciſcum Vargam, & Martinum Velaſcum Bononiam mittit, ut ſiqua via poſſet, Concilium Tridentum reduceretur. Obtulerunt hi Patribus ſuæ Legationis Litteras, quarum inſcriptio erat, *Conventui Patrum Bononiæ*. Poſt traditas Litteras loquutus eſt Vargaa ad Patres. Verum ſub ipſius ſermonis initio, a Cardinale de Monte Legato interpellatus eſt, dicente, quod licet Litteræ illæ non ſpectent ad Patres, neque enim huuc eſſe qualemcumque Conventum, ſed Concilium Generale; ſe tameu conſentire, ut ſine præjudicio a Patribus Oratores ipſi audiantur. Vargas proteſtatione in ſcriptia poſtulata blandis verbis Patres ad Cæſaria voluntatem pellicere eſt orſus. Verum indignatus Cardinalis de Monte ejus denuo interrupit Orationem, dicens: *Adſum ego iſtius Sacrsſancti Concilii Præſes, & Legatus Pauli Papæ Tertii, qui Succeſſor eſt Petri, & Chriſti Domini in Terris Vicarius, ſimul cum bis Sanctiſſimis Patribus, ad proſequendum pro Dei gloria Concilium Bononiam tranſlatum, ſimulque Cæſarem rogamus, ut conſilium ſuum mutet.* Inde Vargaa legit Cæſaris proteſtationem de nullitate Concilii. Velaſcus poſtulavit, ut illud proteſtationis ſcriptum poneretur in Concilii Actis; ſed Cardinalis de Monte ex Patrum conſenſu uegavit, dicens, *Secularia ſcripta cum Eccleſiaſticis non eſſe ponenda, Cæſarem Eccleſiæ filium, non Magiſtrum, aut Dominum eſſe.* His Romæ auditis Mendoza Cæſaris Legatus genuflexus ante Pontificem proteſtationem ſuam legit de nullitate Translationis Concilii Tridento Bononiam, & præſentes tunc etiam ipſos S.R.E. Cardinales monuit.

XC. In his anguſtiia Pontifex temporum calamitate coactus, pro repellenda injuria ad aliud Conſiſtorium vocatum Mendozam monuit *de inobedientia eorum, qui tales proteſtationes emittunt, ipſumque ultra Cæſaris voluntatem in proteſtatione dixiſſe* (memorana ea, quæ ipſe pro Concilio, & Religionis ſtatu reſtituendo feciſſet) *ſi quæſtio ſit de Tranſlatione Concilii, an legitima fuerit, ſe ſtatuiſſe quatuor Cardinales, qui cauſa cognita ſententiam ferunt.* Hac de cauſa ſcripſit, & Pontifex ad Patres Bononiam, ut Romam ſuos Procuratorea mitterent. Miſit & Litteras per modum Brevis ad Cardinalem Pacecum, & ad Patres, qui erant Tridenti, quibus ſuam voluntatem, & omnia, quæ ad id pertinebant, ſignificavit. Ipſi vero re cum Cæſare communicata reſcripſerunt Pontifici, ſuaa excuſationes addendo, ſimul & rogando, ut pro Religionis utilitate Patres ceteroa ſimul & Legatoa remitteret Tridentum ad proſeqnendum Concilium. His Litteris acceptis, auditi fuerunt Bononienſium Patrum Procuratores, ſed quia ſententiæ executio adverſus Patres, qui Tridenti morabantur, ob Cæſaria auctoritatem fieri non poterat, cauſa indeciſa remanſit. Narrat hæc in ſua brevi Tridentini Concilii Hiſtoria Scipio Henricus, videri autem deſcripta fuſius poſſunt apud Cardinalem Pallavicinum in Hiſtoria ejuſdem Concilii, & apud Spondanum, Rainaldum, alioſque Annalium Eccleſiaſticorum conditores ad annum MDXLVII. & ſequentem.

*De formula Religionis, & de infauſto illo INTERIM ab Imperatore condito.*

XCI. Videns Cæſar Proteſtantes ſatis longo intervallo a Catholica veritate abeſſe, itaut impoſſibile crederet ipſoa omnino ad illam redire, cum primo a Cardinale Tridentino, & deinde a Mendoza intellexiſſet, Concilii ſpem exiguam eſſe, aut ſane longiorem moram interponi; qui conditiones pacis a Principibus pleriſque, & Civitatibus devictia expreſſerat, nt Tridentinia Patribus negotium Religionis permitterent, ea ſpe modo ſublata, in Comitiis, quæ Auguſtæ anno MDXLVIII. celebrabantur, Ordinibua Imperii propoſuit, neceſſe ſibi videri, ut donec Concilium inſtauraretur, ac finiretur, ratio quædam inveſtigaretur, quæ ad Germaniæ pacem conferret; ad idque deligerentur ab Ordinibus Viri aliquot docti, & concordiæ ſtudio, qui ei rei operam darent, quibus & ipſe alios additurus eſſet. Delectis igitur nonnullia, cum inter illos non conveniret, res tota Imperatoris arbitrio permiſſa eſt, qui, ut ad annum MDXLVIII. narrat Surius, eam commiſit Julio Pflugio Epiſcopo Naumburgico, Michaeli Heldiago Epiſcopo Sidonio, Archiepiſcopi Moguntini Suffraganeo, poſta Epiſcopo Merſburgenſi, ac Joanni Agricolæ Islebio, qui licet primum pro Saxonica Proteſtantium confeſſione una cum Melancthone, & Breutio ſtetiſſet, poſtremo tamen ad Catholicos redierat. Ab his ergo Liber ſcriptua eſt, qui vocato Argentina per Electorem Brandeburgicum Bucero, oblatus ei, ut ſubſcriberet, repudiatus eſt ab illo, eo quod Pontificiam doctrinam in eo conſtitui diceret; unde graviter increpitus, clam non abſque diſcrimine domum revertit. Complectebatur autem Liber Capita XXVI. de præcipuis Chriſtianæ Religionis dogmatibus; de Sacramentis, & Œconomia, ac Cæremoniis Eccleſiæ; eique Libro datus eſt Titulus *INTERIM*, ex eo quod præſcriberet formulam doctrinæ, & Cæremoniarum in Germania interim tenendam, dum de univerſa Religione in Concilio Univerſali eſſet definitum, quem & propterea nonnulli haud incongrue *INTER RELIGIONEM* nuncuparent, alii etiam propins ad rem, & nomen, *INTERITUM*, quod animas illud interim recipientium interimeret.

XCII. Teſte Surio, in Libro, quem diximus juſſu Cæſaris conſcriptum, *inter cetera pacis tuendæ cauſa permittebatur, ut qui apud Proteſtantes ex Sacerdotum ordine uxores duxiſſent, uſque ad Concilii determinationem non cogerentur eas relinquere; itemque qui utramque ſpeciem Eucharistiæ hactenus ſumſiſſent, non compellerentur Calice carere. Hæc duo,* ſubdit Surius, *multos Catholicos offenderunt, quod non poſſet Cæſar tale aliquid ſtatuere.* Certe, ut alii referunt, cum diu multumque jactatus privatim Liber iſte fuiſſet Auguſtæ, miſſus quoque Romam ad Pontificem, ab eo univerſim quidem improbatus, quod temere, ſe inſcio, rea peracta fuiſſet; ne tamen Imperatorem irritatiorem redderet, levi manu cenſuram applicans, duobus potiſſimum capitibus inſtitit, quæ per Cardinalem Sfondratum, qui a comitatu Caroli non abſceſſerat, poſtquam fuerat ad eum legatus pro gratulatione victoriæ Germanicæ, Carolo ipſi ſignificari curavit, nempe de conceſſa Presbyteris jam ordinatis Conjugii facultate, & populo Communionis Euchariſticæ ſub utraque ſpecie: pri-

Digitized by Google

primum eſſe omni ævo inauditum; alterum jam pridem in Eccleſia abrogatum, nullo modo Catholicis, Proteſtantibus, aut qui ad Eccleſiam redirent, indulgeri poſſe; verum indulgendi poteſtatem ſoli Romano Pontifici competere. Porro Decretum illud, ſive *INTERIM*, non ſolum Pontifici, ac toti Eccleſiæ, verum etiam ipſis Proteſtantibus exoſum, atque inviſum fuit; neque minus Catholici, quam hæretici ſimul adverſus hoc *INTERIM* ſcripſerunt. Saxo Elector etiam in captivitate conſtitutus acceptare illud negavit, & Magdeburgenſes tali contumelia Libellum ipſum affecerunt, ut Cæſar Civitatem obſidione cingere coactus fuerit, quæ per triennium bellici incendii ignem nutrivit, & ſuo tempore in ingentes flammas erupit.

XCIII. His adde, quod & Catholici Scriptores notarunt, Decretum illud Imperatoris, ipſi, qui alias, ut par eſt credere, ad temperamentum illud deſcendit, ingentem conflaſſe invidiam, adeo ut plerique Carolum ipſum Zenoni, Heraclio, & Conſtanti nepoti Heraclii Imperatoribus aſſociantes, ejus quoque *INTERIM*, eorundem *HENOTICO*, *ECTESI*, & *TYPO*, infauſtis Edictis, jam olim vano prætextu ſedandarum in Religione diviſionum, in grandem nihilominus Eccleſiæ perturbationem promulgatis, ut Tomo I. & II. Conciliorum oſtenſum a nobis fuit, adnumerarent; mirarenturque, Principem tanta prudentia præditum, unius victoriæ ſucceſſu ſic potuiſſe efferri, ut ſe omnium rerum tam ſacrarum, quam profanarum per fas & nefas arbitrum continuo conſtitueret. Denique ſunt, qui & obſervarunt, ab ejus Decreti promulgatione nihil amplius ei rerum ſuſceptarum ſucceſſiſſe. Fuit poſtremo Liber Scriptis utriuſque partis tam Catholicorum, quam hæreticorum impugnatus, interque alios Catholicos Robertus Cenalis Epiſcopus Abrincenſis in Normannia Galliæ Theologus Pariſienſis, Vir apprime doctus *Antidotum* mox publicavit *ad propoſita*, ut habet inſcriptio, *per interim, non tam per modum, quam præter omnem Religionis modum oblata*, univerſim quidem totum opus exagitans, quod ſæpius mutatum, atque refectum queritur, & ab ejus impia doctrina ſibi cavere monens; ſpeciatim vero duo illa Capita de conjugio Sacerdotum, & Communione plebis ſub utraque ſpecie præcipue refellens. Fuerunt & alii Catholici, & hæretici, qui librum ipſum confutarunt, quos ad annum MDXLVIII. Num. VIII. recenſet Spondanus.

*Concilii Tridentini inſtauratio.*

XCIV. Obiit tandem Paulus III. die decima menſis Novembris anni MDXLIX. ſenectute, & publicis, & domeſticis curis afflictus, ejuſque loco Cardinalis de Monte die ſeptima Februarii anni MDL. univerſalis Eccleſiæ regimini præfectus eſt, ac Julius III. Pontifex Maximus appellatus. Cæſar, qui eo tempore in inferiori Germania morabatur, ut ibi patrimoniales Provincias in Catholica veritate firmandas curaret, Julii III. aſſumtione audita, Aloyſium de Avila ad gratulandum miſit, ſimulque petendum, ut Concilium revocaret Tridentum; quod ille & cum Cardinali Paceco, & aliis miniſtris efficaciter egit. Pontifex pro rei gravitate aliquantulum immoratus, tandem magis magiſque Cæſaris nomine Illis inſtantibus, Congregationem inſtituit ex Cardinalibus, aliiſque Præſulibus, quibus rem omnem commiſit. Ergo Congregatio rebus per ordinem conſideratis, reſpondit, Tridentinum Concilium reſtituendum, tum quia ita in Conclavi ante illius aſſumtionem juratum ab eo fuerat, tum etiam quia nec Bononiæ cum aliqua Eccleſiæ utilitate celebrari poterat, Cæſare, aliiſque Germaniæ Eccleſiaſticis contradicentibus, nec ſine ſcandalo jam inchoatum omitti. Verum circa Concilii celebrationem prius perpendenda proponebantur hæc quatuor. I. *Ut negotium communicetur cum Galliæ Rege, qui ob ſimultates cum Cæſare, non ſine aliqua difficultate ſuarum Provinciarum Epiſcopos ad Concilium mitteret, cum Tridentum ſit Civitas Romano Imperio obediens.* Dubitabatur præterea, ne in ipſis de Reformatione Decretis aliquid Eccleſiæ Gallicanæ contrarium ſtatueretur. II. *Quid agendum cum Epiſcopis pauperibus diu otioſe, ut antea evenerat, in Concilio morantibus?* III. *Quid dicendum de Decretis jam factis*; etenim inconveniens videbatur denuo illa in examen vocare. IV. *Quid ſi Patres in Concilio Baſileenſium audaciam imitarentur, maxime ſi Principum commoda, & multorum ambitio cum hæreticorum perfidia conjungerentur.*

XCV. Ad hæc Cardinalis Creſcentius primus omnium dixit, *non ob id Concilium prætermittendum, cum neceſſarium omnino ſit perficere, quod ſemel fuit inceptum; ceterum quoad tria prima non eſſe difficile providere; quoad ultimum id ſignificandum Cæſari, & ubi humanæ vires non valerent, cauſam Deo relinquendam.* His ita conſtitutis, Pontifex miſit Epiſcopum Sipontinum ad Cæſarem, & Tolonenſem ad Galliæ Regem, ut ambos de Concilio Tridentino edocerent. Cæſar lætus Nuncium audivit, qui in mandatis habebat, ut quatuor illa jam dicta capita Cæſari proponeret. Is autem ad primum reſpondit, *ſe pro Gallicorum Epiſcoporum ſecuritate quocunque fidem publicam promiſſurum.* Ad ſecundum dixit, *omnia parata eſſe, Epiſcopos nunquam otioſe commoraturos.* Ad tertium, *de hoc Patres in Concilio conſultaturos.* Ad ultimum, *omnem ſuam auctoritatem, & vires pro Sedis Apoſtolicæ dignitate ſe polliceri, atque operam daturum, nequid inſolens in Concilio agatur.* Porro Cæſar in Conventu Auguſtano rem propoſuit, quæ ſicut Catholicis gratiſſima, ita Proteſtantibus odioſa; dicebant enim, *ſe illi Concilio obtemperaturos, in quo Pontifex neque per ſeipſum, neque per ſuos præſideret, imo & ſe illi ſubmitteret, & Epiſcopos jurejurando abſolveret; in quo etiam Auguſtanæ confeſſionis Miniſtri votum definitivum haberent cum fide publica de non accipienda injuria.* His auditis Pontifex per Nuntii Litteras, licet moleſte ea ferret, quæ in tertio Capite ſuſpenſa relinquebantur, tamen reaſſumtionis Bullam edidit XVIII. Kalendas menſis Decembris anno Chriſti MDL. Pontificatus ſui anno I.

XCVI. Fuit Bulla hæc ad Cæſarem miſſa in Auguſtæ Conventum; ſed illi tamen, qui Romæ Cæſaris partes agebant, ut conſuetum eſt Miniſtris ultra Dominorum ſuorum mentem ſatagere, dixerunt, *Bullam iſtam nimis imperioſam eſſe, cum deceret calamitoſis hiſce temporibus, mitioribus dicendi formulis uti, quibus Proteſtantes ad Concilium invitarentur.* Orator Cæſareus Pontificem alloquutus, nihil profecit; perſtitit enim ille in ſua ſententia, nec jota unum

ex Bulla amovendum voluit; quam etiam typis datam ad Metropolitanos miſit, ut & ipſi illius exempla ad Suffraganeos mitterent, ne ignorantia excuſarentur, quominus ad Concilium properarent. Sane Cæſar, ut Proteſtantium animos leniret, in ipſo Conventu Auguſtano dixit, *Bullam iſtam ad omnes Chriſtianas Nationes pertinere, ſuper quas Pontifex habet imperium; verum non ob id Proteſtantes a Concilio alienos eſſe debere*. Quare in ipſius Conventus receſſu concluſum eſt, ut omnes Proteſtantes ad Concilium irent, ibique libere ſuam cauſam agerent. Elegit Pontifex, ut Concilio ejus nomine præſiderent, Cardinalem Creſcentium Legatum, & duos Nuntios, Sebaſtianum Pighium Archiepiſcopum Sipontinum, atque Aloyſium Lippomanum Veronenſem Epiſcopum, quos ſtatim ad iter faciendum Tridentum verſus paratos eſſe voluit. Verum orto diſſidio inter Cæſarem, & Galliæ Regem, & Octavius Farneſius, qui Parmam habebat Eccleſiæ nomine a Romano Pontifice, timens, ne a Cæſare inde expelleretur, qui Civitatem illam, ut Mediolanenſi Ducatui adhærentem habere vellet, Galliæ Regi ſe adjunxit. Sed Cæſare inſtante Pontifex Octavium in judicium vocavit, eo quod in Eccleſiaſticum Feudum extraneos induxerit. Hac de re Galliæ Rex queſtus eſt cum Pontifice, ſuiſque præcepit Epiſcopis, etiam illis, qui Romæ erant, ut ad ſuas Eccleſias in Galliam redirent, ibique ad Nationale Concilium ſe præpararent. Factæ ſunt hinc inde Legationes, quæ cum nihil proficerent, facta eſt a Galliæ Rege per ſuum Oratorem Romæ adverſus Tridentinum Concilium Proteſtatio. Sperabat ſiquidem Rex, ne Concilium Generale Tridentinum impediretur, Pontificem omnia ad ſua vota facturum.

S E S S I O XI.

XCVII. His tamen minime obſtantibus, inceptum eſt Concilium Kalendis Maji anni MDLI. cum jam antea Legatus, & Nuntii perveniſſent Tridentum. Celebrata eſt igitur Seſſio Undecima, Sacroque peracto ab Archiepiſcopo Turritano, & Pontificis Diplomate convocationis a Maſſarello Secretario Concilii lecto, Decretum de reſumtione Concilii promulgatum eſt; & quod pauci adhuc conveniſſent Antiſtites, ingrueretque Bellum Parmenſe, proxima futura Seſſio indicta eſt ad Kalendas Septembris. Interim Mauritius Saxoniæ Elector, & Chriſtophorus Wittembergenſis Dux, ut Cæſari morem gererent, pſeudodoctores convocant, ac monent, ut ea colligant, quæ in Concilio proponenda eſſent. Scripſit quoque Saxo ad Cæſarem, ut obtineret a Concilio fidem publicam, ſeu ſalvumconductum pro accedentium ſecuritate. Miſit Cæſar ad Concilium ſuos Oratores Hugonem Comitem a Montfort, Franciſcum Toletum, & Gulielmum Campaniæ Archidiaconum, primum pro Germania, alterum pro Hiſpania, tertium pro aliis Regnis, & Principatibus. Interim quoque ad Concilium venerunt hinc inde varii Præſules, & quidem ex Germania tres Eccleſiaſtici Electores, & alii quinque inſignes Epiſcopi, ſicut & de aliis Regnis alii venerunt Epiſcopi, ſed diverſis temporibus.

S E S S I O XII.

XCVIII. Cum veniſſet præfinitus dies Kalendarum Septembris, celebrata eſt Tridenti Seſſio Duodecima, eademque ſecunda ſub Julio Papa III. cui interfuerunt Archiepiſcopi Electores Moguntinus, Trevirenſis (Colonienſis nondum advenerat, qui paulo poſt acceſſit) cum aliis nonnullis Epiſcopis Germanis, quos Imperator adeſſe ſolicitaverat, ipſeque ſuos Oratores, ſicuti & frater ejus Ferdinandus miſerat; cum alioqui præter aliquos Hiſpanos, quos æque Imperator ex Hiſpania evocaverat, & illos, qui Tridenti ſubſtiterant, aut per Italiam verſabantur e ditionibus ejus, pauci adeſſent Epiſcopi ex ipſa quoque Italia, nedum ex aliis Regionibus. Poſt conſueta porro Solemnia, & Orationem exhortatoriam Præſidum, lectum eſt Decretum, quo Synodus de Electorum adventu exultans, *firmamque ſpem concipiens, quamplurimos alios tam ipſius Germaniæ, quam aliarum Nationum Prælatos, & ſui officii debito, & hoc exemplo commotos propediem eſſe venturos, futuram Seſſionem ad quadrageſimam diem, quæ erit undecima menſis Octobris proxime ſequentis, indicit; & Concilium ipſum in ſtatu, in quo reperitur, proſequendo, cum in præteritis Seſſionibus de ſeptem Sacramentis Novæ Legis in genere, & in ſpecie de Baptiſmate, & Confirmatione definitum fuerit, ſtatuit, & decernit, de Sanctiſſimo Eucbariſtiæ Sacramento, necnon quod ad Reformationem attinet, de reliquis, quæ ad faciliorem, & commodiorem Prælatorum Reſidentiam pertinent, agi, & tractari debere; ac monet, & hortatur omnes Patres, ut interim Domini Noſtri Jeſu Chriſti exemplo, quantum tamen humana fragilitas patietur, jejuniis, & orationibus vacent; ut tandem placatus, qui in ſecula ſit benedictus, Deus, corda hominum ad veræ ſuæ Fidei agnitionem, & Sanctæ Matris Eccleſiæ unitatem, ac recte vivendi normam reducere dignetur*. Ita Decretum Seſſionis XII.

XCIX. His peractis, ex improviſo comparuit Jacobus Amiotus Belloſanius Abbas, qui proteſtationem adverſus Concilium, & Regis Galliæ Litteras Patribus exhibuit, quarum hæc erat inſcriptio: *Sanctiſſimis in Chriſto Patribus Conventus Tridentini*. Ubi tunc per Secretarium Concilii lecta fuit ſuperſcriptio, conclamavere Hiſpani Epiſcopi ſtupendo zelo, non eſſe eas Litteras recipiendas, quod non Concilium, ſed Conventum ſuperſcriptio ipſa haberet. Poſt multum rumorem Legatus & Nuntii ſeorſim cum Cæſaris Oratoribus conſultatione inita ſtatuerunt, Litteras accipiendas, ſed cum prævia proteſtatione, ajentes, *Cum nomen Conventus ſit univerſale, & hoc tempore fere æquivocum, ſi nomen hoc ſignificet, quod Epiſcoporum unio non ſit legitimum, & verum Concilium, Litteras illas, ut illis non directas, non accipi a Patribus*. Litterarum verba ſatis erant mellita, quibus lectis, Abbas proteſtationem ſuam in ſcriptis recitavit. Reſponſum eſt a Legato laudando Regis modeſtiam, ipſum Abbatem non recipi, niſi quatenus legitime agat, ipſique indici, ut die XI. Octobris in eodem loco ad audiendam reſponſionem accedat.

C. Porro Galliæ Rex Henricus II. poſt ejuſmodi proteſtationem cum vidiſſet Pontificem nec rationibus, nec comminationibus flecti, ſcripto publico, VII. Idus Septembris edito de injuria ſibi ab illo facta, deque cauſa belli Parmenſis multa eloquutus, graviſſimis conſtitutis pœnis, edixit, ne qua pecunia ob ullam cauſam deinceps Romam, aut ad alium quemvis in locum, ubi Romanus Pontifex poteſtatem obtineret, ex Regno

Gal-

Galliæ, & Ditionibus ſuis deferretur. Cum enim rerum omnium, ac præcipue belli nervus in pecunia conſiſtat, immanis futurum hoc dementiæ, ſi ſuis, ſuorumque viribus hoſtium vires ſuſtentaret. Qui paucis ante diebus, ne ex hoc cum Pontifice diſſidio Novatoribus Religionis animus ad ſeditiones augeretur, tum ne apud populum Catholicum ſiniſtra de ipſius Fide opinio vulgaretur, ſimulque ut aditum ad conciliationem Pontificí aperiret, IV. Nonas ejuſdem menſis Edictum longe graviſſimum quadraginta ſex Capitula continens, jamque ante V. Kalendas Julii apud Caſtrobriandum in Armorica compoſitum, Pariſiis promulgari juſſit contra hæreſim, & de ea ſuſpectos; quo ſuperiorum annorum ejus generis Decreta partim confirmavit, partim, ubi non ſatis explicata videbantur, exacuit, præmis etiam magna delatoribus pollicens. Atque hæc inter alios narrant Surius, Spondanus, & Rainaldus ad annum MDLI.

S E S S I O XIII.

CI. Adveniente die XI. Octobris celebrata fuit Seſſio Decimatertia, eademque III. ſub Julio Papa III. cui una cum Legatis Apoſtolicis, & Cardinale Tridentino, ac tribus Electoribus Archiepiſcopis, interfuerunt alii ſex Archiepiſcopi, triginta quatuor Epiſcopi præter duos Legatos Ferdinandi Regis item Epiſcopos, tres Abbates, unus Generalis. Poſt celebratam Miſſam ab Epiſcopo Majoricenſi, & longam Orationem ab Archiepiſcopo Turitano habitam, aliaque peracta Solemnia, ſicut deſignatum fuerat, poſt varias in Congregationibus factas interim conſultationes, atque diſputationes pro Decreti promulgandi ſoliditate, lectum illud eſt ab eodem Epiſcopo Majoricenſi, quo quidem omnibus Chriſtifidelibus interdictum eſt, *ne poſt hac de Sanctiſſima Eucharistia aliter credere, docere, aut prædicare audeant, quam ut eſt hoc præſenti Decreto explicatum, atque definitum*. Fuit ea doctrina ad octo Capita reducta, videlicet, I. *De reali præſentia Domini noſtri Jeſu Chriſti in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento*. II. *De ratione inſtitutionis Sanctiſſimi hujus Sacramenti*. III. *De excellentia Sanctiſſimæ Euchariſtiæ ſuper reliqua Sacramenta*. IV. *De Tranſubſtantiatione*. V. *De cultu & veneratione huic Sanctiſſimo Sacramento exhibenda*. VI. *De aſſervando Sacræ Euchariſtiæ Sacramento, & ad infirmos deferendo*. VII. *De præparatione adhibenda, ut digne quis Sacram Euchariſtiam percipiat*. VIII. *De uſu admirabilis hujus Sacramenti*. Adjectique ſunt undecim Anathematiſmi contra negantes doctrinam prædictis Capitibus comprehenſam.

CII. Lectum deinde fuit Decretum de Reformatione comprehenſum & ipſum octo Capitibus, quorum primo cautum fuit, ut Epiſcopi prudenter moribus caſte informandis invigilent, ab eorumque correctione non appelletur. II. in criminalibus appellatio ab Epiſcopo quando Metropolitano, aut uni ex vicinioribus committenda? III. ut Acta primæ inſtantiæ intra triginta dies dentur gratis Reo appellanti. IV. qua ratione Clerici ob gravia delicta Sacris exauctorandi? V. ut ſummarie cognoſcat Epiſcopus de gratiis, quibus peccatum remittitur, aut pœna. VI. ut non citetur perſonaliter Epiſcopus, niſi depoſitionis, aut privationis cauſa. VII. qui teſtes contra Epiſcopum non admittendi. VIII. ut graves Epiſcoporum cauſæ a Pontifice Maximo cognoſcantur. Ceterum cum in Congregationibus Seſſionem hanc XIII. præcedentibus diſputatum quoque fuiſſet de uſu Calicis pro laicis, de puerorum Communione, & de utroque denegando deliberaretur, monente Comite Monfortio Oratore Cæſareo, abjiciendam plane ſpem omnem conciliandorum Proteſtantium, ſi ſemel intelligerent uſum Calicis, quem tantopere urgerent, contra ſuam ſententiam deciſum: indultum eſt, ut in eorum adventum differretur utriuſque Quæſtionis tractatio, itemque Sacrificii Miſſæ, de quo gravis, & multiplex erat controverſia: Decreto inde facto prorogationis Definitionis quatuor Articulorum de Sacramento Euchariſtiæ ad ſecundam poſt hanc futuram Seſſionem habendam die XXV. Januarii anni ſequentis. Atque interim alia indicta eſt Seſſio in diem XXV. Novembris Feſtum S. Catharinæ Virginis & Martyris pro deciſione doctrinæ, *De Pœnitentiæ, & extremæ Unctionis Sacramentis*.

CIII. Dataque eſt alio Decreto in eadem Seſſione XIII. edito fides publica, ſeu, ut vocant ſalvuſconductus in gratiam Germanorum, quo *omnibus & ſingulis ſive Eccleſiaſticis, ſive ſæcularibus perſonis univerſæ Germaniæ cujuſcumque gradus, ſtatus, conditionis, qualitatis ſint, quæ ad Oecumenicum hoc & Generale Concilium accedere voluerint, ut de iis rebus, quæ in ipſa Synodo tractari debent, omni libertate conferre, proponere, & tractare, ac ad ipſum Oecumenicum Concilium libere, & tuto venire, & commorari, ac articulos, quos illis videbitur, tam ſcripto, quam verbo, offerre, proponere, & cum Patribus, ſive iis, qui ab ipſa Sancta Synodo delecti fuerint, conferre, & abſque ullis conviciis, & contumeliis diſputare, necnon, quando illis placuerit, recedere poſſint, & valeant, publicam fidem, & plenam ſecuritatem, quam ſalvumconductum appellant, cum omnibus, & ſingulis clauſulis, & decretis neceſſariis, & opportunis, etiamſi ſpecialiter, & non per verba generalia exprimi deberent, quæ pro expreſſis haberi voluit, quantum ad ipſam Sanctam Synodum ſpectat, concedit*. Placuit præterea Tridentinis Patribus in eo Decreto ſalviconductus Proteſtantibus dati ſtatuere, *ut ſi pro majori libertate, ac ſecuritate eorum, certos tam pro commiſſis, quam pro committendis per eos delictis, Judices deputari cupiant, illos ſibi benevolos nominent, etiamſi delicta ipſa quantumcumque enormia, ac hæreſim ſapientia fuerint*. Nonnulla de ſalvoconductu hæreticis dato jam nos diximus ſupra in Hiſtoria Concilii Conſtantienſis.

CIV. Ut finem tandem Seſſioni XIII. faciam, de Amioto illo Belloſanio Abbate, qui Regis Galliæ nomine proteſtationem attulerat, quod aſſignatus eidem fuiſſet, ut notavimus ſupra, dies hujus Seſſionis XIII. ad audiendum reſponſum ad Litteras, & proteſtationem Regis, viſum Patribus fuit, ut per Præconem publicum ad Templi fores conclamaretur, num quiſpiam Regis Chriſtianiſſimi nomine adeſſet, qui Synodi reſponſum audiret; nemineque comparente, publicatum reſponſum nihilominus fuit, quo Patres declararunt, Concilium non privatæ alicujus auctoritatis haberi, ſicut Rex objiciebat, ſed ad extirpandas hæreſes, diſciplinamque emendandam: orare igitur Regem, ut permitteret ſuæ ditionis Epiſcopos hoc tam ſanctum opus

opus adjuvare: quamquam vero neminem mitteret, Concilio nihiloſecius ſuam conſtitutam dignitatem, & auctoritatem, quod & legitime eſſet indictum, & juſtis de cauſis reſtitutum: quod autem proteſtatus eſſet, uſurum ſe remediis, quæ Majores ſui adhibere conſueviſſent, ſperare Synodum, quæ maximo Regni Galliarum emolumento jam abrogata eſſent, ea nunquam Ipſum revocaturum; ſed cum tantis eſſet a Deo ornatus, & auctus beneficiis, nihil eſſe facturum, quo vel in Deum, vel in Eccleſiam videretur eſſe ingratus: reſpiceret ſolum ad Majores, ad ſuum Chriſtianiſſimi Nomen, ad parentem denique Franciſcum I. qui Synodum miſſis Epiſcopis, & Legatis Viris doctiſſimis cohoneſtaſſet; ejuſque exemplo privatas publicæ rei condonaret. Refert integram Concilii reſponſionem Pontanus Lib. v. *Rerum memorabilium*; & poſt eum Spondanus, Rainaldus, aliique ad annum MDLI. & In Hiſtoria Tridentini Concilii Pallavicinus.

SESSIO XIV.

CV. Die xxv. Novembris celebrata eſt ab iiſdem, qui in præcedenti fuerant, Decimaquarta Seſſio, quarta vero ſub Julio III. in eaque promulgata eſt doctrina de ſanctiſſimis Pœnitentiæ, & extremæ Unctionis Sacramentis, quorum primum novem Capitibus, alterum vero tribus explicatum eſt: Quod doctrinam Sacramenti Pœnitentiæ ſpectat, Caput I. eſt, De neceſſitate, & inſtitutione illius. II. De differentia Sacramenti Pœnitentiæ, & Baptiſmi. III. De partibus, & fructu hujus Sacramenti. IV. De Contritione. V. De Confeſſione. VI. De Miniſtro hujus Sacramenti, & Abſolutione. VII. De caſuum reſervatione. VIII. De ſatisfactionis neceſſitate, & fructu. IX. De operibus ſatisfactionis. Quantum ad doctrinam Sacramenti extremæ Unctionis, Caput I. eſt, De inſtitutione ipſius. II. De effectu. III. De Miniſtro hujus Sacramenti, & tempore, quo dari debeat. Additique adverſus eos, qui hanc doctrinam impugnarent, aut contrariam inducerent, Anathematiſmi xv. De Pœnitentia, & demum IV. De extrema Unctione.

CVI. In eadem hac Seſſione editum eſt deinde Decretum de Reformatione, in cujus proœmio ajunt Patres, Epiſcoporum munus eſſe, ſubditos præſertim ad animarum curam conſtitutos admonere officii ſui. Sequuntur mox tredecim Capita, quorum primo mandat Synodus, ut ſi prohibiti aſcendere ad Ordines, aſcendant, ſi interdicti, ſi ſuſpenſi, puniantur. II. ut ſi Epiſcopus quoſcumque Ordines contulerit ſibi non ſubdito, etiam familiari, ſine expreſſo proprii Prælati conſenſu, Ordinans *ab exercitio Pontificalium per annum, taliter vera promoti ab executione Ordinum ſic ſuſceptorum, donec ſuo Prælato viſum fuerit, ipſo jure ſint ſuſpenſi*; III. ut Epiſcopus ſuos Clericos ab alio male promotos non admittat ad Officia celebranda, niſi prævio examine. IV. ut nullus Clericus eximatur a correctione Epiſcopi etiam extra viſitationem. V. quibus finibus Conſervatorum juriſdictio concluſa. VI. quæ pœna decreta in Clericos, qui in Sacris conſtituti, aut Beneficia poſſidentes, decenti ſui Ordinis veſte non utuntur. VII. ut voluntarii homicidæ nunquam ordinentur, quomodo vero caſuales ordinandi. VIII. ut nullus alienos Clericos ex privilegio punire valeat. IX. ut Beneficia unius Diœceſis nullo prætextu uniantur Beneficiis alterius. X. ut Regularia Beneficia Regularibus conferantur. XI. ut tranſlati ad alium Ordinem, in clauſtro ſub obedientia maneant, & Beneficiorum ſecularium incapaces exiſtant. XII. ut nemo niſi ex fundatione, vel dotatione juſpatronatus obtineat. XIII. ut præſentatio fiat Ordinario, alias inſtitutio ſit nulla. Denique Capite XIV. declaravit Synodus, *in futura Seſſione, quam ad xxv. diem Januarii ſubſequentis anni MDLII. habendam eſſe jam decrevit, una cum Sacrificio Miſſæ agendum, & tractandum etiam eſſe de Sacramento Ordinis, & proſequendam eſſe materiam Reformationis*.

CVII. Celebrata jam Seſſione Decimaquarta, de qua hactenus dictum eſt, poſt aliquot dies reſcripſit Dux Wittembergenſis ad ſuos, ut quocumque meliori modo poſſent, ultra procederent. Wittembergenſes hoc accepto reſponſo, abſente Comite de Montſort, egerunt cum Cardinale Tridentino, ut eorum petitiones proponantur Legato. At Legatus, qui a Pontifice Mandatum acceperat, ut pro rerum conditione prudenter ſe gereret, nec res jam deciſas iterum in examen vocari permitteret, reſpondit, *neque hæreticorum doctrinam audiendam, neque diſputationes interponendas: ipſorum doctrinam jam ex eorum ſcriptis erui, & in dies ad examinandum proponi: diſputationes cum hæreticis in infinitum protrahi perículoſa contentione, & tumultus ſalvumconductum jam datum, & indignum eſſe illum innovare*. Venerunt poſtea Oratores Argentini, aliarumque Civitatum idem petentes, qui eadem de cauſa inauditi diſceſſum parabant, ſed hortante Comite de Montfort, expectaverunt Oratores Saxones, qui die XVII. Januarii anni MDLII. acceſſerunt Tridentum. Iſti ſui Principis Mandato ſe veniſſe dixerunt pro pace, & quiete Religionis; & a Cæſare humaniter accepti, Tridentinum Cardinalem alloquuti ſunt, ſed Cardinalem Legatum adire noluerunt. Quia vero Legatus, & Nuntii petitionibus illorum adverſabantur, & omnia debito ordine fieri volebant, ſcriptum eſt ad Cæſarem, qui tunc temporis Oeniponti erat, quæ Civitas triduo a Tridento abeſt. Reſcripſit Cæſar ſuis Oratoribus, & Cardinali Tridentino, ut obnixe agerent, quo Saxones, & reliqui aliquid ex ſuis petitionibus obtinerent.

CVIII. Sed quoniam inter Legatum, & Proteſtantes maxima erat diſtantia, ille enim neque alium ſalvumconductum concedere volebat, neque illos audire, niſi prius illum, & Nuntios, ut Romani Pontificis nomine Præſides Concilii venerarentur, quod iſti facere recuſabant, imo & alia in oppoſitum inſolentiſſima petebant, Cæſareis Miniſtris pro rebus juxta eorum vota obtinendis artificio viſum eſt uti. Acceſſerunt ergo ad Legatum petentes obnixe, ut alius ſalvuſconductus concedatur juxta illum, qui in Baſileenſi Concilio conceſſus fuit Bohemis. Hoc autem quamvis ſumma cum difficultate, tandem tamen obtentum eſt; conceſſoque ſalvoconductu, poſtularunt, ut Proteſtantes in Concilio audirentur, ſicut & Brandeburgenſes, qui id jam obtinuerant. Cum vero ipſi Legatum prius adire nollent, viſum eſt expediens, ut ipſi non in Seſſione, ſed in generali Congregatione ad audientiam veniant. Cum enim Congregatio fieret in Domo Legati, utriſque hac ratione ſatiſ-

fieri

Digitized by Google

fieri videbatur. Petierunt poſthæc Seſſionis dilationem circa Dogmatum definitionem uſque ad adventum Miniſtrorum Proteſtantium. Quo audito, & cognita eorum fraude, Legatus ad omnia diſſentiebat; illi vero teſtati ſunt, ſe nihil ultra poſtulaturos. Sed cum hæc determinari ſine Patrum conſenſu non poſſent, facta eſt de his rebus generalis Congregatio, in qua licet magna cum difficultate, & diſcrepantia, conceſſa tamen a Patribus fuerunt, non ſine proteſtatione juxta conſultationem Petri Tagliaviæ Archiepiſcopi Panormitani.

CIX. Concluſum eſt itaque ut die xxiv. Januarii anni MDLII. in generali Congregatione Proteſtantes excipiantur, & ſequenti die haberetur Seſſio, in qua fieret prorogationis Decretum, & ſalvuſconductus legeretur; & electi ſunt aliqui ex Patribus, a quibus ſimul cum Nuntio Sipontino iſta componerentur. Brevi peracta hæc ſunt, & ſalviconductus formula Cæſareis Oratoribus tradita, quam ipſi Proteſtantibus oſtendentes, eos de omnibus actia edocuerunt. Erat inter eos quidam cognomento Picta, qui ſucato, atque audaci dicendi genere ſeorſim a Cæſareis alloquutus eſt ſuos, & Patrum benignitatem, atque libertatem extollens, dixit, *ſatis eſſe conceſſum, grato & prompto animo eorum beneficiis reſpondendum: pro nunc nihil ultra petendum: reliqua poſt ſuorum Doctorum adventum agenda*. Sed hæc & majora quæ a Picta Cæſareorum nomine addebantur, jam parum profuerunt; nam Proteſtantes circa ſalviconductus formulam indignati ſunt cum Cæſareis, aſſerentes, eam non eſſe juxta Concilii Baſileenſis formam, ut petebatur; ſiquidem quamplurima atque inſolentiſſima volebant in eo addi. Sed Præſides, ac Patres nihil ultra immutandum dixerunt, Cæſareuſque Orator Toletus adverſus Proteſtantes iratus, dixit, *ſalvumconductum pro eorum ſecuritate fieri, non autem ut per illum leges imponantur Concilio, ſicut ipſi petebant, quæ nec in Baſileenſi inveniuntur*.

CX. Rebus ita indeterminatis die xxiv. Januarii Legatus brevibus, & gravibus verbis dixit ad Patres, *illa die agenda eſſe quæ maxime ad univerſalem Eccleſiam ſpectant, ob id rogandum Deum, ut ſuis Fidelibus faveat*; & invocato Spiritus Sancti auxilio lecta eſt Proteſtatio. Deinde introducti ſunt Saxones, quorum unus Patrum conſeſſum veneratus dixit, quæ in Mandatis habebat, *de ſalvoconductu juxta Baſileenſium formam, de prorogatione Seſſionis, de examinandis denuo dogmatibus jam determinatis, ne Pontifex in Concilio præſideat, imo potius ſe illi ſubmittat, & Epiſcopos jurejurando abſolvat*. His dictis, rerum ſeriem, quam in ſcriptis habebat, obtulit Patribus, qua accepta per Secretarium, reſponſum eſt a Promotore nomine Concilii, *Patres omnia inſpecturos, & ſuo tempore reſponſuros*. Introducti ſunt poſtea Wittembergenſes, & alii. Dixerunt illi, *ſe afferre ſuam confeſſionem, ad eam explicandam, & probandam, eorum Doctores venturos. Cum ſit diſſentio inter ipſos, & Pontificem, & ejus Sectatores, par eſſe, ut Concilium inſtituatur hoc modo: ſit ex una parte Pontifex cum ſuis, & ex altera ipſi cum ſuis Doctoribus: eligantur Judices: diſputetur hinc inde, & quicquid ſtatutur per Judices, fiat*; & obtulerunt ſuam confeſſionem, quam Secretarius Concilii accepit.

## S E S S I O XV.

CXI. Auditis igitur in generali Congregatione die xxvi. Januarii anni MDLII. habita Legatis Saxonibus, Wittembergenſibus, atque Argentinenſibus ſecundum ſuperiora poſtulata, poſtridie, videlicet die xxv. Januarii celebrata eſt Seſſio decimaquinta, quæ fuit v. ſub Julio III. cui interfuerunt iidem, qui in præcedenti, atque inſuper novem alii, ac rem divinam fecit Epiſcopus Catanenſis, Orationem habuit Majoracenſis Epiſcopus. Lectum eſt Decretum, quo poſtulatione eorum, qui ſe Proteſtantes vocabant, qui brevi affuturi ſperabantur, Synodus publicationem articulorum, quæ ex Decreto Seſſionis præcedentia in hac fieri Seſſione debuerat, *in diem Feſtum S. Joſeph xix. menſis Martii diſtulit, ut ſatis illi temporis, & ſpatii habeant non ſolum ad veniendum, verum etiam ad ea, quæ voluerint, antequam is dies veniat, proponenda; quibus ut omnem cunctandi diutius cauſam adimat, Fidem publicam, ſive ſalvumconductum*, priore longe ampliorem, ut in ipſa Seſſione Concilii videre eſt, *libenter dat, & concedit*. Statuit præterea Synodus, in eadem futura Seſſione, nempe decima ſexta, præter ſuperiorum Decretorum publicationem definiendum de Matrimonii Sacramento, & proſequendam eſſe materiam Reformationis. Hujuſmodi Decretum una cum ſalvoconductu ampliſſimo Proteſtantibus dato extat inter Decreta hujus Tridentini Concilii, Seſſione xv. uti dictum eſt.

CXII. At vero Legati Proteſtantium nec adhuc contenti forma ſalviconductus, quod non omnia ſingulatim contineret, quæ Baſileenſis habebat; atque etiam offenſi, quod contra ſpem ſibi factam de expectandis ſuis Theologis antequam quicquam tractaretur, nihilominus in Congregationibus diſcuteretur materia Matrimonii, formatique de illa jam eſſent nonnulli Canones in futura Seſſione promulgandi: de his rurſum novas querelas ingeminarunt, quas refert unus eorum, qui aderat, Sleidanus pro Civitate Argentinenſi legatus hæc cuncta fuſius proſequutus. Quibus auditis Imperator, cujus intererat plurimum Proteſtantes Tridentum ire, miſſo ad Pontificem Romam, qui impetraret omnibus Concilii actionibus dierum aliquot moram, ſuis quoque Tridenti exiſtentibus edixit, ne in aliquo ultra pergerent, & ſi alii pergere vellent, proteſtationes adhiberent. Unde cum deliberatum a Patribus eſſet, Actionibus omnibus ſuperſedere, e contra Pontifex referre multum exiſtimans, ut Concilium toties interruptum citius finiretur, ſuis mandavit, ut ejuſmodi ſuſpenſione paucis diebus continuata, ad tuendam Synodi dignitatem, Actiones intermiſſas reſpectu omni ſepoſito repeterent. Adveniente autem die xix. Martii Conſeſſui publico, ſeu Seſſioni xvi. deſignato deliberatum rurſum eſt de Seſſione ad Kalendas Maji proroganda; demumque poſt nonnulla alia de rebus Proteſtantium, deque eorum auditione nequicquam tractata, cum ad belli a Mauritio Saxone contra Imperatorem inchoati nuncium omnes perterriti fuiſſent; audita mox occupatione Civitatis Auguſtæ, & Oeniponti appropinquatione, plerique Germani & Itali Tridento fugerunt. Tradit Sleidanus numeratos eſſe tunc Tridenti, præter Legatos Pontificis, & Cardinalem Tridentinum, Epiſcopos lxii. & in iis Germanos viii. Hiſpanos xxv.

xxv. Sardos II. Siculos IV. Hungarum unum Agrienſem, reliquos Italos: Theologos vero XLII. & in his xxv. Hiſpanos, & Belgas XII.

S E S S I O XVI.

CXIII. Cum autem cœpiſſent abire, conſulto a Legatis Pontifice, quid facto opus eſſet, Diploma ille miſit, quo poteſtatem fecit, ubi premeret neceſſitas, Concilium ſuſpendere, ne dignitas ejus in diſcrimen adduceretur. Quare cum pericula creſcerent, Seſſio in Kalendas Majas indicta, die XXVIII. Aprilis ab iis, qui remanſerant, habita eſt ordine XVI. & ſub Julio III. Pontifice ſexta, & ultima, præſidentibus Nunciis Apoſtolicis, Archiepiſcopo Sipontino, & Epiſcopo Veronenſi ob graviſſimum morbum Cardinalis Creſcentii Legati, edito in ea Decreto, quo Synodus *eum omnia, & præcipue Germaniam, armis ardere, & diſcordiis videret, omnes fere Epiſcopos Germanos, præſertim Principes Electores ſuis conſultum Eccleſiis Concilio abiiſſe, decrevit tantæ neceſſitati non reluctari, & ad meliora tempora rejicere; ut Patres, quod eis nunc agere non licet, ſuis ovibus proſpectum ad ſuas Eccleſias regredi valerent; atque ita, quoniam ſic temporum conditio tulit, hujus Œcumenici Concilii Tridentini progreſſum per biennium ſuſpendendum fore decernit, prout præſenti Decreto ſuſpendit; ea tamen lege, ut ſi citius pacata res ſit, ac tranquillitas priſtina revertatur, quod ſperat Dei Optimi Maximi beneficio non longo fore ſpatio futurum, ipſius Concilii progreſſus eodemmet tempore ſuam vim, firmitatem, vigoremque habere cenſeatur: ſin autem, quod Deus avertat, peracto biennio, prædicta legitima impedimenta non fuerint ſubmota, cum primum ceſſaverint, talis ſuſpenſio eo ipſo ſublata eſſe intelligatur, ac ſuus vigor, & robur Concilio ſit reſtitutum, & eſſe intelligatur, ſine alia nova Concilii convocatione, accedente ad hoc Decretum conſenſu & auctoritate Sanctitatis ſuæ, & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ*. Interim tamen eadem ſancta Synodus *exhortata eſt omnes Principes Chriſtianos, & omnes Prælatos, ut obſervent, & reſpective, quatenus ad eos ſpectat, obſervare faciant in ſuis Regnis, Dominiis, & Eccleſiis omnia, & ſingula, quæ per hoc ſacrum Œcumenicum Concilium fuerunt hactenus ſtatuta, & decreta*.

CXIV. Adverſus hoc Decretum Archiepiſcopus Turritanus in Sardinia natione Hiſpanus cum undecim aliis Epiſcopis æque Hiſpanis proteſtationem fecerunt, quaſi non uſque adeo urgerent bella, ut eſſet propterea a Concilii proſequutione ceſſandum, quinimo ad ſedandas diſcordias fore illam utiliorem; aut certe Seſſio, quæ ad Kalendas Majas indicta fuerat, ad moderatum aliquem terminum prorogaretur; dieſque declararetur, quo & qui abierant, & ceteri rurſum convenire tenerentur abſque alia convocatione. Verum ceteris Patribus confeſtim reluctantibus, facta a Nunciis Concilii Præſidibus abeundi facultate, tam illi, quam ceteri Itali abierunt, ipſique etiam Hiſpani poſt aliquot dies. Sicque mortuo, dum bellum gereretur, Julio III. Pontifice, decimo Kalendas Aprilis anni MDLV. ejuſque Succeſſore Marcello II. qui electus v. Idus Aprilis ejuſdem anni, obiit pridie Kalendas Maji apopleſia correptus vigeſimo ſecundo electionis die, ac novis rurſum turbis ſub Paulo IV. qui x. Kalendas Junii prædicti anni MDLV. creatus fuit Pontifex Maximus, exortis, interruptum Concilium fuit uſque ad Pontificatum Pii IV. ſub quo illud reſumtum eſt anno demum MDLXII. annoque ſequenti feliciter terminatum. Ceterum paulo poſt dictam Concilii diſſolutionem, Marcellus Cardinalis Creſcentius Apoſtolicæ Sedis Legatus, & præcipuus ejuſdem Concilii Præſes Veronæ obiit Kalendis Junii cum Romam repeteret. Corpus Romam delatum conditum fuit in Sepulchro Majorum in Eccleſia omnium Martyrum, indeque ad Baſilicam S. Mariæ Majoris translatum appoſito nobili Epitaphio ibidem ſepultum fuit; de eoque multa legi poſſunt apud Ciaconium cum variorum Additionibus Tomo IV. Vitarum Pontificum, & Cardinalium.

*Reſumtio Concilii ſub Pio IV. Pontifice*.

CXV. Obiit tandem Paulus IV. anno MDLIX. decimoquinto Kalendas Septembris ætatis ſuæ anno LXXXIII. menſe uno, die XXII. Pontificatus anno IV. ſupra menſes II. & dies XXIV. ſuffectuſque in ejus locum die XXVI. Decembris anni MDLIX. Pius IV. omnem diligentiam, operamque navavit, ut Tridentinum ipſum Concilium diu interruptum inſtauraret. Ergo promulgato univerſali Jubileo die XV. Novembris anni MDLX. Pontificatus ſui I. ad implorandum in cinere & cilicio divinum auxilium, quod ipſe Romæ die Dominica ſubſequenti, nempe die XVII. ejuſdem menſis, cum ſolemnibus ſupplicationibus a Baſilica S. Petri ad S. Mariæ ſupra Minervam pedes procedens celebravit, tertio Kalendas Decembris, Concilii ſub Paulo III. inchoati, & a Julio III. ſuſpenſi repetitam convocationem, ſublata omni ſuſpenſione, publico Diplomate, quod in ipſo Tridentino Concilio extat ante Seſſionem XVII. indixit ad diem Reſurrectionis Dominicæ proxime futurum; continuoque miſſis ad Imperatorem, tunc Ferdinandum I. alioſque Reges, ac Principes Nunciis, ſignificavit, non eſſe cur aliquis voce *continuationis* offenderetur, quippe quod per eam non obſtaret, quin jam olim propoſita denuo tractari poſſent. Tanta in his uſus diligentia, & ſolicitudine, ut etiam ad Reginam Angliæ, Magnum Ducem Moſcoviæ, Principeſque Germaniæ, quamvis a profeſſione Fidei Catholicæ, & Apoſtolicæ Sedis obedientia alienos, pariter Nuncios miſerit, qui eos, ipſorumque Epiſcopos ad Concilium invitarent, quorum ſingulorum reſponſa referunt ad annum MDLXI. Spondanus, Rainaldus, aliique Scriptores tum Catholici, tum heterodoxi. Interim vero idem Pontifex Pius IV. exeunte anno MDLX. Conſtitutionem edidit, legiturque in Romano Bullario, qua ordinem, quem Prælati in Concilio ſervare deberent, ſtatuens, voluit, ut poſt Præſidentes, primo loco Patriarchæ, ſecundo Archiepiſcopi, tertio Epiſcopi in quibuſvis actis publicis ſecundum ordinem ſuarum ad ſuas Eccleſias promotionum, nulla habita ratione præeminentiarum inter ipſas Eccleſias, ſive veræ eſſent, ſive prætenſæ, ſed tantum promotionum Perſonarum, incederent, ſederent, ac locum haberent.

CXVI. Varias difficultates circa novam Tridentini Concilii convocationem, ſive continuationem refert inter alia in ſua ejuſdem Concilii Hiſtoria Pallavicinus. Cæſar quidem, & Galliæ Rex voluiſſent, ut in Bulla apertiſſimis verbis

bis diceretur, *convocationem illam non eſſe præteriti Concilii continuationem, ſed novam indictionem Concilii independentem a prima*. Contra vero Hiſpaniæ Rex volebat oppoſitum, atque ut hoc etiam apertiſſimis verbis declararetur in Bulla cum addito, *quod Decreta jam facta denuo in examen venire non debeant*. Indignabatur præteres Hiſpaniæ Rex, quod Pontifex in Aula Regia Oratores Regis Navarræ excepiſſet, qui obſequii cauſa ad Pontificem venerant; etenim Hiſpaniæ Rex non alium Regem Navarræ, præter ſeipſum a Pontifice volebat agnoſci. His de cauſis Pontifex miſſo in Hiſpaniam Tarraconenſi Epiſcopo, factum excuſavit, ſimulque ſenſum ſuum de Concilio aperuit; ſicut etiam ad Galliæ Regem ſuas legitimas excuſationes miſit, & queſtus eſt præterea de multis, quæ Rex edixiſſet, quæ jam non ad Principem laicum, ſed ad Summum Pontificem ſpectarent. Porro rebus meliori, ut potuit, modo compoſitis, Chriſtianis Principibus ſe ad Concilium convertentibus, facta eſt ab ipſo Pontifice Pio IV. ad Concilium Legatorum electio, quæ nec ſemel, nec una fuit. Hi autem fuerunt Hercules Gonzaga Mantuanus, Hieronymus Seripandus, Stanislaus Hoſius Polonus, Ludovicus Simoneta, & Siticus Altempſius nepos Pontificis S. R. E. Cardinales, qui ſicut non ſemel electi, ita non omnes ſimul venerunt ad Concilium. Confluentibus interim Epiſcopis undique, ac ſimul junctis Legatis, ad rerum Synodalium inchoationem denique ventum eſt.

CXVII. Die igitur decimaquinta Januarii anni MDLXII. pro aperiendo Concilio facta eſt Congregatio generalis, in qua Cardinalis Mantuanus Legatorum primus, de neceſſitate, opportunitateque Concilii aperiendi appoſite diſſeruit, Præſuleſque omnes ad tam ſanctum piumque opus jejuniis, eleemoſynis, & frequenti ſacræ Miſſæ celebratione adjuvandum hortatus eſt. Lectum eſt deinde Diploma Legationis datum die IV. Martii anni ſuperioris; itemque tria Pontificis Brevia, unum quo Legatis facultas dabatur poteſtatem facere Præſulibus, & Theologis legendi Libros prohibitos durante Synodo. Alterum, quo eiſdem Legatis concedebatur abſolvere eos, qui hæreſim clam abjurarent. Tertium de ordine ſedendi, de quo ſupra dictum eſt. Cui cum acerrime reluctaretur Bartholomæus de Martyribus Ordinis Prædicatorum Archiepiſcopus Bracarenſis in Luſitania Vir ſumma pietate ac doctrina præditus, conquerens ſuam Sedem, quæ omnium in Hiſpania Primatum obtineret, Pontificis ſententia ſubjici non ſolum aliis Sedibus Archiepiſcopalibus ſibi ſubditis, ſed Archiepiſcopo etiam Roſſanenſi cui nullus eſſet Suffraganeus, quinimo & quibuſdam aliis Archiepiſcopis, qui ſine reſidentia, ac ſine populo Chriſtiano eſſent: ei ut ſatisfieret, Legati declararunt, mentem Pontificis, ſuamque eſſe, ut per illud Decretum nulli jus de novo acquireretur, nulli præjudicium generaretur, nullius jus in proprietate, & poſſeſſione læderetur; ac demum in omnibus, & per omnia unuſquiſque Primas, verus vel prætenſus in eo ſtatu poſt Concilium remaneret, in quo antea permanebat. Cui declarationi ægre laudatus Archiepiſcopus acquievit.

CXVIII. Poſt hæc ingeſta eſt ab Hiſpaniæ Epiſcopis controverſia de continuatione dicenda Concilii, non autem celebratione novi, petebantque, ut fieret declaratio *de Concilii continuatione, & de Decretis jam factis non amplius examinandis*. Cui petitioni ſe oppoſuit Epiſcopus Zacynthius, qui olim Nuncius in Germania fuerat, dicens, *ſicut verum eſt, Decreta jam facta nunquam in examen revocanda, ita declarationem hanc non parum detrimenti allaturam Chriſtianæ Reipublicæ: hac enim declaratione clauditur aditus ad Concilium Germanis, & Gallis, qui abſolute illud novum Concilium eſſe deſiderant*. Favere videbantur huic ſententiæ Legati, verum Hiſpanis obſtrepentibus, promiſerunt Legati Pontificis nomine, *Decreta jam facta pro certis ac ratis a Pontifice habenda, & ſedulo curaturos, ut in Decreto de aperiendo Concilio nihil in præjudicium dicatur, aut fiat.* Inſtiterunt præterea Hiſpani Epiſcopi apud Concilii Præſides, ut ſibi facultas daretur geſtandi in Concilio Mozzettam, quæ data eſt eis, tametſi eam conceſſionem ægre ferrent Legati, uti in Hiſtoria hujus Concilii narrat Pallavicinus, & in ejus Compendio Auguſtinus Morellus. Monuit tandem Legatus, conſentaneum fore, ut poſt cœptum Concilium, Capellæ publicæ, ut vocant, hoc eſt Sacra publica in Eccleſia fierent ſingulis Feſtis, quibus Præſules frequenter intereſſent, & Sermo Latino idiomate fieret ſicut coram Pontifice fieri conſuevit: cujus habendi ſermonis munus quandoquidem iis nonnunquam demandari poſſet, qui quid temporibus, locis, ac perſonis conveniret, non ſatis intelligerent, e re fore, ut Præſul aliquis deligeretur, qui quod eſſet publice recitandum, prius inſpiceret, ſuumque interponeret judicium, ſicuti Romæ a Magiſtro Sacri Palatii fieri conſueſceret. Quod cum a cunctis approbatum eſſet, deſignatus fuit ad id operis F. Ægidius Fuſcararius Epiſcopus Mutinenſis Ordinis Prædicatorum.

SESSIO XVII.

CXIX. Die porro Dominica XVIII. Januarii anni MDLXII. conſecrata Cathedræ Romanæ S. Petri Apoſtoli, uti deliberatum fuerat, habita eſt Seſſio Decima ſeptima ab inchoata ſub Paulo III. Synodo Tridentina, Prima vero ſub Pio IV. factaque publica ſupplicatione, cui præter Cardinales, interfuerunt alii Præſules CXII. inſulati, celebrata eſt a Cardinale Mantuano Miſſa de Spiritu Sancto, & a Gaſpare de Foſſo Conſentino noſtræ Calabriæ citerioris Ordinis S. Franciſci de Paula, Archiepiſcopo Rhegino ulterioris Calabriæ, Oratio habita de Eccleſiæ auctoritate, Romani Pontificis Primatu, & Conciliorum poteſtate, quæ mox fuit edita; hortato in fine Patres ad cœpta contra hæreticos Proteſtantes conſtanter proſequenda, haud dubia fiducia, eos nihilo magis errare poſſe, ac decipi, quam ipſe Spiritus Sanctus poſſit errare. Deinde poſt decantatum Hymnum, *Veni Creator Spiritus*, Angelus Maſſarellus Epiſcopus Theleſinus Concilii Secretarius legit Diploma convocationis Synodi, idemque Archiepiſcopus Rheginus Decretum reſumtionis ejus, quo interrogatis Patribus, num placeret, *Sacram Œcumenicum & Generale Concilium Tridentinum in Spiritu Sancto legitime congregatum ab hodierno die, qui eſt XVIIJ. menſis Januarii anni MDLXII. Cathedræ Romanæ B. Petri, Apoſtolorum Principis conſecrato, ſublata quacumque ſuſpenſione, juxta formam, & tenorem Litera-*

*terarum Sanctiſſimi Domini noſtri Pii IV. Pontificis Maximi celebrari, & in eo ea debito ſervato ordine tractari, quæ, proponentibus Legatis, ac Præſidentibus, ad horum temporum levandas calamitates, ſedandas de Religione controverſias, coercendas linguas doloſas, depravatorum morum abuſus corrigendos, Eccleſiæ veram, atque Chriſtianam pacem conciliandam, apta & idonea ipſi ſanctæ Synodo videbuntur?* Reſponderunt, *Placet*.

CXX. Quatuor tamen Hiſpani verbis illis recitati Decreti, *Proponentibus Legatis*, contradixere, quod ſcilicet nova eſſent, inſuetaque cæteris Conciliis, ac libertatem proponendi ceteris omnibus tollere viderentur. De qua re fuere deinceps multæ ſequutæ diſceptationes, & controverſiæ. Tunc vero re a Legatis diſſimulata, Seſſio futura indicta eſt in Feriam v. poſt II. Dominicam Quadrageſimæ diem xxvi. Februarii ejuſdem anni MDLXII. Contigit tamen, ut cum de hoc queſti fuiſſent Hiſpani apud ſuum Regem, illeque Vargæ ſuo apud Pontificem Oratori mandaſſet, de mutandis iis verbis cum Pontifice agere, excuſavit quidem apud Regem Pontifex, id ſe auctore minime factum, videri tamen neceſſarium, ad turbulentorum petulantiam retundendam, ne fieret Synodus inſtar Babylonicæ turris confuſionis ſeges. Cum Varga tamen paulo durius egit, tum Præſulum Hiſpanorum procedendi modum incuſans uti ſeditioſum; tum proponenti ei, ſi in Decreto id dumtaxat diceretur, *Legatos propoſituros*, neminem ea re doliturum; verum ablativum, *proponentibus Legatis*, omnem Epiſcopis proponendi libertatem adimerent; reſpondit contemtim Pontifex, non tantum ſibi eſſe otii, ut cujus generis, & cujus caſus, aut de ablativis abſolutis cogitare, vel diſputare deberet.

CXXI. Sed his omiſſis poſt celebratam Seſſionem xvii. ſive i. ſub Pio IV. habitis Congregationibus de iis quæ tractanda eſſent, ac præſertim de librorum noxiorum examine, ac prohibitione, facta eſt a Patribus poteſtas Legatis Apoſtolicis deligendi nonnullos, qui Indici Librorum conficiendo, cujus curam Pontifex ad Concilium remiſerat, vacarent, deſignatique fuere ab iis, Georgius Druſcovitius Epiſcopus Quinqueeccleſienſis, Orator Cæſareus pro Regno Hungariæ, Joannes Traviſanus Patriarcha Venetus, iv. Archiepiſcopi, ix. Epiſcopi, Abbas unus Caſinenſis, duo Generales, Minorum, & S. Auguſtini, ſed ita ut non ante finem Concilii Index publicaretur, ne Proteſtantes magis exaſperarentur. Hoc negotium tractatum fuit in Congregatione habita die xxiv. Januarii; venitque interim ad Concilium Cardinalis de Altemps quintus Legatus, & Archiepiſcopus Pragenſis Ferdinandi I. Imperatoris, ut Imperatoris Orator, plures enim ille miſit ratione videlicet Imperii, Regnorum Hungariæ, & Bohemiæ, atque etiam Auſtriæ Ducatus. Tentavit is Archiepiſcopus Pragenſis Cardinalem Madrutium Epiſcopum Tridentinum præcedere, & juxta Legatos ſedere, aſſerens, ſibi qui repræſentaret Imperatorem eum locum deberi, ut ſicut inter Pontificem, & Imperatorem nemo ſederet medius, ita inter eos, qui ipſorum perſonas referrent, idem obſervari deberet. Sed cum hæc controverſia agitata jam pridem fuiſſet initio hujus ejuſdem Concilii ſub Paulo III. uti videre eſt apud Spondanum ad annum MDXLV. Num. xv. ſopita fuit ad eum plane modum, qui tunc fuerat ſervatus, reperto ſcilicet modo, quo uter eorum præcederet, non eſſet facile dignoſcere.

CXXII. Venere deinde ad Concilium & alii Principum Oratores, interque alios venit die ix. Februarii Ferdinandus Martinez Luſitaniæ Orator; die vero xi. venit Sigiſmundus a Tono alter Orator Cæſareus Archiepiſcopi Pragenſis Collega, qui mox die xiii. obtulerunt Patribus ſui Principis nomine quinque hæc Capita. *I. ut declaretur nova Concilii indictio, & non incœpta continuatio*, contra id quod cupiebant Hiſpani. II. *ut Seſſio prorogetur, vel in ea agantur leviora*. III. *ut in Indice Librorum prohibitorum caute procedatur, ne Proteſtantes excitentur in iram*. IV. *ut daretur Salvuſconductus cum ampla forma*. V. *ut ea, quæ in Concilio agantur, tegantur ſilentio*. Reſponſum fuit ad hæc propoſita Capita die xxii. Februarii a Legatis, & quidem ad primum, *neceſſe eſſe omnibus ſatisfieri, etenim Hiſpani oppoſitum poſtulabant*. Ad ſecundum, conceſſum eſt, ut petebatur. Ad tertium dictum eſt, Indicem reſervandum ad finem Concilii. Ad quartum, prius eſſe ſtatuendum, an Germanis tantum, an aliis etiam Nationibus Salvuſconductus dandus eſſet. Ad quintum, faciendum, ut Cæſar monet. Quare in fine Congregationis Cardinalis Mantuanus Legatus gravi Oratione habita loquutus eſt de ſilentio ad Patres, ne res tam magni ponderis efferantur in vulgus, & propoſitum fuit de Salvoconductu.

SESSIO XVIII.

CXXIII. Denique die xxvi. Februarii habita eſt Seſſio Decima octava ab inchoato ſub Paulo III. Concilio, Secunda vero ſub Pio IV. in qua poſt Miſſam per Antonium Helium Patriarcham Joroſolymitanum celebratam, & Orationem per Antonium Cauchum Archiepiſcopum Corcyrenſem factam, ceteraque Solemnia ſervata, cum legenda eſſent Principum, qui Oratores ſuos ad Concilium miſerant, Mandata Procuratoria (ſolemni namque more, etiamſi in eorum adventu legerentur in Congregationibus, & admitterentur, nihilominus erant eadem denuo in Seſſionibus publicanda) controverſia ſtatim orta eſt inter Regnorum Hungariæ, & Luſitaniæ Oratores, utroque primum ſibi in Mandato legendo locum deberi propter Regni ſui eminentiam contendente. Sopita controverſia dexteritate Pompei Zambeccarii Epiſcopi Sulmonenſis, lectum eſt a Patriarcha celebrante Decretum, quod extat, *De Librorum delectu, & omnibus ad Concilium fide publica invitandis*, cui etiam adjunctus legitur Salvuſconductus conceſſus Germanæ Nationi in Congregatione Generali die iv. Martii anno Domini MDLXII. Porro in ipſa Seſſione xviii. poſt memoratum Decretum, *De Librorum delectu &c.* ſtatuit Synodus, proximam futuram Seſſionem xix. habendam, & celebrandam eſſe Feria v. poſt Sacratiſſimum Feſtum Aſcenſionis Domini, quæ eo anno Incidebat in diem xiv. menſis Maji.

CXXIV. Poſt generalem Congregationem, in qua datus eſt ampliſſimus commeatus Germanicæ Nationi, idemque extenſus ad omnes, & ſingulos alios, qui cum Synodo in iis, quæ eſſent Fidei, communionem non haberent, ex quibuſcumque Regnis, Nationibus, Provinciis, Civitatibus, ac locis, in quibus publice prædicaretur,

retur, doceretur, ſive crederetur, contrarium ejus, quod Romana ſentiret Eccleſia, cœptæ ſunt rurſum diſputationes in Congregationibus de iis, quæ poſt hæc tractanda eſſent; in primis vero articulus de Reſidentia Prælatorum, & Parochorum jam olim ſub Paulo III. valde agitatus, iterum acerrime controverſus eſt, pleriſque Patribus, ac Theologis eam eſſe de Jure Divino decernendum cenſentibus, plurimis Sacræ Scripturæ, ac Patrum auctoritatibus, & rationibus ad id firmandum adductis: aliis vero hanc ſententiam, uti novam, & ante inauditam rejicientibus, aſſerentibuſque Eccleſiam ſemper tenuiſſe, quod poſſit Pontifex ſuper Reſidentia diſpenſare: non reſidentes omnibus ſeculis aut caſtigatos, aut increpitos, ſed ſolummodo tanquam Canonum violatores, non autem Legis Divinæ: Scripturæ, & Patrum auctoritates ad perfectionem tantum adhortationes eſſe: nihilque in hoc eſſe ſolidi præter Canones, qui ſunt mere Leges Eccleſiaſticæ: ſi id ſemel de Epiſcopis ſtatueretur, non ſolum Epiſcopos ab obedientia ſummi Eccleſiæ Paſtoris ſubductum iri, quæ quo arctior eſt, hoc magis unitam tenet Eccleſiam, verum etiam Parochis eadem ratione adverſus Epiſcopos uſui futurum ad ipſos ab Epiſcoporum imperio eximendos; dicturos enim non poſſe Epiſcopos Eccleſia ipſos dimovere, aut alio avocare, nec alibi detinere, nec poteſtatem ipſorum reſtringere; & tanquam Paſtores immediate a Deo datos, plus juris in gregem, quam ipſis Epiſcopis concederent, vindicaturos, ſicque regimen Eccleſiæ, quod tot ſeculis ſtetit per Hierarchiam, facile in democratiam, & anarchiam collapſurum. At vero cum pluribus diebus, & Congregationibus de hac quæſtione acriter diſputatum eſſet, nihil tamen certi ſtatui tunc potuit, quamquam pars major Patrum Decretum de ea re in Synodo fieri flagitarent. In ceteris vero articulis a Legatis ad diſcuſſionem propoſitis, minus fuit negotii, quamquam & fuerint hi diligentiſſime diſputati, atque expenſi, antequam fierent de iis Decreta.

## S E S S I O XIX.

CXXV. Cum vero prope jam eſſet tempus adſcriptum celebrandæ huic Seſſioni, in qua Decreta ederentur, contigit plane, ut venirent a Ludovico Lanſaco Galliæ Regis Caroli IX. ad Synodum deſtinato Oratore Litteræ, quibus de via cum non longe abeſſet, ſcribens, Legatos, Patreſque rogabat, ut ad ſuum, Collegarumque adventum Seſſionem prorogarent. Cui ut ſatisfieret, viſum eſt non quidem ab indicta Seſſione ceſſare, quod contra Synodi dignitatem videri poſſet, ſed eam nulla propoſita materia celebrare. Quapropter die XIV. menſis Maji ſolitis ritibus habita eſt Seſſio Decimanona ab inchoatione Synodi, Tertia vero ſub Pio IV. Pontifice, in qua decrevit Synodus, *juſtis nonnullis, ac honeſtis cauſis*, ea quæ in hac Seſſione ſancienda erant, prorogata eſſe in Feriam V. poſt Solemnitatem Corporis Chriſti pridie Nonas Junii. Advenere autem Gallicani Oratores memoratus Ludovicus Lanſacus Regii Ordinis Eques, Arnaldus Ferrerius in Pariſienſi Senatu Præſes, & Vido Faber Judex major Toloſanus, & in publico cœtu dum recepti ſuere, die XXVI. Maji ſatis liberam, & prolixam Orationem habuit Vido Faber; quare Promotor, qui Concilii nomine reſpondere ſolebat, nihil dixit, ſed abſoluta Gallici Oratoris Oratione, ea Congregatio dimiſſa eſt.

CXXVI. Rurſus iidem Oratores Galli adeuntes Legatos, primum Epiſcopos Gallos, quod ad Synodum nondum veniſſent, excuſarunt, ex tumultibus Regni, quibus pacatis, quod propediem futurum ſperabatur, continuo affuturi eſſent: deinde, quod Hugunoti Galliæ ſuſpectam haberent continuationem Concilii, nec vellent ad aliud, quam novum venire, petierunt novi Concilii indictionem declarari, eo vel maxime, quod idipſum Ferdinandus Imperator Proteſtantium Germaniæ cauſa poſtularet: actum de eo cum Pio Pontifice fuiſſe, at illum reſpondiſſe hoc nihil ſua intereſſe, ſed inter Principes contendi, ideoque ejus definitionem Concilio dimittere. Ad quæ Legati reſponderunt, *excuſationem abſentium Epiſcoporum ſe quantum in ipſis eſſet admittere, verum differre in adventum eorum illa, quæ in Synodo agenda eſſent, nec poſſe, nec cum tanto aliorum, qui pridem advenerant, incommodo debere. Novam Concilii indictionem declarare, non eſſe in ſua poteſtate, ſed tantum ejus celebrationi præeſſe juxta tenorem Bullæ Pontificis, & voluntatem Sanctæ Synodi.* Quod reſponſum Oratores, re cum Cæſareis collata, acceptum interea habuere, quandiu in Actis Synodalibus mentio nulla fieret continuationis, timentes, ſi id nimis urgerent, cum e contra Hiſpani Continuationem declarari ſolicitarent, Concilii diſſolutionem forte inde ſecuturam. Cum autem idem Galli Oratores cum Cæſareis non modo inſtarent, ut Fidei dogmata non excuterentur per abſentiam Proteſtantium, qui ea eſſent impugnaturi, antequam de ipſorum contumacia conſtaret, atque interea ageretur de reformatione; ſed & adderent, Reginæ Angliæ Oratorem in Gallia ſignificaſſe, eam decreviſſe mittere ad Synodum, atque eſſe veriſimile ceteros Proteſtantes idem facturos; decretum eſt, in proxima Seſſione nihil de rebus propoſitis determinandum, ſed eas ad aliam differendas.

CXXVII. Antequam demum Vigeſima Seſſio celebraretur, multi Præſules, quos Oratoris Galli Oratio pupugerat, Legatos rogarunt, ut quo tempore Legationis Oratorum mandatum publice de more in ipſa Seſſione legeretur, ſolidum & acutum iis reſponſum fieret. Itaque Joanni Baptiſtæ Caſtello Promotori imperatum eſt, ſic reſpondere, ut dignitatem Synodi tueretur, neminem tamen re, aut verbo perſtringeret. Porro in ipſa Oratione Vido poſtquam laudavit ardens Regis Galliæ deſiderium, ut res Concilii proſpere ſuccederent, inter alia dixit, multa jam pridem in Germania, & Italia, nullo, aut certe minimo cum fructu habita, quod minus libera, & legitima fuiſſent, & qui aderant, ad voluntatem alterius ſemper loquerentur, aut potius annuerent: laborare jam in hac Synodo Patres debere, ut omnes intelligerent, abiiſſe illa tempora, patere nunc aditum unicuique ad diſputandum: non hic armis diſceptari, non fidem frangi, non agi præjudiciis; Spiritum Sanctum non aliunde evocari, aut acciri, quam e Cælo, hic adeſſe, hic præſidere: denique hanc Synodum non eam eſſe, quæ primum a Paulo III. indicta, & inchoata fuit, tum poſtea a Julio III. turbulentiſſimis temporibus, medias inter Gallorum, & Hiſpanorum acies continuata nullo

præclaro facinore diſſiluit; ſed eſſe novam nunc vere primum indictam more Majorum, ad quam omnes Reges, omnes Principes, omnes Reſpublicæ animo, voluntate, ſenſu, & voce conſentirent: operæ pretium eſſe, ut rem ita ſe habere omnes intelligerent; ſic enim Germaniam, pro qua potiſſimum laboratur, ad eam conventuram, ſuos de Religione ſenſus expoſituram familiariter: ſic univerſam Chriſtianitatem Dei beneficio cito coalituram: ad quod Rex Chriſtianiſſimus omnem operam ſuam auxiliumque polliceretur. Hæc, & alia in ſua Oratione Vido, quam ex parte refert ad annum MDLXII. Spondanus, Num. xxv. cui deinde in ſequenti Seſſione xx. facta eſt acris reſponſio.

S E S S I O   XX.

CXXVIII. Ergo die iv. Junii ritu conſueto celebrata Seſſione Vigeſima ab incboata Synodo, Quarta vero ſub Pio Papa IV. poſt Archiepiſcopi Salzburgenſis, & Caroli IX. Galliarum Regis recitata Mandata, Promotor Concilii ad aſperam Gallorum Orationem, cujus in præcedenti Seſſione facta eſt mentio, reſpondens, dixit, *ſperandum eſſe, Chriſtiani Orbis incommodis conſuli poſſe remedio Oecumenici hujus Concilii opera Spiritus Sancti de conſenſu Principum jam incboati; e quibus Chriſtianiſſimus Galliæ Rex, miſſis Viris conſcientiæ integritate, ac religione præſtantibus, non auxilium modo Synodo, ſed obſequium quoque obtulerit: Id ei deberi non minus, quam aliis Conciliis, quibus utcumque ab hominibus male affectis falſa abjiceretur, ea neque vera, neque legitima fuiſſe, apud homines tamen pios plurimi ſemper habita Concilia ab iis, penes quos erat auctoritas congregata, quomodocumque alii libera non eſſe calumniarentur: Certum eſſe Patribus Concilii, non accipere in ſequiorem partem, aculeatam, & liberam Oratorum Gallorum admonitionem, ſed uti eam haberent pro non neceſſaria, ita in animum inducere, eam a ſincera mente profectam: Ex effectibus appariturum, Synodum cujuſcumque hominis, aut Principis cupiditatem, voluntatem, & potentiam, poſt propriam dignitatem, & auctoritatem habere: Regique Chriſtianiſſimo omnem operam, & ſtudium ad dignitatis, Regni, ſtatuſque ſui conſervationem, ſalva Fide, & Religione ſincera, polliceri.* Deinde ab Epiſcopo celebrante lectum eſt Decretum prorogationis, quo edicitur, Synodum, *propter varias difficultates ex diverſis cauſis exortas, atque etiam ut congruentius, majorique cum deliberatione omnia procedant, nempe, ut Dogmata cum iis, quæ ad Reformationem ſpectant, ſimul tractentur, & ſanciantur ea, quæ ſtatuenda videbuntur, tum de Reformatione, quam de Dogmatibus*, Seſſionem proximam indicere in diem xvi. ſubſequentis menſis Julii; ſic tamen, *ut dictum terminum pro ejus arbitrio, & voluntate, ſicut rebus Concilii putaverit expedire, etiam in generali Congregatione reſtringere, & prorogare, libere poſſit, & valeat.*

CXXIX. Romæ vero etiam adeo male Lanſacus Orator Gallus ob eam ſuam liberiorem Orationem audivit, ut quereretur Pontifex, videri eum Hugonotorum, ac Proteſtantium Oratorem agere, dum etiam peteret, Reginam Angliæ ſchiſmaticam, hæreticamque, & Eccleſiæ perſecutricem, ac Germanos expectari in Synodo, qui non aliud ſpectarent, quam ut Synodum ipſam, ſi fieri poſſet, corrumperent, & hæreticis opinionibus imbuerent: eundem cum Collegis patrocinari nonnullis, qui auctoritatem Summi Pontificis imminutam vellent: dixiſſeque, tot Epiſcopos e Gallia, & Germania ad Synodum venturos, ut idolum Romæ eſſent profligaturi. Quæ tamen Lanſacus Litteris ad ipſum Pontificem, & ad Andream Guillardum Inſulanum Oratorem Regium apud eundem Pontificem, ſcriptis ſatis amare excuſavit, & omnino falſa, & calumnioſa eſſe conteſtatus eſt. *Sed ita erant comparata*, ſubdit citato loco Spondanus Num. xxviii. *in tanto Cœtu nonnullorum ingenia, ut cum quid liberius aliquando proferretur, confeſtim fermenta Phariſæorum corrumperetur, & calumnioſe ad Pontificem, & Legatos Concilii deferretur. Eratque alia etiam ex parte commotior Pontifex, ac propterea ad ſiniſtra credenda proclivior, quod audiſſet, a nonnullis Tridenti propalam diſputari, Concilium ſupra Pontificem eſſe, & ſpeciatim a Gallis de Annatis, quæ ratione Beneficiorum Pontifici penduntur, conſultatum fuiſſe.* At his, aliiſque ejuſmodi rixis, quæ frequentiſſime ex calore diſputantium, & animorum commotione occurrerunt, omiſſis, conſultius eſt ea enarrare, quæ pro ſequenti Seſſione xxi. in conſuetis Congregationibus tractata ſunt.

CXXX. Igitur ante ipſam Seſſionem xxi. die xvi. Junii in Congregatione generali propoſitum eſt *de Communione ſub utraque ſpecie*, & ſex Articuli Theologis examinandi traditi ſunt. De Reſidentia declaratio tranſlata eſt ad tractationem de Sacramento Ordinis. Propoſuerunt Legatis Oratores Cæſarei Capita xx. de Reformatione. Reſponſum eſt a Legatis, Capita eſſe multa, & ſatis gravi, atque maturo examine ea indigere. His itaque, ac aliis prædictis de cauſis miſſus eſt ad Pontificem Lancianenſis Antiſtes, carus Pontifici, qui eum de omnibus certiorem fecit, & illius animum lenivit; ferebatur enim, uti ſuperius notatum fuit, multa aliquos in Concilio, & moliri adverſus Pontificis auctoritatem, & Lanſacum potius Proteſtantium agere partes, quam ſui Regis: quæ omnia falſa omnino eſſe ipſe quoque Lancianenſis Præſul variis rationibus oſtendit. Interim Tridenti ſex illi Articuli de Communione a Theologis diſcutiebantur. Primus Articulus erat, *An ſit Divinum præceptum Communio ſub utraque ſpecie*. Alter, *an Eccleſia juſtis de cauſis potuerit ſtatuere, Laicos, & alios non celebrantes, ſub panis ſpecie tantum communicandos?* Tertius, *an totum id quod habetur ſub una ſpecie, ſit etiam in alia?* Quartus, *an ratio, per quam Eccleſia inducta eſt, ut Calicis uſus tollatur Laicis, ſit talis, ut neque nunc concedi debeat?* Quintus, *an poſita, quod Calix ſit concedendus ſub aliquibus conditionibus, quænam illæ ſint?* Sextus, *an pueri ante uſum rationis ſint communicandi?*

CXXXI. Relatio de hiſce articulis ſatis concorditer facta eſt, ſolumque fuit diſcrepantia de concedendo Laicis Calice, præcipue in contrarium agentibus Hiſpanis, quorum caput erat Archiepiſcopus Granatenſis. Extat de his inter Orationes Concilii in editione Lovanienſi anno Domini MDLXVII. egregia diſputatio Ludovici Joannis Villetani Theologi Hiſpani tunc ad Patres habita. Facile porro inter omnes convenit, nullam eſſe Calicis neceſſitatem, nullumque de eo præceptum: In Euchariſtia tanquam Sacrificio utram-

Digitized by Google

utramque ſpeciem eſſe neceſſariam, ſed tanquam Sacramento unam ſolam: itaque rite potuiſſe Eccleſiam, quæ non poteſt errare, juſtia de cauſis unius tantummodo uſum Laicis imperare; cum certum ſit, totum Chriſtum ſub una ſpecie ſumi ex concomitantia alterius: hancque ſententiam Concilium Conſtantienſe poſt multam ea de re occaſione Bohemorum diſputationem approbaſſe; uti videre eſt in ejuſdem Concilii Hiſtoria, cujus Acta Seſſioneſque jam nos enarravimus explicuimuſque hoc ipſo Tomo IV. Conciliorum.

CXXXII. Major vero controverſia ea extitit; utrum ſcilicet aliquibus eſſet uſus Calicis permittendus? Hiſpania omnibus, & qui eis addicti erant, id omnino negantibus, quod ejus conceſſio multas alias ſecum traheret difficultates; & Proteſtantes præterquam non alium in finem, eum urgerent, niſi, ut inde adſtruerent, Synodum agnoſcentem erraſſe Eccleſiam in auferendo Laicis Calice, hunc errorem emendare voluiſſe; inde vero ſubinde ad aliorum rituum Eccleſiæ innovationem poſtulandam tranſituros: Cæſarei Oratores ſortiter inſtiterunt, eum Calicis uſum Germanis, Hungaris, aliiſque earum Regionum Populis non ſolum Proteſtantibus, ſed etiam Catholicis illum ubique fere ſitientibus, pro quibus etiam Cæſar, Duxque Bavariæ, & Oratores Hungarici intercedebant, concedendum eſſe iiſdem conditionibus, quas olim Paulus III. approbaverat; nec adeo rigide cum infirmis Fratribus agendum, quin aliquid charitatis aſpectu condonandum eſſet in re olim legitimo uſu recepta. Quibus ſe ſe pro parte ſua Galli Oratores adjungentes, poſtularunt demum, ut ſi aliter ſtatueretur, id abſque præjudicio fieret prærogativæ Regum ſuorum, qui in ſua inauguratione Calicem accipere conſueverunt, & conſuetudinis receptæ ab antiquo in quibuſdam Regni Gallici, ut ajunt, Monaſteriis, Calicem Monachis non conficientibus ſtatis temporibus miniſtrandi.

CXXXIII. His non contenti Galli, ſcriptum etiam quoddam pro concedendo Laicis Calice, Oratoribus obtulerunt; qui tamen verentes, ne conceſſo Calice, uti jam ſcitiſſime notarunt Hiſpani, aperiretur via *ad conjugium Presbyterorum, ad Miſſam lingua vulgari, imo ad tollenda omnia, quæ ſunt de Jure Eccleſiaſtico*, cum periculo ne pertingeretur etiam ad ea, quæ ſunt Juris Divini, & ſic tota Eccleſia rueret; principiis obſtare volentes, Oratoribus uſum Calicis urgentibus dixerunt, *negotium hoc ob difficultatem ad aliud tempus transferendum*. Oratores vero petitione excluſi, conati ſunt efficere, ne in ſequenti Seſſione de Dogmatibus ageretur, vel in prorogatione ſiſteretur. Sed omnia hæc fruſtra; in Seſſione ſiquidem ſequenti, ut mox infra videbimus, multa ea de re edita ſunt Decreta. Ceterum de eo Articulo dandæ ſcilicet parvulis Euchariſtiæ, jam omnes cenſuerunt, Euchariſtiam non eſſe Sacramentum neceſſitatis, nec debere miniſtrari, niſi iis, qui recta ratione uti poſſint, etiamſi alicubi in veteri Eccleſia ſecus obſervatum ſuiſſet, uti variis exemplis oſtendi poſſet, relatis ab eruditiſſimo Edmundo Martene, in celebri Opere, *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, & ab inſignibus aliis Auctoribus, qui de Sacramento Euchariſtiæ ſcripſerunt, inter quos videri poteſt eruditiſſimus Jueninus.

SESSIO XXI.

CXXXIV. Ubi venit dies XVI. Julii, facta eſt cum Dogmatum definitione Seſſio Vigeſimaprima ab inchoata Synodo, Quinta vero ſub Pontifice Pio IV. in qua poſt conſueta Solemnia, ab Epiſcopo celebrante recitatum eſt Decretum doctrinæ *de Communione ſub utraque ſpecie, & parvulorum*, quatuor conſtans Capitibus, totidemque Anathematiſmis. Primo Capite declaravit Synodus, docuitque, *nullo Divino præcepto Laicos, & Clericos non conficientes obligari ad Euchariſtiæ Sacramentum, neque ullo pacto, ſalva Fide, dubitari poſſe, quin illis alterius ſpeciei Communio ad ſalutem ſufficiat*. Altero mox Capite declaravit, *hanc poteſtatem perpetuo in Eccleſia fuiſſe, ut in Sacramentorum diſpenſatione, ſalva eorum ſubſtantia, ea ſtatueret, vel mutaret, quæ ſuſcipientium utilitati, ſeu ipſorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate, magis expedire judicaret*; adeoque licet ab initio Chriſtianæ Religionis non infrequens utriuſque ſpeciei uſus fuiſſet, tamen progreſſu temporis latiſſime jam mutata illa conſuetudine, gravibus & juſtis cauſis adductis, *hanc conſuetudinem ſub altera ſpecie communicandi approbavit, & pro Lege habendam decrevit, quam reprobare, aut ſine ipſius Eccleſiæ auctoritate pro libito mutare non licet*. Declaravit tum Capite III. *etiam ſub altera tantum ſpecie totum, atque integrum Chriſtum, verumque Sacramentum ſumi, ac propterea, quod ad fructum attinet, nulla Gratia neceſſaria ad ſalutem eos defraudari, qui unam ſpeciem ſolam accipiunt*. Docuit denique, declaravitque IV. Capite, *parvulos uſu rationis carentes, nulla obligari neceſſitate ad Sacramentalem Euchariſtiæ Communionem*; neque ideo tamen damnandam eſſe antiquitatem, *ſi eum morem in quibuſdam locis aliquando ſervavit. Ut enim Sanctiſſimi illi Patres ſui facti probabilem cauſam pro illius temporis ratione habuerunt; ita certe eos nulla ſalutis neceſſitate id feciſſe, ſine controverſia credendum eſt*.

CXXXV. Quatuor hiſce Capitibus totidem addita ſunt Anathemata contra eos, qui ejuſmodi doctrinam hucuſque explicatam negarent, aut impugnarent; & quoad duos articulos alias propoſitos nondum tamen excuſſos, videlicet, An rationes, quibus Sancta Catholica Eccleſia adducta fuit, ut communicaret Laicos, atque etiam non celebrantes Sacerdotes ſub una tantum ſpecie, ita ſint retinendæ, ut nulla ratione, Calicis uſus cuiquam ſit permittendus; &, An ſi honeſtis, & Chriſtianæ charitati conſentaneis rationibus concedendus alicui, vel Nationi, vel Regno, Calicis uſus eſſe videatur, ſub quibus conditionibus concedendus is ſit, & quænam ſint illæ? articulos ipſos *eadem Sancta Synodus in aliud tempus oblata ſibi quamprimum occaſione examinandos, atque definiendos reſervavit*. Actum plane de his articulis fuit in ſequenti Seſſione XXII. in fine, ubi extat Decretum ſuper petitione conceſſionis Calicis, de quo infra ſuo loco dicemus, ubi ſcilicet Seſſionem ipſam XXII. enarrabimus. Interim vero in hac Seſſione XXI. eorum articulorum definitionem diſtulit Synodus in illorum ſatisfactionem, qui eos definiri urgebant, ut hac ſpe Proteſtantes ad Synodum allicerentur.

CXXXVI. Poſt edita de Euchariſtiæ Communionem-

Digitized by Google

munione Decreta, lecta ſunt in eadem hac XXI. Seſſione Capita IX. de Reformatione, quorum primo cautum eſt, ut Epiſcopi gratis cum Ordines conferant, tum & Dimiſſorias, & Teſtimoniales dent, atque ut eorum Miniſtri nihil prorſus accipiant, exceptis Notariis, *qui in iis tantum locis, in quibus non viget laudabilis conſuetudo nihil accipiendi, pro ſingulis Litteris dimiſſoriis, aut Teſtimonialibus decimam tantum unius aurei partem accipere* poſſunt, *dummodo eis nullum ſalarium ſit conſtitutum, nec Epiſcopo ex Notarii commodis aliquod emolumentum ex eiſdem Ordinum collationibus, directe, vel indirecte provenire poſſit. Tunc enim gratis operam ſuam eos præſtare omnino teneri decernit.* Mirum plane videri poteſt, etiam poſt hoc Decretum in multis Diœceſibus, non modo Epiſcoporum Miniſtros, Officialeſque, ſed & ipſos multa exigere ab iis, quibus primam Clericalem Tonſuram, vel Ordines conferunt; qui ſordidas exactiones tueri non verentur Statutis, Conſuetudinibuſque Eccleſiarum ſuarum, quas tamen eadem Synodus in recitato Decreto veluti *abuſus & corruptelas Simoniacæ pravitati faventes damnat.*

CXXXVII. Capite altero ſtatuit Synodus, *nequis deinceps Clericus ſecularis, quamvis alias ſit idoneus moribus, ſcientia, & ætate, ad ſacros Ordines promoveatur, niſi prius legitime conſtet, eum Beneficium Eccleſiaſticum, quod ſibi ad victum honeſte ſufficiat, pacifice poſſidere.* Eccleſiaſticum Beneficium eſſe verum, ac proprium Ordinationis titulum, jam nos non uno in loco oſtendimus, & in Commentariis ſcilicet ad præcedentes Synodos Œcumenicas, & in iis, quibus Romanum Pontificale illuſtravimus. Verum ubi Beneficia ipſa dari magnis Præſulibus abunde conſueverunt, ac aliis etiam, qui, ut ajunt, univerſalis Eccleſiæ utilitati inſerviunt, opus fuit creari alium Titulum extraordinarium, qui eſt Patrimonium, de quo diſſeruimus ſupra Tomo Tertio Conciliorum in Commentario ad Canonem V. Concilii III. Lateranenſis, ubi etiam expreſſam mentionem fecimus de hoc Capite II. Seſſionis XXI. Concilii Tridentini. Sed & ea videri poſſunt quæ diximus Conciliorum Tomo I. in Commentario ad Canonem VI. Concilii Chalcedonenſis. Certe Synodus Tridentina decernens, nequis deinceps Clericus ſecularis ad ſacros Ordines promoveatur, niſi conſtet, eum Beneficium Eccleſiaſticum legitime poſſidere jam ſatis indicat, Titulum Beneficii eſſe Titulum ordinarium ſacræ Ordinationis, eumque ſolum ut talem a Synodo agnoſci: Patrimonialem vero Titulum, tanquam extraordinarium haberi, utpote ad quem nullum ordinari permittit, niſi quem Epiſcopus admittendum judicaverit *pro neceſſitate, vel commoditate Eccleſiarum ſuarum.*

CXXXVIII. Porro quæ Capite III. & ſequentibus ſtatuit Synodus, de diſtributionibus quotidianis per Epiſcopos inſtituendis, de Parochiis dividendis, aut uniendis, de Coadjutoribus dandis Parochis minus aptis, de Beneficiis ſimplicibus collapſarum Eccleſiarum in alias transferendis, de Beneficiis qualitercumque commendatis per Epiſcopos viſitandis, de Quæſtorum ob eorum abuſus irremediabiles nomine ac uſu ubique abolendo, jam & hæc quoque in citatis Commentariis noſtris explicata fuere; videri tamen integra hæc Capita poſſunt, ſeu Decreta, quæ hucuſque innuimus, integra in ipſa Seſſione XXI. Concilii Tridentini, quæ *de Reformatione* inſcribitur; in cujus fine eadem ipſa Œcumenica, atque Generalis Tridentina Synodus ſtatuit, & decrevit, *proximam futuram Seſſionem habendam, & celebrandam eſſe Feria V. poſt octavam Feſti Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis, quæ erit XVIJ. menſis Septembris proxime futuri*, anni ſcilicet MDLXII. *Hoc tamen adjecto quod dictum terminum, ac unicuique Seſſioni in poſterum præfigendum ipſa ſancta Synodus pro ejus arbitrio, & voluntate, ſicuti rebus Concilii putaverit expedire, etiam in Generali Congregatione reſtringere, & prorogare libere poſſit, & valeat.*

CXXXIX. Propoſiti ſunt deinde a Legatis Articuli pro ipſa Seſſione XXII. diſcutiendi de ſacrificio Miſſæ, ejuſque inſtitutione, & virtute, ac de aliis ad ipſam ſpectantibus, ſuper quibus poſt longas conſultationes, & diſceptationes formata ſunt Decreta, quæ mox inferius referemus in enarratione ipſius Seſſionis XXII. Quoad deciſionem Concilii de rebus propoſitis nequid de iis ſtatueretur ante adventum Gallorum, qui in procinctu erant, Lanſacus Orator Galliæ Regis, & multi alii, enixe ſeduloque inſtiterunt, reſpectu etiam Polonorum, qui brevi adfuturi aſſerebantur. Sed tamen minime auditi ii ſunt, tum ceterorum tantæ moræ tædio tempore difficillimo, & ſumma annonæ caritate, tum quod mandaſſet Pontifex Legatis Synodi finem maturare. Ad quem etiam aſſequendum, altercationeſque minuendas, duo plurimum contulere. Unum quod Rex Hiſpaniæ ad ſuos ſcripſerit, ut quandoquidem Cæſari, Galliæque Regi declaratio continuationis Synodi adeo diſpliceret, diſſolvendo Concilio occaſionem præbere poſſet, ab ulteriori ejus poſtulatione penitus ceſſarent, modo ex altera parte, nulla novæ indictionis declaratio requireretur, ſed Concilium uti cœperat, ita porro procederet. Alterum, quod Legatorum induſtria ad vitandas prolixiores rixas, & quod Cæſari ſatiſfactum vellent, factum ſit, ut ille Calicis articulus ad Pontificem remitteretur, apud quem facilius de eo tractare Cæſar poſſet, quam in Synodo, ubi qui eum concedendum negabant, numero longe potiores erant.

## S E S S I O XXII.

CXL. His igitur ſic ſtabilitis, & nonnullis præterea Reformationis Capitibus digeſtis (graviſſime repulſam prorogationis Seſſionis ferentibus Oratoribus Gallicis non quidem juſte, cum jam Gallici Epiſcopi annum expectarentur, quaſi ſcilicet utiliores eſſent Bellis Gallicis, inquit Spondanus ad annum MDLXII. Num. XXXIII. quam Decretis Concilii, ſed dilationis cauſa in Cardinalem Lotharingium conjicienda, qui a negotiis Religionis, & Regni, quibus non parum utilis in tantis turbis erat, difficile divelli poterat, volebatque ipſe Epiſcopos ad Concilium ducere) adveniente præſtituta die XVII. Septembris, habita eſt Seſſio XXII. ab inchoato Concilio ſub Paulo III. & Sexta ſub Pio IV. in qua poſt conſueta ſolemnis, ab Epiſcopo, qui Miſſam celebravit lecta ſunt novem Capita doctrinæ, ſive Decreta de Sacrificio Miſſæ, quorum primum eſt, Sacrificium hoc fuiſſe a Chriſto Domino in noviſſima cœna inſtitutum. Alterum eſt, Sacrificium Miſſæ eſſe propitiatorium pro

pro vivis, & defunctis. III. *quamvis in honorem & memoriam Sanctorum nonnullas interdum Miſſas Eccleſia celebrare conſuevit, non tamen illis Sacrificium offerri, ſed Deo ſoli, qui illos coronavit.* IV. Canonem Miſſæ eſſe *ita ab omni errore purum, ut nihil in eo contineatur, quod non maxime ſanctitatem, ac pietatem quamdam redoleat, menteſque offerrentium in Deum erigat.* V. *Cæremonias Miſſæ, ut Myſticas benedictiones, lumina, tymiamata, veſtes aliaque id genus multa* adhiberi ab Eccleſia *ex Apoſtolica diſciplina & traditione, qua & majeſtas tanti ſacrificii commendaretur, & mentes Fidelium per hæc viſibilia Religionis, & pietatis ſigna, ad rerum altiſſimarum, quæ in hoc Sacrificio latent, contemplationem excitareatur.* VI. Miſſas, in quibus ſolus Sacerdos communicat, vere communes eſſe. VII. *præceptum eſſe ab Eccleſia Sacerdotibus, ut aquam vino in Calice offerendo miſcerent, tum quod Chriſtum Dominum ita feciſſe credatur, tum etiam quia e latere ejus aqua ſimul cum Sanguine exierit.* VIII. *etſi Miſſa magnam contineat populi fidelis eruditionem, non tamen expedire, ut vulgari paſſim lingua celebraretur;* ejus tamen Myſteria a Paſtoribus, & ſingulis curam animarum gerentibus frequenter inter Miſſarum celebrationem, vel per ſe, vel per alios, ex iis quæ in Miſſa leguntur, eſſe exponenda, mox etiam decernit.

CXLI. Sequitur Caput IX. quod eſt prolegomenon Canonum ſequentium, qui ſunt totidem Anathematiſmi contra enarratæ doctrinæ adverſarios, deinde vero Decretum *de obſervandis & evitandis in celebratione Miſſæ*; ac demum Decretum aliud de Reformatione undecim Capitibus conſtans, quorum primo Canones de vita & honeſtate Clericorum innovantur. II. de iis qui ad Cathedrales Eccleſias ſunt aſſumendi, III. de diſtributionibus quotidianis. IV. ut in quacumque Cathedrali, vel Collegiata Eccleſia Majoribus necdum initiati vocem in Capitulo non habeant; quid præſtare teneantur ad eas promoti; quidve deinceps promovendi. V. ut diſpenſationes extra Curiam Epiſcopo committantur, & ab eo examinentur. VI. ut ultimarum voluntatum commutationes circumſpecte fiant. VIII. innovatur Capitulum, *Romana* III. *De appellationibus*, in Sexto. VIII. ut Epiſcopi pias omnium diſpoſitiones exequantur, quæcumque pia Loca viſitent, dummodo non ſint ſub Immediata Regum protectione. IX. ut Adminiſtratores quorumcumque piorum Locorum reddant rationem Ordinario, niſi aliter in fundatione ſit cautum. X. ut Notarii Epiſcoporum examini, & judicio ſubjaceant. XI. ut bonorum cujuſcumque Eccleſiæ, aut pii Loci occupatores puniantur. Atque hæc Capita plenius diſtinctiuſque explicata legere eſt in Concilii Tridentini Seſſione ipſa Vigeſima ſecunda; ubi & demum additur Decretum de remiſſione ad Romanum Pontificem, duorum illorum articulorum circa Communionem Calicis in Seſſione XXI. reſervatorum. Ac tandem ultimo futura Seſſio indicta eſt in Feriam V. poſt Octavam Feſtivitatis omnium Sanctorum XII. menſis Novembris; in qua decernendum eſſet de Sacramentis Ordinis, & Matrimonii: quæ tamen variis de cauſis dilata fuit ad diem XV. Julii anni proxime ſequentis, ideſt anni MDLXIII.

CXLII. Lectæ præterea & in hac XXII. Seſſione fuere Litteræ M. Antonii Amulii Cardinalis Natione Veneti, Eccleſiarum Orientalium Chriſtianam Fidem profitentium Protectoris de adventu Romam Abdyzu Patriarchæ Muzalæ in Aſſyria ultra Euphratem una cum aliis ejuſdem Abdyzu, quibus ſe excuſabat apud Synodum, quod propter itineris longinquitatem eo minime proficiſceretur; rogabatque ejus Decreta Concilio finito ad ſe mitti, quæ ſingula obſervari curaturus eſſet. Lecta & ejus eſt Fidei profeſſio, quam recenſet Surius in ſuo Commentario ad annum MDLXII. prope finem, ubi etiam addit, fuiſſe illum Virum doctum, Chaldaicis, Arabicis, & Aſſyriis litteris ornatum, ac de multis, & difficillimis quæſtionibus ſæpe interrogatum, graviter & copioſe reſpondiſſe: cunctoſque Veteris, ac Novi Teſtamenti Libros, antiquos Græcos, Latinoſque Patres, Chaldaica, Aſſyria, & Arabica lingua verſos, & alios Latinis ignotos, quos memoriter tenebat, legiſſe: aſſeruiſſe omnes fere Romanæ Eccleſiæ Ritus, & Sacramenta apud ſuos ſervari: Fidemque Chriſti ab Apoſtolis Thoma, & Thaddæo, ipſorumque diſcipulo Marco Majores ſuos accepiſſe, & adhuc retinere: ejus juriſdictionem ad interiores uſque Indos penetrare: Romam ad Apoſtolorum Limina, & Pontificem ſalutaturum cum aliquot Sociis perveniſſe, ut ab eo confirmatus Pallium de Corpore S. Petri ſuſciperet: Pontifici perpetuam obedientiam promiſiſſe, & per Interpretem Fidem profeſſum eſſe. Tradit hæc quidem inter alios Surius loco citato, ubi etiam ſic ſubjicit: *Ita Eccleſiæ dignitas, & ſalutaris doctrina per MD. annos in tam longinquis gentibus inter tot perpetuas Infidelium vexationes, eadem in hunc uſque diem permanet, quam apud nos Evangelici Præcones*, Proteſtantes ſcilicet, *oppugnant, & lacerant*. Porro Tridenti ubi in citata Seſſione XXII. lectæ fuere Litteræ Cardinalis Amulii, eadem de protenſione juriſdictionis hujus Patriarchæ in Regiones etiam Indiæ, quæ Luſitaniæ Regi parerent, aſſerentes: Orator Luſitanus proteſtatus eſt, Antiſtites Orientales Regi ſuo parentes, neminem Patriarcham ſuperiorem agnoſcere, atque ut hujus Patriarchæ admiſſione neque ipſis, neque Regi ſuo ullum crearetur præjudicium.

CXLIII. Poſt Seſſionem allatæ ſunt ad ſuos Oratores Regis Galliæ Litteræ, ut agerent cum Legatis de proroganda Seſſione, vel ut ſolum in illa de Reformatione, & non de Dogmatibus ageretur: Gallicos Epiſcopos brevi adfuturos, ſi vero ulterius ad Dogmata procederetur, eorum adventum inutilem fore. Eadem petitio facta & ab Imperialibus fuit; reſponſum eſt a Legatis, *ſe pro viribus facturos, ut Principum petitionibus ſatisfiat. Hæc tamen matura conſideratione indigere*. Propoſiti ſunt deinde a Legatis in conſuetis Congregationibus quidam Articuli de Sacramento Ordinis, ut a Theologis examinarentur. Quod autem Tridenti fiebat a Gallicis Oratoribus apud Legatos, etiam fiebat a Gallico Oratore apud Pontificem, qui Regis Galliæ petitione audita reſpondit, *Gallos ſumma cum patientia XXVIIJ. menſium ſpatio fuiſſe expectatos; Cardinalem a Lotharingia cum Epiſcopis nunquam diſceſſiſſe ex Gallia ob varia apud Regem obſequia; Gallos nolle Concilio adeſſe, dilationem petere variis de cauſis; Patres in Concilio ſumtibus, atque incommodis eſſe feſſos;*

*Gal-*

*Gallicos Oratores aſſerere Tridenti, Concilium non eſſe liberum, ipſos tamen Patribus libertatem adimere; ad Galliæ Regem nihil ſpectare determinationem de Dogmatibus, cum ipſe Catholice ſentiat; ſed potius de reformatione eorum, qui ad Beneficia præſertim pinguia, in ipſius Provinciis promoventur; quare, ſi expectandi ſint ex Gallia Epiſcopi, pro reformatione certe expectandos eſſe, Gallos ſub terminis univerſalibus reformationem petere, ſiquid deſiderent in particulari, proponant.*

CXLIV. Interim per varia tempora reſponſum a Theologis fuit circa articulos de Sacramento Ordinis, qui referuntur octo. Primus, *an Ordo ſit Sacramentum?* Secundus, *de numero Ordinum*, Tertius, *de Hierarchia Eccleſiaſtica*. Quartus, *an in Novo Teſtamento ſit Sacerdotium viſibile?* Quintus, *an in Ordinatione accipiatur Spiritus Sanctus?* Sextus, *an manuum impoſitio, & ceteræ cæremoniæ ſint aſpernendæ?* Septimus, *an Epiſcopi ſint Presbyteris ſuperiores?* Octavus, *an Epiſcopi aſſumti auctoritate Romani Pontificis, ſint veri Epiſcopi?* De reformatione nihil adhuc propoſitum fuerat; etenim Legati verebantur, ne quicquid proponeretur, vel Epiſcopis, vel Principibus, odioſum foret; quare, expedito Tabellario, rem omnem Pontificem docuerunt. Sed jam fama tulerat, Cardinalem a Lotharingia adventare Tridentum, & Galliæ Rex Abbatem Maude hac de re ad Pontificem Nuntium miſerat, qui benigne acceptus eſt. Venit hoc tempore ad Concilium Valerianus Herbutus Præmiſſienſis Epiſcopus Poloniæ Reges Orator, & honorifice exceptus eſt. Præterea Cæſar per Litteras a Legatis poſtulavit, ut in Dogmatibus determinandis immorarentur, ſpem eſſe, ut poſt Conventum Francfurti Proteſtantes ad Concilium veniant, ſeque illi ſubmittant. Reſponſum eſt a Legatis, *Proteſtantium adventum aut nullum, aut inutilem fore, Concilium pro hac re immorari non poſſe.*

CXLV. Appropinquante demum die XII. Novembris Seſſioni deſtinato, audientes Patres Cardinalem Lotharingium ingreſſum eſſe Italiam cum multis Epiſcopis, Abbatibus, & Theologis, viſum eſt illis non modo Seſſionem, verum etiam Congregationes uſque in adventum ejus differre. Qui tandem die XIII. ejuſdem menſis Tridentum ingreſſus eſt, exceptus longius extra Urbem a Cardinale Madrutio Epiſcopo Tridentino cum multis Prælatis, ac Principum Oratoribus, & ad portam Urbis ab omnibus Cardinalibus Legatis, in hoſpitium deductus eſt equo vectus medius inter duos priores Mantuanum, & Seripandum. Die autem XXIII. in Congregatione generali exhibitis Litteris Regiis de ſua Miſſione, & cauſis ejus, videlicet ad procuranda quæ neceſſaria eſſent ad Regni tranquillitatem, & totius Chriſtianæ Reipublicæ ſalutem, elegantem Orationem habuit de Gallicarum rerum ſtatu cum exhortatione ad Patres, ut novæ, & infructuoſæ quæſtiones vitarentur, & de reformatione morum, & Eccleſiæ diſciplinæ decerneretur; vehementioremque Ferrerius unus ex Regiis Oratoribus in eundem ſenſum recitavit, quæ omnes publicatæ fuerunt. Interfuit deinde Lotharingius Congregationibus, & in ſententiis dicendis magnam eloquentiæ, & zeli laudem adeptus eſt, ſicut & ceteri Galliæ Præſules, quamquam non ſine invidia multorum tam Romæ, quam Tridenti exiſtentium, ob varias eorum propoſitiones poſtulationeſque tum de aliis rebus, tum de reformatione Curiæ, & abuſibus tollendis maxime ob ſummam Cardinalium auctoritatem. Atque hinc eſt, quod cum Pontifex cerneret pleroſque reformationem Curiæ flagitare, ut eam ipſemet demum abſque opera Concilii, ſicut ſæpe promiſerat, exequeretur, multas Conſtitutiones promulgavit diverſis hujus anni MDLXII. menſibus de reformatione ſcilicet Curiæ, ejuſque Tribunalium, ut in Romano Bullario videre eſt.

CXLVI. Sub initium anni MDLXIII. cum Legati Oratoribus Gallicis ſignificaſſent, ut de reformatione, quam petebant, aliquid proponerent, ipſi habita conſultatione cum aliquibus ſuæ Nationis Epiſcopis obtulerunt Legatis Capita XXXIV. reformationis, quorum plurima cum ſatis ardua eſſent ac nova, placuit Legatis, aſſentiente etiam Lotharingio de iſtis conſulere Pontificem per Viterbienſem Epiſcopum. Quo audito, Cæſarei etiam inſtiterunt, ut XX. alia reformationis capita jam antea ab illis tradita examinarentur. Ubi Viterbienſis acceſſit Romam, Gallicamque reformationem ad Papam detulit; qua cum turbaretur Pontifex, mox ille mentem ſedavit Pontificis, dicens reformationem ejuſmodi *neque ipſis Gallis Epiſcopis placere, & ſuo tempore oppoſitum petituros, ceterum certam eſſe ſpem, ſi Pontifex concederet Gallis Calicis uſum, Miſſam lingua vulgari, & conjugium Presbyterorum, facile omnia alia prætermittenda*. Tradidit mox Pontifex Capita ipſa Gallicæ reformationis, quæ poſt Thuanum ad annum Chriſti MDLXIII. recenſet Spondanus, Theologis examinanda, eorumque Cenſuram una cum diligenti inſtructione ad Legatos miſit. Scripſit præterea ad Galliæ Regem, ſignificans illi, *in Capitibus de reformatione propoſitis multa quidem contineri utilia, ac neceſſaria; aliqua tamen obeſſe Regiæ, nedum Pontificiæ auctoritati, & univerſalis Eccleſiæ Regimini pernicioſa eſſe*; idque optimis rationibus declaravit.

CXLVII. Præter Viterbienſem Epiſcopum miſſus etiam a Legatis ob alia negotia ad Pontificem Vintimillienſis Epiſcopus fuerat, qui reverſus poſt ſuam Legationem Tridentum, Pontificis nomine conſolatus eſt Patres, & de proſequendo uſque ad finem Concilio, illius mentem aperuit. Quamobrem Legati propoſuerunt Theologis examinandos, ut ſuo tempore definirentur, quoſdam articulos de Sacramento Matrimonii, Gallicis Oratoribus fruſtra inſtantibus, ut reformationis Capita ab eis propoſita potius in examen vocentur. Interim ad Concilium acceſſit Salisburgenſis Archiepiſcopi Procurator, petens, *ut procuratores Germanorum Epiſcoporum poſſint in Concilio deciſivam ferre ſententiam.* Res delata eſt ad Pontificem; dieque XI. Februarii prædicti anni MDLXIII. allatæ ſunt ad Synodum Regis Galliæ litteræ de rebus pro Religione feliciter geſtis, & Ferrerius Orator Gallus concinna Oratione eſt uſus ad Patres, ut rebus Gallicis in Decretis conſuleretur. Multa interim, & incerta ferebantur, & de Cæſaris mente reformationem petentis, & de bellicis Proteſtantium motibus, quorum cauſa Cardinalis Altemps vocatus eſt a Pontifice ad colligendas copias. Paucos tandem poſt dies obiit Cardinalis Mantuanus primus Apoſtolicæ Sedis Legatus, & non multo poſt Cardinalis

lis Seripandus; ante cujus mortem jam Pontifex Joannem Moronum, & Bernardum Navagerum Cardinales Legatos ad Concilium elegerat. Ceterum & hoc tempore accidit Guiſiani Ducis mors a quodam Hugunoto ſicario illata, & paulo poſt mortuus eſt alter ejus frater, duorumque iſtorum fratrum interitu Lotharingius ipſe ſatis eſt animo fractus.

CXLVIII. Venit deinde ad Concilium Quinquecclesiarum Epiſcopus cum Cæſaris litteris ad Legatos quibus etiam tradidit exemplar eorum, quæ ad Pontificem a Cæſare mittebantur. Cæſaris Litteræ ad Legatos nihil aliud continebant, niſi ejus deſiderium, *ut in Concilio ſtatuatur aliquid, quod Eccleſiæ Catholicæ proſit, ſimulque ut de reformatione agatur*. Cæſaris vero litteræ ad Pontificem aſpera quædam, ac dura perſtringebant, quorum ſenſus erat, *Concilium Cæſaris diligentia, atque labore incboatum, non bene procedere; eſſe diſcordiis plenum, ejuſque diſſolutionem timeri non ſine omnium ſcandalo, & Proteſtantium riſu; hoc malum ipſi Pontifici tribui; Concilium illud non eſſe liberum. Primum, quia nihil Tridenti ſtatueretur, quod Romæ non placuiſſet. Secundo, quia nihil proponebatur niſi a Legatis. Tertio, quia ſiqui Pontificis mentem ſequuntur, ſuaſionibus, & artificiis utuntur in eos, qui oppoſitum ſentiunt; reformationis cauſam in nihilum abiiſſe*. Pontifex litteris hiſce acceptis ſummopere indoluit, quod Cæſar plus ſibi vendicaret, quam fas eſſet, tantoque magis, quod harum litterarum exempla ad alios Principes miſſa fuiſſe ferebantur.

CXLIX. Porro reſponſum Pontificis ad Cæſarem fuit, *Concilium a ſe convocatum fuiſſe annuente Cæſare, aliiſque Regibus, ac Principibus Chriſtianis; non quod Pontifex in his pro tuenda Eccleſia, illorum nutu, ac conſenſu indigeret: Concilii diſſolutionem, aut ſuſpenſionem nunquam ex parte Pontificis eſſe timendam: Concilium liberum eſſe, non tamen certo ordine carere; illa enim non libertas foret, ſed error: Concilium Tridentinum aliorum legitimorum Conciliorum normam, ac methodum ſequi, in quibus, præſente Pontifice, Patrum erat approbare ea, quæ a Pontifice proponebantur: abſente eo, idem fieret per ipſius Legatos. Si enim cuilibet quidlibet in Concilio proponendi jus eſſet, omnia in confuſionem abirent; neque Concilii libertatem ideo tolli, ſi nihil in Concilio ſtatuatur, quod Romæ determinatum non ſit; hoc enim ipſum cætera antiqua Concilia factitaſſe, quæ in ſuis Decretis a Romanis Pontificibus acceperunt inſtructionem. Ephesinam a Cæleſtino, Chalcedonenſe a Leone, Trullenſe ab Agathone, Nicænum ſecundum ab Adriano Primo, Conſtantinopolitanum ab Adriano Secundo. Se dolere, quod excitentur Decreta contra Pontificis auctoritatem, quam ipſe accepit a Chriſto Domino. Quæ Principes per ſuos Oratores petunt de reformatione, loco ſuo, & tempore fient. Non eſſe illorum imponere leges Concilio, ſed ab illo accipere, qui quidem, ſi Conſtantini, & Theodoſii pietatem imitentur, omnia bene eventura*. Harum litterarum exempla, quæ ad Cæſarem mittebantur, Pontifex & ad alios Principes miſit, ut & ipſi, ad quos Cæſaris propoſitiones pervenerant, etiam reſponſionem reciperent.

CL. Inſtiterunt interim Galli apud Legatos pro ſuis petitionibus, quibus, ſicut & Cæſareis, dictum eſt, *expectandos eſſe alios duos Legatos Moronum, & Navagerum*. Idem factum eſt a Cæſareis Romæ ſimul cum Oratore Hiſpano eadem petentibus. Verum Hiſpanus Orator ſeorſim a Cæſareis, ſui Regis mentem Pontifici aperuit. Rex enim Hiſpanus nullo modo voluit, ut Calicis uſus, & Presbyterorum conjugium concederetur, ut Cæſarei, & Galli petebant; & hoc expreſſe ipſe Rex ad ſuos ſcripſerat in Concilio, & Hiſpani Præſules hoc obnixe curabant, quod Pontificis voluntati mirifice concordabat. Sed his omiſſis a die IX. Februarii uſque ad diem XVIII. Martii, Theologi reſponderunt articulis propoſitis de Sacramento Matrimonii; viſumque eſt primo, *an Matrimonium ſit Sacramentum?* Secundo, *an Parentes poſſint filiorum Matrimonia irrita facere, præſertim occulta, & an hæc vera ſint Matrimonia, & an poſſint ab Eccleſia irritari?* Tertio, *an poſſit repudiari uxor ex cauſa fornicationis, & vivente repudiata aliam ducere?* Quarto, *an ſit admittenda bigamia, & an in Eccleſia præceptum de non celebrando Matrimonio certis temporibus, ſit Ethnicorum ſuperſtitio?* Quinto, *an Matrimonium ſit anteponendum cælibatui?* Sexto, *de Matrimonio Presbyterorum*. Septimo, *de Gradibus Matrimonium dirimentibus*. Octavo, *an, ut quidam falſo aſſerebant, inhabilitas, & error tantum ſint impedimenta Matrimonium dirimentia, & an cauſæ Matrimonii ad Secularem Judicem pertineant, & non ad Eccleſiaſticum?*

CLI. Qua Cenſura facta expectabantur alii duo Legati pro Decretis abſolvendis, & Seſſione celebranda. Sed Pontifex pro componendis his, quæ a Cæſareis, atque a Gallis de reformatione ferebantur, voluit, ut Cardinalis Moronus primus Legatus ad Synodalia Decreta minime accederet, niſi prius ad Cæſarem tranſiret, a quo de omnibus edoceretur. Die XIII. Aprilis venit Tridentum Cardinalis Moronus, & Litteris de ſua Legatione in Congregatione exhibitis, paucos poſt dies ad Cæſarem profectus eſt. Poſt cujus diſceſſum Cardinalis Lotharingius, qui cum Morono ſimultates habuerat, & Venetiis morabatur, Tridentum reverſus eſt; & expedito quodam Aulico ad Cæſarem, monuit eum, ut venienti Morono inſtaret pro reformatione. Inſtabat etiam hoc tempore Princeps Condeus in Gallia, ut Concilium in aliquam interiorem Germaniæ Civitatem transferretur, confidens hac arte, Catholicis & vim, & inſidias ſe poſſe moliri. Quo audito iratus Catholicus Hiſpaniæ Rex litteris in Galliam miſſis, atque ad Pontificem, ſuum ſenſum aperuit de non amovendo pedem a Tridentina Civitate. Contra vero Galli, quia videbant aperte in ipſa Civitate ſe numquam ſui voti compotes fore, ſuis Theologis conſueta ſubſidia ſuſtulerunt, quare ipſorum plurimi Tridento diſcedere coacti ſunt.

CLII. Die XIII. Aprilis Cardinalis Navagerus veſpere, ac ſecreto, ut jactantiam fugeret, Tridentum ingreſſus eſt, & paulo poſt Cardinalis Moronus a Cæſare ad Concilium rediit ad Synodalia Acta proſequenda, poſtquam Cæſaris mentem aliorum ambitione male perſuaſam informavit, atque lenivit. Poſt cujus adventum pro determinando futuræ Seſſionis die ad diem X. Junii tempus dilatum eſt. Interim idem Cardinalis Moronus, ut cum Lotharingio rediret in gratiam, ad illum jam reverſum ex Hoſtia, quod eſt

eſt Caſtellum inter Venetos, & Mantuam ſitum, viſendum acceſſit Pontificalibus Inſignibus indutus, & prævia Cruce, ut Apoſtolicus Legatus, obtulitque illi Capita XLII. reformationis ſibi a Pontifice tradita, addens, ſe nihil abſque ejus conſilio facturum, quem in ſuæ Legationis partem vocabat. Ceterum ut alia omittam, quæ fuſe narrantur a Spondano, Rainaldo, & aliis ad annum MDLXIII. & præſertim a Cardinale Pallavicino in Tridentini Concilii Hiſtoria, Cæſar tandem Oratoribus ſuis mandavit, ut omnem operam darent, ne Concilium de auctoritate Papæ verba faceret, ac nequid decerneretur a Patribus, quod concordiam cum Proteſtantibus difficiliorem faceret.

SESSIO XXIII.

CLIII. Viſis tandem, atque examinatis variis in Congregationibus, quæ ad Sacramentum Ordinis ſpectant, cum veniſſet dies Jovis XV. Julii anni MDLXIII. habita eſt Seſſio XXIII. ab inchoatione Concilii, & VII. ſub Pio IV. adhibitis cæremoniis conſuetis, Miſſamque celebrante Pariſienſi Epiſcopo, & Orationem habente Epiſcopo Aliphano. Finita Miſſa, ceteriſque precibus recitari ſolitis, lecta ſunt Brevia Legationis Cardinalium S. R. E. Moroni, & Navagerii, itemque procuratoria variorum Principum Mandata juxta ordinem, quo accepta fuerant. Recitatum eſt poſtea ab ipſo Epiſcopo celebrante Decretum Fidei de Sacramento Ordinis, quatuor Capitulis conſtans, quorum primo declaratur ex ſacris Litteris, & Catholicæ Eccleſiæ Traditione, *Sacerdotium a Domino Salvatore noſtro inſtitutum eſſe, atque Apoſtolis, eorumque Succeſſoribus in Sacerdotio, poteſtatem traditam conſecrandi, offerendi, & miniſtrandi Corpus, & Sanguinem ejus, necnon & peccata dimittendi, & retinendi*. Secundo, ad venerationem tanti Sacrificii ab Initio Eccleſiæ fuiſſe in uſu ſeptem Ordines, quorum alii ſunt majores itaut tamen Subdiaconatus referatur inter majores. Tertio, *Ordinem eſſe vere, & proprie unum ex ſeptem ſanctæ Eccleſiæ Sacramentis*. IV. demum, *quoniam in Sacramento Ordinis, ſicut & in Baptiſmo, & Confirmatione, Character imprimitur, qui nec deleri, nec auferri poteſt*, damnanda eſſe ait, 1. *eorum ſententium, qui aſſerunt, Novi Teſtamenti Sacerdotes temporariam tantummodo poteſtatem habere, & ſemel rite ordinatos, iterum laicos effici poſſe, ſi Verbi Dei miniſterium non exerceant*. II. non omnes Chriſtianos eſſe Sacerdotes, ſed eos ſolos, qui legitime ſunt ordinati ab Epiſcopis, qui in Apoſtolorum locum ſucceſſerunt, ac præcipue ad Hierarchiam Eccleſiaſticam pertinent poſiti a Spiritu Sancto regere Eccleſiam Dei, ſuntque Presbyteris ſuperiores, poſſuntque Confirmationem, & Ordines conferre, atque alia pleraque peragere, quæ reliqui inferioris Ordinis non poſſunt. III. in ordinatione Epiſcoporum, Sacrdotum, & ceterorum Ordinum non eſſe neceſſarium populi, aut cujuſvis ſecularis poteſtatis conſenſum, ſive auctoritatem, ut ſine illis ea ſit valida; quinimo, qui tantum a populo, aut ſeculari poteſtate vocati hæc miniſteria exercent, non Eccleſiæ Miniſtros, ſed fures eſſe, & latrones. His additi ſunt Canones VIII. ſeu anathemata ad damnandos errores prædictæ doctrinæ contrarios.

CLIV. Sequitur Decretum de Reformatione, quod XVIII. Capitibus conſtat; quorum primo Rectorum Eccleſiarum in reſidendo negligentia varie coercetur, & animarum curæ providetur. II. ſtatuit, ut Eccleſiis Præfecti Conſecrationis munus intra tres menſes ſuſcipiant, & quo loco Conſecratio ſit peragenda. III. ut Epiſcopi extra ægritudinem per ſe Ordines conſerant. IV. Qui prima Tonſura initiandi. V. Ordinandi quibus inſtructi eſſe debeant. VI. Quæ ætas ad Beneficium Eccleſiaſticum requiratur, & quis privilegio Fori gaudere debeat. VII. ut examinentur Ordinandi a Viris peritis Juris Divini, & humani. VIII. quomodo, & a quo unuſquiſque promoveri debeat. IX. Ut Epiſcopus familiarem ordinans, conferat ei ſtatim Beneficium re ipſa. X. ut Epiſcopis inferiores Prælati Tonſuram, vel minores Ordines non conferant, niſi Regularibus ſibi ſubditis; nec ipſi, aut Capitula quæcumque dimiſſorias concedant, graviori in hoc Decretum peccantibus pœna conſtituta. XI. Interſtitia in ſuſceptione minorum Ordinum, & certa alia præcepta obſervanda. XII. Quæ ætas ad majores Ordines requiſita, & ut digni dumtaxat aſſumantur. XIII. De Subdiaconi, & Diaconi Ordinatione, & munere, & ut nulli Ordines Sacri duo conferantur eodem die. XIV. Quinam ad Presbyteratum aſſumendi, & quodnam hujuſmodi aſſumtorum munus. XV. Ut nullus Confeſſiones audiat, niſi ab Ordinario approbatus. XVI. Ut Eccleſiis inutiles, & vagi ab Ordinibus arceantur. XVII. Qua ratione exercitia minorum Ordinum repetenda. XVIII. De forma erigendi Seminarium Clericorum præſertim tenuiorum, & quæ in ejus erectione obſervanda; ac de educatione promovendorum in Cathedralibus, & majoribus Eccleſiis. Quæ omnia videre eſt ubertim, ac diſtincte explicata in Decretis Concilii editis, in quo etiam extat Decretum indictionis proxime futuræ Seſſionis in diem XVI. Septembris, in qua agendum eſſet de Sacramento Matrimonii, & aliis ad doctrinam, & reformationem pertinentibus; quæ tamen Seſſio prorogata fuit poſtea in diem XI. Novembris.

CLV. Abſoluta Seſſione, Legati ad Concilii finem tendentes, cum jam de Matrimonio a Theologis, quibus demandata ea fuerat provincia, ſatis conſideratum fuiſſet, dederunt illis examinanda alia aliqua capita, ſcilicet de Indulgentiis, de invocatione, & veneratione Sanctorum, ac de Purgatorio. Propoſita præterea fuerunt plurima Reformationis Capita, quæ ad Reges attinebant, nam & ipſi Reges etiam Reformationem ſe ſubituros dicebant. Verum Orator Hiſpanus dubitans de ſui Regis mente circa hoc, Concilium in longum protrahere ſtuduit. Et quidem hujus rei varia ferebantur principia, ſive propria Hiſpanorum in negotiis peragendis mora, ac tarditas, ſive Regis voluntas, ut interim per Concilium aliqua inveniretur via ad ſedandos de Religione tumultus in Belgio creſcentes, ſive ex Gallorum inſtantia, ſive ex aliis occultioribus, quæ prudentium hominum relinquuntur conjecturis. Cum itaque de Concilii abſolutione ageretur, Hiſpanus Orator propoſuit, denuo ante abſolutionem ipſam Concilii vocandos eſſe Proteſtantes, pro quibus hoc Concilium fuerat inſtitutum. Voluiſſet hic etiam, ut Theologi in proponendis articulis propoſitis immorarentur; ſed de ea re factus certior Pontifex, apud Hiſpanos Miniſtros queſtus eſt de ipſo Lunenſi Oratore, quod tam inſolentia, ac vana proponeret,

ret, de iiſque rebus ad ſuum quoque Nuntium in Hiſpaniam ſcripſit.

CLVI. Interim die XXII. Julii ſacta eſt Congregatio, in qna viſis Decretis de Matrimonio, duo propoſiti fuerunt articuli; primus, *an deceat conjugatos promovere ad Ordines Sacros?* ſecundus, *an Matrimonia elundeſtina irrita eſſe inpoſterum ſtatuendum ſit?* Ad primum reſponſum fuit, *negative*, fruſtra in contrarium loquentibus Pragenſi, & Quinquecclesiarum Epiſcopis. Ad ſecundum CXXXVI. Patres reſponderunt *affirmative*. LVII. *negative*. X. noluerunt ferre ſententiam. Inter ipſos Legatos etiam aliqua fuit diſparitas; diſputatumque eſt de Matrimonii abuſibus, & impedimentis. Propoſita deinde ſunt XXX. Reformationis Capita. Hiſpanus autem Orator cum aliis Oratoribus perſuadere conatus eſt, ut vota ferrentur per Nationes, ut in Conſtantienſi & Baſileenſi Conciliis factum fuit. Sed huic petitioni ſe oppoſuit una cum Gallis, & Luſitanis Cardinalis Lotharingius, qui etiam cupiens, ut finis Concilio imponeretur, propoſuit Legatis, ut ea Reformationis Capita amoverent, quæ longas fortaſſe contentiones excitarent; ſimulque Hiſpanum Oratorem rogavit, ut difficultatibus movendis abſtineret. Oratores Cæſarei in Capitibus propoſitis aliqua omittenda, alliqua diſtinguenda dixerunt, addentes expectandum quid determinandum ſit in Viennenſi Conventu; quod Legatis multum diſplicuit. Poſtulaverunt præterea Cæſarei ipſi Oratores, *ut in Indice Librorum probibitorum non ponantur Decreta fieri conſueta in receſſu Conventuum Imperialium*. Reſponderunt tamen Legati, *Pragenſem Archiepiſcopum eorum collegam eſſe iſtius Congregationis caput, quare ad illum bæc eſſe referenda*. Galli Oratores curioſa Reformationis Capita obtulerunt. Veneti, Sabaudi, Florentini nonnihil in illis Capitibus circa Juſpatronatus emendandum dixerunt. Orator Hiſpanus licet omnia bene ſtare dixiſſet, aliquid tamen addendum, & minuendum ſignificavit. Ceterum Legati, conſultatione habita cum Cardinalibus Lotharingio, & Madrutio, ſtatuerunt proponere Patribus Capita illa, quæ magis vacarent difficultatibus, neque omnia ſimul, ſed partim, & ſucceſſive, ut facilius examinarentur.

CLVII. Quicquid autem ſit de hiſce Capitibus, quæ recenſet Spondanus, & Rainaldus ad annum MDLXIII. & in Hiſtoria Concilii Tridentini Pallavicinus, die XI. Auguſti cœperunt variæ Congregationes haberi pro Canonibus condendis de Matrimonio, & in determinando de nuptiis filiorum familias. Ubi oblata occaſione definitum eſt de Matrimoniis clandeſtinis, *ut inpoſterum illa tantum Matrimonia ſint valida, etiam in foro conſcientiæ, quæ fiunt coram Parocho, & teſtibus*. Venerunt deinde Cæſaris Litteræ ad Legatos, quibus petebatur, *ut de Principum Reformatione non ageretur, niſi poſt ejus Reſcriptum*. Paulo poſt venerunt etiam Litteræ a Galliæ Rege ſatis acres adverſus Capita illa, & præcipue adverſus ea, *in quibus erat de Principum Reformatione*; jubente Rege ſuis Oratoribus, ut ſtatim ac de hiſce rebus in Concilio agi cognoſcerent, Tridento diſcederent, & Venetias pergerent. Turbarunt hæ Litteræ admodum Patres, centumque ex ipſis fœdus inierunt, ſe nunquam Reformationi aſſenſuros, niſi de Principum quoque Reformatione ageretur. Orator autem Hiſpanus Synodales res in longum protrahere ſtudens ſuſcitavit quæſtionem de declaratione apponenda ad verba illa, *proponentibus Legatis*. Atque hæ fuerunt cauſæ ob quas prorogatus eſt Seſſionis dies ad XI. Novembris. Qnod quidem Pontifici placuit, ut nempe interim Lotharingius ab ipſo jam diu expectatus Romam accedere, & inde Tridentum redire poſſet. Ubi ille ad Urbem pervenit, in ipſo Pontificis Palatio perbenigne exceptus eſt, ejuſque conſilio in multis eſt uſus Pontifex, quæ ad Concilium ſpectabant.

CLVIII. Interim Legati in Concilio poſt diſputationes de clandeſtinis Matrimoniis, ad Reformationis negotium converſi ſunt. Cum vero centum illi Patres, ut & de Principum Reformatione ageretur, contenderent, ſtatimque, ac primum verbum de hac re propoſitum eſſet, Ferrerius Orator Gallus longa oratione dixit, ſuum Regem huic Reformationi non aſſentire. Quæ Oratlo vel ipſis Epiſcopis Gallis diſplicuit, erat enim vel hæretica, vel ſuſpecta de hæreſi, & ſatis arrogans. Orationis exemplar Legatorum opera per eos, qui interfuernnt, ut fieri potuit, compoſitum eſt. Sed Galli aſſerentes illud ab eorum dictis diverſum eſſe, emendatam Orationem in publicum obtulerunt, quæ ad Lotharingium miſſa eſt Romam. Romæ vero Pontifex, ubi de Oratione Ferrerii audivit, mirifice commotus eſt, quod crederet, rem de induſtria factam ad præbendam occaſionem diſſolvendi Concilii, idque ipſi Pontifici imputandi. Lotharingius quoque de ipſa Oratione queſtus, dixit Pontifici, *ob ſuam abſentiam bæc eveniſſe*; culpæque etiam reos fecit Legatos, quibuſcum ante ſuum Tridento diſceſſum ita negotium compoſuerat, ut nullum de Regibus, & Principibus ſupremis verbum fieret, ſed tantum de quibuſdam Regulis, qui Epiſcopis nullum exercitium juriſdictionis Eccleſiaſticæ permitterent, Illud tamen pro certo confirmavit, per hæc non futurum, ut impediretur quietus Concilii finis, ſcripturumque ſe de ea re ad Regem, & cum Tridentum rediiſſet, operam negotio efficacem impenſurum.

CLIX. Cogitabat vero Pontifex, Principum Reformationem fieri poſſe non imperando, ſed conſulendo, & mirabatur, quod hi, qui Concilii libertatis fautores videri vellent, omnium maxime ejus libertati obſtarent. Scripſit ad Legatos, *ut ad ulteriora Patres procederent, Galli diſcedant, ſi velint, ipſis tamen diſcedendi cauſa ne præbeatur*. Verum Principum Reformationi obſtantibus Legatis, die VII. Octobris in generali Congregatione determinatum fuit, in futura Seſſione ſtatuendum *de Matrimonio, & de XXI. Reformationis Capitibus jam examinatis*. Sequenti die Galli Oratores, qui per aliquos dies in propria Domo cum reliqnis ſuæ Nationis Epiſcopis, multi enim jam diſceſſerant, otioſi manebant, Tridento Venetias profecti ſunt. Inde cum Orator Hiſpanus inſtaret pro declaratione verborum *proponentibus Legatis*, tribus Canoniſtis commiſſa eſt cauſa, ut ſimul cum ipſo Oratore declaratio fieret. Sed præſto fuit Cardinalis Lotharingius, qui a Pontifice optime inſtructus Tridentum redierat. Hic quippe ſumma prudentia egit cum Oratore Hiſpano, & controverſiam ſedavit; curavitque cum eſſet Venetiis cum Gallis Oratoribus, nt ſaltem in fine Concilii Tridenti adeſſent.

## S E S S I O XXIV.

CLX. Ergo reverſo Tridentum Cardinale Lotharingio, de omnibus, quæ agènda porro in Concilio forent, inſtructiſſimo, cum plena poteſtate de ſingulis una cum Legatis diſponendi, ſublatiſque quibuſdam difficultatibus, quæ Seſſionem remorabantur, adveniente die XI. Novembris ei deſtinata, celebrata eſt conſuetis ritibus, ordine XXIV. ab inchoata Synodo, atque VIII. ſub Pio IV. Pontifice. Cui tamen Cardinalis Warmienſis Stanislaus Hoſius unus e Legatis intereſſe noluit, quoniam in ea pronunciandum erat de Matrimonio clandeſtino, quod ipſe de Fide eſſe cenſeret, nec exiſtimaret, ullam eſſe Eccleſiæ ſuper ejus diſſolutione auctoritatem: ſi de re aliqua Juris poſitivi ageretur, libere ſuffragium laturum, etiamſi contrarium decernendum foret, ſed in cauſa Matrimonii neceſſario ſibi dicendum, ut conſcientiæ ſuæ ſatisfaceret, Synodum non poſſe de eo Decretum condere; quod quia fortaſſe nonnullis offenſioni eſſe poſſet, a quo ipſe alieniſſimus eſſet, malle ſe ingreſſu abſtinere. Orationem Franciſcus Richardotus Epiſcopus Atrebatenſis habuit, finitiſque cæremoniis, lecta ſunt Mandata diverſorum Principum, uti videre eſt apud Spondanum, Rainaldum, & Cardinalem Pallavicinum in Tridentini Concilii Hiſtoria.

CLXI. Poſt procuratoria ipſa Mandata per Secretarium Synodi lecta, recitatum eſt ab Epiſcopo celebrante Decretum doctrinæ de Matrimonio, ideſt, de ejus inſtitutione divina inter duas perſonas, & indiſſolubilitate, ac inter Sacramenta novæ Legis annumeratione, additis XII. Canonibus, & anathematiſmis contra ſecus ſentientes, & auctoritatem Eccleſiæ in ejus gradibus, & impedimentis diſpunendis negantes, atque ſtatum conjugalem virginali, vel cœlibatui anteponentes. Quæ omnia univerſorum Patrum aſſenſu comprobata fuere, prout habetur in Decretis Concilii. Cum autem ventum eſt ad Capita de reformatione Matrimonii, quæ ſunt X. numero, ad primum de clandeſtino irrito judicando, cujus cauſa Warmienſis Seſſioni intereſſe noluerat, Moronus primus Legatus dixit, ſibi Decretum placere, ſi Papæ probaretur. Simoneta alius Legatus, non ſibi placere, ſed ſe rem Papæ permittere: e ceteris Patribus, LVI. diſerte profeſſi ſunt non ſibi placere; reliqui, qui erant circiter CXL. illud approbarunt, quo Decretum eſt, I. quod *tametſi dubitandum non eſt, clandeſtina Matrimonia libero contrahentium conſenſu facta, rata, & vera eſſe Matrimonia, & proinde damnandi ſint illi, ut eos Sancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera, ac rata eſſe negant; quique falſo affirmant, Matrimonia a filiisfamilias ſine conſenſu parentum contracta, irrita eſſe, & parentes ea rata, vel irrita facere poſſe: nihilominus Sancta Dei Eccleſia ex juſtiſſimis cauſis ea ſemper deteſtata eſt, atque prohibuit*. II. cum animadverteret Synodus, prohibitiones illas propter hominum inobedientiam jam non prodeſſe, ideo Synodum ipſam præcipere, ut trinæ denunciationes fiant ad detegenda impedimenta, a quibus tamen Epiſcopi diſpenſare juſtis de cauſis poſſint: qui vero aliter, *quam præſente Parocho, vel alio Sacerdote de ipſius Parochi, ſeu Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus teſtibus, Matrimonium contrahere attentabunt*, eos Synodum inhabiles reddere, & hujuſmodi contractus irritos, atque nullos omnino eſſe decernere.

CLXII. Reliqua IX. Capita de reformatione Matrimonii ſunt de aliis ejus impedimentis. Capite II. explicat Synodus, inter quos cognatio ſpiritualis contrahatur. III. quibus limitibus publicæ honeſtatis impedimentum coarctetur. IV. declarat, ut affinitas ex fornicatione reſtringatur ad ſecundum gradum. V. nequis intra gradus prohibitos contrahat, quave ratione in illis diſpenſandum. VI. inter raptorem, & raptam, quandiu ipſa in poteſtate raptoris manſerit, nullum poſſe conſiſtere Matrimonium. VII. ut conjungendi ſunt vagabundi. VIII. quibus pœnis afficiendi concubinarii ſint. IX. ne Domini temporales, aut Magiſtratus quidpiam libertati Matrimonii contrarium moliantur ſub anathematis pœna ipſo facto incurrenda. X. denique quibus temporibus nuptiæ celebrari vetitæ. Quæ omnia diſtincte, ac luculenter explicata videri poſſunt in ipſa Seſſione XXIV. ubi de Reformatione Matrimonii agitur.

CLXIII. Lecta poſt hæc in eadem ipſa Seſſione fuere Capita XXI. de Reformatione. Primo Capite docet Synodus normam procedendi ad electionem Epiſcoporum, & Cardinalium. II. agit de Conciliis Provincialibus quolibet triennio, & Diœceſanis quotannis celebrandis. III. de Viſitatione Diœceſeon. IV. de Prædicatione Verbi Dei, & ut nullus contradicente Epiſcopo prædicare præſumat. V. de gravioribus cauſis criminalibus Epiſcoporum a ſolo Summo Romano Pontifice cognoſcendis, & terminandis; minoribus vero a Conciliis Provincialibus. VI. datur Epiſcopis poteſtas circa irregularitatum, & ſuſpenſionum diſpenſationes, & criminum abſolutiones. VII. ut Sacramentorum virtus antequam populo adminiſtrentur, ab Epiſcopis, & Parochis explicetur, & ut inter Miſſarum Solemnia Sacræ Paginæ explanentur. VIII. ut publice peccantes publice pœniteant, niſi Epiſcopo aliter videatur, & de Pœnitentiario in Cathedralibus inſtituendo. IX. a quo viſitari debeant Eccleſiæ ſeculares nullius Diœceſis. X. executio viſitationis a ſubditis ne ſuſpendatur. XI. ut honorarii tituli, aut privilegia particularia, Epiſcoporum juri nihil detrahant. XII. quales eſſe debeant promovendi ad Dignitates, & Canonicatus Cathedralium Eccleſiarum, quidve promoti præſtare teneantur. XIII. quomodo tenuioribus Eccleſiis Cathedralibus, & Parochiis conſulendum, & de certis Parochiis finibus diſtinguendis. XIV. nequis admittatur ad poſſeſſionem Beneficii, aut diſtributionum, cum fructuum diſtributione in uſus non pios convertenda. XV. quæ ratio augendi tenues Præbendas Eccleſiarum Cathedralium, & Collegiatarum inſignium. XVI. quid muneris incumbat Capitulo, Sede vacante. XVII. Beneficiorum collationi, & plurium retentioni, qui modus ſtatutus. XVIII. ut Eccleſia Parochiali vacante, deputetur a Epiſcopo Vicarius, donec illi provideatur de Parocho; & de nominatorum ad Parochiales Eccleſias examinatione. XIX. de Mandatorum de providendo, expectativarum, & aliorum id genus abrogatione. XX. quæ ratio tractandi cauſas ad Forum Eccleſiaſticum pertinentes.

CLXIV. Declaratur tandem Capite XXI. ex certis verbis ſupra poſitis non immutari ſolitam rationem tractandi negotia in generalibus Conciliis

ciliis

cilii*s*. Agit Synodus de clauſula illa *proponentibus Legatis*, toties a Comite Lunenſi, & Hiſpanis exagitata. In quorum ſatisfactionem dictum fuit, Synodum verba illa in primæ ſub Pio IV. Papa Seſſionis Decreto poſita explicando, *declarare, mentis ſuæ non fuiſſe, ut ex prædictis verbis ſolita ratio tractandi negotia in generalibus Conciliis ulla ex parte immutaretur, neque novi quidquam præter id, quod a Sacris Canonibus, vel generalium Synodorum forma hactenus ſtatutum eſt, cuiquam adderetur, vel detraheretur*. Ad extremum indicta eſt futura Seſſio in Feriam v. poſt Conceptionem Beatæ Virginis, diem IX. Decembris, cum poteſtate etiam abbreviandi, ſicut abbreviata fuit in III. diem ejuſdem menſis.

CLXV. Feſtinantibus Legatis ad finem Concilio imponendum, idque præcipue urgentibus Lotharingio, & Oratoribus Cæſareis, pro eo abſolvendo facta eſt privata Congregatio in Domo Cardinalis Legati Joannis Moroni, conſtans ex aliis Legatis, ac duobus aliis Cardinalibus Lotharingio, & Madrutio, Oratoribus Principum, & xxv. Epiſcopis delectis ex Nationibus. In ipſa omnium conſenſu, (excepto Oratore Hiſpano cum ſuis, qui dixit, reſcribendum Regi) determinatum eſt, finem imponendum eſſe Concilio. Rebus igitur ad exitum tendentibus, & ſufficienter examinatis his, quæ ſpectant ad Indulgentias, venerationem Sanctorum, & Purgatorium, atque definitis illis, quæ attinent ad Reformationem, & quidem quoad Principes quædam communia, & antiqua in Decretis ponenda, cum de Concilii abſolutione ageretur, determinatum eſt, *petendam eſſe a Romano Pontifice omnium Decretorum confirmationem, tam eorum, quæ ſub Paulo III. & Julio III. quam ſub Pio IV. Pontificibus facta fuerunt*. Porro in Capite, ubi agebatur de Epiſcopi auctoritate ſupra Capitulum, quoniam Hiſpani Epiſcopi communem cum Rege hac in re cauſam haberent, ſcripſit Hiſpanus Orator ad eum Oratorem Vargam ſcilicet, qui Romæ apud Pontificem erat, ut Regis cauſam ageret. Quo audito, reſpondit Pontifex, *de hoc agendum in Concilio*. Addidit Orator, *Patres in dies mutari*. Subjunxit Pontifex, *mutantur, quia liberi ſunt*; arguens Lunenſem Oratorem apud Concilium, quod tam obnixe inſtaret adverſus verba illa, *proponentibus Legatis*. Poſtulatum præterea fuerat a Pontifice per ipſum Oratorem Hiſpanum, ut imperaret Patribus, ne tam cito Concilio finem imponeret. Reſpondit Pontifex, *hoc petendum a Patribus in Concilio, quorum libertati ipſe Rex maxime favet*; & dicente Hiſpano, *totum Mundum optare, ut Concilium apertum diu permaneat*; reſpondit Pontifex: *Inquire Ptolemaicas tabulas, & cognoſces, an Hiſpania ſit totus Mundus*.

CLXVI. Dum hæc Romæ agebantur, Cardinalis Lotharingius, cui maximæ curæ erat Concilium finiri, ſcripſit ad Oratorem Gallum, qui Venetiis morabatur, ut Tridentum ad Concilium rediret, *eo quod in Decretis nihil eſſet adverſus Principes*. Noluit autem ille redire, aſſerens, multa eſſe in illis Decretis contra Eccleſiam Gallicanam. Laborabant Lotharingius, & Oratores Cæſarei, ut Lunenſem Oratorem Hiſpanum a ſententia de non abſolvendo Concilio removerent. At Legati nuncio accepto de graviſſima Pontificis infirmitate, & Litteris S. Caroli Cardinalis Borromæi, ut Concilii exitus, quantum commode fieri poſſet, acceleraretur, nulla cujuſquam habita ratione, ut incommodis, & periculis occurreretur, quæ circa electionem Succeſſoris poſſent accidere, ſi Concilium tempore Sedis vacantis conſiſteret, nihil amplius immorandum duxerunt, ſed coarctantes futuræ Seſſionis diem, ab Hiſpano Oratore petierunt, ut communi omnium voto de claudendo Concilio aſſenſum præberet. Ille vero contra, habito cum ſuis colloquio, proteſtationem parabat. Sed Legati diſpoſitis omnibus ad Seſſionem, & in Congregatione præſcripto omnium conſenſu, exceptis Hiſpanis, Seſſionis die, ſtatuerunt, etiam invito Lunenſi Oratore Hiſpano Concilium claudere. Ceterum rogatus Lunenſis a Lotharingio Cardinale, atque a Cæſareis, ut ſuum aſſenſum præberet (dicebatur enim, Oratorem Gallum, qui adhuc Venetiis erat, in mandatis habere, ut proteſtaretur, Regnum Galliæ alteri Papæ, quam qui a Concilio electus fuiſſet, non obediturum) ad extremum aſſenſus eſt, duabus appoſitis conditionibus, nimirum, ut decerneretur, Pontificem iis, quæ ob temporis brevitatem non potuiſſent in Concilio terminari, proviſurum; & ut in Decreto de Indulgentiis, non adjiceretur *gratis dandas*; aut aliud quicquam, quod Bullæ Cruciatæ in Hiſpania poſſet officere.

## S E S S I O XXV.

CLXVII. Cum igitur jam ante præcedentem Seſſionem materiæ de Purgatorio, Invocatione, & Reliquiis Sanctorum, ſacris Imaginibus, & Indulgentiis diſcuſſæ fuiſſent, & quæ poſt in Decretis de iis formandis ortæ eſſent nonnullæ difficultates, communi conſenſu ſublatæ; ſed & quæ Reformationem ſpectabant, cæteraque cuncta ita explicata, & enodata, ut ad rem omnem unica Seſſione abſolvendam, apprime & mature diſpoſita viderentur; ac denique abbreviato Seſſionis tempore ad diem III. Decembris, itaut ſi tunc expediri non poſſent omnia, continuaretur ſequenti die perinde, ac ſi unica eſſet Seſſio; habita eſt tandem die ipſo III. Decembris, & die ſequenti abſoluta Seſſio xxv. ab inchoato Concilio, & IX. ac ultima ſub Pio IV. Pontifice; in qua Oratione habita a Hieronymo Ragazonio Nazianzeno Epiſcopo, & ſervatis cæremoniis conſuetis, lecta ſunt Decreta, ac primum illud de Purgatorio, cujus ſana doctrina ſacris Litteris, & antiqua Patrum traditione, ac Conciliorum Decretis confirmata, jubetur populis prædicari, omiſſis ſubtilioribus, & curioſis quæſtionibus, *quæ ad ædificationem non faciunt, & ex quibus plerumque nulla fit pietatis acceſſio*. Mandat tum etiam Epiſcopis in eo Decreto Synodus Tridentina, ut *incerta, vel quæ ſpecie falſi laborant, evulgari, ac tractari non permittant: ea vero, quæ ad curioſitatem quandam, aut ſuperſtitionem ſpectant, vel turpe lucrum ſapiunt, tanquam ſcandala, & Fidelium offendicula probibeant*: itemque ut curent pariter ipſi Epiſcopi, *ut Fidelium vivorum ſuffragia, Miſſarum ſcilicet Sacrificia, orationes, eleemoſynæ, aliaque pietatis opera, quæ a Fidelibus pro aliis Fidelibus defunctis fieri conſueverunt, ſecundum Eccleſiæ inſtituta pie & devote fiant; & quæ pro illis ex teſtatorum fundationibus, vel alia ratione debentur, non perfunctorie, ſed a Sacerdotibus, & Eccleſiæ Miniſtris, & aliis, qui hoc præſtare tenentur, diligenter,*

Digitized by Google

*genter, & accurate perſolvantur*. Deiode uoico alio Capite Catholica doctrina de Invocatione, veneratione, & Reliquiis Saoctorum, & ſacris Imaginibus dilucide expoſita eſt, & contraria damnata, omniſque ſuperſtitio, turpis quæſtus, atque profani, & indecori abuſus prohibiti penitus ſunt.

CLXVIII. Poſt hæc Reformatiouem Syoodus proſequens de Regularibus, & Monialibus, Capita XXII. ea de re promulgavit; maodatque Capite I. ut Regulares omnes ad Regulæ, quam profeſſi ſiint, præſcriptum, vitam inſtituant; idque ut fiat, Superiores ſedulo corent. II. ut proprietas Regularibus omnioo prohibeatur. III. eſt de permiſſa omnibus Regularibus immobilium poſſeſſione in communi, etiamſi inſtitutioni ipſornm repugnaret; exceptis Capuccinis, & Minoribus, qui de Obſervantia vocantur. IV. ut Regularis ſine Superioris licentia, nec ſe obſequio alterius loci, aut perſonæ ſubjiciat, nec a Conventu recedat; abſens vero ſtudiorum cauſa, io Conventibus commoretur. V. claoſuræ Monialium providet, præſertim, quæ extra Urbes agont. VI. agit de ratione eligendi Snperiores. VII. de electione Abbatiſſæ, & ot nulla duobus Monaſteriis præficiatur. VIII. de forma inſtituendi regiminis Monaſteriorum non habentium ordinarios Regulares Viſitatores. IX. de Monaſteriis Monialium immediate ſubjectis Sedi Apoſtolicæ, ut ab Epiſcopo regantor. X. ut Moniales unoquoque menſe confiteantur, & commonicent, ac de eorom Confeſſario extraordinario, & de Euchariſtia apud eas extra publicam Eccleſiam non conſervanda. XI. ut in Mooaſteriis, quibus imminet cura perſonarum ſecularium, præter eas, quæ ſunt de illorum familia, viſitet Epiſcopus, & eidem curæ præficiendas examinet, certis exceptia. XII. ut conformentur Regulares ſecularibus in obſervatione Cenſurarum Epiſcopalium, & Feſtorum Diœceſis. XIII. ut controverſias de præcedentia e veſtigio componat Epiſcopus, exemptique noo in ſtrictiori clanſura viventes ad ſupplicationes publicas accedere compellantur. XIV. Regulari publice delinquenti pœna a quo irroganda? XV. ut Profeſſio non fiat, niſi anno Probationis exacto, & decimoſexto ætatis completo. XVI. ut renunciatio, aut obligatio facta ante duos menſes proximos Profeſſionis ſit nulla; finitaque probatione, Novitii aot profiteantur, aut ejiciantur; & oe quid ex bonis Novitii Monaſterio tribuatur ante Profeſſionem. XVII. ut puella major duodecim annis ſi habitum Regularem ſuſcipere voluerit, exploretur ab Ordinario, iterumque ante Profeſſionem. XVIII. Nequis præterquam in caſibos a Jore expreſſis cogat mulierem ad ingrediendum Monaſterium, aut ingredi volentem prohibeat; & ut Pœnitentium, ſeo Convertitarum Conſtitotiooes ſerventur. XIX. Quomodo in cauſis deficientium a Religione procedendum. XX. Ut Soperiores Ordinum Epiſcopis non ſubjecti inferiora Monaſteria viſitent, ac corrigant, etiam commendata. XXI. Ut Monaſteria Regulsribus conferantur, Ordinumque Capita nemini inpoſterom commendentur. XXII. Ut prædicta de Reformatione Regulariom nulla mora interpoſita obſerventur.

CLXIX. His promulgatis, lecta ſunt & alia XXI. Capita generalis Reformationis, quorum primo ſtatuitur, ut Cardioales, & omnea Eccleſiarum Prælati modeſtam ſupellectilem, & menſam habeaot; conſanguineoſque, familiareſve ſuos ex bonis Eccleſiæ non augeant. II. a quibus oominatim Decreta Coocilii ſolemniter recipi, & doceri debeant. III. excommunicationis gladio temere uon otendum: ubi executio realis, aut perſonalis fieri poteſt, a Ceoſuris abſtinendum: iiſque Civili Magiſtratoi ſe immiſcere nefas ſit. IV. Ut ubi nimius eſt Miſſarum ſaciendarum numerus, ſtatuant Epiſcopi, Abbates, & Generales Ordinum, quod expedire judicaverint. V. Ut rebns bene conſtitutis, & annexum onus habentibus nihil detrahatur. VI. Ut ſe gerere debet Epiſcopus iu viſitatione Capitulorum exemtorum. VII. De acceſſu, & regreſſu ad Beneficia ſublato, & de Coadjutore, qoomodo, cui, & ex qua cauſa concedendo. VIII. De adminiſtratorum Hoſpitalium munere, atque eorum negligentia a quibus, & qua ratione coercenda. IX. Quomodo probandum Juſpatronatus, cui deferendum, quod Patrooorum munus; acceſſiones vetitæ, & quibus id juris non acquiratur. X. Judices a Synodo deſignandi, qui delegentur a Sede Apoſtolica. XI. Variæ locationes bonorum Eccleſiaſticorum prohibitæ, quædam factæ irritantur. XII. Decimæ integre perſolvendæ, eaſque ſubtrahentea excommunicandi; Rectoribus Eccleſiarum tenoium pie ſubveniendum. XIII. Ut qoartam funeralium Cathedrales, vel Parochiales Eccleſiæ recipiant. XIV. Quæ ratio procedendi in Caoſis Clericorum concubinariorum. XV. Filii Clericorum illegitimi a quibuſoam Beneficiis arcendi? XVI. Ut Beneficia curata non convertantur in ſimplicia; & ot ei, iu quem traslata fuerit cura animarum, portio congrua aſſignetur; ceſſent Vicariæ, cura ad Titulos revocata. XVII. Ut Epiſcopi dignitatem ſuam morom gravitate commendent, nec com Regum Miniſtris, Regnlis, atque Baronibus indigna demiſſione ſe gerant. XVIII. Ut Canones adamuſſim ſerventur; & ſi quando in eis diſpenſandum, id valide, mature, & gratis fiat, XIX. De monomarhia, & gravi ejus punitione. XX. De Eccleſiaſtica libertate, ejuſque violatoribus coercendis. XXI. tandem declaravit Syoodos, omnia, & ſingula, quæ de morum reformatione, & Eccleſiaſtica diſciplina ſob Paulo III. Julio III. & Pio IV. in Concilio ſtatuta fuiſſent, ita decreta eſſe, ut io iis, ſalva ſemper auctoritas Sedis Apoſtolicæ intelligatur.

CLXX. Quoniam vero omnia, ut Synodus ipſa inquit, quæ in præſenti Seſſione XXV. tractanda ersot, qood hora tarda eſſet, expediri non poſſent, cetera io ſeqnentem diem, eandem Seſſionem continnando, dilata fuerunt. Sequeoti itaque die qui ſuit IV. Decembris, lecta ſunt Decreta, *De Indulgentiis*, quæ moderate dari & ſine pravo quæſtu diſpenſari juſſæ ſunt; & *De delectu ciborum, Jejuniis, & diebus Feſtis*: Quod vero Decretum ſpectat, *De Indice Librorum, & Catechiſmo, Breviario, & Miſſali*, quæ ſcilicet nonnolli ſelecti Patres de maodato Syoodi concionaverant, quod eorum laboris examine, longiori tempore Concilium diſtinendum ſoret, decretum eſt, *ut quicquid ab illis præſtitum eſt, Sanctiſſimo Romano Pontifici exhibeatur, ut ejus judicio, atque auctoritate terminetur, & evulgetur*. Item decretum eſt, *ex loco aſſignato Oratoribus tam Eccleſiaſticis, quam ſecularibus, in ſedendo, incedendo, aut quibuſcumque aliis acti-*

*nſtibus, nullam cuiquam eorum factum fuiſſe præjudicium; ſed omnia illorum, & Imperatoris, Regum, Rerumpublicarum, ac Principum ſuorum jura, & prærogativas, illæſas, & ſalvas eſſe, in eodemque ſtatu permanere, prout ante præſens Concilium reperiebantur.*

CLXXſ. Tum narrans Synodus, id ſe potiſſimum curaſſe, ut præcipuoa hæreticorum ejus temporis errores damnaret, & anathematizaret, veramque, & Catholicam doctrinam traderet; cumque tandiu tot Epiſcopi ex variis Provinciis Chriſtiani Orbia evocati, ſine magna gregia ſibi commiſſi jactura ab Eccleſiis ſuia abeſſe non poſſent, nec ulla ſpes reſtaret, hæreticos toties, ſide etiam publica, quam deſideraverant, invitatos, & tamdiu expectatos, ampliua adventuros, ideoque tandem Concilin finem imponere neceſſe eſſet, Principes omnea monuit Synodua *ad operam ſuam ita præſtandam, ut quæ ab ea decreta ſunt, ab hæreticis depravari, aut violari non permittant; ſed ab his, & omnibus devote recipiantur, & fideliter obſerventur. Quod ſi in his recipiendis, aliqua difficultas oriatur, aut aliqua inciderint, quæ declarationem, quod non credit, aut definitionem poſtulant, præter alia remedia in hoc Concilio inſtituta, confidit ſancta Synodus, Beatiſſimum Romanum Pontificem curaturum, ut vel evocatis ex illis præſertim Provinciis, unde difficultas orta fuerat, iis, quos eidem negotio tractando viderit expedire, vel etiam Concilii Generalis celebratione, ſi neceſſarium judicaverit, vel commodiore quacumque ratione ei viſum fuerit, Provinciarum neceſſitatibus pro Dei gloria, & Eccleſiæ tranquillitate conſulatur.*

CLXXII. Porro tametſi Tridentina Synodus in Decreto hactenus recitato rationem docuerit, qua difficultatea occaſione ſuorum Decretorum emergentea reſolvi deberent; nullum tamen Generale Concilium poſt Synodum ipſam celebratum eſt, neque evocationea ex Provinciis frequentatæ; ſed Piua Papa IV. in Bulla Confirmationis Tridentini Concilii, quæ incipit, *Benedictus Deus*, Apoſtolica auctoritate inhibuit omnibus Decreta Synodi Tridentinæ interpretari, interpretationemque Sedi Apoſtolicæ reſervavit; tum vero menſibus aliquot poſt Concilii confirmationem, & hanc interpretandi Decreta Sedi Apoſtolicæ factam reſervatinnem, Congregationem Cardinalinm pro executione Concilii Tridentini inſtituit per aliam Conſtitutionem, quæ incipit, *Alius nonnullas*. Hæc Congregatio tametſi nullam haberet auctoritatem interpretandi Decreta Synodi Tridentinæ, ſed tantum exequendi, cœpit tamen vel eo etiam tempore, aliqua oriente dubietate, provinciam illam interpretandi aſſumere, atque aliquas declarationes edidit, quæ majoris vel eo titulo auctoritatis reputandæ ſunt, uti monet Cardinalia de Luca in Adnotationibus ad Concilium Tridentinum Diſcurſu I. *quod plures tunc in ea Congregatione ſedebant Cardinales, qui vel tanquam Præſidentes, & Legati, vel tanquam Prælati, poſtmodum ad Purpuram aſſumti, in ipſo Concilio intervenerant; ideoque tanquam Seſſionum, ac diſputationum conſcii, melius Patrum ſenſum callebant.*

CLXXIII. Teſte Fagnano in Cap. XII. *De Judiciis*, dubitavit aliquando hæc Congregatio an in Cenſuram incidiſſet latam in citata Pii IV. Conſtitutione ob deciſionem plurium dubiorum, quæ ex ipſis Tridentini Concilii Decretis oriebantur; conſultuſque de ea re Pius Papa V. reſpondit, ſe non credere, Congregationem incidiſſe in eam Cenſuram, facultatemque ſe tribuere in futurum ipſi Congregationi, ut abſque alia delegatione poſſet decidere caſus, quos Congregatio tanquam claroa putaret decidendoa; quos vero tanquam dubios putaret, referendos Sanctitati ſuæ, referret, prout poſtea fecit, ut diſertis verbia eſt adnotatum in Libris publicis ſacræ Congregationis manu Cardinalis Carafæ. Porro Sixtus V. in ſua Conſtitutione, quæ incipit, *Immenſa*, inter ceteras Congregationes hujus quoque meminit, eique clarius non tantum exequendi, ſed etiam interpretandi Concilii Tridentini Decreta, ſcilicet *Reformationis*, (eorum quæ ad Fidei dogmata pertinent interpretatione ſibi reſervata) facultatem impertitus eſt; ideoque Congregatio, quæ in citata Conſtitutione Pii IV. dicebatur Congregatio *ſuper executione, & obſervantia ſacri Concilii Tridentini*; in Sixti V. Conſtitutione vocatur Congregatio *pro executione, & interpretatione Concilii Tridentini*; quamquam & ante hanc Sixtinam Conſtitutionem quæ edita eſt anno MDLXXXVIII. Cardinales eidem Congregationi præfecti dici cœperint *Concilii Tridentini Interpretes*, uti docet Vaneſpen Tomo I. *Juris Eccleſiaſtici univerſi*, Parte I. Titulo XXII. Cap. V. Sed de hac Congregatione præter hunc Auctorem videri inter alioa poſſunt Cohelſius in ſua Cardinalatua Notitla, & Cardinalis de Luca in Relatione Romanæ Curiæ.

CLXXIV. His ita explicatis, quod finem tandem ſpectat Hiſtoriæ Tridentini Concilii, recitata ſunt omnia Decreta ſub Paulo III. & Julio itidem III. condita; ac poſtremo Secretarius Concilii in medium procedena, rogavit, placeretne ipſis, *ut ad laudem Dei Omnipotentis huic ſacræ Œcumenicæ Synodo finis imponatur; & omnium & ſingulorum, quæ tam ſub fel. rec. Paulo III. & Julio III. quam ſub Pio IV. Romanis Pontificibus, in ea decreta, & definita ſunt, confirmatio nomine Sanctæ hujus Synodi per Apoſtolicæ Sedis Legatos, & Præſidentes a Beatiſſimo Romano Pontifice petatur?* Reſponderunt, *Placet*. Poſtmodum, ut ex ipſo Tridentino Concilio addiſcimua, Cardinalia Moronus primus Legatus, & Præſidena benedicena ſanctæ Synodo dixit: *Poſt gratias Deo actas Reverendiſſimi Patres ite in pace*. Qui reſponderunt, *Amen*. Subſequuntur mox acclamationes, de quorum ritu ſervari in Conciliis ſolito jam diximus Tomo I. Conciliorum in Prolegomenis, Cap. XXXI. Poſt hæc, ut Synodus ipſa Tridentina nos docet, mandatum fuit a Legatis, & Præſidentihna ſub pœna excommunicationis omnibus Patribus, ut antequam diſcederent e Civitate Tridentina, ſubſcriberent manu propria Decretis Concilii, aut ea per publicum Inſtrumentum approbarent, qui omnes deinde ſubſcripſerunt, & fuerunt Numero CCLV. videlicet Legati IV. Cardinalea II. Patriarchæ III. Archiepiſcopi XXV. Epiſcopi CLXVIII. Abbates VII. Procuratorea abſentium cum legitimo Mandato XXXIX. Generales Ordinum VII.

CLXXV. Unum ſupereſt, quod hic de ſubſecutis acclamationibus addam quarum Cardinalis Lotharingius & componendarum, & intonandarum curam ſumſit. Teſte Spondano ad annum MDLXIII. Num. LXV. notatus a nonnullis

Lo-

Digitized by Google

Lotharingius fuit levitatis, quod tantus Præſul ac Princeps in eo miniſterio ſervire affectarit, quod ex antiquo uſu Diaconis potius, aut Promotori, vel Secretario Concilii convenire videretur, quam Archiepiſcopo, & ſummæ exiſtimationis S. R. E. Cardinali: maxime cum ejuſmodi acclamationes fierent ex ſcripto, quarum primum uſus in Conciliis, præcipueque Orientalibus ex inſtinctu aliquorum Epiſcoporum in voces laudum, & concentus erumpentium introductus, quibus reliqui omnes concinebant. Sed gravior in ipſum Lotharingium Cardinalem facta fuit accuſatio a Gallis, quod poſt acclamationes Pontificibus, & Imperatoribus, ſub quibus Concilium celebratum fuiſſet, nominatim factas, mox collectivo nomine Regibus acclamarit, nulla facta diſtinctione Regis Galliæ, cujus nomen in principiis Synodi, dum Carolus V. Imperator in vivis ageret, exprimi conſueverat. Id cum ei poſtea in Regis Conſiſtorio objectum fuiſſet, pacis, & concordiæ inter potentiſſimos Reges, Reipublicæ Chriſtianæ hono conſervandæ ſtudio factum a ſe excuſavit. Putabat ſiquidem contentiones accendi, ſi Regem Gallorum in ipſis acclamationibus Hiſpaniæ Regi præferret. Reliquæ fauſtæ acclamationes factæ fuerunt Legatis, Cardinalibus, Oratoribus, Epiſcopis, Orthodoxæ Fidei in Synodo ſtabilitæ; & dirum anathema cunctis hæretici dictum.

CLXXVI. Sicque tandem finem accepit Generale, & Œcumenicum Concilium Tridentinum, Sancti Caroli Borromæi S. R. E. Cardinalis, & Mediolanenſium Antiſtitis potiſſimum ſolicitudine abſolutum. Concilium inquam illud, quod, ut paſſim Scriptores notant, poſt multorum annorum poſtulationes, excuſationes, protelationes primum anno MDXXXVI. a Paulo Papa III. Mantuæ indictum; deinde abſque ullo effectu mutato loco, anno conſequenti Vicentiæ; rurſumque hoc irrito conatu Tridenti anno MDXLII. ab eodem Pontifice celebrari juſſum, cœptumque dumtaxat anno MDXLV. ac octo Seſſionibus celebratis translatum Bononiam anno MDXLVII. ubi eodem anno habitæ ſunt Seſſiones nona & decima, quadriennium ſiluit; ac deinde ſub Julio III. anno MDLI. reſumtum Tridenti, ac anno ſequenti ſuſpenſum, poſt habitam ſcilicet ibidem ſub ipſo Julio Papa Seſſionem undecimam uſque ad decimam ſextam, quievit uſque ad annum MDLXII. quo ſub Pio IV. iterum celebrari cœpit, ac demum anno ſequenti MDLXIII. abſolutum eſt, celebratis ibidem ſub hoc Pontifice reliquis Seſſionibus, nempe decimaſexta uſque ad vigeſimamquintam, quas omnes ea qua potuimus brevitate jam ſupra enarravimus. Quamvis autem vigintiquinque Seſſiones numerentur, nonniſi tamen quatuordecim fuiſſe obſervat Spondanus, in quibus aliquid tractatum ſit de rebus doctrinæ, aut morum; videlicet ſeptem ſub Paulo III. duæ ſub Julio III. & quinque ſub Pio IV. reliquæ namque undecim, aut apertiones Concilii fuerunt, aut ſuſpenſiones, aut prorogationes.

CLXXVII. De quo quidem Concilio vere dici poſſe videtur, quod Epiſcopus Ragazonius, in ſua Oratione ait, quam in ultima Concilii Seſſione recitavit; nempe in ſuperioribus Synodis actum ſæpe eſſe de Fide noſtra explicanda, moribuſque corrigendis, ſed nunquam tam diligentius, atque diſtinctius, quam in iſta poſtrema Œcumenica Tridentina. In qua præſertim ultimo biennio, ex omnium Populorum, ac Nationum in quibus veritas Catholicæ Religionis agnoſceretur, non ſolum Patres, ſed Oratores extitiſſent: Viri omnes, ſi doctrinam ſpectes, eruditiſſimi; ſi uſum, peritiſſimi; ſi ingenia, perſpicaciſſimi; ſi pietatem, religioſiſſimi; ſi vitam, innocentiſſimi: numerus talis, ut ſi præſentes Chriſtiani Orbis conſiderarentur anguſtiæ, frequentiſſima hæc omnium, quæ ante fuerunt, Synodus appareret. In ea ait ſingula omnium vulnera detecta, mores expoſitos fuiſſe, nihil diſſimulatum. Adverſariorum argumenta, & rationes its tractatas, ut eorum tum cauſa, non Catholicorum, agi videretur: tertium nonnunquam, atque etiam quartum diſcuſſas. Summa ſæpe contentione certatum; eo ſcilicet conſilio, ut quemadmodum igne aurum, ita quibuſdam quaſi luctationibus veritatis vires, ac nervi probarentur. Adeo ut licet optandum ſummopere fuiſſet, ut una cum illis hæc acta eſſent, quorum potiſſimum cauſa tractabantur, qui propterea ſolicite invitati, perdiu expectati, ac frequenter rogati accedere ſuere, quamvis tamen detrectarint, nihilominus abſentium incolumitati, atque ſaluti ita proviſum eſſe, ut alia ratione provideri, ſi adfuiſſent, non potuiſſe videretur. Hæc & alia Ragazonius in ſua Oratione.

CLXXVIII. Ceterum non deſuerunt, & quidem non modo ex ipſis hæreticis, verum etiam ex quibuſdam Catholicis, qui Tridentinam Synodum in multis carpendi occaſionem variis ex cauſis ſumſerint. Sed his omiſſis, quos egregie confutavit in Hiſtoria Tridentini Concilii Pallavicinus, ſequenti anno MDLXIV. Pius Papa IV. accepta ſupplicatione Cardinalium Moroni, & Simonetæ nomine Synodi Tridentinæ, cui ipſi tanquam Apoſtolicæ Sedis Legati præfuerant, ejus Decretorum confirmationem petentium, prout in ea deliberatum fuerat, nonnihil animo ſuſpenſus, uti rem ad memoratum annum Spondanus, aliique Scriptores narrant, ob Miniſtrorum Romanæ Curiæ querimonias de damno, quod in Officiis quique ſuis accepturi eſſent, ſi reformationes in Synodo Tridentina ſtatutæ in obſervationem deducerentur, adeo ut plurimi Libelli ſupplices Pontifici ipſi offerrentur pro obtinenda compenſatione Officiorum, quæ pecunia comparaſſent. Re tamen in deliberationem adducta, & rei gravitate conſiderata, ac ne novis oblocutionibus occaſio præberetur, omnino ſtatuit, Concilium abſolute confirmandum, quantumcumque inde damnum aut ſuis, aut Apoſtolicæ Sedis commodis, & reditibus obventurum eſſet.

CLXXIX. Itaque VII. Kalendas Februarii Decreto de eo facto in Conſiſtorio, Conſtitutionem promulgavit, cui omnes Cardinales Romæ præſentes ſubſcripſerunt, extatque poſt Decreta Synodi ipſa Conſtitutio, quæ incipit, *Benedictus Deus*, qua omnia, & ſingula in Concilio decreta, & definita, auctoritate Apoſtolica confirmavit, & ab omnibus Chriſtifidelibus ſuſcipienda, & inviolabiliter ſervanda decrevit, ac præcepit: Imperatorem, Reges, ac Principes obteſtans, ut ad ea exequenda, & obſervanda, Prælatis, cum opus foret, auxilio adeſſent; nec adverſantes eis opiniones a populis ditionum ſuarum recipi permitterent, ſed eas penitus interdicerent. Atque hic ſit ad majorem Dei gloriam

*F I N I S.*

IN-

# INDEX RERUM

## Quæ hoc Tomo IV. continentur.

*Prior Numerus Paginam, alter vero Columnam denotat.*

## A

ABbates & Epiſcopi ut eligendi. 297. 1. 2.
Abbatum & Epiſcoporum remotio & tranſlatio. 297. & ſeq.
Abbatum remotio quibus ex cauſis peragenda, & quibus ritibus. 298. & ſeq.
Abſolutio a cenſuris vi metu extorta improbata. 109. 1. & 2.
Abſolutio ad cautelam & ejus origo. 134.
Additionis *Filioque* ad Symbolum controverſia in Concilio Florentino agitata. 249. & ſeq.
Adulteriorum hodiernorum frequentium cauſæ. 218. 1. 2.
Advocati in defendendis cauſis quid facere debent. 107. & ſeqq.
Advocati ac Procuratores injuſtas cauſas defendentes notati. 108. 1. & 2.
Advocatorum nonnullorum fraudes. 109. 2.
Albergati Nicolaus quam alienus a carne & ſanguine. 318. 1. & 2.
Alexandri Papæ V. electio. 163. 2. & ſeq.
Alexandri Papæ V. Statuta. 165. 1. & 2.
Amedeus Sabaudiæ Dux pſeudopapa ſub nomine Felicis V. 240. 2. & ſeq.
Amort Euſebius Canonicus Regularis, & ejus Liber, *De revelationibus*, laudati. 346. 1.
Animæ mortalitatis, & unitatis in cunctis hominibus error damnatus in Concilio V. Lateranenſi. 295. & ſeq.
Annatæ earumque origo, & varia ad ipſas ſpectantia. 224. 1.
Annatarum variæ ſpecies. Ibidem.
Antichriſti adventus dies incertus, falſique reputati, qui illum præfixerunt. 343. & ſeqq.
Appellationes temerariæ notatæ. 80. 1. & 2.
Arbitri qui dicti, & eorum diſtinctio. 30. 2. & ſeq.
Armenorum inſtructio & unio cum Eccleſia Latina. 266. & ſeqq.
Auguſtini de Roma Libellus, *De Chriſto, & Eccleſia*, damnatus. 225. 2.

## B

BAſileenſis Concilii Hiſtoria. 200. & ſeqq.
Baſileenſis Concilii auctoritas nulla. 205. 2. & ſeq.
Baſileenſis Concilii Decreta contra Pontificis auctoritatem nullius ſunt roboris. 206. 1. 2.
Baſileenſis Concilii temeritas in exauctorando Eugenio IV. Pontifice. 233. & ſeq.
Baſileenſis Concilii Patrum audacia. 207. & 233. & alibi.
Baſileenſis Synodus depoſito Eugenio IV. perperam eligit in Papam Felicem V. & qui is fuerit. 240. & ſeq.
Baſileenſis Synodus Ferrariam tranſlata ab Eugenio IV. Papa, & cur. 231. 2.
Baſileenſis Synodi vitia, & horrenda epitheta. 244. 1. & 2.
S. Baſilii locus egregie explicatus contra Scipionem Maffeum. 131. 2.
Beguardi, & Beguinæ qui dicti, & eorum errores. 144. 1. & 2.
Benedictio cum SS. Sacramento ut fieri debet. 153. 2.
Benedicti XIII. ſeu Petri de Luna in Papam electio. 159. 1.
BENEDICTUS XIV. laudatus. 153. 1.
BENEDICTUS XIV. & ejus Tractatus de Synodo Diœceſana laudatus. 156. 1.
BENEDICTUS XIV. Theologus, & Canoniſta eruditiſſimus, & nunquam ſine debita laude nominandus. 274. 2.
BENEDICTUS XIV. inſtitutor Capellæ Papalis in Feſto Conceptionis Deiparæ. 238. & ſeq.
BENEDICTUS XIV. & ejus Tractatus, *De Feſtis*, laudatus. 239. & alibi.
BENEDICTUS XIV. & ejus Conſtitutio de Cardinalium Capella poſt eorum obitum laudatur. 318. & ſeq.
BENEDICTUS XIV. Apoſtolicas F. Leonardi Miſſiones ſumma Urbis ædificatione frequentat. 348. in iiſque non modo manu ſola, verum etiam cum Sanctiſſimo Sacramento, quod tunc exponi ſolitum fuit, Pontificiam ſuam Benedictionem non ſemel populo largitus eſt. 349. 1. P. D. Juſtino Capicio Abbati S. Pauli, quod ipſum Fratrem Leonardum, ejuſque Socios in Cœnobio S. Calliſti exceperit, ac ſumma humanitate & charitate aluerit, planetam ſummi valoris Pontificia munificentia dono dedit. 349. 1.
BENEDICTUS XIV. Privilegiorum Regularium tenax. 352. 1.
BENEDICTI XIV. Litteræ Encyclicæ contra uſuram. 131. 2.
BENEDICTI XIV. Litteræ ad Archiepiſcopos, Epiſcopoſque Regni Hiberniæ, quibus docet Confraternitates SS. Nominis Jeſu erigendas de licentia Superioris Ordinis Prædicatorum 122. 2. & ſeq.
BENEDICTI XIV. perrara alienatio a carne & ſanguine. 318. 1.
BENEDICTI XIV. doctrina de Montibus pietatis. 339. 1. & 2.
Benedictini Monachi Monaſterii Montis Regalis in Sicilia ſunt veri, & ſoli Canonici ejus Cathedralis Regularis, excluſis Presbyteris ſecularibus. 101. Decretum ea de re Caroli Regis utriuſque Siciliæ editum die 25. Januarii anni 1749. non vero die 15. Februarii, ut ibidem per errorem ſcriptum eſt; eoque decreto edicitur, ut ipſi Seculares Presbyteri nullo unquam tempore uti Rocchetto, & Mozzetta poſſint, nec vocari Canonici, ſed ſolum dici debent *Presbyteri Præbendati*. 102. 1.
Benedictinorum Monachorum Caſinenſium Monaſterii S. Calliſti pietas erga Apoſtolicas Fr. Leonardi Miſſiones in Platea S. Mariæ Tranſty-

tyberis habitas, eiſdemque ob eam cauſam gratiæ actæ a Pontifice. 349. 1.
Beneficia qui primus Pontifex Apoſtolicæ Sedi reſervavit. 110. 1. & ſeq.
Beneficiorum pluralitas a ſacris Canonibus paſſun damnata. 104. 1. & ſeq.
Beneficiorum pluralitas prohibita, & quando in ea diſpenſandum. 205. & ſeq.
Beneficiorum uniones perpetuæ quæ vetitæ. 206.
Beneficiarii ſugillantur, qui poſthabitis Viris doctis, pauperibuſque, Muſicis, equis, canibus, feriſque beſtiis delectantur. 323. 1.
Beneficiariorum obligatio circa recitationem Officii Divini. 336. 1. & 2.
Beneficiariorum ſcelus, qui Eccleſiaſticis reditibus, quibus ſervari virginitas debuerat, ad eam expugnandam abutuntur. 319. 1. & 2.
Beneficiarios qua fruge, qua modeſtia eſſe oporteat in familiarium, equorumque numero ſuſtentando. 321.
Bigamia impedimentum Ordinationis, & cur. 100. 1. & 2.
Bigamorum Clericorum pœnæ. 99. 1. & ſeq.
*S.* Birgitta ter canonizata, & cur. 159. 1.
Birruariorum exceſſus ob defectum ſalarii. 328. 1. & alibi.
Blanchinus Franciſcus, & ejus ex fratre nepos Joſephus laudati. 227. 2.
*S.* Bonaventuræ obitus, & exequiæ in Concilio II. Lugdunenſi. 56. 1.
Boniſacii Papæ IX. electio. 159. 1.
Bonifacii VIII. cauſa an in Concilio Viennenſi agitata. 146. 1. & ſeq.
Borbonius Dux in ipſa Urbis invaſione ſclopeti glande percuſſus. 362. 1.
Bremond Antoninus zelantiſſimus Privilegiorum ac Jurium ſui inclyti Ordinis Prædicatorum cuſtos. 122. 2.
Bremond F. Antonini Liber *De Guzmana Stirpe &c.* laudatus. 116. 1.
Bremond Antonini Bullarium Dominicanum laudatum. 121. 2.
Bremond Antonini Ordinis Prædicatorum Magiſtri, charitas in excipiendo Fratrem Leonardo Apoſtolicum Miſſionarium, ejuſque Socios in Cœnobium Minervitanum. 349. A BENEDICTO XIV. in grati animi indicium Planeta magni valoris donatus.

# C

Capella Papalis in Feſto Conceptionis Deiparæ a BENEDICTO XIV. inſtituta. 328. & ſeq.
Capicii Juſtini Congregationis Caſinenſis Abbatia S. Pauli pietas erga Miſſiones a Fr. Leonardo in Platea S. Mariæ trans Tyberim, ejuſque humanitas erga ipſum Leonardum, ac ejus Socios in Cœnobio S. Calliſti exceptos, & alitos. 348. 2. & ſeq.
Capparum mutatio, ſeu mutatio indumenti choralis quando peragenda. 354. 2.
Canonici quando ceſſare a Divinis poſſint. 101. & ſeq.
Canus Melchior vindicatus. 123. 2.
Caraſæ Oliverii munificentia ergo litteratos. 322. 2.
Carolus V. Imperator Clementi Papæ VII. infenſus. 361. & ſeq.
Caroli V. cum Clemente VII. compoſitio. 362. 1.
Caroli V. *Interim* infauſtum a Catholicis & hæreticis improbatum.
Cardinales Carvajal & Sanſeverinus a Julio Papa II. exauctoritati, quibus ritibus a Leone X. reſtituti. 294. 1. & 2.
Cardinales donati titulo Eminentiſſimi ab Urbano Papa VIII. 16. 1. & 2.
Cardinales Diaconi poſſunt in ſuis Titulis Benedictionem ſolemnem impertiri. 316. 1.
Cardinales quando primum mutare Titulos cœperint. 164. 1. & ſeq.
Cardinales ut ſe gerere erga Titulos ſuos debent. 313. 2. & ſeq.
Cardinales qua fruge, qua modeſtia eſſe oporteat in familiarium equorumque numero ſuſtentando. 321. & ſeq.
Cardiuales S. R. E. vel Epiſcopos offendentes ut puniendi. 337. 1. & ſeq.
Cardinales quando primum plurium Epiſcopatuum facti Titulares. 320. 1. & 2.
Cardinalium eligendorum numerus. 226. 2. & ſeq.
Cardinalium in Titulis ſuis poteſtas. 315. & ſeq.
Cardinalium Tituli conſtitutione Sixti Papæ V. ad LXX. redacti. 165. 1.
Cardinalium reſidentia in ſuis Titulis. 314. & ſeq.
Cardinalium reſi 'entia in Curia Romana. 329. 1.
Cardinalium domus patens hoſpitium, portuſque, ac refugium proborum, & doctorum maxime virorum & pauperum nobilium, honeſtarumque perſonarum eſſe debet. 322. 1. & ſeq.
Cardinalium prærogativa quod ipſi eligunt Summum Pontificem. 307.
Cardinalium exempla invicti animi. 331.
Cardinalium familia qualis eſſe debeat. 320. 2. & ſeq.
Cardinalium officium circa Fidei inquiſitionem, & ejus origo. 326. 1. & 2.
Cardinalium modeſtia in menſa, veſte, & ſupellectile. 311. 1. & 2.
Cardinalium virtutes a S. Bernardo fuſe enarratæ. 307. & ſeq.
Cardinalium cura & vigilantia erga familiares. 323. 1. & 2.
Cardinalium reformatio. 306. & ſeqq.
Cardinalium Capella ejuſque ſupellex cujus ſit poſt eorum obitum. 318. & ſeq.
Cardinalium exempla munificentiæ erga litteratos. 322. 1.
Cardinalium ſententia in Conſiſtorio ut dicenda. 330. 1. & 2.
Cardinalium numerus ad LXX. a Sixto V. Papa redactus. 229. 1.
Cardinalium Legatorum a latere reformatio. 327. 1. & ſeq.
Cardinalium præpoſterus erga propinquos affectus damnatus. 216. & ſeqq.
Cardinalium funus, ejuſque impenſæ. 329. 1. & 2.
Cardinalibus S. R. E. Pileus rubeus quando, & cur datus. 15. 1. & 2.
Cardinalibus Mozzetta, Mitra ſerica alba, & Clava argentea ante ipſos deferenda, a Paulo II. data. 16. 1.
Cardinalibus varia inſignia quando & a quo primum data. 16. 1. & 2.
Cardinalibus vetitum Miniſterium Principum ab eiſque Penſioncs accipere. 312. & ſeqq.
Cardinalibus ſublatum miniſterium indecorum

Epi-

Digitized by Google

Epiſcoporum 311. & ſeq.
Cardinalibus tenendum ſecretum de iis quæ dicta in Conſiſtorio ſunt. 333. & ſeq.
Carmelitarum Ordinis origo & approbatio. 117. 1. & 2.
Carmelitarum Regula mitigata in Generali Concilio 1. Lugdunenſi. 14. a. & ſeq.
Carmelitarum, & Eremitarum S. Auguſtini Ordines in Concilio II. Lugdunenſi tolerati. 117. 1. & 2.
Caſuiſtæ molles adulatoreſque, eorumque horrendæ propoſitiones refutantur. 321. 1. & alibi ſæpe.
Ceſſatio a Divinis quid, & quando fieri permiſſa. 101. 1. & ſeq.
Ceſſatio a Divinis ut a Canonicis fieri poſſit, quid requiratur. 103. 1. & ſeq.
Ceſſationis a Divinis horrendus ritus prohibitus, & quinam ille. 103. 2.
Cenſurarum abſolutio vi & metu extorta improbata. 109. 1. & ſeq.
Chriſti Corporis Feſtum, Proceſſio, & Expoſitio. 149. & ſeqq.
Clavæ argenteæ deferendæ ritus ante Cardinales a quo primum introductus. 16. 1.
Clementis Papæ V. electio. 157. & 2.
Clementis VII. electio contra Urbanum VI. 158. 1. & 2.
Clementis Papæ VII. obitus. 363. 2.
Clementinæ Conſtitutiones an omnes editæ in Concilio Viennenſi. 147. & ſeq.
Clerici, & Monachi hæredipetæ, atque eorum artes. 39. 1. & 2.
Clericorum bigamorum pœnæ. 99. 1. & ſeq.
Clericis mulierum familiaritas vetita. 217. 1.
Clericis viſitatio feminarum horis præſertim pomeridianis prohibita. 217. 1.
Clericos alienæ Diœceſis ordinantium pœna. 97.
Commendæ Monaſteriorum, 301. & de eiſdem querelæ. ſeq.
Commendæ Parochiarum. 305. & ſeq.
Conceptionis Deiparæ controverſia, & de ejus Feſto. 235. & ſeq.
Concinnator Evangelicus quibus qualitatibus præditus eſſe debet. 349. 1.
Concionatores, qui inutiles quæſtiones agitant, notati. 348. 1.
Concionatores plebem ad riſum concitantes fugillati. 347. 1.
Concionatorum audacia in Prælatorum perſonas ac ſtatum invehentium repreſſa. 346. 1. & 2.
Concionatoribus in concionando, & in exeplicatione Sacræ Scripturæ qui modus tenendus. 347. 1. & 2.
Concinnatoribus cavendum, ne præfixum Antichriſti, vel extremi judicii diem prædicent. 343. 1. & ſeqq.
Conclavis inſtitutio pro eligendo Romano Pontifice. 61. & ſeqq. 59. & ſeqq.
Conclavia recenſentur, in quibus poſt Gregorium X. varii Summi Pontifices electi fuere. 67. & ſeqq.
Concordatum Gallicum, & alia ad illud ſpectantia. 349. 2.
Concordatum Gallicum a quibuſdam perperam impugnatum. 349. & ſeq.
Concubinariorum pœnæ. 216. 1. & ſeqq.
Confeſſariis familiaritas mulierum periculoſa. 217. 1.
Conſervatores Privilegiorum Regularium qui dicti, & eorum munus. 20. & ſeqq.
Conſervatores cur inſtituti. 21. 1.
Conſtantienſe Concilium ab hæreticis laceſſitum. 199. 1. 2.
Conſtantienſis Concilii Decreta de auctoritate Concilii a Cardinale Turrecremata egregie expenſa. 197. & ſeqq.
Conſtantienſis Concilii Hiſtoria. 169. & ſeqq.
Cruceſignati & eorum privilegia. 46. 1. & 2.
Curiæ reformatio, & de eligendis Epiſcopis atque Abbatibus. 297. 1. & 2.
Curiæ, & aliorum reformationes. 334. & ſeqq.

# D

Danielis Epiſcopi Helenopoleos ſcelera notata. 35. 1.
Dignitatis & Perſonatus ſignificatio & diſcrimen. 18.
Directiones ſpirituales variæ, & quæ illæ. 217. 1. & 2.
Directiones ſpirituales mulierum periculoſæ. 217. 1. & 2.
*S.* Dominicus Ordinis Prædicatorum Inſtitutor, ejuſque Fratribus Sanctæ Inquiſitionis Officium tributum. 326. 2.
*S.* Dominici Ordinis Prædicatorum fundatoris nobilitas ex ſtirpe Guſmana a F. Antonino Bremond nunc ejuſdem Ordinis Magiſtro vindicata. 116. 1.
Dominicanorum pietatem commendavit BENEDICTUS XIV. quod eos videret ſemper majorem Dei gloriam quærere, & ea quæ Chriſti ſunt, non quæ ſua, perquirere. 349. 1.
Dulciniſtæ hæretici qui dicti, & eorum varii errores. 144. 1. & 2.

# E

Eccleſia diu agitata non modo ab Ethnicis ſed & ab ipſis Imperatoribus Chriſtianis. 1. 2.
Eccleſia pro Æde ſacra cur ita dicta. 120. 1.
Eccleſiæ cur Tituli dictæ. 314. 1.
Eccleſiarum portis Oſtiarii præfecti ad arcendos ab ingreſſu Eccleſiarum indignos. 121. 1.
Eccleſiarum jam olim portæ ſacris Reliquiis honeſtatæ. 121. 1.
Eccleſiarum indemnitati, Monaſteriorumque, aliorumque Beneficiorum ut conſulit Leo X. in Concilio V. Lateranenſi. 337. 1.
Eccleſiis veneratio debita. 120. 1. & ſeqq.
Eccleſiaſticarum rerum inventaria conficienda. 33. & ſeqq.
Electio Superiori intra quod tempus præſentanda, & de electi conſenſu, & confirmatione. 76. 1. & ſeq.
Eleemoſynarius Palatii Apoſtolici a Gregorio Papa X. primum inſtitutus Frater Laicus Ordinis Prædicatorum. 58. 1.
Eminentiæ, & Eminentiſſimi titulus ab Urbano VIII. Cardinalibus datus. 16. 1. & 2.
Epiſcopi & Abbates ut eligendi. 297. 1. & 2.
Epiſcopi electi non confirmati diu olim incubabant Eccleſiis & cur. 75. 1. & ſeqq.
Epiſcoporum exauctoratio a quo facienda. 298.
Epiſcoporum & Abbatum remotio & tranſlatio. 297. & ſeq.
Epiſcopis curæ eſſe debet virginitatis & caſtitatis puel-

puellarum cuſtodia . 218. 2.
Epiſcopos offendentes ut puniendi. 337.1. & ſeq.
Eraſmi judicium de Luthero 359. 2.
Eremitarum S. Auguſtini Ordinis origo & confirmatio . 117. 2.
Eremitarum S. Auguſtini , & Carmelitarum Ordines in Concilio II. Lugdunenſi tolerati . 117. 1. & 2.
Euchariſtia quibus verbis conficitur. 257. & ſeq.
Euchariſtia . Vide . Proceſſio , & Expoſitio .
Euchariſtiæ communio ſub una ſpecie a laicis ſumenda . 180. 1. & 2.
Euchariſtiæ expoſitio in Eccleſia quando primum cœpta . 152. 1. & ſeq.
Eugenius IV. & Nicolaus V. in Sacrario S. Mariæ ſuper Minervam electi & cur . 71. & ſeq.
Eugenii Papæ IV. electio . 201. 2.
Eugenii Papæ IV. obitus & virtutes. 284.1. & 2.
Excommunicatio minor quando primum invaluit . 31. 2.
Excommunicari ne aliqui poſſint, Privilegium a Summo Pontifice conceſſum . 136. 1. & 2.
Exemtionum Regularium controverſia in Concilio Viennenſi agitata . 153. & ſeqq.
Expoſitio SS.Sacramenti in Oſtenſoriis ſine licentia Epiſcopi fieri nequit. 153. 1.
Expoſitio frequens SS. Sacramenti a S.Carolo minime commendata . 153. 1.
Expoſitio Euchariſtiæ quot cereis accenſis fieri debeat . 152. 2. quot adhiberentur ex decreto S. Caroli . ibidem .
Ex poſitio . Vide . Euchariſtia .

# F

Fatuorum feſtum, & quodnam olim illud . 221. 1. & ſeqq.
Felix pſeudopapaV. ab Eugenio Papa IV. in Concilio Florentino hæreticus & ſchiſmaticus declaratus , 241. 1. & 2.
Felicis pſeudopapæ V. defuncto Eugenio IV. Nicolao Papæ V. ejus ſucceſſori ſubmiſſio . 143. 1. & 2.
Feſtum SS.Corporis Chriſti , ejuſque Proceſſio, & Expoſitio , atque in iis ſervandi Ritus . 149. & ſeqq.
Feſtum Nativitatis Deiparæ ejuſque octava quando inſtituta . 11. 2. & ſeq.
Feſtum Viſitationis Deiparæ , & ejus origo. 242. 1. & 2.
Feſtum fatuorum , & ejus abuſus . 221. 1. & ſeq.
Fidei profeſſio a novo Romano Pontifice edenda ex Decreto Concilii Conſtantienſis . 193. 1.
*Filioque* additionis ad Symbolum controverſia in Concilio Florentino agitata . 249. & ſeq.
Florentini Concilii Hiſtoria . 247. & ſeqq.
Florentini Concilii Œcumenica auctoritas , & quinam eam impugnarint. 283. & ſeq.
Fraticelli qui & eorum errores . 144. 1.
Fridericus II. a Cœleſtino III. conſtitutus Rex Siciliæ . 1. 1.
Fridericus II. Innocentii III. opera ad Imperium evectus . 1. 2. & ſeq.
Fridericus II. a Gregorio IX. anathemate perculſus . 2. 2.
Fridericus II. Gregorium IX. vexat , eumque ab Urbe ejici curat . 3. 2.
Fridericus II. Imperator excommunicatus & Regno privatus . 13. 2. & ſeq.
Friderici II. inſolentia & rapinæ . 2. 1. & ſeq.
Friderici blaſphemia de tribus ſeductoribus , & quinam iſti . 7. 1.
Friderici Litteræ minis & calumniis refertæ contra Gregorium IX. 6. 2.
Friderici II. verſiculi in cubiculum Gregorii IX. immiſſi , hujuſque ad illos reſponſio . 6. 2.

# G

Gerardus Parmenſis pſeudoapoſtolorum ſectæ propagator , ut Chriſtum æmulari videretur, circumcidi voluit , faſciis involvi, & mulierculæ cujuſdam ubera ſugere . 144. 2.
Gibellini , & Guelfi , qui olim dicerentur . 3. 2. & ſeq.
Græcorum unio cum Eccleſia Latina in Concilio Florentino ſtatuta . 262. & ſeqq.
Græcorum Ordinationis explicatio. 274. & ſeqq.
Gregorius IX. ingenti Romanorum exultatione poſt multorum annorum abſentiam in Urbem accitus . 5. 2.
Gregorius IX. a Friderico II. dire exagitatus.3.2.
Gregorii IX. ſupplicatio cum Clero , & populo adverſus Fridericum II. 7. 2. & ſeq.
Gregorii IX. manſuetudo erga Fridericum II.5.1.
Gregorii IX.ſententia excommunicationis ſolemnis contra Fridericum II. 6. 1.
Gregorius Papa X. primus Romanorum Pontificum fuit , qui in Palatio Apoſtolico piarum largitionem Præſulem conſtituit, eique muneri Fratrem laicum Ordinis Prædicatorum præfecit . 58. 1.
Gregorii Papæ X. virtutes . 58. 1. & 2.
Gregorii XII. electio . 159. 1.
Gregorii XII. renuntiatio . 181. 1.
Guelfi & Gibellini qui olim dicerentur.3.2.& ſeq.
Guillelminus Bernardus , & ejus funebris oratio in laudem F. Nicolai Ridolfi Magiſtri Sacri Palatii laudatur . 341. 2.

# H

Hæredipetæ Clerici & Monachi notati a Sancto Hieronymo . 39. 1. & 2.
Hæreticorum commenta contra Concilium Conſtantienſe . 199. 1. 2.
Henricus Benedictus Eboracenſium Dux S. R. E. Cardinalis licet ſacris non eſſet initiatus , benedictionem ſolemnem in ſuo Titulo impertitus eſt . 316.1.
Henricorum Imperatorum II. III. & IV. perfidia in Eccleſiam ejuſque Præſules . 1. 1.
Hieronymi Pragenſis damnatio & ſupplicium . 187. 1. & 2.
Hus Joannis articulorum damnatio , & qui illi . 181. & ſeqq.
Hus Joannis obſtinatio in perferendo ſupplicio . 187. 1. 2.
Humiliatorum Ordo a S. Pio V. ſublatus . 115. 2.
Hypocritarum genus qui ſub ſpecie religioſitatis ſine nuptiis quærunt novum genus uxorum . 217. 1.

# I

S. Ignatius Lojola Societatis Jeſu Fundator adſcriptus aliquando Confraternitati SS.Nominis

minis Dei, ſeu Jeſu in Eccleſia Cœnobii Minervitani erectæ. 122. 1.
Incontinentiæ hodiernæ torrentis cauſæ. 218. 2. & ſeq.
Indulgentia decem dierum conceſſa exhibentibus reverentiam SS. Nomini Jeſu. 121. 2.
Innocentius Papa IV. Concilium Lugdunenſe I. indixit, & quæ ejus cauſæ. 1. & ſeqq.
Inquiſitionis ſanctæ origo & progreſſus. 326. 1. & 2.
Inquiſitionis Officium S. Dominico, ejuſque Fratribus attributum. 326. 2.
*Interim* inſauſtum a Carolo V. conditum. 378. 2. & ſeq. Adnumerandum antiquis Imperatorum Edictis *Henotico*, *Ecteſi*, & *Typo*. 379. 1.
Inventaria Eccleſiaſticarum rerum conficienda. 33. & ſeqq.
Jacobitarum unio cum Eccleſia Latina. 276. & ſeqq.
Jeſu Nominis Sodalitium, ſeu Confraternitatem ortum habuiſſe a Fratribus Ordinis Prædicatorum declaravit S. Pius V. 122. 1.
Jeſu Nominis Feſtum celebrandum a Fratribus Ordinis Prædicatorum die Circumciſionis Dominicæ. 122. 1.
Jeſu Nominis Confraternitates non erigendæ abſque licentia Superiorum Ordinis Prædicatorum. 122. 2. & ſeqq.
Jeſu Nominis Confraternitas erecta in Eccleſia Minervitani Cœnobii Ordinis Prædicatorum. 121. & ſeq.
Jeſu Nomini reverentiam exhibentibus Indulgentia decem dierum conceſſa. 121. 2.
Jeſu Nomini quæ reverentia exhibenda. 121. 1.
Jeſuitæ initio ſuæ inſtitutionis titulum Societatis Jeſu deponere coacti. 123. & ſeq.
Jeſuitæ ut titulum Societatis Jeſu retinere poſſent, Diplomate Pontificio ſtatutum. 124. 1.
Joannes XXIII. coactus ad cedendum Papatui. 174. 2.
Joannis XXIII. renunciatio. 171. 2.
Joannis XXIII. crimina & ſcelera enormia. 178. 2. ſententia contra eum lata. *ibid.* fuga illius & captura. 179. 1. & 2.
Joſephi Patriarchæ Conſtantinopolitani obitus ſepultura, & elogium. 255. 2.
Julius Papa II. ita dictus in memoriam S. Julii I. Papæ, non vero Julii Cæſaris, ut quidam calumniati ſunt. 292. 2.
Julii Papæ II. magnanimitas, ejuſque merita, & geſta pro Sedis Apoſtolicæ juribus. 293. 1.
Julii Papæ II. cum Ludovico XII. Galliæ Rege ſimultates. 292. & ſeq.
Julii Papæ II. obitus, ejuſque virtutes. 292. 1.2.
Julii Papæ III. obitus. 384.

# L

Laderchius Jacobus notatus. 347. 2.
Lateranenſis V. Concilii hiſtoria. 285. & ſeqq.
Leonardi a Portu Mauritio Fratris Strictioris Obſervantiæ Ordinis Minorum S. Franciſci repetitæ Miſſiones laudatæ, earumque ingens fructus. 348. 1. & 2.
Librorum impreſſio cujus auctoritate facienda. 340. 2.
Litium diſpendia coarctanda. 27. & ſeq.
Litium protractionibus occurrendum. 106. 1. & ſeq.
Lothsringii Cardinalis ad Concilium Tridentinum adventus. 393. ejuſque dexteritas, & prudentia. 394. & ſeqq.
Lugdunenſe I. Concilium Generale ab Innocentio IV. indictum, & quas ob cauſas. 9.2.& ſeq.
Lugdunenſis I. Concilii Hiſtoria. 1. & ſeq.
Lugdunenſis II. Concilii Hiſtoria. 47. & ſeq.
Lutheranæ hæreſis origo. 355. & ſeqq.
Lutheranæ hæreſis primi impugnatores. 356. 2.
Lutheri errores a Leone Papa X. damnati. 359. 1.
Lutheri liber de captivitate Babylonica. 359. 1.
Lutheri liber de abroganda Miſſa ex colloquio cum Diabolo habito conſcriptus. 360. 2.
Lutheri obitus, ejuſque extrema, atque impia verba. 371. 2. & ſeq.

# M

MAffei Scipionis interpretatio, & turpis opinio circa uſuram. 131. 2.
Magiſtri Sacri Palatii, ejuſque inſtitutio, & officium. 340. & ſeq.
Magiſtri linguarum inſtituendi Romæ, & in aliis Univerſitatibus. 156. 2.
Maimburgus egregie confutatus a Cardinale Sfondrato. 166. 1. & alibi.
Marangonus Joannes Presbyter Oratorii S. Hieronymi Charitatis laudatus. 315. 2.
Marci Epheſii calumniæ in Florentinam Synodum. 284. 1. & 2.
Marcelli Papæ II. obitus. 384. 1.
Martinus V. quæ Decreta Concilii Conſtantienſis approbaverit. 197. 1. 2.
Martini Papæ V. electio. 193 & ſeq.
Martini Papæ V. Conſtitutio plura capita reformationis complectens, 195. 1. 2.
Maſſilianorum hæreticorum jugis Oratio notata. 125. 1.
Maſſilianorum hæreticorum ſcelera, & inſana dogmata. 25. 1.
Maximiliani Imperatoris mors. 357. 2.
Melchior Canus vindicatus. 115. 2.
Minorum Ordinis prima origo, & approbatio. 116. 2. & ſeq.
Minorum Ordo iterum a Gregorio X. in Concilio II. Lugdunenſi approbatus. 116. 1.
Minorum Fratrum paupertatis celebris controverſia. 148. & ſeq.
Moathra contractus damnatus, & quinam ille. 128. 2.
Molinos Michael auctor ſectæ Quietiſtarum, a quo errores hauſerit. 145. 1.
Monachi & Clerici hæredipetæ, atque eorum artes. 39. 1. & 2.
Monachi Benedictini Monaſterii Montis Regalis in Sicilia ſunt veri & ſoli Canonici ejus Cathedralis Regularis, excluſis Presbyteris Secularibus. 101. 2. & ſeq. Decretum de ea re editum a Rege utriuſque Siciliæ die 25. Januarii anni 1749. non autem die 15. Februarii, ut per errorem in ipſa pagina 101. 2. dictum eſt.
Monachis facere ſibi commatres vetitum. 218. 1.
Monaſteriorum Commendæ, & de eiſdem querelæ. 301. & ſeqq.
Montis Regalis Cœnobii Benedictini Monachi in Sicilia veri & ſoli Canonici ejus Regularis Cathedralis, excluſis Presbyteris ſecularibus. 101. 2. Id confirmatum Decreto Caroli Regis utriuſque Siciliæ, edito die 25. Januarii anni 1749.

1749. Seculares Presbyteri ejus Eccleſiæ non Canonici appellari poſſunt, nec Rocchetto & Mozzetta ullo unquam tempore uti, ſed dici ſolum debent *Presbyteri Præbendati*. 102. 1.
Montium pietatis reformatio, eorumque inſtitutio defenſa. 338. & ſeqq.
Morettus Petrus Canonicus inſignis Baſilicæ Sanctæ Mariæ trans Tyberim doctiſſimus laudatus. 292. 2. & 354. 2. & alibi.
Mozzetta, Mitra ſerica alba, & alia id genus ornamenta Cardinalibus a Paulo Papa II. conceſſa. 16. 1.
Muratorius Ludovicus Antonius de re Litteraria & Chriſtiana, ac Catholica Eccleſia optime meritus. 237. 2. & 244. 2. ac alibi, & præſertim in Epiſtola Dedicatoria ad BENEDICTUM XIV. Pontificem Maximum.

# N

NAtivitatis Deiparæ Feſtum, ejuſque Octava quando inſtituta. 11. 2. & ſeq.

# O

OCcaſiones proximæ peccatorum penitus tollendæ. 219. 2.
Œconomi bonorum Eccleſiæ ex Clero deligendi. 35. 1.
Œconomorum, ſeu diſpenſatorum bonorum Eccleſiaſticorum fraus. 34. 2. & ſeq.
Officium Divinum rite celebrandum, & de iis, qui ad horas Canonicas recitandas tenentur. 220. 2. & ſeq.
Officialibus præbendum ſalarium. 328. 1.
Oratio Chriſtiano homini neceſſaria. 125. 1.
Oratio ut in Conventu abbrevietur omnino, edixit in ſua Regula S. Benedictus. 125. 1.
Orandum potius in Eccleſia, quam domi, & cur. 124. 2.
Orantes non debent multum loqui. 125. 1.
Ordinationis Græcorum explicatio. 274. & ſeqq.
Ordines Religioſus approbare ſpectat ad ſolum Romanum Pontificem. 114. 2.
Ordines novos Religioſos adinvenire, aut habitum novæ Religionis aſſumere vetitum. 114. & ſeq.
Orſi Joſephus Auguſtinus laudatus, & ejus opera de ſuprema Romanorum Pontificum auctoritate in Concilia Œcumenica. 165. 2. & 214. 2.
Orſi Joſephus Auguſtinus ob ejus præclara merita Magiſter Sacri Palatii a regnante Papa BENEDICTO XIV. creatus. 341. 2.

# P

PAuli Papæ III. electio. 364. 1.
Pauli Papæ III. obitus. 379.
Paulus IV. Clericorum, quos Theatinos vocant, Fundator. 331.
Pauli Papæ IV. obitus. 384. 2.
Patrimonium eſt Titulus extraordinarius Ordinationis. 390. 1.
Patrimonii inſtituendi cauſa in Ordinatione quæ. 390. 1.
Patrimonii titulo qui ordinari poſſunt. 390. 1.
Parochia idem eſt ac Diœceſis. 98. 1.
Parochiales Eccleſiæ, quibus conferendæ. 95. 1. & 2.
Parochiales Eccleſiæ quibus commendari poſſunt. 97. 1. & 2.
Parochiarum Commendæ. 305. & ſeq.
Paupertatis Fratrum Minorum controverſia. 148. 1. & ſeq.
Perſonatus, & Dignitatis ſignificatio, & diſcrimen. 18.
Petri de Luna exauctoratio, ejuſque ſententia. 190. & ſeq.
Petri de Luna manſio Paniſcolæ, & citatio in illum, & alia acta. 189. & ſeqq.
Petri de Luna obitus, & ſepultura. 191. 1. 2.
Petri de Tarantaſia Oratio funebris in laudem S. Bonaventuræ. 56. 1.
Petri Joannis Olivi errores. 143. 1. & 2.
Photii ſchiſma. 47. 1. & ſeqq.
Pii Papæ II. retractatio eorum, quæ pro Concilio Baſileenſi ſcripſerat contra Eugenium IV. 245. & ſeq.
Pileus rubeus quando, & cur datus S. R. E. Cardinalibus. 15. 1. & 2.
Pilei rubei mittendi ritus ad abſentes recens Cardinales creatos. 15. 2.
Piſani Concilii Hiſtoria. 157. & ſeqq.
Piſani alterius Conciliabuli audacia, & Acta contra Julium II. Pontificem. 286. & ſeqq.
Pollidorus Petrus laudatus. 323. 1. & alibi.
Pontifex Romanus an errare poſſit in approbatione Ordinum Religioſorum. 114. 2. & ſeq.
Pontificis Romani electio facienda in Conclavi. 61. & ſeqq.
Pontificis Romani poteſtas ſupra Concilia. 354. 2.
Pontificis Romani ſolius eſt novos Religioſorum Ordines approbare. 114. 2.
Pontifici recens creato quæ adhortatio legeretur. 226. 1.
Pontifices Romani qui Beneficia Apoſtolicæ Sedi reſervarint. 110. & ſeqq.
Pozzo Joſephus Generalis Ordinis S. Baſilii laudatus. 131. 2.
Pragenſis Hieronymi damnatio & ſupplicium. 187. 1. & 2. ejuſdemque vana conſtantia in ſuſtinendo ſupplicio. ibid.
Prædicandi modus in Concilio Lateranenſi V. præſcriptus. 342. & ſeqq.
Prædicatorum Ordo iterum in Concilio II. Lugdunenſi approbatus. 116. 1.
Prædicatorum Ordinis prima origo, & confirmatio. 116. 2.
Primatus Papæ controverſia in Concilio Florentino. 256. 1. & 2.
Princeps licet ſi ſolutus legibus, debet tamen ſecundum leges vivere. 326. 1.
Principum miniſterium S. R. E. Cardinalibus vetitum. 312. & ſeqq.
Proceſſio. Vide. Euchariſtia.
Proceſſio cum SS. Sacramento in Feſto SS. Corporis Chriſti quando primum inſtituta. 150. & ſeq.
Proceſſio in Feſto Corporis Chriſti quo ritu alicubi peragi ſolita. 151.
Proceſſio Spiritus Sancti a Patre & a Filio tanquam ab uno principio definita in Concilio II. Lugdunenſi. 59. & ſeqq.
Proceſſionis Spiritus Sancti a Patre, & a Filio, controverſia in variis Conciliis agitata. 60. 1. & ſeqq.
Proceſſionis Spiritus Sancti a Patre, & a Filio con-

controverſia celebris in Concilio Florentino. 252. & ſeqq.
Prophetia quid. 345. 2.
*Proponentibus Legatis* verba appoſita in Tridentini Concilii Decretis ab Hiſpanis impetita. 386. & 395. 2. & alibi.
*Proponentibus Legatis* verba ut explicata a Synodo Tridentina. 397. 1.
Propoſitionum variæ genera. 176. 1. & ſeq.
Pudicitiæ puellarum ruinæ cauſæ. 218. & ſeq.
Pueri & puellæ lectis diverſis locandi. 219. 2.
Purgatorii ignis controverſia in Concilio Florentino agitata. 255. & ſeq.
Purgatorium ignem eſſe, licet ibi ſit & obſcuritas, & turbo, ſive inquietudo quædam, Latinorum ſententia eſt. 256. 1.

# Q

QUæſitor per Gallias generalis contra Templarios Guillelmus de Pariſiis Ordinis Prædicatorum. 140. & ſeq.
Quietis beatitudinem ut det Deus animabus defunctorum, precatur Eccleſia in Miſſa pro defunctis, & cur. 256. 2.
Quietiſtarum ſectæ auctor Michael Molinos, & a quo ille errores ſuos hauſerit. 145. 1.

# R

REdigenſis Synodi Canon II. 97. 2.
Refrigerii ſedem, quietis beatitudinem, & luminis claritatem ut det Deus defunctorum animabus, precatur in oratione Miſſæ pro defunctis Eccleſia. 256. 2.
Regalia vacantium Eccleſiarum & ejus origo. 82. & ſeqq. ejuſdem abuſus, ibidem.
Regaliorum jus cælitus Francorum Regibus conceſſum, perperam auctores quidam Galli aſferunt. 82. 2.
Regulari publice delinquenti pœna a quo irroganda. 398.
Regularium privilegia a BENEDICTO XIV. ſervata illæſa. 352. 1.
Regularium Privilegiis in Concilio Viennenſi modus impoſitus. 153. & ſeqq. itemque in Concilio Lateranenſi V. 155. 1. 2.
Rigantius Joannes Baptiſta & ejus ex fratre Nepos laudati. 112. 2.
Reformationes Curiæ & aliorum. 334. 2. & ſeqq.
Relaxatio ad cautelam. 134. 1. & 2.
Religionum diverſitas ne confuſionem induceret, a ſacris Conciliis proviſum. 113. 1. & ſeqq.
Religioſorum privilegiis in Concilio Lateranenſi v. modus impoſitus. 349. 2.
Religioſos Ordines approbare ſpectat ad ſolum Romanum Pontificem. 113. 2.
Repræſaliæ quid. 133. 1. & ſeqq.
Revelationes quæ admiſſæ, & quæ proſcriptæ. 345. & ſeq.
Richinius Fr. Thomas Ordinis Prædicatorum a ſecretis ſacræ Congregationis Indicis laudatus. 352. 2.
Ridolfi Nicolai Magiſtri Sacri Palatii Viri Religioſiſſimi obitus & ejus laudes. 341.
*Ripaliam facere* quid. 241. 1.
Ritus ſervati in Generali Concilio II. Lugdunenſi. 50. 2. & ſeq.
Rogerius Conſtantinus vir apprime doctus, & raræ ſinceritatis. 318. 2.
Romanorum ſeditio contra Gregorium IX. 5. 1. 2.
Romæ tumultus ob duplicatum tributum & vectigale novum vino impoſitum ut ab Eugenio IV. Papa ſedatus. 281. 2.
S. Roſa Limana Tertiaria Ordinis Prædicatorum. 352. 2.
Roſa aurea quotannis benedici ſolita a Romano Pontifice. 357. 2.

# S

SAcramentorum virtus antequam populo adminiſtrentur, ab Epiſcopis, & Parochis explicanda. 396.
Sacrificium Miſſæ a Chriſto inſtitutum, & alia de eo Decreta. 390. & ſeq.
Salmurienſis Synodi Canon 28. 97. 1.
Salvulconductus hæreticis conceſſus. 185. 1.
Satellitum exceſſus ob defectum ſalarii. 328. 1.
Schiſma inter Urbanum VI. & Clementem VII. 158. 2.
Scotiſtas inter & Thomiſtas diſputatio circa originale Adæ peccatum habita in Concilio Tridentino. 373. 2.
Scripturæ Sacræ ut exponi debent. 347. 1. & 2.
Senenſis Concilii Hiſtoria. 200. & ſeq.
Seſſionis ordo qui in Generali I. Concilio Lugdunenſi. 10. 1. & 2.
Sirletus Guillelmus Calaber S. R. E. Cardinalis laudatus. 323. 2.
Sixtus V. S. Bonaventuram Eccleſiæ Doctoribus adnumerandum decernit. 50. 1.
Societas Jeſu a Melchiore Cano perperam notata. 123. 2. & ſeq.
Societates Nominis Jeſu jam ante S. Ignatium Lojolam inſtitutæ. 123. 2.
Symmachi Papæ Decretum de electione Romani Pontificis. 325. & ſeq.

# T

TArtari qui, & de eorum impetu in Chriſtianus comprimendo. 13. 1.
Tartarorum impietati occurritur. 41. & ſeq.
Tavella Joſeph Thomas Ordinis Prædicatorum S. Theologiæ Magiſter, & ejus Liber laudati. 353. 1.
Temeraria propoſitio quæ dicta. 176. 2.
Templa quæ olim dicta 120. 1.
Templariorum Ordo a Clemente V. Papa extinctus. 115. 2.
Templariorum Militum origo, & eorum enormiſſima ſcelera. 159. & ſeq.
Templariorum Militum damnatio, atque eorum Ordinis extinctio. 141. 2. & ſeq.
Tertiariorum Ordinis Prædicatorum origo. 352. & ſeq.
Tertiariorum, & Tertiariarum Ordinis Prædicatorum privilegia. 352. 2. & ſeq.
Teſtamenta ad pias cauſas, in quibus filii conſanguineique prætereuntur, a S. Patribus improbata. 40. 1. & 2.
Tetzellius Lutheri, ejuſque impiarum theſium impugnator. 355. 2.
Thadæus Orator Friderici II. Imperatoris ad Concilium I. Lugdunenſe. 10. & ſeq.

*S.* Thomæ Aquinatis doctrina de uſu redituum Eccleſiaſticorum. 317. 1.
*S.* Thomæ Aquinatis de revelationibus doctrina. 345. 1.
Thomiſtas inter & Scotiſtas diſputatio circa originale Adæ peccatum habita in Concilio Tridentino. 273. 2.
Thomaſius Joſephus S. R. E. Cardinalis doctiſſimus, & Religioſiſſimus laudatus. 315. 2. & 319. 2.
Tituli dictæ olim Eccleſiæ, quibus deſerviendis ordinabantur Presbyteri, ita ut in eis ſtabilitatis promiſſionem facere tenerentur, & ab eis recedere, minime ipſis liceret. 313. 2. & ſeq.
Tituli cur dictæ Eccleſiæ. 114. 1.
Tituli Cardinalitii quandoprimum mutari cœperint. 164. 1. & ſeq.
Translatio Prælatorum ut peragenda. 299. 2. & ſeq.
Tranſubſtantiatio a Græcis expoſita. 259. & ſeq
Tria Joannes Andreas Tyri Archiepiſcopus laudatus. 223. 1. 332. 2. 333. 2. & alibi.
*Triadis Romanæ* titulo inſignitus libellus famoſus. 358. 2.
Tridentini Concilii Hiſtoria. 355. & ſeqq.
Tridentini Concilii Hiſtoria perperam a Petro Suave Polano ſcripta. 368. & ſeq.
Tridentini Concilii translatio Bononiam. 376. 1. & 2.
Tridentini Concilii inſtauratio ſub Julio Papa III. 379. 1. & ſeq.
Tridentini Concilii reſumtio ſub Pio IV. Papa. 384. & ſeq.
Tridentini Concilii utilitas multiplex explicata. 400.
Tridentini Concilii Interpretum Congregationis initium. 399.
Tridentini Concilii Hiſtoriæ compendium. 400.
Trosleenſis Synodi anno 1009. habitæ Canon IX. 216. 2.
Turrecrematæ Cardinalis pietas & munificentia in dotandis Virginibus, & de Societate ab ipſo inſtituta in Templo Cœnobii Minervitani Fratrum Ordinis Prædicatorum ſub titulo Deiparæ Virginis Annunciatæ. 319. 2.

# V

Urbani Papæ VI. electio, & ejus aſperitas in Cardinales. 157. 2. & ſeq.
Urbani Papæ VII. largiſſima donatio facta Societati Deiparæ Annunciatæ in Templo S. Mariæ ſuper Minervam erectæ pro dotandis puellis. 319. 2.
Urbis Romæ funeſta direptio ab exercitu Caroli V. Imperatoris. 362. 1.
Uſurarii manifeſti qui dicti. 129. 1. & 2.
Uſurariorum pœnæ variæ. 128. & ſeqq.
Uſuras qui olim Italiæ Populi exercerent. 128. 1.
Valentiniani Lex contra hæredipetas Clericos, & Monachos. 39. 2. & ſeq.
Vargas Orator Hiſpanus, & ejus vana querela de quodam Concilii Tridentini Decreto. 386. 1.
*Veni Creator Spiritus*, Hymnus cantatus in Seſſione 1. Concilii II. Lugdunenſis. 51. 2.
Vergerii Petri Pauli a Fide apoſtatæ notitiis ad confingendam Tridentini Concilii Hiſtoriam uſus Polanus. 369. 1.
Victorius eques Franciſcus laudatus. 123. 2.
Victorius Franciſcus eques, & ejus Liber, *De Monogrammate SS. Nominis Jeſu* laudatus. 121. 2. & 123. 2.
Vidonis Legati Regis Galliæ ad Tridentinum Concilium Oratio acris. 387. 2. & ſeq.
Vennenſis Concilii Hiſtoria. 137. & ſeqq.
Viennenſis cogendi Concilii cauſæ. 138. & ſeq.
Vigiliæ hodiernæ nocturnæ cauſæ ruinæ caſtitatis puellarum. 219. 1.
Vigiliæ nocturnæ antiquæ in Eccleſia cur abrogatæ. 219. 1.
Virgæ depoſitione, ac anuli, & Regulæ ſuper Corpora Sanctorum facta Abbatum renunciatio. 299. 1.
Virginitatis frequens naufragium, & ejus cauſæ. 218. 1. 2.
Viſionum verarum a falſis diſtinctio. 346. 1.
Viſitationis Deiparæ Feſtum, & ejus origo. 242. 1. & 2.
Viterbii Conclave conſtructum pro electione Papæ, & an illud fuerit primum. 65. & ſeq.
Vota conditionalia, alternativa & incerta in Electionibus & Poſtulationibus, & Scrutiniis reprobata. 19. & ſeq.
Warmienſis Cardinalis Stanislaus Hoſius unus ex Concilii Tridentini Legatis Seſſioni 24. intereſſe noluit, & cur. 396.
Wiclefi Joannis Articulorum damnatio, & qui illi. 176. & ſeq.
Wittembergæ Scholaſticorum quorundam impietas. 355. 2.
Wittembergæ, & aliis in locis Lutherani, & Anabaptiſtæ, ut Propheticæ gratiæ opinionem ſibi conciliarent, multa ſpargebant in vulgus de impendente Judicio extremo, & de certa ejus die. 345. 1.

# X

Xenodochia & Leproſorum ædes commendari vetita. 97. 2.
Xenodochia, Hoſpitalia, Leproſariæ cujuſcumque valoris, quæ ad pauperum uſum & alimoniam inſtituta ſunt, ne S. R. E. Cardinalibus commendentur, ſtatuit etiam Concilium Lateranenſe V. 305. 1.

# Z

Zachariæ Romani Pontificis auctoritate, Childerico III. in ordinem redacto, ſuccedit Pipinus in Galliæ Regnum. 83. 2.
Zare Conſtantinus Jacob Imperator Æthiopum. 276. 1.
Zane Bernardus Archiepiſcopus Spalatenſis. 291. 1.
Zuinglius, ejuſque hæreſis initium quando. 358. 1. & 2. Prædicatorem Indulgentiarum a Pontifice miſſum apud Helveticos Tigurinos oppugnare cœpit anno 1519. damnatumque olim Berengarii errorem inſtauravit una cum Carlſtadio, & Œcolampadio Brigidiani laſſitati deſertore. ibid.
Zuingliani gloriam Luthero inchoatæ hæreſis invidentes, volunt Zuinglium jam ante Lutherum prædicare illam cœpiſſe anno 1516. Glaronæ. 358. 2.

F I N I S.

VA1 1527761
Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

~~162~~
~~H~~
~~H~~
162
H
4

Digitized by Google